This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Vet. Fr. III B. 1750

ŒUVRES

COMPLÈTES

DE BOSSUET.

TOME XVI.

BESANÇON. — IMPRIMERIE DE OUTHENIN-CHALANDRE FILS.

ŒUVRES

COMPLÈTES

DE BOSSUET.

TOME SEIZIÈME.

CONTROVERSE.

DEFENSIO DECLARATIONIS CONVENTUS CLERI GALLICANI.
COROLLARIUM ET APPENDIX.

BESANÇON,
OUTHENIN-CHALANDRE FILS, ÉDITEUR,
IMPRIMEUR DE M.gr L'ARCHEVÊQUE.

PARIS,
MÊME MAISON DE COMMERCE,
PLACE SAINT-ANDRÉ DES ARTS, 11.

1841.

TAYLOR INSTITUTION
UNIVERSITY
21 NOV 1967
OF OXFORD
LIBRARY

DEFENSIO DECLARATIONIS
CLERI GALLICANI
DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

LIBER TERTIUS,

QUO A GREGORII VII TEMPORE, RES EXTRA CONCILIA ŒCUMENICA GESTA REFERUNTUR; AD CAPUT PRIMUM GALLICANÆ DECLARATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

An Gregorii VII ac secutis decretis ita res confecta sit, ut de eâ ambigere catholicis non liceat : contrarium statuitur certis exemplis et catholicorum omnium consensione : Melchior Canus, Bellarminus, Rainaldus, Perronius teste adducuntur.

Nunc devenimus ad ea tempora, quorum maximè auctoritate nos premunt, Gregorii scilicet VII, secutorumque pontificum. Quippè objiciunt hisce temporibus quæstionem totam Ecclesiæ auctoritate decisam : depositos quippe pontificiâ auctoritate imperatores ac reges : consensisse in eam depositionem orthodoxos ; neque tantùm rem à romanis Pontificibus esse factam, sed factam in conciliis œcumenicis : depositum enim in concilio Lugdunensi II [1], ab Innocentio IV, Fridericum II. Quin etiam ab ipsis synodis multa esse decreta, quæ ad eam praxim comprobandam manifestè pertineant, ut est illud decretum Lateranensis concilii III ; *de relaxato fidelitatis debito* adversùs hæreticos ; et Lateranensis IV, ut *summus Pontifex hæretici vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos* [2] : denique rem adeò certam, ut à conciliis in formulam versa sit, extentque conciliorum Constantiensis et Basileensis decreta, quibus privationis pœna principibus etiam ac regibus intentetur ; ex quibus concludunt, rem totam eorum etiam conciliorum, quibus maximè utimur, auctoritate esse confectam.

Hæc adversarii catholici objiciunt. Hæretici verò postquam nobiscum potestatem indirectam aversati sunt, ut à sacrâ Scripturâ et antiquitatis ecclesiasticæ dogmatibus abhorrentem, tum verò inculcant, quæ jam memorata sunt, posterioris ævi decreta, ut in tantâ doctrinæ mutatione, ea quam tuemur, catholicæ Ecclesiæ infallibilitas stare non possit.

[1] *Conc.* II. *Lugd. œcumen.*, tom. XI. *Conc.*, col. 640.—[2] *Conc. Later.* III, cap. XXVII. tom. X. col. 1523 ; *Later.* IV, cap. III. tom. XI. col. 148.

Nos autem hæreticis statim respondemus, more solito calumniari eos. Non enim catholici docent, quæcumque in conciliis gesta sint, ea ad Ecclesiæ catholicæ fidem pertinere: sed eo loco habent illa tantùm, quæ decreto edito fidelibus omnibus credenda ac tenenda proponuntur: quod et Melchior Canus copiosè docet [1], et catholici omnes uno ore confitentur. Cujus rei ratio est, quòd id sufficiat, ut verba Christi firma stent de æternâ ecclesiasticorum dogmatum firmitate; nec proindè labat Ecclesiæ fides, si ea quæ extra fidem decreta sunt, haud pari auctoritate consistunt. Atque certum omninò, multa in conciliis sine expressâ deliberatione ac determinatione esse dicta gestaque, quibus adstringi se catholici omnes uno ore negant. Multa etiam decreta sunt, quæ non pertineant ad invariabilem fidei regulam, sed sint accommodata temporibus atque negotiis. Quin etiam illi qui romanum Pontificem vel maximè infallibilem esse contendunt, non propterea necessariò tuenda suscipiunt, quæ Pontifices gesserint; sed profectò certæ sunt regulæ, quibus et hi Pontificibus, et omnes catholici conciliis œcumenicis certam fidem docent adhiberi oportere.

Certè Melchior Canus, pontificiæ infallibilitatis defensor acerrimus, asserit, « qui summi Pontificis de re quâcumque judicium temerè ac sine delectu defendunt, hos Sedis apostolicæ auctoritatem labefactare, non fovere, evertere, non firmare [2]. » Ac paulò post: « Non eget Petrus mendacio nostro, nostrâ approbatione non eget: » tum adductis decretis de religiosis ordinibus approbatis: « Satis fuerit, inquit, si eam habeant auctoritatem, quam epistolæ decretales, quarum nonnullas constat à posterioribus meliore consilio refutatas; » quoniam non ex firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt.

Neque negat Bellarminus, aitque, Pontifices « ex ignorantiâ lapsos, quod, inquit [3], posse Pontificibus accidere non negamus; cùm non definiunt aliquid, tanquam de fide, sed tantùm opinionem suam aliis declarant. » Alia ejus responsio est: « Pontifices tum nihil certi statuisse, sed tantùm respondisse, quod sibi probabilius videbatur. » Addit « multa alia esse in epistolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed tantùm opiniones Pontificum eâ de re nobis declarant. »

Quòd Stephanus VI et Sergius romani pontifices iterum ordinari jusserunt eos, qui à Formoso * papâ, postquam is degradatus fuit,

[1] *Melchior. Can., de Loc. theol.*, edit. *Lovan.*, 1564. pass. — [2] *Canus., ibid.*, lib. v. fol. 340. — [3] *Bell., de R. P.*, lib. iv. cap. 12, 14.

* Formosus fuit ille episcopus, quem de sede Portuensi dejecit Joannes VIII. Hunc deindè restitutum à Martino II, romana demùm Ecclesia suscepit pastorem. Quàm inhumanè Formosi cadaver violaverint, et ejus memoriam diris devoverint Stephanus VI et Sergius III, narrat D. Fleury, quem vide. (*Edit. Paris.*)

ordinati essent, idem Bellarminus respondet [1] : « Eos non edidisse aliquod decretum, quod decernerent ordinatos ab episcopo degradato... esse iterùm ordinandos, sed solum de facto jussisse iterùm eos ordinari, quæ jussio non ex ignorantiâ aut hæresi, sed ex odio in Formosum procedebat. »

Ne ergo tu mihi hæc dicito : Gregorius VII et alii, imperatores ac reges deposuere ; ergo id jure factum : docet enim Bellarminus, idque nos diligenter totâ hâc tractatione meminisse oportet ; docet, inquam, ille, accuratè secernenda esse quæ Pontifices *de facto jusserint*, ab iis quæ decreto edito facienda constituerint. Neque enim omnia ab ipsis jure fieri ; *sed* quædam *ex odio* ; neque eorum decreta, quæ etiam ad doctrinam spectent valere omnia ; imò verò ab ipsis ritè et ordine interrogatis, multa esse responsa atque in Jure edita, ac decretalium epistolarum nomine insignita, quæ tamen probabili tantùm, imò etiam falsâ romanorum Pontificum opinione nitantur ; idque in confesso est etiam apud eos, qui pontificiam infallibilitatem vel maximè propugnant.

Placet etiam adscribere quæ Odoricus Rainaldus docuit, occasione decretalis *Exiit*, et eorum quæ in eâ à Nicolao III definita, à Joanne XXII postea rejecta sunt, de Christi paupertate : « Sanè, inquit [2], major propositio : nimirum nefas esse contradicere in iis quæ definita sunt per Sedem apostolicam in fide et moribus, certissima est ; et additæ propositiones eam omninò confirmant, si intelligantur, uti debent, ea quæ spectant ad fidem et universalis Ecclesiæ mores in necessariis ad salutem. At pseudo-minoritæ non in eo sistunt, sed quæ ad fidem et mores tantum spectant accidentariò et remotè, qualia sunt nimirùm Franciscani instituti encomia, privilegia, seu decreta Pontificum eò attinentia, et omnia in iis contenta, fidei et morum essentialia esse falsò supponunt ; ac ludunt in æquivoco. Illas ergo sanctiones, licèt sint in sexto (Decretalium libro [3]) esse fidei et morum decreta essentialia, negandum est constantissimè neque enim decreta fidei condunt Pontifices, nisi id expresserint, et de necessitate credenda proposuerint. » Ex quibus id habemus : Pontificum romanorum decretis propositis, duo adhuc quæri oportere : alterum, an res *sit ad fidei et morum essentialia pertinens*, idque per se et proximè, non *accidentariò et remotè* : alterum, an expressum *sit id de fide credendum* ?

Procul ergo absunt ab apostolici de fide decreti auctoritate, hæc Clementina, *Principes romani*, et Clementina *Pastoralis* [4], de fidelitatis juramento ab imperatoribus debito, deque potestate romani

[1] *Bell., de R. P.*, lib. IV. cap. 12. — [2] *Odoric. Rain.*, t. XV. an. 1324, n. 32. — [3] *Sext. Decret.*, lib. V. cap. 3. — [4] *Clem.*, lib. II. tit. IX. *de Jurejur.*; et tit. XI. *de Sent. et re jud.* cap. 2.

Pontificis ad imperatoris irritanda judicia, quas Clemens V edidit; procul, inquam, absunt hæc ab apostolici de fide decreti auctoritate, quanquam ea Clemens *apostolicâ auctoritate* declarare se dicat.

Procul ab eâ auctoritate rursùm abest id, quod idem Clemens V ut certum supponit : « Nos ad quos romani vacantis imperii regimen pertinere dignoscitur, etc. [1] » Quo fundamento nixus, Robertum Siciliæ regem vicarium imperii, sed in Italiâ tantùm constituit. Neque huic decreto certiorem addit auctoritatem Joannes XXII, dùm hæc ad se pertinere, propter Petri auctoritatem et jura concessa divinitus, testatur his verbis [2] : « In nostram et fratrum nostrorum deductum est, famâ divulgante, notitiam, quòd licet sit de jure liquidum et ab olim fuerit inconcussè servatum, quòd vacante imperio, sicut et nunc per obitum quondam Henrici Romanorum imperatoris vacasse dignoscitur, cùm in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem, cui in personâ Petri terreni simul et cœlestis imperii jura Deus ipse commisit, imperii prædicti jurisdictio, regimen, et dispositio devolvuntur. » Quanquam enim is Pontifex, hoc fundamento nixus, vicarios imperii in Italiâ quidem, aliâ auctoritate quàm pontificiâ constitutos, omnesque iis obedientes excommunicatione damnet; tamen hæc civilia nullo modo ad fidem et mores universalis Ecclesiæ pertinere constat. Quo jure hæc omnia à decretis fidei procul amandamus; parique ratione quærimus quæ Gregorius VII aliique in deponendis imperatoribus gesserint, quanquam et Petri jure atque auctoritate gesta esse præferant, an ad fidem et mores Ecclesiæ catholicæ potiori aliquâ ratione pertineant, aut etiam ad ea pertinere, ullo legitimo decreto declaratum definitumque sit.

Hæc dicimus secundùm eos qui pontificiam infallibilitatem ac summam in temporalibus potestatem vehementissimè asserunt : quâ defensione non modò hæreticorum calumniæ propulsantur, verùm etiam catholicorum eorum, qui nobis adversantur, franguntur impetus; eoque demùm res tota devolvitur, ut quæramus sintne ea, quæ ad reges deponendos pertinent, eo ordine modoque gesta, quæ summam et indeclinabilem apud catholicos obtineant auctoritatem.

Ac primum : nemo nisi dementissimus dixerit, ea gesta esse summâ et indeclinabili auctoritate; alioquin theologi parisienses gallique passim omnes, post censuram Sanctarelli saltem, ne jam antiquiora memoremus, pro hæreticis aut schismaticis haberentur, qui rem, ab Ecclesiâ, summâ auctoritate decretam non modò negarint, sed insuper gravi censurâ notarint. Ipse Perronius cardinalis tot ab aulâ romanâ gratulationes tulisset immeritò, pro eâ oratione quam habuit

1 *Clem. Past.* — 2 *Extrav. Joan.*, XXII, tit. V. *Ne Sede vacante*, c. unico : *Si.*

in ordinum cœtu; cùm ibi postulavit haberi istam quæstionem inter problematicas et liberas, quæ ab Ecclesiâ gravissimâ auctoritate sancita definitaque esset.

CAPUT II.

Gesta sub Gregorio VII, primumque ejus de Henrico deposito decretum.

Posteaquam universim constitit nihil ad fidem catholicam pertinere quæ à Gregorio VII aliisque, in deponendis regibus gesta sunt; illud jam ipsum evolutis excussisque gestis, singillatim ac luculentiùs explicemus; simulque ostendamus quanti sint, quæ summâ et indeclinabili auctoritate non valere liquet. Series postulat temporum, ut à Gregorio VII ordiamur.

Anno Christi 1073, adversùs Henricum IV, nequissimum et flagitiosissimum imperatorem Saxones rebellaverant. Belli causa memoratur [1], impositæ arces atque præsidia quæ Saxones prædis agendis atque opprimendæ libertati esse comparata querebantur. Obtendebat imperator decimas Sifrido archiepiscopo immeritò denegatas; ipse occultè archiepiscopum instigabat : abbates Thuringos * ad iniquas conditiones adigebat : his initiis causisque bellum atrox gerebatur. Hic verò ex libro superiore repetendum [2] id, quod per idem tempus contigit Henrico imperatori : ab Alexandro II diem dictam propter causas quidem ecclesiasticas, nullâ depositionis interminatione : tum Alexandrum II infecto negotio decessisse : Gregorium VII ei substitutum, cum Henrico IV multa tractasse; ac, ne superfluis immoremur, narrat Baronius [3], anno 1075, Henricum, victoriâ de Saxonibus reportatâ, contempsisse quæ Papæ promiserat, de pace videlicet cum Saxonibus ineundâ, deque Thedaldo in ecclesiam Mediolanensem intruso, aliisque ejusmodi negotiis; communicasse etiam iis quos Sedes apostolica ob simoniam et alia flagitia rejecisset. Anno verò 1076, refert idem Baronius [4], « missos à Gregorio legatos, qui regem ad dicendam causam vocarent ad synodum ; » dicta dies ad feriam secundam secundæ hebdomadæ in Quadragesimâ : adhibita pœna, nisi dictâ die se sisteret, sed excommunicationis tantùm, ut ex historicis hujus ævi, Baronio etiam probante, ostendimus [5]. De depositione altum adhuc ubique silentium.

Henricus tamen eâ Gregorii citatione commotus, statim habitâ Vormatiæ pseudo-synodo Gregorium « deposuit, eique subjectionem et obedientiam interdixit [6] ; » quin etiam datis litteris imperavit, et

[1] *Hist. Sax. bell.*, p. 105; *Lambert. Schaf.*, an. 1073. *ap. Freh.*, p. 190.
* Fuldensem nempè et Herveldensem.
[2] *Sup.*, lib. II. c. 30. — [3] *Bar.*, t. XI. p. 472. — [4] *Ibid.*, p. 476. — [5] *Lib.* II. *loc. cit.* — [6] *Hist. Sax. bell.*, p. 122.

illi ut ab apostolicâ Sede discederet, et clero populoque romano ut « qui primus esset in fide, esset primus in ejus damnatione. » Hæc miror catholicis quibusdam non satis cautis scriptoribus probari potuisse. Neque enim aut Gregorius VII quidquam egerat, quo deponeretur, nec, si eâ de re quæstio moveretur, ei finiendæ, idonei erant imperator cum eoque collecti Germaniæ episcopi; prorsùsque Ecclesiæ catholicæ ac Sedis apostolicæ jacet auctoritas, si hæ molitiones valeant. Sed postquam imperator, inconcessa ausus, Gregorium deposuit; Gregorius quoque eò posilire ausus, ut regem non tantùm excommunicandum more majorum, sed etiam deponendum novo exemplo susciperet. Neque illud omittendum, quod à coævo auctore memoriæ proditum suprà retulimus [1] : delectatum eum videri dandi regni dulcedine et gloriâ, quam ultro blandientes offerebant : visos etiam illos motus; quibus Germania fluctuabat, amplificandæ in civilibus romanæ potentiæ oportunos : queis fretus Gregorius eam tulit sententiam, cujus initium est [2] : « Beate Petre, apostolorum princeps. » Decretum autem sic habet : « Et ideo ex tuâ gratiâ, non ex meis operibus, credo quòd placuit tibi et placet, ut populus christianus tibi specialiter commissus mihi obediat specialiter pro vice tuâ mihi commissâ; et mihi, tuâ gratiâ, est potestas à Deo data ligandi atque solvendi in cœlo et in terrâ. Hâc itaque fiduciâ fretus, pro Ecclesiæ tuæ honore et defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, per tuam potestatem et auctoritatem, Henrico regi, filio Henrici imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam in auditâ superbiâ insurrexit, totius regni Teutonicorum et Italiæ gubernacula contradico; et omnes christianos à vinculo juramenti quod sibi fecerunt vel facient, absolvo, et ut nullus ei sicut regi serviat interdico. Dignum est enim, ut qui studet honorem Ecclesiæ tuæ imminuere, ipse honorem amittat quem videtur habere, et quia sicut christianus contempsit obedire, nec ad Dominum rediit quem dimisit participando excommunicatis, meaque monita, quæ pro suâ salute sibi misi, te teste, spernendo, seque ab Ecclesiâ tuâ, tentans eam scindere, separando, vinculo eum anathematis vice tuâ alligo. »

Eo in decreto, quod ad verba attinet, illud imprimis notatum volo, distinctis verbis atque sententiis depositum primò principem, tum etiam anathemate alligatum fuisse. Et meritò quidem anathemate percussum confitemur eum, qui nullâ causâ, nullâque potestate, Petri successorem deponere ausus fuerat. Quòd autem Pontifex perperam depositus, haud meliore jure imperatorem ipse deposuerit, id verò ut novo, ita pravo exemplo esse factum contendimus.

[1] *Sup.*, lib. I. sect. I. c. XII.—[2] *Conc. Rom.* III, *sub Greg. VII*, tom. X. col. 356, 357.

CAPUT III.

De Gregoriani decreti auctoritate quæritur : paucis repetuntur quæ de ejus novitate dicta sunt.

Cum secutæ de regibus deponendis sententiæ, ab eo Gregorii VII decreto et exemplo, tanquam ex fonte prodeant, de totâ ejus decreti ratione quærendum est. Et quidem ab ipso disputationis initio præstruximus ipsam rei novitatem [1] : nullum exemplum, auctoritatem nullam hujus rei aggrediundæ præcessisse : itaque attonitum orbem : Gregorii asseclas ipsâ novitate commotos : ipsum Gregorium anxiè interrogatum nihil nisi falsa vanaque et nimia protulisse : hinc Gregoriani decreti novitatem, post tot ejus ævi tractationes, post ipsius Gregorii omni ingenio ac studio elaborata responsa, viris pis et gravibus non minùs fuisse suspectam : eumdem Gregorium nova superstruxisse novis : victoriam novo ausu, novique generis, decreto edito, ab Henrici exercitu arcuisse, et velut obstupefacto orbi inanes objecisse terriculas : ac nihilò secius, audentissimum licèt, in tantâ novitate, nec ipsum sibi satis constare potuisse. Hæc quidem omnia novitatem sonant, hoc est, in christianâ doctrinâ certam ac perspicuam falsitatem. Nunc autem tota res multò clariùs enitescit. Ecce enim evolutis, ab omni antiquitatis memoriâ ad hæc usque tempora, ecclesiasticis gestis, spoliatos fuisse unquam, ecclesiastico decreto, ullâ bonorum parte laicos, nedum ditione atque imperiis reges; aut tale quid unquam cuipiam intentatum, non invenimus, non legimus, non audivimus; cùm tamen demonstraverimus tot ac tantas hujus rei intervenisse causas, si id vel Ecclesia cogitasset.

Quin etiam vidimus christianos omnes, etiam episcopos, romanosque adeo Pontifices passim obedisse apostatis, hæreticis, excommunicatis regibus; neque tantùm obedisse, sed etiam docuisse ex Christi præceptis deberi eis obedientiam, exceptis iis rebus, quæ contra Dei vetita juberentur; Pontifices quoque, discretis utriusque dignitatis limitibus, ultro esse professos, nullam esse suam in rebus ordinandis civilibus potestatem. Nunc cùm Gregorius VII, nullo unquam exemplo, auctoritate nullâ, contraria omnia faciat; roganus adversarios, hæc quæ nunc gerit, an ad catholicam fidem et ecclesiasticam dogma pertineant? Si pertinere contendunt : ubi illud, quo Ecclesia catholica invicta hactenùs stetit : valere oportere *quod ubique, quod semper* [2] et illud *Id verum quod prius; id adulterum quodcumque posterius* [3]? Quid autem respondemus hæreticis, dùm

[1] *Sup.*, lib. 1, sect. 1. cap. 7 et seq. — [2] *Vincent. Lirin.*, *Commonit.* 1. — [3] *Tert.*, *de Præscrib. Hæret.*, c. XXXI.

doctrinæ novitatem erroremque manifestum, vel his vel anteactis sæculis improperant? Sin autem his argumentis victi, hæc Gregorii gesta pro fidei doctrinâ atque ecclesiastico dogmate habere non audent; nempe non ab ejus duntaxat, sed ab illorum etiam qui eum secuti sunt auctoritate, nos liberant.

CAPUT IV.

Qui Gregorio VII Henricum deponenti adhæserint, eos falso fundamento nixos, falso nempè intellectu interdicti de vitandis excommunicatis, idque jam in confesso esse sancti Gebhardi et aliorum ejus ævi in eam rem sententiæ.

Nunc ne sanctorum virorum, qui Gregorio VII reges deponenti adhæserint, auctoritate plus æquo moveamur; considerandum istud: illos, quotquot fuere, falso fundamento nixos; nempe quod interdictum de vitandis excommunicatis, falso et ab omnibus jam rejecto intellectu acceperint. Quid inde consequatur orationis series aperiet. Nunc rem ipsam aggredimur. Incipimus autem à Gebhardo Juvavensi, quem à Metensi Herimanno de hâc quæstione rogatum memoravimus [1]. Jam quid responderit audiamus. Rescribit autem eo tempore, quo non modò Henricus IV à Gregorii VII communione recesserat, verum etiam antipapam fecerat nefarium illum Guibertum Ravennatem, Clementem appellatum. Hunc qui respuerent episcopi, sedibus ab Henrico pellebantur; pseudo-episcopi per vim intrudebantur; ipse Gebhardus in exilio agebat, quo tempore hæc scripsit; meritòque damnat episcopos qui talibus consentirent. Cæterùm, cùm Herimannus de deponendis regibus ecclesiasticâ auctoritate vel maximè quæreret, Gebhardus, nullâ depositionis mentione factâ, rem totam cum excommunicatione connectit, et controversiæ statum ab ipso initio sic exponit: « Hâc puritate contenti, eo quòd in præsenti versatur negotio, hoc solum tenemus quod Ecclesia catholica semper tenuit, quod ab initio cœptæ christianitatis usque ad monstrosa hæc tempora stabile et inconcussum perstitit, scilicet quòd excommunicatis non est communicandum. Hæc namque dissensionum causa est et seditionum, quòd illi ab excommunicatis non abstinent et non abstinendum docent: nos verò et abstinemus et abstinendum persuademus, præcipuè ab illis qui à primâ et præcipuâ Sede excommunicantur [2]. » Sic ille totius negotii fontem rationemque, in ipso interdicto de vitandis hæreticis reponendam putat: depositionis per totam epistolam mentione nullâ; quippe qui de tali re nihil in Scripturis, nihil in canonibus, nihil in Patribus, nihil in historicis gestisve ecclesiasticis inveniret.

1 *Vid.*, lib. I. sect. I. — 2 *Gebh., epist. ad Herm.*, ex lib. cui titulus: *Veterum monum. cont. Schism.*, Ingol., 1612, pag. 10. *ap. Tegnag.*

Hoc disputationis posito fundamento, docet valere excommunicationem nullâ canonicâ examinatione rescissam : « Illos, inquit [1], velimus attendere, qui tam facilè etiam quorumlibet episcoporum, nedum romani Pontificis sententiam, sine legati examinatione rescindunt. »

Agit postea contra eos qui Gregorium « indiscussum, inauditum, inconvictum, nec confessum, vel commonitum » Vormatiæ deposuerunt [2], et Guibertum antipapam, vivente vero et legitimo pontifice Gregorio, in Petri cathedram intruserunt, « romanâ Ecclesiâ nec consciâ, nec consentiente. » Et addit : « Ecce, omni tergiversatione remotâ, causæ à nobis expositæ sunt de hoc, quòd excommunicatis, quibus illi communicant, non communicamus : quòd apostolicæ Sedis Pontifici, et beati Petri vicario abrenuntiare non præsumimus : quòd eodem vivente et cum romanâ Ecclesiâ concorditer agente, alium ad eamdem Sedem eligere, aut eligentibus consentire non aquiescemus. »

Quod autem objiciebatur juramentum fidelitatis principi præstitum; respondet primò : *Antiquitus præcessisse votum*, quo se, in ordinatione suâ, beato Petro suisque vicariis et successoribus obstrinxerint : tum violari fidem principi datam ab iis maximè, qui eum pessimis implicuere negotiis : postea non valere juramentum contra jus fasque datum : postremò rem totam huc esse devolutam : « Dicitur, inquit [3], nobis : Fidelitatem principi jurastis, cui si fideles esse vultis, fidem Domino apostolico et obedientiam abnegate, et illam abnegationem juramento vel scripto firmate, et ab excommunicatis à Sede apostolicâ non abstinete, et non abstinendum docete. » Quo quæstionis constituto statu, concludit : « Nihil unquam juravimus, nisi quod salvo ordine nostro fieri posset. »

Quæ si quis intelligat, inveniet sancto viro ne perspectum quidem fuisse quæstionis statum. Neque enim si fidelitatem servaret principi, ideo domino apostolico obedientiam abnegaret, sed in civilibus principi, in sacris apostolico obediret; nec si principis prava imperantis jussa detrectare, ideo obedientiam absolutè negare oporteret; nec si cum excommunicato principe in malis et in sacris, ideo etiam in civilibus, reipublicæ causâ, communicare vetaretur. Atque ut clarè omnia distinguamus, illud quidem rectè, quòd Gebhardus et alii, Henricum simoniacum et infandi schismatis auctorem, pro excommunicato habebant : quòd Gregorium ab eo depositum pro vero Pontifice colebant : quòd Guibertum anti-papam ejusque asseclas respuebant : quòd iis qui essent excommunicati ipsique adeo

[1] *Gebh., ep. ad Herm.*, ex lib. cui titulus : *Vetera monum. cont. Schism.*, Ingol., 1612, p. 15. — [2] *Ibid.* p. 17. — [3] *Ibid.*, p. 20, 21, 24 et seq.

regi in malis et in sacris communicare nolebant; hæc recta sanctaque : quòd autem in re nullâ, ne quidem temporali, ac reipublicæ causâ, cum excommunicato rege communicare se posse credebant; id verò errorem essè manifestum, et nos probavimus, et jam in confesso est; atque omnino constat, falso nixos systemate, obedientiam omnem principi denegasse.

Neque aliter alii passim causam hanc tuebantur. Extat apud Dodechinum abbatem [1], Mariani Scoti continuatorem, atque hujus ævi annalistam, Stephani Halberstatensis episcopi, sub nomine Ludovici Comitis * ad Valtramnum Magdeburgensem regis Henrici defensorem, epistola vehemens, cujus quidem summa est : regem adulterum, homicidam, simoniacum, atque adeo hæreticum, non esse à Deo ordinatum, eâ ratione quòd « pro his nefandis malis ab apostolicâ Sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem super nos, quia catholici sumus, poterit obtinere. » Quam epistolæ summam Dodechinus his verbis comprehendit : « Venerabilis episcopus, vocato notario, epistolam dictavit, in quâ Henricum hæreticum et excommunicatum, ideoque nec regem dicendum comprobavit. » Sic depositionem ab excommunicatione suspendunt, errore manifesto, ut jam in confesso est.

Solebant autem his temporibus vehementissimè urgere, quòd *excommunicatos vitare debeamus;* legiturque eâ de re Bernaldi ** opusculum ad Gebhardum abbatem Schaffusensem [2]; eâque se ratione maximè tuebantur, qui regem respuebant.

Lambertus Schafnaburgensis, Gregorianarum partium studiosissimus, ad annum 1076, memorat excommunicatione factum, ut Uto episcopus Trevirensis aliique, cum rege stare vererentur [3]. Itaque, hâc de causâ, ab episcopis et proceribus Palatinis abstinebat, « obtendens et eos et ipsum regem excommunicatos esse a romano Pontifice; sibi tamen, quod ipsum vix summis precibus extorserit, indultam tantùm esse colloquendi regis licentiam; nullâ præter hæc in cibo, in potu, in oratione, vel in cæteris omnibus communione ejus permissâ : » quasi speciali permissione indigerent, ut de necessariis reipublicæ negotiis, cum excommunicato imperatore tractarent.

Ipse Gregorius VII, quanquam, uti memoravimus, distinctis verbis à depositionis sententiâ excommunicationem ipsam discrevisse videbatur; id tamen omnibus epistolis inculcabat, ne regi, ne cæteris excommunicatis communicarent; ut qui intelligeret eâ re omnem causæ suæ vim contineri [4].

[1] *Dodech.*, an. 1090.
* Thuringiæ.
** Constantiensis presbyteri.
[2] *Veterа monum.*, etc., p. 239. — [3] *Lambert.*, p. 237. — [4] *Greg. VII*, lib. IV. ep. II, VI, VIII.

Atque is tamen, ut vidimus[1], in concilio romano IV, anno 1088, necessitate ipsâ, illud de vitandis excommunicatis interdictum ita molliverat, ut ab excommunicatione illos exciperet qui cum excommunicatis necessariâ causâ communicarent : uxores videlicet, liberos, servos, ancillas, rusticos servientes, nullâ subditorum regisque factâ mentione; tanquam ea necessitas, quâ regibus obsequimur, una esset, cujus apud christianos nulla ratio habeatur : quod tamen officium ne prorsus omitteret; exceptos quoque volebat « omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur; » ut jam nihil aliud vetitum intelligatur, quàm ne scelerum consortes fierent : quo uno Gregorii decreto, omnia de deponendis regibus decreta corruunt.

Quin etiam secuti romani Pontifices depositionem ab excommunicatione distinctam esse voluerunt, uti jam vidimus et sæpè videbimus; certumque est omnino auctoritate eorum, canonistarumque, ac theologiæ omnis, totam regnandi vim, cum ipso anathemate stare posse. Neque minus certum Childericum et Irenem, quos regno depositos esse volunt, nullâ unquam excommunicatione fuisse percussos. Quare nihil erat manifestiùs falsum quàm depositionem connexam esse cum excommunicatione, quæ sine depositione, et sine quâ depositio esse possit.

CAPUT V.

Quod nunquam de potestate reges deponendi canon conditus fuerit, nunquam edita professio, nunquam eâ de re pronuntiatum, ac nequidem unquam quæsitum : incœptum à factis quæ deindè ad jus tracta sint.

Illud etiam asserimus ad placandos catholicos, et hæreticos retundendos, de deponendis regibus nunquam canonem aut professionem ab Ecclesiâ fuisse editam, neque à quoquam aut concilio, aut etiam Papâ pronuntiatum esse, *ne quis negaret principes à Pontificibus posse deponi;* neque ab ullo doctore, ab ullo historico, ab ullo viro bono esse scriptum, hæreticum aut schismaticum fuisse quemquam, eo præcisè nomine, quod negasset reges à Pontificibus posse deponi.

A multis sanè id negatum, etiam Gregorii VII tempore, confitentur omnes, et ipsæ testantur Hermanni quæstiones. Id etiam negarunt quotquot illis temporibus pro Henrico IV apologias ediderunt : id negavit Ecclesia Leodicensis celebri illâ epistolâ, quâ illa decreta de deponendis regibus, salvo in aliis apostolicæ Sedis primatu, inter novellas traditiones apostolicæ doctrinæ adversantes recensentur[2].

[1] *Sup.*, lib. I. sect. II. c. 28; *Vid.*, t. X. *Conc.*, col. 370.— [2] *Epist. Cleri Leod. adv. Pasc. II*, t. X. *Conc.*, col 630.

Alios innumerabiles commemorare nihil attinet. Neque tamen prætermitti debet auctor vitæ Henrici IV, cujus hæc verba sunt : « Absolvit (Gregorius) omnes à juramento, qui fidem regi juraverant.... Quod factum multis displicuit, si cui displicere licet, quod apostolicus fecit; et asserebant tàm inefficaciter quàm illicitè factum quod factum est[1]. » Id si error fuit, qui in eo versabantur, canone aliquo, dogmate, professione, doctrinâ, erudiendi fuerunt. Cùm enim errores proferuntur, eos damnare ac prohibere solet Ecclesia catholica, et contrariam veritatem edito canone declarare. Solet etiam postulare ab errantibus erroris sui professionem. Exempli gratiâ, postquam Græci negarunt primatum apostolicæ Sedis in spiritualibus, non contenta Ecclesia est romanum Pontificem pro eo ac debuit modo venerari ; sed editâ professione à Græcis exegit ut eam potestatem agnoscerent. Quare si pro certo haberet Ecclesia, valere eam potestatem ab bona temporalia, atque etiam ad imperia detrahenda; id quoque editâ professione declararet, vel à negantibus reposceret; neque unquam aliter est factum in fidei dogmatibus. At neque Gregorius VII, neque alii pontifices, quidquam tale præstiterunt; neque quisquam canonem talem unquam, professionemve protulit. Cur hoc? nisi quòd omnes intellexerint, rem hanc ejusmodi esse, quæ ad dogma ecclesiasticum nullo modo pertineret?

Neque verò inter canones recensemus, quæ Gregorius VII ad Herimannum scripsit, tametsi eorum excerpta, à Gratiano et aliis, in decreti corpus illata sint[2]. Satis enim constat illam epistolam nunquam inter decretales fuisse recensitam, Gratianumque et alios canonum consarcinatores, nihil majoris tribuere auctoritatis iis quæ operi suo intexuerint.

Idem respondemus ad caput *Juratos*, ab eodem Gratiano, sub Urbani II, qui Gregorio VII successit, nomine proditum[3]; neque epistolam, undè Gratianus hunc descripsit canonem, uspiam invenimus.

Caput autem, *Nos sanctorum*, à Gregorio VII in concilio romano IV prolatum, Gratianus exscripsit[4], nosque suprà retulimus, et ex verbis patet, rem quidem narrari quæ à Gregorio VII geri soleret, non autem quæ decreti vice, aut sub anathematis pœnâ sanciretur.

Nam quod inter *dictatus Papæ* refertur, « quòd Papæ liceat imperatores deponere; quòd à fidelitate iniquorum subjectos possit absolvere[5], nihil est.

Fateor à Baronio *dictatus* illos *Papæ*, qui inter Gregorii VII epistolas recensentur, concilio romano III anni 1076, fuisse adscriptos[6];

[1] *Vid. ap. Usperg.*, p. 382. — [2] *Decr.*, part. II. caus. V. q. VI. — [3] *Ibid.*, c. V. — [4] *Ibid.*, c. IV. *Vid. sup.*, l. I. sect. I. c. VIII. — [5] *Greg. VII*, l. II. post ep. LV. — [6] *Bar.*, an. 1076, t. XI. p. 484.

sed nullo teste, auctoritate nullâ. Cùm enim eorum *dictatuum* in ipsâ synodo, aut in Gregorii VII epistolis, aut in historicis, qui de synodo scripsere, nulla mentio habeatur, probabilius est, hos *Papæ dictatus* ex epistolis Gregorii à studioso quodam fuisse collectos.

Atque ut maximè fateamur *dictatum* hunc à Gregorio in concilio aliquo fuisse editum, non tamen ita ut inter canones adscribatur; quemadmodum neque illud : « Quòd romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis beati Petri, indubitanter efficitur sanctus [1] : » aliaque ejusmodi, quæ inter *dictatus* Gregorii relata, ipsi adversarii canonibus accensere erubescant.

Neque obstat quòd hæretici ac schismatici habeantur qui Henrico favebant. Quærendum enim est quo nomine hæretici aut schismatici essent. Meritò enim schismatici, suoque sensu hæretici, qui et legitimum pontificem nullâ auctoritate dejecerant, et apostaticum in Petri sedem per vim ac sacrilegium intrudebant : ad hæc canones conculcabant, et simoniacos, et incontinentes clericos fovebant. Qui autem eos aut hæreticos aut schismaticos dixerit, eo præcisè nomine, quòd negarent à Papâ reges deponi potuisse, tot inter gravissima quæ mutuò inferebant crimina, nemo extitit.

Certum igitur est nunquam eâ de re expressè quæsitum, talisne potestas Pontificibus à Domino data esset; nunquam expressè constitutum, concessam eam esse : neque unquam, à quoquam qui id pernegasset, exactum, ut eam sententiam factâ professione ejuraret.

Sanè, anno 1102, cùm Paschalis II, concilio Romæ habito, adversùs Henricum IV et ejus asseclas antecessoris anathemata iteraret, habiti pro hæreticis, qui anathemata contemnerent, adactique in hanc formulam : « Anathematizo omnem hæresim, et præcipuè eam quæ statum præsentis Ecclesiæ perturbat, quæ docet et adstruit anathema contemnendum, et Ecclesiæ ligamenta spernenda esse : promitto autem obedientiam apostolicæ Sedis Pontifici, domino Paschali, ejusque successoribus, sub testimonio Christi et Ecclesiæ, affirmans quod affirmat, damnans quod damnat sancta et universalis Ecclesia [2]. » Hæc erant quæ catholica Ecclesia, editâ professione, à schismaticis ad unitatem redeuntibus postularet : quæ omnia in confesso sunt apud omnes catholicos. Ulteriùs prosilire, aut de deponendis regibus quidquam expromere, ac pro canone edere, Ecclesiæ doctor Spiritus sanctus vetuit.

Ac postea, anno 1105, cùm de compositione inter pontifices Gregorii successores et eumdem Henricum IV ageretur, nihil aliud ab Henrico postulatum, quàm ut fateretur se « injustè Hildebrandum esse persecutum : Guibertum ei injustè supposuisse, et injustam per-

[1] *Dict.* XXIII.— [2] *Conc. Later. sub Pasc. II*, tom. X; *Vid. Conrad. Ursperg.*, an. 1102.

secutionem in apostolicam Sedem et omnem Ecclesiam hactenùs exercuisse[1] : » quæ quidem erant certissima, eo nomine, quòd ad obedientiam vero Pontifici denegandam, falsoque præstandam, omnes adegisset.

Ut autem recognosceret à Sede apostolicâ dari aut adimi potuisse principatus nemo postulavit, nemo cogitavit.

Objiciunt Gregorium VII aliosque pontifices, non alio fundamento nixos, hæc de Henrico aliisque auctoritate clavium deponendis edidisse decreta, quàm quòd existimabant id suæ esse potestatis : ergo eam doctrinam ut certam supponebant.

Qui hæc objiciunt, meminerint, velim, id quod est à Bellarmino aliisque magno consensu dictum[2] : nempè accuratissimè discernenda, quæ romani Pontifices de facto jusserint, ab iis quæ decreto edito facienda constituerint; neque etiam decretorum omnium parem esse rationem, cùm eodem Bellarmino, aliisque consentientibus, iidem Pontifices multa decreta protulerint ex falsâ sententiâ, quam ipsi probabilem reputarent.

Quare omnino certum est, de hâc potestate reges deponendi, etiam postquam negata est, nunquam quæsitum, nedùm pronuntiatum fuisse : sed postquam eam ex facto exercere cœperant, jus ex facto trahere conabantur. Verùm aliud profectò est factum Gregorii, quòd, quantùm ad temporalia adempta pertinebat, Henricum regem duntaxat, solamque Germaniam Italiamve spectaret : aliud decretum seu dogma, quod universæ Ecclesiæ probandum refutandumve proponeretur.

CAPUT VI.

Quod multi in Germaniâ orthodoxi etiam episcopi à Gregorii VII sententiâ discreparint, exemplum Trevirensis Ecclesiæ : ac Brunonis archiepiscopi, imperatori deposito omnia jura servantis, etiam ea quæ ad designandos episcopos antiquitus data essent.

Neque verò hæc hæserunt, infixaque sunt animis eâ firmitudine, quâ solent fidei æterna dogmata, ab altâ christianitatis origine per omnem sæculorum seriem devoluta. Etsi enim horum temporum historiæ, plerumque obscuræ mancæque sunt, pervenere tamen ad nos præsulum illustrium nomina, qui Henricum IV jam depositum, ut imperatorem debitâ obedientiâ in civilibus coluerunt. Hic autem Germanos solos proferemus, alios alio loco commodiùs suo ordine memorabimus.

Laudatur in Historiâ Trevirensi Bruno archiepiscopus[3], eleemosynarum summæque pietatis nomine : atque illum quidem Ecclesiæ

[1] *Ep. Henr. IV. ad Reg. Celt. in vit. Henr. ap. Ursperg.*, p. 3097; *Vid. Bar.*, t. XII. an. 1106, p. 45.— [2] *Vid. sup. hoc lib.*, cap. I; *et in app.*, l. III.— [3] *Hist. Trev.*, t. XII; *Spicil.*, p. 242.

catholicæ et romano Pontifici conjunctissimum fuisse constat : quippe qui Egilberti antecessoris, falso pontifici Guiberto et Henrico IV communicantis; gesta resciderit, ab eoque ordinatos nullos admiserit, « nisi qui se legitimo romanæ Ecclesiæ Pontifici obedituros super Evangelium fidem facerent [1]. »

Cùm tamen ita effectus esset erga verum Pontificem, tunc Paschalem II, haud minùs ipsi Henrico IV toto episcopatûs vitæque suæ tempore gratus et obsequens fuit; de quo etiam ibidem scribitur : « Cum tantâ solertiâ et sapientiâ ab ipso rem actam, » ut in gravissimis illis regnum inter et sacerdotium dissidiis, « ita catholicorum amplexus sit consortium, ut imperatori debitum non denegaret obsequium; neque ita se Cæsarianorum communione contaminaverit, ut catholicorum offensas incurrerit [2]. » Itaque et episcopi simul et egregii civis functus officio, utrique parti conjunctissimus, idoneus etiam reconciliandis animis habebatur. Et quidem ab Henrico IV jam sæpè deposito, multis jam ornatus beneficiis, anno 1101, flagrantibus maximè dissidiis, Trevericæ præfectus est Ecclesiæ, petentibus Trevericis. « Treverici petierunt sibi episcopum dari, quibus *imperator*, petentibus principibus et consentientibus civibus, Brunonem consecrari jussit. Denique ibidem ordinatus est ab Edalberone Metensis Ecclesiæ episcopo, oleum sacræ benedictionis imponente, Joanne Spirensi, Richero Virdunensi cooperantibus; et assistentibus archiepiscopis Ruthardo Moguntiensi et Friderico Coloniensi, et aliis quam plurimis episcopis [3]. » Prorsùs antiquo more rituque, quodque notandum est, eas partes agente imperatore, quæ pridem à piis imperatoribus actæ essent : adeo imperatoris nomine colebatur, atque omnia in designandis episcopis olim usu Ecclesiæ regibus attributa, deposito etiam et excommunicato principi integra, servabantur.

Jam ut ejus antistitis gesta prosequamur, sic scribit historicus [4] : « Anno ordinationis suæ tertio, Romam profectus, apostolorum gratiâ et percipiendæ benedictionis magistri causâ, invenit dominum Paschalem papam universali synodo præsidentem, papatûs sui annum octavum agentem, à quo honorificè susceptus est, utpote Belgicæ-Galliæ primæ metropolis præsul magnificus. » Addit tamen historicus : « Sed quoniam episcopalia, videlicet annulum et baculum, per manum laicam suscepisset (contra Gregorii VII, Urbani II et Paschalis II interdictum), atque quia ecclesias dedicasset, et clericos, necdùm pallium consecutus, promovisset (quod à romanis Pontificibus pridem erat vetitum) multùm asperè correptus est; et decernente episcoporum ibi congregatorum concilio, pontificatûs officium deposuit : quod tamen ipsis intervenientibus, quia discretio

[1] *Hist. Trev.*, t. XII. *Spicil.*, p. 234. — [2] *Ibid.*, p. 243. — [3] *Ibid.*, p. 240. — [4] *Ibid.*, p. 241.

ejus et prudentia officio et tempori congruens erat, post triduum, non sine admissorum pœnitentiâ recuperavit. »

Diligenter attende quid in illo Papa et episcopi reprehenderint, et cujus eum pœnituerit. Non profectò quòd regem depositum agnovisset, ab eoque præfectus Trevericæ esset Ecclesiæ. Id enim, modò absque simoniâ, ac servatis canonibus fieret, non improbabat Ecclesia; sed propter annulum et baculum, consecrationesque et ordinationes sine pallio, adversùs pontificia decreta factas.

Liquet ergo, ne ipsum quidem Papam et universalem synodum, cui ipse præsideret, quidquam ab eo exegisse, quod ad ejurandum Henricum IV imperatorem pertineret; rediitque in Germaniam pari in regem fide atque obsequio clarus, teste eodem historico [1]: « Talem se in omnibus modis exhibebat, ut in administrandis quoque regni negotiis, ex omnibus principibus.... nullus eo sublimior haberetur : adeo ut eum imperator patrem suum vocaverit, et majorem cæteris honorem ei impenderit; sed et ob omnibus episcopis quâcumque se conventi eorum ingessisset, ut par quidem diligebatur, sed ut major venerabatur. Igitur quoniam in rebus sibi commissis strenuissimus erat, defuncto imperatore, communi consilio principum, regiæ curiæ vicedominus effectus est, et regnum regnique hæres (Henricus videlicet hujus nominis V rex) adhuc adolescens circa annos viginti ei committitur. » Hæc quidem satis probant quæ in deponendis imperatoribus gesta essent, non esse considerata ut decreta fidei, sed ut facta Pontificum, quibus sancti viri orthodoxæque Ecclesiæ minimè consentiendum ducerent, romanis Pontificibus non improbantibus.

CAPUT VII.

Sanctus Otho Bambergensis, sanctus Erminoldus abbas, designationes episcoporum ab imperatore deposito factæ, ab orthodoxis Ecclesiis petitæ et admissæ : quid in iis Sedes apostolica et concilium romanum improbant.

Eodem ferè tempore, anno videlicet Christi 1102, quo ad Trevirensem Ecclesiam iste promotus est, sanctus Otho Pomeraniæ apostolus, Bambergensem episcopatum sortitus est, cujus vitam habemus apud Canisium, à Baronio postea translatam in Annales ecclesiasticos, miris cum viri laudibus [2]. Is ergo in Henrici IV aulâ versatus, cancellarii munere præclarè est defunctus, atque imperatori in pietatis officiis conjunctissimus fuit. Nam Henricus, varius moribus, pietatis etiam officia frequentabat.

Dum ergo sanctus Otho cancellarii munus egregiè exequeretur, « Rupertus Bambergensis episcopus de hâc vitâ migravit. Itaque ex

1 *Hist. Trev.*, tom. XII. *Spicil.*, p. 242.— 2 *Canis.*, *Ant. lect.* tom. II. lib. I. pag. 333 ; *Bar.*, tom. XII. an. 1102 et seq. p. 25 et seq.

more temporis, insignia episcopatûs * ad curiam allata sunt, et petitio Ecclesiæ pro pastore. Sed imperator consilio sex mensium induciis ponit; Ecclesia verò Bambergensis, cum clero et populo, Deo interim devotissimè, pro idoneo rectore supplicabat. » Sic piæ sanctæque Ecclesiæ, etiam in iis quæ ad ecclesiastica pertinerent, imperatorem quantumvis depositum observabant. Hoc ritu sanctus Otho episcopus designatur, et ad sarcinam subeundam invitus adigitur.

Factum id sub Paschalis II initia **, et scribit ad eum sanctus Otho in hæc verba : « In obsequio domini mei imperatoris per annos aliquot degens, et gratiam in oculis ejus inveniens, suspectam habens in manu principis investituram, semel atque iterùm cùm dare vellet, renui episcopatum [1]. » Non ille obsequium ac fidem, in excommunicatum ac depositum licèt principem, nequidem provectionem ad episcopatum, eo designante, sed investituram tantùm suspectam habet. Pergit : « Nunc verò jam tertio in Bambergensi episcopatu me ordinavit, in quo tamen minimè permanebo, nisi vestræ complaceat Sanctitati per vos me investire et consecrare [2]. »

At Paschalis, dominum imperatorem professo neque ab ejus obsequio discedenti, ut *dilecto fratri Bambergensis Ecclesiæ electo* rescribens, *salutem et apostolicam benedictionem* impertit, et ejus probat electionem ab imperatore factam : nihil aliud quàm investituram improbat. Quid plura? Baculum et annulum deponenti restituit : eum consecravit ad Ecclesiam de ejus consecratione, salvo metropolitani jure, à se factâ scripsit [3]; nihil tamen de ejurando imperatoris obsequio, aut ab eo postulavit, aut Ecclesiæ significavit.

Habemus, apud eumdem Canisium à Baronio relatam [4] sancti Erminoldi abbatis *** vitam, in quâ hæc legimus : « Henricus aliquando imperator (V quarti filius), cùm propter excessus suos in papalis excommunicationis sententiam incidisset, et tamen à religiosis ac magnis etiam prælatis Ecclesiæ, imperatoriæ dignitatis intuitu honor sibi ac solita reverentia deferretur, etc. » Non ergo omnes in eo errore versabantur, ut ab eo excommunicato imperatore, etiam in civilibus abstinendum esse, cum sancto Gebhardo aliisque crederent; sed magni etiam ac religiosi episcopi contrariam sententiam tuebantur.

Et quidem Erminoldus excommunicatum Henricum aditu ecclesiæ sacrique monasterii, atque etiam fratrum salutatione prohibebat : ipse tamen et imperatorem appellavit, et pro officio salutavit, et quod excommunicato non omnia consueta præstaret, excusatum se voluit [5].

* Annulus et baculus.
** Anno tertio ejus pontificatûs.
[1] *Canis.*, *ib.*, cap. v. pag. 338.— [2] *Ibid.*, et tom. x. *Conc.* x. col. 688.— [3] *Ibid.*, c. ix.— [4] *Can.*, tom. ii. pag. 507; *Bar.*, tom. xii. an 1121. p. 148.
*** Monasterii Pruseningensis unius ex illis quæ S. Otho Bambergensis episcopus erexerat.
[5] *Bar.*, tom. xii. an. 1121. p. 520, 521.

Porrò electiones episcoporum eas, quæ auctore imperatore solebant fieri, post Henrici IV depositionem, ab episcopis etiam Gregorio VII addictis, consueto more fuisse frequentatas, testatur Historia Trevirensis suprà memorata [1] : cujus quidem auctori, sua suoque ævo proxima enarranti, facilè adhibemus fidem. Hæc ergo in eâ Historiâ legimus : Anno 1078, depositionis jam à Gregorio VII dictâ sententiâ, Udonem archiepiscopum Trevirensem vitâ discessisse, substituendi episcopi gratiâ imperatorem Treverim advenisse : eò etiam advenisse Herimannum, Metensem eum, quem sæpè memoravimus, Theodericum Virdunensem, eum quem Magnum appellant, et Bibonem Tullensem, provinciæ Trevirensis suffraganeos episcopos : Herimanno ac Bibone auctoribus, idoneas personas imperatori fuisse à clero nominatas, quas tamen respuerit, « quòd nemo ejus benevolentiam dignâ taxatione prævenerat. » Tandem Egilbertum ab eo fuisse admissum, sed ab Herimanno ac Bibone non fuisse receptum, prohibitosque episcopos à clero et populo ne eum consecrarent; « propter canonicum illud decretum, quo præcipitur ut nullus in episcopum, nisi canonicè electus, consecretur.

Ergo quem imperator canonicè designasset, omninò recepturi erant; idque sentiebat Ecclesia Trevirensis illa sub Othone (is est qui superiùs Udo appellatur *) Gregorio VII addictissima. In eam sententiam cum coepiscopis Herimannus quoque Metensis episcopus convenerat, is quem Gregorio VII addictissimum fuisse memoravimus : ut profectò non miremur toties fluctuasse et consultasse eum, qui Henricum etiam depositum, in tam solemni tamque ecclesiastico actu imperatorem agnoscat.

Theodoricus Virdunensis, ille etiam à nostro historico Magnus nuncupatus, tum Gregorio VII Sedique apostolicæ conjunctissimus, haud minùs imperatorem agnovit, probante Pontifice, cujus etiam jussu cum imperatore causam Herimanni Metensis studiosissimè egit. Testatur epistola in eâdem Historiâ Trevirensi [2] ad Gregorium VII, quâ simul eum Pontificem, et Henricum depositum licèt, regem agnoscit.

Multos alios episcopos religiosos et magnos in eâdem sententiâ fuisse vidimus; ac vitæ sancti Gebhardi Juvavensis suprà laudatus auctor [3], in totâ Germaniâ quinque omnino episcopos memorat, qui Gregorio in omnibus adhæserint, et ab imperatore penitùs discesserint. Hos ille quidem catholicos nominat; sed interim ipse dubius, cujus nimirum verba retulimus dubitantis [4], justane an injusta Gre-

[1] *Hist. Trev.*, tom. XII. *Spicil.*, p. 226, 227.

* Semper ille appellatur Udo, nunquam Otho in Historiâ Trevirensi (*Edit. Paris.*)

[2] *Hist Trev.*, tom. XII. *Spicil.*, p. 230.— [3] *Ap. Canis.*, tom. VI. p. 1254.— [4] *Vid. sup.*, lib. I. sect. I. cap. 9.

geri sententia fuerit; ut fluctuasse pateat etiam eos qui Gregorio VII maximè favisse videantur. Neque his quinque episcopis catholica apud Germanos continebatur Ecclesia, cùm alios multos magnos sanctosque ab iis dissensisse, romano quoque Pontifice probante, viduimus.

Neque verò putandum est, omnes qui Henrico adhærebant, favisse ejus schismati. Vel unus vitæ Henrici auctor prodeat in medium, qui Henricum jam à Gregorio VII discessurum, quasi ab eo scelere dehortaretur, sic compellat [1] : « Cessa, obsecro, rex gloriose, cessa ab hoc molimine, ut ecclesiasticum caput de suo culmine dejicias, et in reddendâ injuriâ te reum facias. Injuriam pati felicitatis est; reddere, criminis. » Excusat ut potest; cæterùm, quantùm abesset à domini sui tuendo schismate apertè significat. Idem cùm de depositione à Gregorio VII prolata diceret, hæc summâ modestiâ scripsit [2] : « Quod factum (Gregorii VII) multis displicuit, si cui licet displicere quod apostolicus fecit; et asserebant tam inefficaciter quàm illicitè factum, quod factum est. Sed non ausim assertiones eorum ponere, ne videar cum eis apostolici factum refellere. » Factum quidem; non enim hæc putabant ad dogma ecclesiasticum pertinere. Laudamus prudentem historicum, qui romanum Pontificem tam reverenter habeat; cujus ego exemplo de his conticescerem, si tacendo deleri atque oblitterari possent. Illud interim intelligo, multos extitisse, qui et à Gregorii VII novitate, et ab Henrici IV schismate procul essent. Neque mirum cur eorum nomina, tantâ in perturbatione rerum minimè ad nos pervenerint; cùm is etiam, qui Henrico IV apertissimè favet, vitæ ejus scriptor, tam timidè referat, quæ in Gregorium dicerentur.

CAPUT VIII.

Leodiensis Ecclesiæ egregium testimonium : Leodienses an fuerint schismatici : an in suâ epistolâ falsum aliquid docuerint : cur pro eâ doctrinâ veniam petierint, cùm in communionem recepti sunt.

Leodiensis Ecclesia à tot sanctissimis episcopis instituta, pietatis, doctrinæ, atque ecclesiasticæ disciplinæ laude floruit. Hæc de nostra quæstione insignem scripsit epistolam tomis Conciliorum insertam [3]. Hæc ut intelligatur, exponenda paucis horum temporum historia. Anno Christi 1105, Henricus V, Henrici IV filius, biennio anteà rex à patre designatus, in parentem arma movit, tanquam eum coacturus ad apostolicæ Sedis obsequium. Principes ad filium defecerunt : captus imperator : « anno 1106 *, conventus principum Moguntiæ factus,

[1] *Vit. Henr. ap. Ursp.*, p. 384.—[2] *Ibid.*, p. 282; *Vid. sup. hoc lib.*, cap. v.—[3] *Tom.* x. *Concil. ed.*; *Dodech.*, an. 1105, 1106, 1107.

* Id est an. 1105, ante Natale Domini.

ubi supervenientes apostolicæ Sedis legati, anathema à romanis Pontificibus in imperatorem factum omnibus qui aderant promulgabant: principem Henricum seniorem omnibus modis commonitum, vel, juxta alios, circumventum et coactum, insignia * regni resignare ac mittere filio persuadent. » Hæc Otho Frisingensis [1]. Tum subdit: « Quæ omnia utrum licitè an secus acta sint, nos non discernimus: » adeò hæc omnia, licèt auctoritate romani pontificis Paschalis II facta, à viris doctis sanctisque, pro ambiguis habentur. Henricus IV Coloniam pergit, exindè Leodium, in utraque parte regio more susceptus, bellum instaurat. Hac ergo temporum necessitudine, Leodienses, quòd episcopum suum secuti, Henricum seniorem adversùs filium tuerentur, à Paschale II excommunicati, jussusque Robertus comes Flandrensium ferro adoriri eos. Extat epistola Paschalis II, quæ incipit: *Benedictus Dominus*: qua, comiti ejusque militibus, *in peccatorum remissionem, et apostolicæ Sedis familiaritatem præcipit*, ut Leodienses clericos, omnesque *Henrici hæreticorum capitis* fautores *pro viribus persequatur* [2].

Ea causa Leodienses, superstite adhuc Henrico IV, bellisque inter patrem et filium flagrantibus, gravem edunt epistolam sub hoc titulo: *Omnibus hominibus bonæ voluntatis* [3]: quos quoniam Baronius ut schismaticos suggillat, ne inauditos damnemus, audire nos oportet. Ergo prolixæ epistolæ hæc summa est.

Primùm quidem Leodienses romanam Ecclesiam non aliter quàm *matrem*, Paschalem non aliter quàm *patrem*, quàm *apostolicum*, quàm *episcopum episcoporum*, quàm *angelum Domini*, quàm *Christum Domini* appellant, *ad quem pertineat sollicitudo omnium Ecclesiarum* [4]. Hildebrandum etiam seu Gregorium VII non aliter quàm pro papâ habent. Jam ergo constat eos non adhæsisse antipapæ, neque à vero Pontifice recessisse.

Secundò, negant excommunicari se debuisse, quòd regem colerent, ac Cæsari redderent quæ essent Cæsaris [5]; laudatisque Petri et Pauli locis de colendis regibus: « Quia ergo, inquiunt [6], regem honoramus, quia dominis nostris non ad oculum, sed in simplicitate servimus, ideò excommunicati dicimur? » Addunt inviolabilem esse quæ regi, ex regalibus ejus acceptis ab omni tempore, jurata sit fidelitas: primum Hildebrandum hæc commovisse: hunc *novellæ traditionis* auctorem, ut debita regi ac jurata etiam fidelitas solveretur. Quod autem Paschalis II Henricum seniorem vocaverat hæreticorum caput, sic respondent [7]; « Si talis est, quod absit, et pro nobis dolemus,

* Crucem scilicet, lanceam, sceptrum, globum, atque coronam.

[1] *Oth. Fris.* lib. VIII. c 8, 9, 10, 11, 12; *Ursp.*, p. 143. — [2] *Tom.* X. *Conc. ep.* VII. *Pasc. II*, col. 629. — [3] *Ibid.*, col. 630; *Bar.*, t. XII. an. 1102, p. 26. — [4] *Vid. tot epist. sed impr.* col. 633. — [5] *Ibid.*, col. 636, 637. — [6] *Ibid.*, et col. 639. — [7] *Vid. tot epist. sed impr.* p. 338, 339.

et ipsi domino nostro condolemus : nihil modò pro imperatore nostro dicimus; sed hoc dicimus, quòd etiamsi talis esset, tamen eum nobis principari pateremur, quia ut talis nobis principetur, peccando meremur. Esto, concedimus vobis inviti, eum talem esse qualem dicitis, nec talis à nobis repellendus esset, armis contra eum sumptis, sed precibus ad Deum fusis. »

Patet ergo Henrici IV tempore fuisse multos, qui cùm Sedem apostolicam, eique præsidentes romanos Pontifices colerent, interìm à regum obedientiâ, pontificiis decretis abduci se posse pernegabant. Tota enim Leodiensis Ecclesia, divinis eloquiis erudita, eam doctrinam tuebatur.

Neque dicas Leodienses, commotiores scilicet, quædam profudisse, quæ nec ipsi probemus : neque enim nostrâ refert, quàm commoti fuerint, qui ferro, flammâque vastari juberentur; sed quàm veram doctrinam de romanis Pontificibus deque regibus tradiderint.

Neque etiam objicias, aperto errore laborasse eos, qui excommunicari posse reges negare videantur. Neque enim id absolutè dicunt, quòd reges et imperatores excommunicari non possint : sed « quòd aut minimè, aut difficilè possunt reges et imperatores excommunicari, secundùm etymologiam nominum illorum, et juxta determinationem excommunicationis [1]. » Hæc enim non obscurè significant, rarò quidem et difficilè veniendum esse ad excommunicandos reges, quod nemo diffitetur : minimè verò et nunquam, ad excommunicandos eos eâ excommunicatione, quâ societas etiam civilis abrumpitur. Undè excommunicationem à Pontificibus latam, non absolutè nullam, sed *indiscretam*, appellant.

Quid autem esset illa excommunicatio *indiscreta*, prolato canone Gregorii VII, exponunt his verbis [2] : « Quòd excommunicati dicimur, non gravius justo feras; quia, ut credimus, nos ab excommunicatione excipiet, saltem ipsa romana auctoritas. Hildebrandus papa, qui auctor est hujus novelli schismatis, et primus levavit sacerdotalem lanceam contra diadema regni, primò indiscretè Henrico faventes excommunicavit : sed reprehendens se intemperantiæ, excepit ab excommunicatione illos qui imperatori adhærebant, necessariâ ac debitâ subjectione, non voluntate faciendi, vel conciliandi malum; et hoc pro decreto scripsit : » quod est illud decretum, *Quoniam multos*, à nobis integrè suo relatum loco [3]; in quo et illud notavimus liberari ab excommunicatione eos, qui non ita curiales sunt, ut eorum consilio *scelera perpetrentur*; quo quidem Leodienses satis se tutos ab excommunicatione putabant, cùm nullius malæ rei auctores extitissent.

[1] *Vid. tot. ep. sed impr.* col. 637. — [2] *Conc. Rom.*, IV. t. X. col. 370, 638. — [3] *Sup.*, l. I. s. II. c. 28.

Ergo ea erat Leodiensibus *indiscreta* excommunicatio, quæ *indiscriminatim* communicationem omnem cum imperatore, etiam in civilibus ac necessariis negotiis prohiberet: quam profectò doctrinam toto terrarum orbe à Leodiensi Ecclesiâ divulgatam, à nemine erroris fuisse notatam legimus, aut nunquam ab eâ Ecclesiâ postulatum ut eam ejuraret.

Quod autem objiciunt, Leodienses petitâ veniâ in communionem receptos, nihil hoc ad ejuratam epistolæ doctrinam pertinere testatur ipse Baronius, qui eâ de re ex Urspergensi * sic scribit [1]: « Leodiensis episcopus, cæterique coepiscopantes, inter cætera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, hâc conditione, quòd cadaver ipsius excommunicati per se pridiè in monasterio tumulatum effoderent, et absque ullâ sepulturâ vel exequiarum communione, in loco non consecrato deponerent; comprobantibus his qui aderant archiepiscopis et episcopis; quia quibus vivis Ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare possit. » Rectè omninò et ex priscâ disciplinâ, meritòque Leodienses emendare coacti, quod pravâ misericordiâ fecerant: interim patet hanc unam ab eis conditionem postulatam, ut cadaver excommunicati sacro loco projicerent: non profectò ut epistolæ suæ doctrinam abdicarent. Manet ergo epistola, antiquæ doctrinæ de inviolabili regum majestate testis, adversùs Gregorii VII novitatem, quam distinctè notat; neque quisquam eam notam eluit. Manavit opinio hujus novitatis ad posteros, ut vel Othonis Frisingensis à nobis relata verba testantur. Alios postea testes audiemus. Hic quidem germanici nominis episcopos ac scriptores commemorare voluimus.

CAPUT IX.

Quod hæc decreta Gregorii VII, aliorumque pontificum nullo deliberante aut approbante concilio, tum pessimo exemplo et infelicibus auspiciis facta sint.

Id verò in primis notatu dignum arbitror, quòd illud Gregorii VII factum, nullâ in legitimâ synodo, dictis sententiis, comprobatum fuit. Nam solemne est romanis Pontificibus, ut quæ approbante concilio fecerunt, edicant factùm aut constitutum esse, *sacro approbante concilio*, vel aliam similem adhibeant formulam, quâ ea quæ egerint synodi judicio confirmentur. Id passim videre est in romanis conciliis, quorum gesta habemus. Placet, exempli causa, referre concilium à Joanne VIII habitum, de Carolo Calvo in imperatorem electo. Sic interrogat Pontifex [2]: « Quæ in præfato piissimo... Carolo...

* Non alio unquam nomine Baronius appellat Conradum à Litchtenaw, Urspergensis monasterii in Suevià abbatem. Ille scripsit chronicon ab Assyriorum rege primo Belo ad an. 1230. (*Edit. Paris.*)

[1] *Bar.*, tom. XII. an. 1106. p. 51.—[2] *Conc. Rom.* I. *sub Joan. VIII.* tom. IX. col. 298.

gessimus sententiæ prolatione, si unanimi generalitati vestræ videtur, et per manus subscriptionem etiam in præsenti ac venerabili synodo... iteratò promulgemus ac roboremus. Sancta synodus respondit : Placet et valdè placet.... Tunc.... pontifex : .... piissimi.... Caroli... ad imperialia sceptra electionem et promotionem.... ex tunc et nunc, et in perpetuum firmam et stabilem decernimus permansuram. Responderunt omnes : Placet, placet; fiat, fiat. » Fit communi consensione decretum : ei subscribitur eo ritu passim : *Joannes*, vel alius quivis *romanæ Ecclesiæ episcopus huic decreto à nobis promulgato subscripsi* : eodem tenore singuli episcopi subscribunt : *Decreto à nobis promulgato*. Sexcenta ejusmodi acta in conciliis extant. At in Gregorii VII conciliis nihil simile. Non uti Joannes VIII de confirmando, ita hic Gregorius de deponendo rege episcopos interrogat; neque illi decretum assensione firmant. Solus Gregorius hæc edicit : « Regnum contradico, juramentum solvo, ne quis ut regi pareat interdico. » Cùmque tot decreta romanorum Pontificum extent in conciliis promulgata, quibus concilii consensio et approbatio inseratur; in deponendis regibus nihil unquam tale legimus : imò in concilio Lugdunensi œcumenico illi decreto quo Fridericus II ab Innocentio IV deponitur, non est appositum ex formula consueta : *Sacro approbante concilio*, sed *sacro præsente concilio*[1]; adeò Pontifices id sibi privatim reservare voluerunt. Quod quidem, quocumque animo gesserint, certè ipsi testantur, hæc, non conciliorum auctoritate, sed ab ipsis tantùm pontificio nomine esse gesta.

Quam autem inauspicatò gesta sint, multa testantur. Imprimis infaustum illud, quòd tùm primùm cœpit de deponendis regibus cogitari, cùm bellis civilibus attrita respublica, ipsa etiam regia nutaret auctoritas. Saxonibus enim ab aliquot annis rebellantibus, « nonnulli Longobardorum, Francorum, Bavarorum, Suevorum, datâ et acceptâ fide conglutinati sunt, qui regem undique bellis pulsarent[2]. » Auctor vitæ Henrici id prodit : id Lambertus Schafnaburgensis : id Saxonici belli scriptor; jamque adversùs Henricum tota se Germania, totum imperium commovebat. Tunc Gregorius deponendum aggreditur imperatorem, *ut à suis destitutum*, scribit Otho Frisingensis[3]. Gregorius ergo ambitiosis principibus et quomodocumque regem aggressuris, gerendi belli colorem et qualemcumque titulum, auctoritate apostolicâ præbuit : quo quid infelicius? Hoc verò exemplo (piget commemorare quidem; sed causæ ratio id postulat, neque manifesta dissimulasse quidquam juvet), hoc, inquam, exemplo cæteri Pontifices tùm regibus adimere regna cœperunt,

[1] *Tom.* XI. *Conc.*, col. 640. — [2] *Auct. vitæ Henr. IV, Ursperg.*, pag. 382. — [3] *Oth. Fris. de Gest. Frid.*, lib. I. cap. 1; *ap. Urst.*, p. 407.

cùm ultrò ruere, vel certè inclinari bellis maximè intestinis, fatiscente republicâ, viderentur. At si his prolatis decretis bella cessarent, tamen infausti erat ominis, apostolici nominis auctoritate ambitionem alere; nunc autem magis magisque bella civilia exarsere, profligati ingentes exercitus, qui Pontificum regnabant auspiciis Rodolphus Suevus, Hermannus Lotharingus *, in prœliis cæsi : et quod Bertholdus Constantiensis tradit [1], pontificiarum partium per eam ætatem studiosissimus : « Totum romanum imperium civili bello, nimio schismatis dissidio laboravit, aliis quidem domino apostolico, aliis Henrico faventibus : ob hoc utrinque totum regnum prædâ, ferro et igne miserabiliter devastantibus. » Quo bello per triginta ferè annos Germania et Italia conflagravit; Roma ipsa capta, recepta, hostibus et auxiliantibus prædæ fuit; quodque omnibus pejus est, ad posteros exempla manarunt : et quoties à Pontificibus sunt inchoata talia, eædem consecutæ calamitates toti orbi testabantur, quàm infausto omine à Gregorio VII hæc cœpta sint.

Neque verò hæc referens, id nostræ causæ patrocinari volo, quòd Rodolpho et Hermanno, pontificiâ auctoritate bella moventibus, res improsperè successerint. Sanè scriptores ii qui nostris temporibus Gregorii VII aliorumque pontificum eadem conantium acta, tanquam cœpta divinitus, tuenda susceperunt; ubi pontificias partes felicioris successûs aura afflaverit, continuò altiùs se extollunt : tanquam nesciremus christiani, occultis judiciis hæc agi, ac plerumque pœnæ loco à Deo immitti victoriam. Nos autem, si prospera omnia romanis Pontificibus, tam nova in imperium molientibus, contigissent; non minùs infaustam prædicaremus apostolicæ Sedi potestatem eam, quæ ipsi tot stragibus, totque bellis, quantumcumque prosperis, constitisset.

Nihil ergo hic attinet commemorare Henrici IV calamitates armatosque in ipsum filios; Henricum præsertim V, jam unum superstitem, à quo victus pulsusque est : nisi quòd hoc quoque pars est infelicitatis, quòd Gregorii VII Paschalisque II decreta, tantæ impietati occasionem dederint, in eâque opem et præsidium nacta sint.

Neque eò meliùs Paschali II res postea successerunt, qui Henricum V tanto à se studio ad viventis patris regna provectum, statim atque imperatorem coronavit, hostem expertus est, rupto iterùm sacerdotii ac regni fœdere, novoque de investituris bello comparato. Sed hæc postea paucioribus. Nam Gregorii VII Henricique IV rebus,

* Hermannus Lotharingus, seu potiùs Luxemburgus et ideò dictus Lotharingus, quia profugus in Lotharingiâ; postquam Saxones, à quibus rex electus fuerat, sibi sensit infidos, ibi diem supremum obiit. Non enim, id quod innuere videtur Bossuet, *prœlio cæsus est*. Vid. Berthold. (*Edit. Paris.*)

[1] *Berthold., ap. Herm.*, an. 1083; *Urst.*, pag. 352.

quæ hujus quæstionis fons et caput essent, diutiùs nos immorari oportebat : cætera leviùs transibimus.

CAPUT X.

Philippus I, Francorum rex, excommunicatus, nullâ unquam depositionis mentione.

Quidquid Gregorius, eumque secuti romani Pontifices in deponendis regibus aggressi sint[1], non manavit ad Gallias infaustæ depositionis exemplum ; cujus rei his temporibus insigne habemus documentum.

Anno Christi 1094, viginti ferè annis postquam Gregorii VII de Henrico deponendo infausta ac feralia edicta exierunt, historici hujus ævi, ac post illos Baronius memorat[2], Philippum I, Francorum regem, repudiasse Bertham uxorem legitimam, et duxisse Bertradam Fulconis comitis Andegavensis uxorem, ad hæc cognatam suam ; atque adulterium raptu etiam et incestu cumulasse. Id factum Urbano II pontifice. « Tum, inquit Bertholdus, hujus ævi scriptor[3], in Galliarum civitate quam Ostionem vulgariter vocant, congregatum est generale concilium, à venerando Hugone Lugdunensi archiepiscopo ac Sedis apostolicæ legato, cum archiepiscopis, episcopis et abbatibus diversarum provinciarum, 17 kal. novembrium : in quo concilio rex Galliarum Philippus est excommunicatus, eo quòd, vivente uxore suâ, alteram superinduxerit... Hæc omnia, inquam, ibi sunt constituta et apostolicâ legatione firmata. »

Anno sequente, ipse papa Urbanus II habuit Placentinum concilium. Citatus Philippus, eodem Bertholdo teste[4], *inducias impetravit*. Paulò post, eodem anno 1095, « in Galliis, inquit, ad Clarummontem synodus generalis à domino Papâ congregata est, in quâ tredecim archiepiscopi cum eorum suffraganeis fuerunt, et ducentæ quinque pastorales virgæ numeratæ sunt. In hâc synodo dominus Papa... Philippum regem Galliarum excommunicavit, eo quòd, propriâ uxore dimissâ, militis sui uxorem in conjugio sociavit. » Alii historici idem memorant ; nec tanto scelere, nec tam justo anathemate toties iterato, neque tanti concilii tantique pontificis auctoritate, detractum imperium Philippo fuit. Nemo id decrevit, nemo minatus saltem est, nemo id animo designavit ; cùm tamen præcessissent Gregorii VII Henricum deponentis multa decreta, gravesque ad Philippum ipsum aliis de causis maximis, etiam intentatæ depositionis minæ, quas vidimus[5]. Sed neque his Franci auscultabant, et ab iis adversùs Francos romani Pontifices temperabant.

[1] *Bar.*, t. XI. an. 1073 ; *Greg. VII*, lib. I ep. XXXV. — [2] *Bar.*, *ibid.*, an. 1094. p. 648. t. VII. *Conc. Bin.*, part. I. p. 505 ; *Labb.*, t. X. col. 499. — [3] *Berthold.*, an. 1094 ; *Append. ad Herm.*, *ap. Urst.*, p. 372. — [4] *Ibid.*, an. 1095, p. 373. — [5] *Sup.*, l. II. c. 27.

Verum quidem est quod Bertholdus scribit[1], anno 1096, « Philippum regem Galliarum, jamdudùm pro adulterio excommunicatum, tandem domino Papæ, dùm adhuc in Galliis moraretur, satis humiliter ad satisfactionem venisse, et, abjuratâ adulterâ, in gratiam receptum esse, seque in servitium domini Papæ satis promptum exhibuisse. »

Sed eò fuit sceleratior atque odiosior, quòd vicario Christi datam fidem fefellit. Unde Ivo Carnotensis, per ea tempora episcopus, omniumque episcoporum doctissimus atque sanctissimus scribit[2]: « Regem excommunicatum à domino papâ Urbano in Claromontensi concilio, factoque cum Bertradâ divortio, reversum ad ejus consortium, iterùm excommunicatum esse in Pictavensi concilio à cardinalibus Joanne et Benedicto. » Quâ de re sic scriptum legimus in hujus ævi historicis[3]: « Per idem tempus duo cardinales apostolicæ Sedis legatione fungentes, ad urbem Pictavium concilium convocarunt, in quo CXL * Patres adfuerunt, qui Philippum regem Francorum, propter uxorem Fulconis consulis Andegavensium, quam in adulterio tenebat, anathematis vindictâ percusserunt. » Idem refert Hugo Flaviniacensis abbas, in Chronico, ad annum 1100.

Cùm autem Philippus hoc ad flagitia addidisset, ut, reversus ad vomitum, diutissimè in excommunicatione sordesceret ac computresceret, nihilo tamen secius episcopi æquè ac cæteri omnes in obsequio perstitere. Perstitit ipse Ivo Carnotensis omnium fortissimus, pro eâ quoque causâ, tantique scandali ecclesiasticâ ultione ab iniquo rege carceres, aliaque infanda perpessus, ut ad alia regis scelera etiam persecutoris nomen accederet.

Procul ergo ab nostrorum animis abfuit illud Germanis multis hoc tempore persuasum; nempe excommunicatione seu anathemate abrumpi omne vinculum ** societatis humanæ, ac nequidem in civilibus communicari posse cum excommunicatis regibus : procul abfuit à Francorum regno illa, de deponendis regibus, reipublicæ infausta sententia, cùm regi flagitiosissimo excommunicationis datæque fidei, per tantum temporis spatium contemptori, nemo eam pœnam vel verbo intentarit, nedùm re ipsâ intulerit.

[1] *Berth.*, p. 375.—[2] *Iv. Carn., ad Rad. Rhem.*, part. II. ep. CCXI. p. 90 —[3] *Vit. Bernard. I, ab. de Tirono, per Gauf. Gross. Duchess.*, t. IV. p. 167; *Labb.*, t. X. col. 720 et seq.; *Bar.*, t. XI. an. 1100; *Hug. Flavin., in Chron. eod. an.*

* LXXX tantùm numerat Hugo Flaviniacensis. (*Edit. Paris.*)

** Longissimè aberant Galli nostri ab illo errore, in quo tunc plerique Germanorum versabantur, quibus persuasum erat, eum, qui *in excommunicatione sordueret* diem et annum non posse deinceps regem esse. Vid. sup. (*Edit. Paris.*)

CAPUT XI.

Loci quidam Ivonis Carnotensis per summam inscitiam objecti solvuntur : corona regia regi restituenda in his locis quid sit? Ivonem cum aliis omnibus Francis in eisque peratitisse : Guillelmi Malmesburiensis locus.

Quanquam hæc per se clara et invicta sunt, tamen expedire nos oportet ea quæ sunt à Francisco Jureto notata, ad Ivonis epistolam XLVI, et à cardinale Perronio objecta [1].

Nempe Ivo sic scripsit ad Urbanum II [2] : « Venturi sunt ad vos in proximo nuntii ex parte regis Francorum,... qui confidentes in calliditate ingenii sui et venustate linguæ suæ, prædictis de causis impunitatem flagitii se impetraturos regi, à Sede apostolicâ promiserunt : hâc ratione ex parte usuri, regem cum regno ab obedientiâ vestrâ discessurum, nisi coronam restituatis, nisi regem ab anathemate absolvatis. » Hic quidem videmus anathemate percussum haud minùs pro rege agnosci. Subdit regis *præceptum* de convocandis Trecastrium provinciarum episcopis, quibus Rhemensis, Senonensis, Turonensis archiepiscopi paruissent : adeò nihil intermissum eorum, quæ regiis præceptis consuevissent fieri, ac tam pronam omnium ordinum circa regem fuisse constat obedientiam, ut etiam periclitari posse videretur unitas ecclesiastica, nisi excommunicatum regem Urbanus absolveret. Quo quidem metu Ivo negat ecclesiasticam disciplinam solvi debere ab Urbano. Verùm hæc scribens, nihil interim de adimendo regi imperio cogitat. Sed Franciscus Juretus hæc Ivonis verba commemorans : *Nisi coronam restituatis, nisi regem ab anathemate absolvatis*, hæc addit : « Hic locus eorum adjuvat sententiam qui asserunt Philippo excommunicato à papâ Urbano II, interdictum simul regnum Franciæ. » Nimis imperitè ille quidem. Sanè Ivo scribit sic epistolâ LXVI, ad Hugonem Lugdunensem, romanæ Ecclesiæ legatum : « Turonensis archiepiscopus in Natale Domini, regi contra interdictum vestrum coronam imponens, hâc arte à rege obtinuit ut Joannes eidem Ecclesiæ præficeretur episcopus. » Item epistolâ LXVII, « Turonensis archiepiscopus contra interdictum legati vestri in Natale Domini regi coronam imposuit. » Item epistolâ LXXXIV, ad Joannem Presbyterum cardinalem, romanæ Ecclesiæ legatum : « Quidam Belgicæ provinciæ episcopi in Pentecoste contra interdictum bonæ memoriæ Urbani, coronam regi imposuerunt. » Videmus in Natali à Turonensi archiepiscopo, et in Pentecoste à Belgis episcopis coronam impositam : quæ si quis retulerit ad solemnem illam coronationem, quâ inaugurantur reges, prorsùs ineptiat. Ea enim et semel fit, neque à Turonensi aut Belgis episcopis fieri consueverat,

[1] *Observ. ad Ivon.*, ep. XLVI, part. II ; *Perr.*, *OEuv. div.*, p. 607.— [2] *Epist.* XLVI. p. 24.

sed ab archiepiscopo Rhemensi : quo jure longè antea, ut Annales habent[1], Philippus vivo Henrico patre *anno* 1059, *Henrici regis trigesimo-secundo, à Gervasio Rhemensi archiepiscopo consecratus* fuerat, cùm *septennis esset*. Ergo illa corona, de quâ Ivo agit, quotannis in præcipuis festis imponi solebat. Quam cærimoniam honoris ecclesiastici genus quoddam, ab ipsis episcopis adhiberi solitum, regi anathemate percusso, Pontifices eorumque legati adhiberi vetabant. Hæc illa est corona, quam *restitui* sibi, soluto anathemate, Philippus postulabat; non autem corona regia, sive regia potestas, quâ usque adeo integrâ potiebatur, ut eâ etiam exerceret, quæ in ecclesiasticis negotiis ipsisque etiam episcopalibus promotionibus, ad regium officium pertinerent.

Sanè Ivo significat detineri à se tantisper de excommunicando rege litteras ab Urbano II missas : quia, « nolo, inquit[2], regnum ejus, quantùm ex me est, adversùs eum aliquâ ratione commoveri. » Sed aliud profectò est, propter eas litteras aut aliquod decretum pontificium regno cadere; aliud regnum in regem *aliquâ ratione commoveri;* quod quidem plerumque fit in impios reges, legum divinarum atque ecclesiasticæ censuræ publicos contemptores : quo sensu item dixit : « Regis anathemate periclitari terram[3]. » Cæterùm quæ ulteriùs de sollicitato regis imperio Juretus suspicatur, mera somnia sunt, à Francorum moribus ac sensibus aliena.

Et quidem Willelmus Malmesburiensis Anglus de concilio Claromontano hæc scribit[4] : « In eo concilio excommunicavit dominus Papa regem Philippum Francorum, et omnes qui eum vel regem vel dominum suum vocaverint, et ei obedierint, et ei locuti fuerint, nisi quod pertineret ad eum corrigendum. » Cæterùm cùm unus hæc scribat, cæteris repugnantibus, facilè intelligimus scriptorem extraneum, ac rerum nostrarum ignarum audito excommunicationis pronuntiatæ nomine, ex suo supplevisse, quæ imperatoris excommunicationi Pontifices miscuissent. Sed profectò quæ turbato Germaniæ statu in imperatores audebant, haud competebant Franciæ, altâ pace, optimis legibus, atque hæreditariâ successione firmatæ.

Quis autem sanæ mentis crediderit deponendo regi Francorum delectam esse à Pontifice Claromontanam urbem, partem imperii Francici, aut Francos episcopos, qui in eadem synodo frequentissimi sederint; cùm eos in regis obsequio perstitisse, vel ex uno Ivone satis constet? Jam regi deposito quis substitutus fuit? Ludovicusne VI, ejus filius, quem patri semper fuisse obsequentissimum Sugerius abbas in ejus vita scribit[5]? An nobilissimum regnum in anarchiam

[1] *Duch.*, t. IV. p. 161.— [2] *Ep.* XXIII. p. 11.— [3] *Ep.* CLIV; *Pasc. II*, p. 61.— [4] *Willel. Malm.*, *l.* IV. *de gest. Reg. Ang.*, cap. II.— [5] *Sug., vit. Lud. VI, ap. Duch.*

redactum ab Ecclesia est, eo tempore, quo proceres suos cruce signatos, ac nobilitatis robur in christiani nominis hostes emittebat? Quis hæc deliria non contemnat?

Sanè quod memorat Juretus in Chronico cœnobii sancti Dionysii scriptum esse : « Toto tempore excommunicationis ejus actis publicis solitum subscribi : Regnante Domino Jesu Christo, » longè est insulsissimum, cùm profectò non nisi imperitissimus ac stolidissimus negare possit, hunc titulum in honorem Regis regum Jesu Christi, longè anta ea tempora, ipsis etiam Caroli Magni temporibus, ac deinceps passìm et ubique terrarum frequentatum, sub iis quoque regibus, qui vel maximè ecclesiastica pace florerent.

Si tamen obstinatè Willelmo Malmesburiensi creditum volunt, dictam ab Urbano in Philippum depositionis sententiam; cùm interim constet Francos etiam episcopos, eosque sanctissimos atque fortissimos, in regis obedientia perstitisse; nempè id quoque argumento erit, quàm hæc de deponendis regibus decreta apud Francos nulla habeantur. Sed nos in rebus gestis ipsam veritatem, non causæ nostræ præsidia, etiam ab adversariis ministrata, quærimus.

CAPUT XII.

De investituris inter Paschalem II et Henricum V, imperatorem : excommunicationes à concilii latæ : depositio in Rhemensi concilio à solo Papâ : facta compositio in Lateranensi I generali sub Calixto II, revocatæ depositionis, aut regis rehabilitatis nullâ mentione.

Per eadem ferè tempora sub Paschale II et Henrico V imperatore Henrici IV filio, gravis illa à Gregorii VII et Urbani II decretis inchoata de investituris contentio, in apertum bellum erupit; quamvis investituræ etiam per annulum et baculum, priscis temporibus à viris etiam sanctissimis frequentatæ, adhuc in Francia, alio licèt ritu * celebrarentur. Sed Germani imperatores per eam tempestatem abutebantur iis, ut Ecclesias venderent, æternæque servituti Christi sponsam addicerent. Illud certum, tanta dissidia haud difficulter potuisse componi, paululùm, ut postea factum est, immutatis ritibus; si jam indè ab initio pacatos animos adhiberent. Sed Germani ferociebant : Itali aspernabantur : interìm prælia, cædes; bellisque atrocibus Germania, Italia, Roma ipsa, in suis quoque mœnibus conflagrabat.

* Quis fuerit ille alius ritus prorsùs ignoro. Certè, primæ stirpis Francorum reges per baculum investituras dedisse testis est S. Romanus, quem eo ritu Clodovæus II, seu pater ejus Dagobertus, Rothomagensem episcopum investivit; neque alio ritu Alricum Cenomanensem episcopum à Ludovico Pio, an. 832; investitum fuisse memorat is, qui Alrici vitam scripsit. Eodem ritu modoque celebratas fuisse investituras per annulum et baculum tempore Ivonis Carnotensis, ex ejus scriptis intelligimus. Sed Calixto II pontifice, cùm romani imperatores per sceptrum suos episcopos cœperint investire, placuit Francis regibus vivâ voce deinceps, vel scripto investituras dare. (*Edit. Paris.*)

Adactus Paschalis ab Henrico, ut investituras ipsi concederet, atque ejus privilegii causa hæresis etiam infamatus. Quare anno 1112, concilio Romæ habito, Lateranensi II, sese ultrò à Sede apostolicâ deponere voluit * : sed vetitus est à Patribus, qui, hortante Pontifice, hanc sententiam protulerunt [1] : « Privilegium illud, quod non est privilegium, sed pravilegium..... per violentiam Henrici regis extortum, nos omnes in hoc sancto concilio, cum eodem domino Papa congregati, canonica censura et ecclesiastica auctoritate, judicio sancti Spiritûs, damnamus et irritum esse judicamus... Et acclamatum est ab universo concilio : Amen, amen : fiat, fiat : » quod iterùm atque iterùm notari volumus, ut intelligatur quo ritu agi soleat, cùm Patrum consensione decreta firmantur.

De eâdem synodo Lateranensi anno 1112, hujus temporis scriptor manuscriptus in conciliorum editione à Binio aliisque deinceps collectoribus relatus, hæc scribit [2] : « Anno incarnationis Dominicæ 1112, celebratum est Romæ concilium, in quo irritum judicatum est prædictum privilegium, dataque est sententia excommunicationis in personam regis, non à Papâ, qui juraverat se nunquam facturum hoc, sed ab Ecclesiâ injuriam sui patris vindicante. » Nihil hic de depositione audimus, quod infausto successu, hæc nonnihil tum refrixisse videantur; neque in concilis Patres ita pronuntiare solerent.

Idem enim advertere est in concilio Viennensi, Guidone archiepiscopo, mox Calixto II papâ præsidente. Sic autem Patres decernunt [3] : « Henricum Teutonicorum regem excommunicamus, anathematizamus, et à gremio sanctæ matris Ecclesiæ sequestramus : » ubi disertè eum pro rege habent; ac postea epistolâ ad Paschalem datâ de confirmando hoc decreto, hæc scribunt : « Adfuerunt legati regis, » et : « Scriptum illud quod rex ** à simplicitate vestrâ extorsit, damnavimus; in ipsum etiam regem nominatim ac solemniter et unanimiter sententiam anathematis injecimus [4]. » Sic à concilio Lateranensi jam, et à se quoque nunc excommunicatum, regem appellant; neque de depositione quidquam agunt : adeò, quod jam diximus, hæc à conciliorum ritu et consuetudine abhorrebant.

Conon quoque Prænestinus, Sedis apostolicæ legatus, Hierosolymis habito concilio, « excommunicationis sententiam in regem dictavit, et eamdem in Græciâ, Hungariâ, Saxoniâ, Lotharingiâ, Franciâ, in

* Sic unus Goffridus Viterbiensis. Cæteri historiarum aut chronicorum auctores hoc dicunt tantùm : Paschalem II, hæreseos insimulatum, sese eâ suspicione liberavisse. Vid. Goffr. Chron. part. XVII, pag. 503. (*Edit. Paris.*)

[1] *Tom.* X. *Conc.*, col. 768. — [2] *Bin.*, t. VII. part. I. p. 543; *Labb.*, t. X. col. 771. — [3] *Tom.* X. *Conc.*, col. 784.

** Henricus V.

[4] *Tom.* X. *Conc.*, col. 785.

quinque conciliis, concilio prædictarum Ecclesiarum renovando confirmavit[1]. « Hæc anno 1116, in concilio Lateranensi IV, aliis III, sub Paschale II, relata et probata sunt. Quare et illud approbatum est Henricum V et esse excommunicatum, et tamen permanere regem : contra quod Germanos multos per ea tempora sensisse vidimus. In eidem synodo decretum à Paschale factum est, in hæc verba[2] : « Illud malum scriptum, quod pro pravitate sui pravilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate, ut sit nullius unquam bonæ memoriæ; et rogo vos omnes ut idem faciatis : tunc ab universis acclamatum est : Fiat, fiat! » Sic nempe agebatur cùm concilii auctoritate et approbatione res fierent : cujus generis decretum in deponendis regibus nullum unquam legimus ab allo concilio factum.

Denique Paschale II ac Gelasio II pontificibus, de excommunicato Henrico V multa; de deposito, nihil in actis legimus : quanquam multi, inolitâ à Gregorii VII temporibus opinione, excommunicationem ipsam cum depositione conjunctam putabant, et à regis obedientiâ abhorrebant.

At, Calixto II papâ, aliter gestum est; neque tantùm excommunicatus Henricus V, sed etiam depositus : quæ tamen diversissimis rebus acta sunt. Id videre est in concilio, quod Calixtus II adversùs Henricum V, ejusque antipapam Burdinum, anno 1119, Rhemis habuit. Eo enim in concilio, Patrum sententiâ, transacta sunt omnia, præter ea quæ ad Henricum deponendum attinerent. Ac statim quidem, cùm de compositione ageretur, profecturus Pontifex ad imperatorem, sic synodum allocutus est : « Sicut conventionem pacis, dilecti, vobiscum et per vos confirmare optamus; sic in commentorem fraudis, si infidelis evaserit, judicio Spiritûs sancti et vestro, gladium Petri vibrare tentabimus[3]. » Neque res aliter gesta est. Itaque non modò ea, quæ de compositione deque investituris; sed etiam quæ de excommunicatione imperatoris, et antipapæ tractata sunt, Patrum consensione et judicio acta memorantur; idque est gestis inditum. At postquam imperator pollicitis non stetit, omissumque est jam pacis negotium; in actis legitur à CCCCXXVI episcopis et abbatibus candelas tenentibus excommunicatos eos esse, « quos præcipuè proponerat excommunicare dominus Papa; inter quos primi nominati sunt rex Henricus, et romanæ Ecclesiæ invasor Burdinus[4], » quem schismatici Gregorium VIII appellabant. Sic Patres cum Papâ de excommunicatione decrevisse referuntur. Tum de Papâ hæc additur : « Absolvit etiam dominus Papa, auctoritate apostolicâ, à regis fidelitate, omnes quotquot ei juraverant, nisi resipiscent : » totumque illud quod in depositione regum fit, tacentibus,

[1] *Vid.* t. x. *Conc.*, col. 767 et 868.— [2] *Ibid.*, col. 867.— [3] 872, 875.— [4] *Ibid.*, col. 872.

episcopis, à romano Pontifice solo agitur. Factum sæpè notamus, facti causas postea investigabimus.

Neque ita multò post Calixtus et Henricus, dissidiis bellisque atrocibus fessi, in hanc formam consenserunt : imperator quidem, « ut investituram per annulum et baculum dimitteret, ut liberam Ecclesiis electionem et consecrationem fieri concederet ; » Papa verò, « ut electiones Teutonici regni, in regis fiant præsentiâ : ut electus regalia per sceptrum à rege recipiat [1] : » quæ in concilio generali Lateranensi I, sub Calixto II, anno 1123, gesta et probata sunt, quemadmodum jam in concilio Rhemensi omnium episcoporum judicio tractata, composita, limata et confirmata fuisse diximus.

Nihil quidquam aliud ab imperatore, deposito licèt, cùm Ecclesiæ reconciliatus est, postulatum fuit. Uti regnabat Henricus, vetante licèt Pontifice, ita porrò regnavit. Non se ille regno restitui aut rehabilitari, ut vocant, voluit ; juris sui securus, satisque confisus eâ in re à Pontifice, ut nihil detrahi, ita nihil dari posse. Neque etiam eâ de re quidquam Pontifex cum imperatore egit, aut ab eo postulavit, cùm postularet ea quæ juris ecclesiastici esse reputabat : quod certo argumento est, nihil hæc visa esse ad ecclesiasticum dogma, aut omnino ad jus ecclesiasticum pertinere, cùm ab errantibus et delinquentibus expressa ejuratio postuletur eorum, quibus dogmata Ecclesiæ aut certè ejus jura violari judicetur.

CAPUT XIII.

Sanctorum Patrum ejus ævi, Anselmi Cantuariensis Ivonis Carnotensis, Bernardi Claravallensis de imperatorum depositione silentium : locus Anselmi probantis Walerannum Henrico IV deposito, ut regi, adhærentem.

Vixere his temporibus (id est undecimo et duodecimo sæculo) viri sanctitate ac doctrinâ conspicui, episcopi, Fulbertus Carnotensis, Anselmus Cantuariensis, Ivo item Carnotensis, Bernardus Claravallensis abbas, aliique multi, quorum de omni re ecclesiasticâ habemus epistolas, sermones, tractatus. Memorabile certè est de deponendis regibus nihil ab eis scriptum, cùm eâ contentione tota jam Ecclesia personaret ; et tamen multa tractarunt, quæ huic causæ proxima viderentur : Anselmus in investituris tollendis, adversùs reges Anglos multa egit, multa scripsit, multa sustinuit ; intentaturque sæpè tunc excommunicationis, at, ne verbo quidem, depositionis metus. Ivo Carnotensis prolati in Philippum I, Francorum regem, anathematis defensor accerrimus, multus in eo negotio est ; at interim de deponendo rege Ecclesiæ contemptore, ne quidem cogitasse, imò in ejus obedientiâ, gravibus licèt afflictum incom-

1 *Conc. Later.* I. *gener., ibid.*, col. 901, 902.

modis, perstitisse vidimus. Bernardus, ut alia omittamus, discipulum suum Eugenium III docet omnia sigillatim, quæ ad pontificale officium pertinere videantur. Subit autem admirari, cùm de minutissimis agat, de deponendis regibus, tam gravi re, ne verbo quidem egisse, aut monuisse quidquam, imò verò deterruisse, ut sequentia demonstrabunt. Interìm, ut de silentio duntaxat hìc agamus, tanti profectò silentii, in tantâ re, tantoque christiani orbis motu ac tumultu gestâ causam aliquam fuisse oportet. Nullam autem invenio nisi hanc; quòd huic rei tam novæ, tam insolenti, immisceri nollent.

Facilè autem eò adduci potuerunt ut à scriptis temperarent, quibus vel tantillum romanus Pontifex læderetur; ne scilicet pessimis imperatoribus et Pontificibus apostaticis, quos imperatores sustentabant, adversùs veros Pontifices favere viderentur. Ad hæc viri boni reprehendere plerumque romanorum Pontificum, Joannis etiam XII manifesta flagitia verebantur : testis Otho Frisingensis sæpè memoratus. De auctore vitæ Henrici IV, jam vidimus quàm cunctanter memorat eorum assertiones, qui ejus depositionem improbarent. Si tam timidè ille agebat, qui Henrico faveret, quantò libentiùs alii catholici conticescebant! Atque utinam infausta hæc oblitterari sinerent præposteri defensores, ac non pro fidei decretis obtruderent. Fortassis hæc meliùs tacerentur. Quominùs miramur fuisse paucos, qui adversùs Pontifices regum depositores expressè dicerent; at qui pro ipsis scriberent, innumerabiles haberemus, nisi hæc tum pro Pontificum honoreac pace Ecclesiæ, tacenda potiùs quam laudanda viderentur.

Neque tamen eò usque conticuere, ut non suam quoque sine ullius offensione sententiam expromerent; quod vel ex uno Anselmo probare possumus. Is theologicâ scientiâ præcellentissimus, Cantuariensis archiepiscopus factus est, Urbano II pontifice : quo tempore imperabat Henricus ille IV, tot decretis depositus, inducto etiam Guiberto antipapâ, jam apertè schismaticus. Per ea ergo tempora, Walerannus Naumburgensis episcopus *, Henricianarum partium, misit ad Anselmum epistolam quâ interrogabat de azymo et fermentato, aliisque ritibus. Huic epistolæ rescripsisse Anselmum anno 1094, Urbani II tempore memorat Dodechinus, et post eum Baronius [1]. Anselmi epistola sic incipit : « Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, Waleranno Naumburgensi episcopo. Scienti breviter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non favere successori Julii Cæsaris, et Neronis, et Juliani apostatæ, contra successorem

* In Saxoniâ.

[1] *Dodech. Chron.*, an. 1094, p. 135; *Bar.*, an. 1096, t. XI. p. 713; *Vid. Oper. Ansel.*, p. 135.

et vicarium Petri apostoli, libentissimè vos ut amicissimum et reverendum episcopum salutarem. » Quo loco statim id occurrit : à beato Anselmo, ut Urbanum Petri, ita schismaticum imperatorem, pro successore Cæsarum, Julii, Neronis et Juliani apostatæ, fuisse agnitum, quos veros ac legitimos imperatores fuisse nemo negat. Ac de ipso Nerone Scriptura testatur. Sed mentem Anselmi, quæ deinde secuta sunt, luculentiùs edocebunt.

Urbano mortuo, ac Paschale II in ejus locum substituto, interrogat iterùm Anselmum Walerannus *de Sacramentorum diversitate*, atque in fine epistolæ hæc scribit [1] : « *Gratiâ Dei sum id quod sum* ; ex Saulo Paulus, ex adversario romanæ Ecclesiæ, intimus Paschali papæ, acceptissimus cardinalium consecretarius, et in omnibus in hâc parte prosperos spero successus. Joseph in domo Pharaonis, ego in palatio Henrici imperatoris ; neque iniquitas, neque peccatum meum, si, quod absit, aut quasi Nero incestus, aut apostata Julianus. » An igitur ille conversus ex Saulo Paulus, ille Papæ acceptissimus, Henricum regem depositum ac schismaticum ejuravit? Minimè : quin potiùs apud eum fuit, ut apud Pharaonem Josephus. Atqui Josephus Pharaonem, ipsâ Sripturâ teste, procul dubio pro vero rege habuit, quippe regni administer : igitur et Walerannus Henricum ; neque ei denegabat agnitam in Nerone ac Juliano apostatâ dignitatem, sed tantùm aversabatur scelerum consortium ; neque ab ejus imperio, sed tantùm à schismate discedebat.

Ad eum sic affectum erga schismaticum et depositum principem hæc rescribit Anselmus : « Domino et amico Waleranno, gratiâ Dei Naumburgensi venerabili episcopo, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis salutem, servitium, orationes, dilectionis affectum. Gaudeo et gratias ago Deo, quia, sicut scribitis, glorificat eum in vobis Ecclesia catholica, quoniam in vestrâ mutatione divinæ bonitatis apparet gratia, et domini Papæ paschalis amicitiam habetis et familiaritatem ; ut jam mihi liceat vestram amicabiliter salutare sanctitatem [2]. » Ergo Walerannus, Anselmus, ac, si verum amamus, ipse Paschalis, depositiones istas, à Gregorio VII inventas, pro nihilo habebant * ; idque tantùm postulabant, ut episcopi à Guibertino schismate abhorrerent : adeò horum pertæsum erat.

[1] *Ep. Wal. ad Ansel. int. oper. Ansel.*, p. 187, 188, 130.—[2] *Ep. ad Ansel. Wal.*, p. 130.

* *Anselmus depositiones istas pro nihilo habebat*, ait Bossuet : nec mirum ; quippe qui ducem sequebatur Lanfrancum ante se Cantuariensem archiepiscopum, illum quem in suis epistolis impensissimè veneratur. Lanfrancus autem, posteaquam Hugonem quemdam, ut censent P. Bened. redarguit, eo quòd, in epistolâ ad se missâ, Gregorium VII vituperabat, Guibertum antipapam plurimum extollebat, et victoriam ab Henrico de Rodolpho reportatam magnificentiùs prædicabat ; sic dicit de Henrico imperatore : « Credo quòd imperator, non sine magnâ ratione, tantam rem non est aggressus patrare nec sine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam consummare. » Lanf. ep. LIX, edit. Bened. p. 329. (*Edit. Paris.*)

CAPUT XIV.

Ivonis Carnotensis leci quidam expeduntur : exempla memorantur : horum occasione de regalise causâ, atque, initâ per episcopos gallicanos compositione, actum : de Gratiani decreto quædam afferuntur.

Eâdem ætate vigebat sanctus Ivo Carnotensis, in cujus decreto multa legimus ex antiquâ de regibus Ecclesiæ traditione deprompta; illud imprimis ex Isidoro descriptum : « Populi peccantes judicem metuunt : reges autem, nisi solo Dei timore metuque gehennæ coercentur, liberè in præceps proruunt [1]. » Quippe qui in supremâ temporalium arce ab ipso Deo constituti, in temporalibus nihil nisi à Deo metuant; quæ profectò vana sunt, si deponi possunt, depositique ac privati, aliis quoque pœnis obnoxii vivunt.

Quod autem scripsit, id etiam exemplo docuit, qui regi, Ecclesiæ atque anathematis contemptori, tam promptam ubique præstitit obedientiam.

Sanè in decretum transtulit partem epistolæ Gregorii VII ad Herimannum Metensem; sed cur eam attulerit, quidve ex eâ probare voluerit, testatur hic titulus : « Nullam dignitatem sæcularem, sed nec imperialem honori vel dignitati episcopali posse adæquari [2]. » Quare eum locum epistolæ protulit, quo Gregorius VII ex Gelasio, Ambrosio, aliisque probat, sacerdotes Christi regibus antecellere. Quæ autem huic loco inserta atque implicita reperit de rege Francorum deposito, ille profert quidem, ne textum mutilet, sed in quo vim faciat, titulus indicavit.

Non ergo id Ivo fecit, quod Gratianus postea. Nempè hic ex relato Gregorii VII loco, ejusque de deposito Childerico sententiâ, caput particulare fecit, jam sæpè memoratum : *Alius* [3], idque ad proprium finem retulit. Disertè enim scribit : « A fidelitatis etiam juramento romanus Pontifex nonnullos absolvit, cùm aliquos à suâ dignitate deponit. » En Gratiani mens, ac velut hujus capitis titulus. Cui rei probandæ addit alia duo capita : alterum ex eodem Gregorio VII, alterum ex Urbano II : neque enim habuit antiquiora, quæ expromeret. At Ivonis tempore nondùm hæc idonea visa erant, quæ in Decretorum librum suo venirent nomine ac titulo : neque post Gratianum, proprio ac nativo sensu, pro verâ depositione à glossariis accepta sunt, uti jam vidimus.

Erant tamen ea tempora, quibus vel maximè flagraret, post Gregorii VII, Urbani II, ac Paschalis II decreta, de investituris cum Henrico V suborta contentio. Neque tamen Ivo eò adduci potuit, ut

[1] *Decr. Ivon. Carn.*, part. XVI. cap. 42; *Vid. sup.*, lib. I. sect. II. c. 32. — [2] *Ibid.*, part. V. *De inst. Episc.*, p. 378. — [3] *Caus.* XV. q. VI. c. 3.

investituras prorsus intolerabiles judicaret, nedùm inter hæreses, ut multi illius temporis deputaret. Testis epistola ad Joannem Lugdunensem [1]. Idem post interdictum concilii Claromontani : « Ne episcopus vel sacerdos, regi vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat [2], » Radulphum archiepiscopum Rhemensem adduxit ad regem, qui talem fidelitatem ipsi faceret, quia aliter pax ecclesiastica stare non potuit. Id fecit vir κανονικώτατος, verique ac necessarii Ecclesiæ juris defensor acerrimus. Hujus exemplo dicimus primitiva Ecclesiæ jura inviolata habere : adventitia quoque et secundaria tueri pro viribus : ex necessitate interdùm melioris rei gratiâ ac pacis studio, omittere. Quo exemplo, episcopi gallicani eam de regaliâ compositionem inierunt, quâ necessaria permitterent, jam amissa relaxarent, nova, et iis quæ concederent potiora, lucrarentur ; ut et obiter aliquid, occasione Ivonis, quod ad hanc causam et initam à clero gallicano pacem faciat (quandoquidem nostri censores tantoperè hanc improbant [3]) afferamus.

Cæterùm id præcisè è quæstione nostrâ est, quòd Ivo Pontificum romanorum studiosissimus, non modò non tuetur ea, quæ in deponendis imperatoribus fecerint, sed antiqua de regibus à solo Deo judicandis Patrum decreta, et verbo et exemplo defenderit.

CAPUT XV.

Bernardus Claravallensis abbas : sub Innocentio II schisma ingens extinctum : libri de Consideratione ad Eugenium III.

Gratianus ille quem memoravimus, monachus Bononiensis, triginta ferè annis post Ivonem mortuum, decretum suum composuit ex conciliorum canonibus, decretalibus epistolis, et Patrum sententiis. Qui quidem, quàm imperitè, nulloque delectu multa congesserit, nihil necesse est commonere doctos. Is primus omnium, decretis inserit illum titulum, quem suprà memoravimus : Quòd *romanus Pontifex quosdam à juramento fidelitatis absolvat.* Quòd igitur romanis Pontificibus maximè omnium favere videretur, ab iis commendatus, magnam apud posteriores canonistas et theologos auctoritatem obtinuit ; sed longè postea, cùm decimo-tertio sæculo vix innotescere cœperit. Cæterùm, uti jam diximus, apud omnes constat, tanti valere ab ejus decreto deprompta capita, quanti sunt auctores ii, ex quibus descripta sunt.

Jam verò apostolicum virum, neque tantùm Ecclesiæ gallicanæ, verùm etiam universæ lumen, beatum Bernardum audiamus. Is viginti duo annos natus Cisterciense monasterium ingressus est, eo

[1] *Epist.* CCXXXVI. — [2] *Conc. Clarom.*, can. XVI. t. X. *Conc.*, col. 508 ; *Ivo. Carn.*, ep. CL. — [3] *Nicol. Dubois, et Charlas, Tract. de Libert. Eccl. Gall.*, pass.

tempore, quo gravibus dissidiis cum Henrico V Ecclesia laborabat, atque imperatorum depositionibus omnia perstrepebant. Anno deindè Christi 1130 et sequentibus, egregia ejus fuit opera pro Innocentio pontifice, adversùs Petrum Leonis, qui Anacleti nomine Petri cathedram occuparat. Quo in dissidio lata persæpè excommunicatio adversùs schismaticum Pontificem ejusque asseclas, quorum multi erant principes, eàque causâ nominatim excommunicatus Rogerus Siciliæ rex, in Lateranensi II generali concilio [1], præsidente Innocentio, anno 1139, de depositione ne minæ quidem auditæ sunt, cùm in schismate, novem jam annis obstinatissimo animo perduraret. Innocentius ac Bernardus aptioribus remediis rem ecclesiasticam promovebant.

Anno postea circiter 1152, scribere aggressus est admirandum opus *De consideratione, ad Eugenium III*, ex quo libro multa depromimus, sed priùs libri argumentum afferendum est. Eo ergo libro sanctissimus vir, Eugenium III, olim in Claravalle optimis vitæ monasticæ præceptis institutum, ad apostolicæ jam gubernationis vitæque regulas informabat. Cùm autem undique temporales causas ad apostolicam Sedem ultrò deferrent, iisque curis, vel maximè romani Pontifices premerentur; has quidem sanctus vir, etsi apostolici officio non satis dignas, haud tamen omnino removeri posse putabat : « Ego autem, inquit [2], parco tibi : non enim fortia loquor, sed possibilia. Putasne hæc tempora sustinerent, si hominibus litigantibus pro terrenâ hæreditate, et flagitantibus abs te judicium, voce Domini tui responderes : *O homines ! quis me constituit judicem super vos?* In quale judicium mox venires? Quid dicit homo rusticanus et imperitus, ignorans primatum suum, inhonorans summam ac præcelsam sedem, derogans apostolicæ dignitati? » Hæc quidem curiales; at Bernardus : « Et tamen non monstrabunt, puto, qui hoc dicerent, ubi aliquando quispiam apostolorum judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum. » At nunc, si Deo placet, pro apostolicâ auctoritate orbem ad arbitrium divident, ac ducatus, marchionatus, comitatus, ipsa etiam regna distribuent. Pace eorum dixerim, ne putent imminutam à nobis apostolicam dignitatem, si ea respuamus quæ curiales jactarent, quæ Bernardus apostolicæ dignitatis studiosissimus prædicator diceret, amplectamur. Pergit porrò sanctus vir : « Stetisse denique lego apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego. Erit illud, non fuit. Itane imminutor est dignitatis servus, si non vult major esse eo qui se misit? Aut filius, si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? *Quis me*

[1] *Conc. Later.*, II. tom. I. col. 999 et seq. — [2] *Bernard., de Consid.*, lib. I. cap. VI. tom. I. col. 411, 412.

constituit judicem, sit ille Dominus et Magister? Et erit injuria servo, discipuleque, nisi judicet universos? » At nunc viam docent novi theologi, quâ Pontifices religionis nomine sæcularia omnia judicanda ad se trahant.

Non ignorabat Bernardus, cùm hæc scriberet, apostolici judicii dignitatem; prosequitur enim sic : « Mihi tamen non videtur bonus æstimator rerum, qui indignum putat apostolis seu apostolicis viris, non judicare de talibus, quibus datum est judicium in majora. Quidni contemnant judicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus et angelos judicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra; quoniam propter illa et non propter has, accepistis claves regni cœlorum, prævaricatores utique exclusuri, non possessores. » Non igitur profectò successores Petri, pro potestate clavium, legitimos possessores possessione dejicient : non adsciscent alios, nec humana jura confundent; imò peccata solvent, cœlum claudent prævaricatoribus, pœnitentibus aperient, terrena relinquent iis, quibus humana jura concesserint; nisi fortè à *possessiunculis* quidem abstinere, regna verò dare jubentur. At non ita Bernardus. Urget enim ratio Bernardi disertè negantis, de iis judicari pro apostolicâ potestate, quæ ad claves non pertineant : ad claves verò pertinent sola cœlestia *propter quæ datæ sunt*, non terrena quævis, etiam regna et imperia *propter quæ datæ non sunt*. His circumscribit finibus ecclesiasticam atque apostolicam potestatem quam nunc adversarii ad terrena omnia extendere se posse confidunt, dummodò *indirectam* appellent, eoque nomine ludant.

Concludit postea Bernardus his verbis : « Quænam tibi major videtur et dignitas et potestas dimittendi peccata, an prædia dividendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infirma et terrena judices suos, reges et principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis : denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat, (non ego, sed) apostolus : *Si enim in vobis judicabitur mundus, estis indigni qui de minimis judicetis*. Sed aliud est incidenter incurrere in ista, causâ quidem urgente; aliud ultrò incumbere istis, tanquam magnis, dignisque tali et talium intentione rebus [1]. »

Quid sit in rem aliquam *incidenter incurrere*, jurisconsulti sciunt. Puta cùm quis judex ecclesiasticus de matrimonio cognoscens, *incidenter*, et, ut aiunt, *casualiter* de dote, alimentisve decernit; atque ad ejusmodi res Bernardus fortè respexerit. Utcumque est, regna et imperia *incidenter* dari, longè esset absurdissimum. Cæterùm, quæ-

[1] *Bernard., de Consid.*, lib. I. cap. 7.

nam sit illa necessitas incurrendi in temporalia, quam vir sanctus agnoscit, satis perspicuè aperit : quoniam, ut suprà disseruerat, homines ultrò hæc ab apostolicis exigunt, ac de his *judicium flagitant*. Favent apostoli allegata verba, quæ de delectis arbitris agunt. Ut autem hæc Pontifex pro jure suo ad se trahat, prohibent ea verba, quibus beatus Bernardus horum potestatem datam esse negat, horum tractationem alieni muneris invasionem vocat. Cujus sententiæ sæpè nos in sequentibus meminisse oportebit.

Huc etiam facit ille locus, quo sanctus vir tam gravia, tam fortia de interdicto apostolicis dominatu docet[1]. Non enim video quomodo dominationem, eamque ambitiosissimam ac superbissimam evitent, si regna quoque conculcant et quolibet transferunt.

Neque propterea à Pontificum metu superbos reges absolvit, qui docet, Pontificem « oportere esse ultorem scelerum,... virgam potentiæ, malleum tyrannorum, regum patrem,... postremò Deum Pharaonis[2]; » atque insuper addit : « Intellige quæ dico : dabit tibi Dominus intellectum. Ubi malitiæ juncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui tu irasceris, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum et contra se paveat. » Hæc summa doctrinæ est quam epilogando tradidit, *cùm librum clauderet*, eoque vim omnem contulit. Sic ergo Pontifex *malleus tyrannorum*, ac Pharaonis in morem obduratos, ipse in Mosis morem, impetrato extraordinario auxilio, non ex tabulâ decreto recitato, dejicit. *Hoc timeat*, inquit, *qui hominem non veretur, gladium non formidat*. Humanâ omni potestate major, non id profectò timeat, ne datâ sententiâ deponas, ne regnum alteri dono dederis, quod neque unquam Christus, neque apostolici factitarunt; sed ne oratione divinam ultionem elicias : *Timeat orationem, qui admonitionem contempsit*. Neque enim prætermittit censuram ecclesiasticam, *admonitionis* nomine comprehensam. Hanc et alibi passim commendat; clavesque cœli et judicia de solvendis retinendisque criminibus, et gladium spiritualem memorat, quem, ubi opus fuerit, Pontifex evaginet[3] : eam potestatem quà regna omniaque temporalia ordinare se posse putabant proximi Eugenii antecessores, non modò omninò tacet, verùm etiam, ut vidimus, negatâ penitùs temporalium potestate, proscribit*.

[1] *Bernard., de Consid.*, lib. III. cap. 6. col. 419 et seq. — [2] *Ibid.*, lib. IV. cap. 7. col. 444. — — [3] *Ibid.*, lib. I. cap. 6; lib. IV. cap. 3.

* Locus est celebris in epistolâ Bernardi CCXXVII, ad cardinales, de electione Eugenii, à Bossuet hic prætermissus, ex quo quidam theologi malè concludunt non proscriptam, imò asertam à Bernardo hanc potestatem fuisse. Hæc sunt Bernardi verba : « Ridiculum profectò

CAPUT XVI.

Ejusdem Bernardi allegoria de duobus gladiis : quid ad eam majores nostri responderint obiter indicatur.

Unum est quod ex Bernardo objici soleat de duplici gladio : sic enim loquitur ad Eugenium[1] : « Aggredere eos (Romanos contumaces), sed verbo, non ferro. Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis sic : *Converte gladium tuum in vaginam.* Tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, et si non tuâ manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus apostolis : *Ecce gladii duo hic*, non respondisset Dominus : *Satis est* : sed, nimis est. Uterque ergo Ecclesiæ, et spiritualis scilicet gladius, et materialis; sed is quidem pro Ecclesiâ, ille verò et ab Ecclesiâ exerendus : ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, et jussum imperatoris. Et de hoc aliàs, » supple, egimus. Quæ ultima verba manifestè spectant Bernardi epistolam CCLVI, ad Eugenium papam, in quâ quidem epistolâ, de duobus gladiis eadem habet, quæ in libro *de Consideratione* mox legimus ; ut hos profectò locos eòdem collimare constet. Jam in eâ quid egerit, quâve occasione de duobus gladiis dixerit, audiamus. Agebat autem cum Eugenio de magnâ christiani exercitûs strage in Palæstinâ, de quâ item in libris *de Consideratione* multis agit, ac postquam in epistolâ hanc stragem memoravit, hæc subdit : « Exerendus nunc uterque gladius in passione Domini, Christo denuo patiente, ubi et alterâ vice passus est. Per quem autem, nisi per vos? Petri uterque est : alter suo nutu,

videtur pannosum homuncionem assumi ad præsidendum principibus, ad imperandum episcopis, ad regna et imperia disponenda. » Quæ quidem 1° non strictè nimis accipienda sunt, sed benignâ interpretatione molli enda ad mentem sancti doctoris, qui ideó verbis exaggerat et amplificat apostolicam potestatem, ut Eugenium huic tantæ dignitati quàm maximè disparem et inæqualem ostendat.

2° Jubent leges criticæ ut in omni auctore, si quæ sint obscura, ea locis dilucidioribus explanentur; neque statuas eam esse ejus sententiam, quam præ sese statim ferunt quædam verba ambigua, quæ illi, de aliis rebus disserenti, fortuitò exciderunt; sed quàm demonstrat series et contextus orationis, in illis præsertim locis, in quibus, deditâ operâ, quæstiones eas tractat de quibus controversia est. Igitur non statuendum ex eâ epistolâ ad cardinales, quid Bernardus de pontificiâ potestate, quam hic tangit obiter, senserit; sed adeundi sunt libri *de Consideratione ad Eugenium*, post hanc epistolam scripti, id quibus sigillatim explicat omnia officia et jura pontificis, eo modo, ut supremum ejus in reges dominatum proscindat. Itaque aut Bernardus seipsum correxit, aut ipsa verba epistolæ aliud, quàm id quod primâ fronte videntur, significant. Nam.

3° Ea verba, *Disponere regna et imperia*, et illa, *jure suo de regnis et imperiis dirimere ac judicare*, plurimùm inter se discrepant : quandoquidem verbum *disponere* sæpè apud Latinos idem sit ac describere, ut apud Tullium de Petit. Consul. *disponere cuique munus suum*, idem significat ac *describere cuique quid faciendum sit.* Porrò verbum *disponere* sic interpretatum sanam habet ac veram sententiam; cùm Pontifex suo jure possit eo modo regum officia describere, ut eos adhortetur, imò jubeat suum munus adimplere. Sic profectò intelligendus est S. Bernardus, ne tantus doctor sibi ipsi contrarius esse videatur. (*Edit. Paris.*)

1 *Bernard., de Consid.*, l. IV. c. 3. col. 438; *Vid. sup.*, l. I. sect. II. c. 37.

alter suâ manu, quoties necesse est evaginandus. » Ac paulò post : « Tempus et opus esse existimo ambos educi, in defensionem Orientalis Ecclesiæ [1]. »

Jam ergo facilè intelligimus, quatenùs gladius materialis non modò sit imperatoris, sed etiam Pontificis; quatenùs pontificio nutu, imperatorio verò jussu exeratur. Notum enim est in regibus ac fidelibus ad sacra bella ciendis, Pontifices quid egerint. Hic mihi, si quis nutum eo sensu accipiat, ut imperatores ac principes, statim atque Pontifex arma capienda vel nutu significaverit, ea capere teneantur; is profectò nec nutum à jussu secreverit, et id asseruerit quod neque Pontifices cogitaverunt. Prædicando, adhortando, dando indulgentias, ac sacrum Ecclesiæ thesaurum aperiendo, christianos principes ac milites ad sacra bella incitabant; ea etiam suscipienda injungebant in remissionem peccatorum; quâ conditione obstringebant eos, quibus animus inerat sacrâ indulgentiâ frui : ut autem ad sacra bella, imperiis unquam ac pœnis adigerent, et absurdissimum est, et in Ecclesiâ inauditum.

Hoc ergo voluit sanctus Bernardus, ut ad bellum Pontifex nutu impellere, imperator jussu cogere habeat; ex quo id quidem sequitur : gladium materialem, cum propriè in imperatoris potestate sit, tamen in potestate Pontificis suo modo esse, quatenùs bonus piusque imperator, pro Dei et Ecclesiæ causâ prompto atque alacri animo, annuente Pontifice, bella suscipiat.

Quod autem Gregorius IX ac Bonifacius VIII Evangelii locum [2], in quo Bernardus piè luserit, ita urgere videantur, ut materialem gladium, propriè ac stricto jure, suum esse defendant; id quidem ad hoc stabiliendum dogma, reluctante omni antiquitate, non sufficit : ac subit admirari Baronium [3], qui hæc eorum dicta ad fidem catholicam pertinere novo exemplo asserit; cùm profectò constet, neque ad credendum proposita, neque pro certo fidei dogmate recepta fuisse unquam; majora enim hæc sunt, quàm ut uno Bernardi verbo et loco, quantumvis clarus esset, unâque allegoriâ comprobari possint. Dicit sanè Dominus : *Qui non habet peram vendat tunicam suam, et emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est* [4] : nempè et illud ad Christi contumelias pertinebat, ut violentis hominibus stipatus, neque immeritò, per vim militum comprehensus esse videretur. Reliqua quæ sanctus Bernardus cæterive, alii alio, piè ingeniosèque detorserint, ad elucidanda quæ aliundè certa sint, theologi

[1] *Bernard., de Consid.*, lib. II. cap. 1; *Ep.* CCLVI. col. 257. — [2] *Greg. VII*, ep. VI. tom. XI. *Conc.*, col. 825; *Bonif. VIII, extr.* Unam sanctam. — [3] *Baron.*, tom. XI. an. 1053, pag. 190. — [4] *Luc.*, XXII. 56, 57.

admittimus : non certè progredi eo usque sinimus, ut iis quoque firmari theologica dogmata arbitremur.

Si quis tamen scire vult, quid ad Bernardi interpretationem antecessores nostri, cùm eâ premerentur Bonifacii VIII tempore, responderint, Ægidium Romanum *, Joannem de Parisiis, aliosque hujus ævi consulat [1]. Nos enim, theologis parùm dignum arbitramur, ut hæc allegorica fusiùs pertractentur.

CAPUT XVII.

Hugonis de Sancto Victore locus ab adversariis objectus.

Hugo de Sancto Victore, *Magister Hugo* dictus, sancti Bernardi æqualis, ad quem etiam ejusdem Bernardi extat epistola [2], Saxo fuit nobilis *, atque à primâ ætate in Victorino Parisiensi cœnobio, pari pietatis ac scientiæ laude floruit. Hujus auctoritas ab indirectæ potestatis defensoribus objicitur. Jure an injuriâ, locus integer, quem jam proferimus, indicabit. Is igitur lib. II de Sacramentis fidei christianæ, parte II, cap. IV, de duabus potestatibus, sæculari et spirituali, hæc habet [3] : « Illa potestas dicitur sæcularis, ista spiritualis nominatur; in utrâque potestate diversi sunt gradus, et ordines potestatum, sub uno tamen utrinque capite distributi, et velut ab uno principio deducti, et ad unum relati. Terrena potestas caput habet regem, spiritualis potestas summum Pontificem. Ad potestatem regis pertinent quæ terrena sunt, et ad terrenam vitam facta omnia : ad potestatem summi Pontificis pertinent quæ sunt spiritualia, et vitæ spirituali attributa universa. Quantò autem vita spiritualis dignior est quàm terrena, et spiritus quàm corpus; tantò spiritualis potestas, terrenam sive sæcularem potestatem honore ac dignitate præcedit. Nam spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet, ut sit, et judicare si bona non fuerit : ipsa verò à Deo primùm instituta est; et cùm deviat, à solo Deo judicari potest, sicut est scriptum : *Spiritualis homo dijudicat omnia, et ipse à nemine judicatur* [4]. »

Hæc illa Hugonis verba sunt quæ ab indirectæ potestatis defensoribus adducuntur. Reliqua audiamus : « Quòd autem spiritualis potestas, quantùm ad divinam institutionem spectat, et prior sit tempore, et major dignitate, in illo antiquo veteris instrumenti populo,

* Columnam archiep. Burdigal., virum eâ ætate doctissimum.

[1] *Ægid. Rom., de potest. Pap. Joan., de Par., de potest. Reg. et Pap.*, cap. XI, XVIII; aut quæst. *de pot. Pap. Vind. Maj.*, t. I. p. 43, 82, 185. — [2] *Bern., Epist. ad Hug.*, Olim. LXXVII. nunc inter tract., col. 625 et seq.

* Sic statuunt canonici regulares. S. Victor. Par. in vitâ Hugonis, quam ejus operibus præfixerunt. At Mabillonius tom. I. Analect. Sac. p. 263. Hugonem vocat Yprensem, cui astipulantur. D. Fleury tom. XIV, et Dupin Bibl. X. sæculi. (*Edit. Paris.*)

[3] *Tom.* III. p. 607. — [4] 1 *Cor.* II, 15.

manifestè declaratur, ubi primùm à Deo sacerdotium institutum est; postea verò per sacerdotium, jubente Deo, regalis potestas ordinata. Undè in Ecclesiâ adhuc sacerdotalis dignitas potestatem regalem consecrat, et sanctificans per benedictionem, et formans per institutionem. Si ergo, ut dicit apostolus, qui *benedicit major est*[1], et minor qui benedicitur; constat absque omni dubitatione quòd terrena potestas, quæ à spirituali benedictionem accipit, jure inferior existimetur. » Capite VII, quærit *quomodo Ecclesia terrena possideat:* « Quædam, inquit[2], Ecclesiis Christi, devotione fidelium concessa sunt possidenda. » Et paulò post: « Spiritualis siquidem potestas non ideò præsidet, ut terrenæ in suo jure præjudicium faciat: sicut ipsa terrena potestas, quod spirituali debetur, nunquam sine culpâ usurpat. » Capite VIII, quæritur *quot modis in sæculari potestate determinanda est justitia.* Quos inter modos et hunc refert: « Secundùm causam justitia determinatur, ut videlicet negotia sæcularia à potestate terrenâ, spiritualia verò et ecclesiastica à spirituali potestate examinentur. » Tum subdit: « Sæcularis autem potestas caput habet regem sive imperatorem, ab illo per subjectas potestates, et duces, et comites, et præfectos et magistratus alios descendens, qui tamen omnes à primâ potestate auctoritatem sumunt, in eo quod subjectis prælati existant. »

Summa ergo doctrinæ est: ambas potestates, juribus, officiisque discretas, ad suum supremum caput, per diversos gradus referri singulas; nec ab alterâ alterius fines invadi oportere: atque id doctrinæ favet, quâ eas potestates sub uno Deo coordinari, non autem alteram alteri subordinari diximus. Jam quod Hugo dicit: « Spiritualis potestas terrenam potestatem et instituere habet, ut sit, et judicare, si bona non fuerit, » ad illud referendum est quod postea ex vetere Testamento prodidit: « Sacerdotium à Deo primùm institutum, postea verò per sacerdotium, jubente Deo, regalem potestatem ordinatam. » Quod ad Saülis historiam spectat manifestè, nec nisi ad mandatum Dei extraordinarium referri potest; non autem ad ordinariam potestatem, de quâ nunc agimus. Undè etiam Hugo explicat, *Deo jubente;* id factum, à Samuele scilicet, ad eam rem expressè delegato, atque extraordinario, propheticoque, ut diximus[3], potiùs quàm levitico ministerio. Quod autem postea subdit: « Potestatem regalem adhuc in Ecclesiâ sanctificari per benedictionem, et formari per institutionem; » nemo, credo, ita interpretabitur, ut reges à consecrante propriè ac strictè potestatem accipiant. Quod si Hugo dixisset, ab omnibus, præsertim verò à Francis, exploderetur, apud quos pridem constabat reges ex genere esse; nec fieri, sed

[1] *Heb.*, VII. 7.—[2] *Hug.*, *ib.*, c. VII. p. 608.—[3] *Sup.*, lib. I. sect. II. c. 7.

nasci. Sed nos, quò pertineat regiæ consecrationis unctionisque ritus, suo loco exposuimus [1]. Cæterùm, in hàc Hugonis disputatione, nihil de imperatorum Henrici IV et Henrici V depositionibus memoratur, quas toto orbe celebratas, ac recentissimâ memoriâ factas, Germanus homo non ignorabat; neque has ad quæstionem maximè pertinentes omninò tacuisset, si apud catholicos bonâ atque integrâ famâ esse intellexisset.

CAPUT XVIII.

Friderici I res, duplex dissidium : primum cum Adriano IV : quid sit beneficium; quid coronam dare ex Adriani responso? Varius Adrianus : ejus decretum de insulis.

Sancti Bernardi tempore, Lothario (II) Saxoni, et Conrado Suevo, Fridericus I item Suevus * à principibus electus fuit successor, anno 1152. Hujus temporibus multa contigerunt, partim sub Adriano IV, partim sub Alexandro III, quæ ad nostram quæstionem spectant.

Ac sub Adriano quidem IV non tulit Fridericus, ut curia romana imperialem coronam beneficium seu feudum prædicaret suum : sed eam uni Deo acceptam referebat [2]. Quare nec ferebat in palatio Lateranensi inscriptos hos versus **.

Rex venit ante fores, jurans priùs Urbis honores :
Post Homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

Quos versus eò usque Friderico displicuisse refert Radevicus, rerum Friderici scriptor coætaneus, ut illos omninò deleri vellet. Cùm igitur imperator ac principes hæc à Pontificibus vindicari sibi molestissimè ferrent, venit ad Fridericum epistola Adriani, in quâ commemorabat, « quantam ei Ecclesia romana plenitudinem potestatis contulerit et honoris, imperialis insigne coronæ libentissimè conferens [3]. » Addebat Pontifex se gavisurum, si imperator « majora beneficia de manu suâ suscepisset. »

Commotus est vehementer imperator ambiguo beneficii nomine, quod sensu jam usitato *feudum* sonaret. Refert etiam Radevicus [4] « principes omnes indignatione commotos, » quòd passìm jactaretur, « dignitatis et honoris plenitudinem imperatori à Pontifice romano collatam : reges imperium Urbis et regnum Italicum, donatione Pontificum hactenùs possedisse. »

Quin etiam à principibus exerti gladii ***, cùm legatus Papæ dixisset : « A quo ergo habet, si à domino Papâ non habet imperium? »

* Ænobardus nuncupatus.
[1] *Sup.*, l. II. c. 44. — [2] *Radev., de gest. Frid. I*, lib. I. cap. X; *Urst.*, pag. 482.
** Inscripti erant hi versus in eâ tabulâ, in quâ Lotharius II, imperator, pingebatur flexis genibus à Papâ stante accipiens coronam (*Edit. Paris.*)
[3] *Adr. IV. Ep* II. tom. X. *Conc.*, col. 1145. — [4] *Radev., loc. cit.*
*** Otho Palatinus comes de Baioariâ, legato necem intentabat.

Composito motu imperator per omne imperium edidit epistolam, cujus initium est : « Cùm divina potentia, à quâ omnis potestas in cœlo et in terrâ, nobis, Christis ejus, regnum et imperium commiserit, etc. » Quo fundamento posito, significat quàm horruerit illam beneficii vocem aliaque id genus, ab Adriano jactata : additque « per electionem principum à solo Deo regnum et imperium sibi esse concessum : quicumque imperialem coronam pro beneficio à Papâ susceptam à se esse dixerit, divinæ institutioni et doctrinæ Petri contrarium, et mendacii reum esse : » quod iterùm inculcat, applaudentibus episcopis : « ac liberam imperii coronam uni Deo tantùm adscribit. » Quod et memorant episcopi ac laudant in eâ epistolâ, quam scripsere, à Radevico relatâ [1].

Tantâ ergo totius imperii consensione permotus Adrianus, sic suam epistolam emollivit, ut *beneficium* usu latinæ linguæ interpretaretur, *non feudum, sed bonum factum* : quòd autem imperator molestè tulisset illud, « Contulimus tibi insigné imperialis coronæ, » sic Pontifex interpretatur : per hoc vocabulum, « contulimus tibi insigne imperialis coronæ, nihil aliud intelleximus quàm imposuimus [2]. » Ergo coronam imponit episcoporum ritu, non propterea potestatem confert. Quo pontificio responso, omnia ex coronatione deprompta argumenta corruunt.

Fatendum quidem altioris esse spiritûs, quæ paulò post scripsit idem Adrianus; cùm Friderico objiciens, « homagium exactum ab episcopis, et eorum sacras manus ejus manibus innexas, » aliaque ejusmodi, hæc addit [3] : « Resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus; quia cùm à nobis consecrationem et coronam meruerís, dùm inconcessa captas, ne concessa perdas, nobilitati tuæ timemus. » Quid rescripserit Fridericus ad rem nostram non pertinet, sicut neque aliæ inter Pontificem et imperatorem subortæ simultates. Sed profectò, cùm videmus romanum Pontificem talia comminantem pro iis, quæ nunc omnium usu innoxia celebrantur, tum etiam de coronâ concessâ ab eodem tàm variè scribi; sanè meminerimus, hæc et alia generis hujus Sedi apostolicæ attributa ad jura secundaria, quæ immutari possunt, non ad primitiva, quæ à Christo concessa sint, certamque et incommutabilem rationem obtineant, pertinere, ut jam diximus [4].

Hic ille est Adrianus IV quem suprà memoravimus [5] scripsisse ad Henricum II, Angliæ regem : « Hiberniam et omnes insulas, quibus sol justitiæ Christus illuxit, ad jus beati Petri et sacrosanctæ romanæ Ecclesiæ pertinere; » neque id *esse dubium : pertinere* autem eo sensu,

[1] *Radev., de Gest. Frid. I*, l. I. c. XVI. p. 486.—[2] *Ibid.*, et tom. X. *Conc.*, col. 1147.—[3] *Adr.*, *epist.* VI. col. 1149.—[4] *Sup.*, l. II. c. 36.—[5] *Sup.*, l. I. sect. I. c. 14.

non quo grex regendus ad pastorem pertinet, sed quo bona possessa ad dominum. Quo jure Hiberniam, censu annuo reservato, regi Angliæ habendam possidendamque tradit. Quæ si tàm certa sunt, quàm certò Adrianus asserit, pace ejus dixerim, nihil jam aliud superest, quàm ut ei cum insulis, continentem quoque terram omnem, quæ non potiore jure est, et totius christiani orbis imperium concedamus: ad quæ, credo, confitenda nemo nos adiget.

CAPUT XIX.

Alterum Friderici I dissidium cum Alexandro III. Excommunicatur, depositur, nec minùs agnoscitur pro imperatore, etiam à Papâ: excommunicatio, res seria, depositio pro nihilo habetur.

Alterum illudque maximum Friderico I dissidium cum Alexandro III * intercessit. Offensus quippè Fridericus romanis Pontificibus, quòd victis Italis ac rebellantibus favere, ac Germanorum jugum ab Italis depellere velle viderentur; Octavianum schismaticum pontificem, Victorem III appellatum, adversùs Alexandrum III virum sanctissimum tuetur. Anno circiter 1160, à sancto pontifice Victor merito anathemate unà cum asseclis, atque ipso imperatore percellitur **. Alexander profectus ad Francos, afflictorum pontificum per quadringentos jam annos commune perfugium; anno 1163, in concilio Turonensi excommunicationem renovat [1], nulla hactenùs depositionis mentione: hanc enim ab excommunicatione romani Pontifices separabant. Itaque nemini est visum, Fridericum, licèt in schismate obduratum, eoque nomine excommunicatum, imperio cecidisse; constititque apud omnes, excommunicatos principes suo jure regnare, nec abrumpi anathemate civilis societatis fœdus, contra quod tempore Gregorii VII sentiebant.

Anno demum 1168, in concilio Lateranensi [2] Fridericum ab Alexandro III novo anathemate ac simul depositione mulctatum scribit Joannes Sarisberiensis, epistolâ ad Cantiæ sub-priorem. Sed qui has depositiones admittere nos cogunt, videant an hæc etiam auctoritate eâdem decreta probare velint: « Abstulit (romanus Pontifex) ei etiam

* Alexander, Rolandus antea dictus, et legatus Adria-Friderico eam epistolam attulerat, de quâ dixit capite præcedenti D. Bossuet, quæ quidem tam graves excitarat sacerdotium inter et imperium controversias. (*Edit. Paris.*)

** Baronius, quem sequitur auctorem D. Fleury, pronuntiat, Alexandrum III, « cùm apud Anagniam excommunicationis vinculo innodaret Octavianum (seu Victorem III antipapam), simul eos, qui cum Friderico juramento fidelitatis tenebantur adstricti, ab ipso juramento absolvisse. » Tom. XII, an. 1160. pag. 459. Sed utrumque allucinari patet ex epistolâ ipsius Alexandri ad Arnulphum Lexoviensem episcopum, in quâ ea narrat quæ acta fuerant in papiensi conciliabulo, quod Fridericus coegerat, eò ut Octavianum pseudo-papam constitueret; deindè addit, se Anagniæ *Fridericum cum Octaviano et fautoribus suis excommunicasse.* Tom. X Conc. col. 1399. At verò *de eâ absolutione à juramento fidelitatis,* quam Baronius comminiscitur, ne verbum quidem facit. (*Edit. Paris.*)

1 *Conc. Turon.*, t. X. col. 1411.— 2 *Tom.* X. *Conc.* col. 1449, 1450.

regiam dignitatem, ipsumque anathemate condemnavit, et inhibuit, auctoritate Dei, ne vires ullas amodò in bellicis congressionibus habeat, aut de christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quiete et pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur: in quo secutus est exemplum Gregorii VII, decessoris sui, qui, nostrâ ætate, Henricum imperatorem Ecclesiæ privilegia convellentem deponens in concilio romano, simili sententiâ condemnavit. » Non habuit historicus antiquius, quod referret, talis depositionis atque excommunicationis exemplum: tametsi eam dicit *de Petri privilegio latam*. His scilicet Petri claves et excommunicationis vim commendari posse putabant. Nos autem arbitramur has irritò jactatas esse minas; hæc de victoriis submovendis excommunicationi præter ordinem ac traditionem adjuncta, effecisse ut magno suo malo, christiani excommunicationem minùs minùsque vererentur, fallente plerumque eventu, aut fortuitis casibus consecuto.

Anno 1177, concilio Venetiis habito, facta pax; quâ de re, acta manuscripta bibliothecæ Vaticanæ Baronius refert [1], quibus nostra firmantur. Ibi enim cernimus Fridericum semper imperatorem nominari, depositum quamvis; quodque vel maximum, imperatoris procuratores coram Domino Papa jurasse in hæc verba [2]: *Ego comes Diedo juro quod dominus imperator mandavit mihi*, et: *Ego Sigilboth juro, quod dominus imperator, etc.* Ex quo, Papa etiam audiente, quantùmlibet depositus, pro imperatore est habitus. Sequitur in actis missos à Pontifice ad imperatorem legatos, qui quidem imperatorem, « postquam renuntiavit schisma, promissam quoque obedientiam domino Alexandro ejusque successoribus canonicè intrantibus, ipsum à sententiâ excommunicationis pariter absolverunt, et catholicæ unitati aggregarunt. » Audis quàm sollicitè de excommunicatione dictum, de depositionis sententiâ nihil prorsùs. Quæ planè demonstrant, quantùm inter excommunicationem jure divino constitutam, et depositiones novitiis exemplis inductas intersit discriminis. Imperator excommunicatus ab excommunicatione solvitur: depositus ubique, etiam cum Pontifice, pro imperatore se gerit, nec se restitui petit; sed suo jure regnat. Cæterùm, quæ de conculcato Friderico commemorant, hæc Baronius meritò amandat ad fabulas.

Jam putamus hæc, quæ sæpè inculcamus, certo certius stabilita: schismaticum et excommunicatum principem haud minùs jure regnare: à schismaticis et excommunicatis regibus ritè postulatum, ut schisma ejurarent, ac veniâ petitâ absolverentur: à depositis, nunquam ut se jure deponi potuisse faterentur: addimus depositos haud minùs pro regibus agentes, à Pontifice quoque fuisse agnitos:

[1] *Conc. Venet., ibid.*, col. 1481; *Bar.*, tom. XII. an. 1177. — [2] *Tom.* X. *Conc.*, col. 1485.

ut excommunicatio, prout reverà est, res seria et gravis; depositio verò tanquam vana, nullumque effectum consecuta, ac per se ipsam nulla haberetur, quantâcumque pompâ in speciem prolata.

CAPUT XX.

Henrici VI, Friderici filii, excommunicatio sine depositione per Cœlestinum III. Item Philippi Augusti regis Francorum, ob repudiatam uxorem per Innocentium III. Item depositio Othonis IV imperatoris per eumdem Innocentium: bella atrocia, harum depositionum appendix.

Henricus VI imperator, Friderici I filius, quòd regem Angliæ Richardum Hierosolymis à sacro bello redeuntem carcere tenuisset [1], anathemate condemnatus à Cœlestino III, et contumaciter obsurdescens, placidè tamen regnavit, neque est depositus. Ejus cadaver jussu Pontificis insepultum mansit, quoad Richardo regi de redemptionis pretio satisfactum esset.

Anno 1199, quòd Philippus-Augustus rex Franciæ, pulsâ uxore *, aliam superduxerit **, jussu et auctoritate Innocentii III, *tota Philippi terra ecclesiastico interdicto subdita est*; cui interdicto deferentes episcopos magnis rex incommodis affecit. Idem postea, Ecclesiæ de injusto divortio, episcopis etiam de injuriis satisfecit, magnâque omnium lætitiâ, *interdicti sententia relaxata est* [2]. At cùm per annum ferè integrum tenuerit, nemo interim de obedientiâ denegandâ, de deponendo principe nemo cogitavit; neque Franci talia admittebant.

Idem Innocentius III Othonem IV imperatorem, quorumdam Appuliæ oppidorum et Siciliæ invasorem, anathemate primùm, deindè depositione affecit. Quæ Rigordus noster ***, ejus ævi scriptor, eumque secutus Joannes Nauclerus accuratissimè distinxerunt; nihil ut sit certiùs quàm depositionem ab excommunicatione sejunctam [3]. Quâ depositione, ut et aliis præcedentibus, bella atrocia commota sunt, atque inter Othonem et Fridericum II, multo sanguine decertatum est.

CAPUT XXI.

Post imperatores hactenus depositos, primus aliorum regum Joannes *sine terrâ* Anglus, ab Innocentio III depositus, regno Sedi apostolicæ tradito restitutus; quæ Sedis apostolicæ odio et contemptui vertunt.

Hactenùs romani Pontifices imperatores solos, regesque Germaniæ atque Italiæ deposuerant, quos peculiari titulo obnoxios sibi esse putabant. Primus omnium Innocentius III, alios quoque reges de-

1 *Bar.*, an. 1193, 1197; *Vid.*, tom. x. *Conc.*, col. 1768.
* Ingeburgâ, Daniæ regis filiâ. — ** Nempè Agnetem, Meraniæ ducis filiam.
2 *Rigord.*, *in Phil. Aug.*, an. 1193. tom. v. *Duch.*
*** Monachus S. Dionysii.
3 *Ibid.*, an. 1210; *Nauc.*, t. xi. *Conc.*, col. 56.

ponere aggressus, ducto initio ab Angliæ rege, misero illo Joanne qui *sine terrâ* dicitur [1]. Is, jussu Papæ, electum Cantuariensem archiepiscopum Stephanum de Langetune, Presbyterum cardinalem, doctrinâ moribusque conspicuum, nolebat admittere; Cantuariensesque monachos; penès quos electio erat, Pontifici obsecutos, ut majestatis reos exagitabat. Grave id Pontifici visum. Cœptum ab interdicto est; denuntiatumque regi per legatos apostolicos, « ut si per hoc pertinaciam suam non duceret corrigendam, ipse (Pontifex) manum adhibere curaret graviorem [2]. »

Rex, propter interdictum, in Anglos, ac Romanos in Angliâ versantes, diris indignisque modis sæviit. « Post continuatam per biennium persecutionem gravissimam, decretum à Pontifice nominatim excommunicari regem, et ab omnibus evitari [3]; » quæ sententia, licèt ab episcopis regem metuentibus promulgata non esset, omnium tamen *ora repleverat.*

Rex consueto more ac jure regnabat; neque quidquam Pontifex de eo deponendo decreverat aut etiam interminatus erat. At anno 1212, jam totâ in regem commotâ Angliâ, præcipuis episcopis anglicanis id postulantibus, Innocentius definivit, « ut rex Anglorum Joannes à solio regni deponeretur, et alius, Papâ prôcurante, succederet. Ad hujus sententiæ executionem scripsit potentissimo regi Francorum Philippo, quatenùs, propter omnium remissionem peccaminum, hunc laborem assumeret, et rege Anglorum à solio regni expulso, ipse et successorès sui regnum Angliæ jure perpetuo possideret [4]. » Hic ergo videmus non modò deturbatum regem, sed etiam domum regiam, Joannisque liberos etiam innocuos; et amplissimum regnum privatum esse jure eligendi sibi principes; et ad extraneos translatum imperium, pontificio jussu. Quis hæc congerendis quàm solvendis peccatis aptiora esse neget?

At enim objiciunt, huic decreto Francorum regem Philippum paruisse, ac pontificiam in deponendis regibus agnovisse potestatem. Certè, qui per eam occasionem, eoque decreto, Angliam suo regno infensissimam occupare conaretur. Quanti autem hæc exempla valeant, et omnes per se vident; neque eo tempore ignorabant; cùm comes Flandriæ * regem ad bellum sequi jussus, id etiam objecerit: « Fuisse injustum idem bellum, quod ad debellandum regem Anglorum susceperat; cùm nullus antecessorum suorum jus hactenùs sibi aliquod in regno Angliæ vindicasset [5]: » adeò hi tituli regnandi vani habebantur.

[1] *Matt. Par. Hist. Angl.*, an. 1207, p. 222, 223; *Vid. Rap. Thoyr.*, lib. VIII. — [2] *Matt. Par.*, an. 1208, p. 226. — [3] *Ibid.*, an. 1209, p. 228. — [4] *Ibid.*, an. 1212, p. 232.
* Ferdinandus Sancti Lusitaniæ regis filius.
[5] *Matt. Par.*, an. 1213, p. 236.

Posteaquam Joannes rex miserrimus, atque haud minùs contemptus quàm detestatus, suis tantam vim à vicinis Francis ac rege victoriosissimo imminere vidit; Innocentio III ejusque successoribus regnum Angliæ tradidit, quod ipse à Pontifice sub *homagii ligii* fide reciperet. Quid multa? continuò Joannes regno restitutus; ab Innocentio in barones perduelles anathemata vertuntur, atque in Philippum ipsum, nisi bellum incœptum statim omitteret. Sed barones in proposito pergunt, Ludovicum Philippi filium regem pronuntiant; id in Joanne maximè detestantur, quòd regnum nobilissimum *chirographo æternæ servitutis obligasset* [1]. At ex illâ servitute Joannes id commodi referebat, ut baronibus, bellorum necessitate initisque fœderibus multa pollicitus, multa largitus, ea omnia, tanquam sine romani Pontificis supremi jam sui domini auctoritate concessa, facilè revocaret. Nec deerat Innocentius, qui promissa ac donata rescinderet. Interim Ludovicus mare trajecit, nihil deterritus excommunicatione, quæ profectò humanis jam intentata ac soluta consiliis, piis quoque, quorum numero fuit Ludovicus, proh dolor! sæpè contemptui erat; ac vana tantùm suffugia quærebantur. Et quidem Ludovici causa coram Innocentio acta *. Objectum est inter cætera, decretum concilii Lateranensis III generalis, quod tamen non extat **. Oratores, Ludovici nomine, respondebant: « Quòd tempore latæ sententiæ dominus Papa nesciebat quòd Ludovicus haberet jus de regno Angliæ, et cùm hoc illi constiterit, non credit quòd concilium possit ei jus suum auferre [2]. » Sic sanè, ut poterant, in curiâ romanâ, regum jura ab ecclesiasticâ potestate libera tutabantur. Denique morte Joannis finita controversia est. Tunc odia Anglorum concidere; in Henricum Joannis filium conversa omnium studia, atque in Ludovicum odia; ac tunc metui cœpit excommunicatio, cùm vires undique defuere. In hæc misera et infanda Ecclesiam induxerunt, qui partem tantam apostolicæ potestatis, in

1 *Matt. Par.*, an. 1215; *Vit. Chart. Joan. Spicil.*, t. v. p. 574; et *Conc.*, t. xi. p. 227.

* Observandum est Ludovici oratores nunquam dicere, « quòd ille haberet jus de regno Angliæ, quia Joannes à solio depositus fuerat, Papâ procurante, » ut Matthæi Parisiensis verbis utar. Hoc enim argumentum non satis tutum firmumque eis videbatur. At vero dicunt, postquam Joannes morte damnatus esset à baronibus Franciæ, et de solio dejectus propter varia crimina ab ipsis Angliæ baronibus, jus occupandi regni Ludovico venisse, non modò, quia rex Anglorum electione renuntiatus fuerat; sed etiam hæreditario jure Blanchæ è Castellâ ejus uxoris. Addebant Joannem, qui rex non esset, summo Pontifici Angliæ regnum dare non potuisse, cùm rex quoque id non posset, nisi baronum consensus accederet; undè concludebant: Joannem, suo donationis diplomate, regnum quidem non dedisse; sed semetipsum exauctorasse; neque deinceps esse in illius potestate dignitatem regiam recuperandi. Vid. D. Fleury, et eos quos allegat. Adi quoque Rapin Thoyras, lib. viii. (*Edit. Paris.*)

** Extat in concilio Lateranensi IV, his verbis: « Statuimus ut saltem per quadriennium..... discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inviolabiliter observandam; et qui acquiescere fortè contempserint, per excommunicationem compellantur. » Tom. xi Conc. part. i, col. 232, 233. (*Edit. Paris.*)

2 *Matt. Par.*, an. 1216, p. 285.

temporalibus ordinandis seu potiùs subvertendis, pessimo consilio collocarunt. Hæc verò utcumque excusare libeat, tanquam bono animo, per hujus ætatis imperitiam, à bonis etiam Pontificibus gesta, ut sæculum sæculo reperculerent; tamen colere non possumus, quæ nunquam à Christo, aut apostolis, Patribusque prodita, tam infaustis successibus prodierunt.

CAPUT XXII.

Refertur caput *Novit.* extrav. de Judiciis : hujus edendi occasio : nihil ad rem : interpretatio necessaria.

Per ea tempora * Innocentius III multùm laboravit in componendâ pace inter Francos et Anglos, ut deindè in infideles arma converterent. Pontifice digna res ! Novum illud, quòd pro potestate pacem vel inducias regibus imperaret. Grave id gallicanis episcopis visum; « et regem excusabant, Papam rogantes, ut non læderet jurisdictionem regis Francorum [1] : » at graviter redarguti sunt ab Innocentio, datâ ad eos epistolâ, cujus initium est : *Novit ille*, extrav. de Judiciis [2]. Summa epistolæ est, non *se judicare de feudo*, cujus judicium ad regem pertinet ; *sed decernere de peccato, cujus ad nos*, inquit, *pertinet sine dubitatione censura :* hinc coerceri à se posse qui pacem abrumpant, præsertim juratam ; cùm Ecclesiæ sit *de juramenti religione cognoscere*. Quæ quidem nihil ad hanc quæstionem pertinent, cùm non agat Innocentius de regibus metu depositionis coercendis, quod unum quærimus ; vanique omninò sunt et à quæstionis recedunt statu, qui hæc objiciunt. Sed tamen si ad extremum urgeantur, jam decernant episcopi ac præsertim romanus Pontifex, non tantùm de bello ac de pace, quod ipsum per se est gravissimum et regii officii pars maxima ; sed etiam de militiâ, de judiciis, de magistratibus, de feudis etiam, quorum cognitionem à se Innocentius amoverat ; cùm in his omnibus juramenti religio interveniat ; ac si ab aliis rebus juramentum absit, non abest certè peccatum ; quo nomine, privata omnia et publica ad potestatem Ecclesiæ revocentur. Quàre hæc Innocentii vel emolliant necesse est, interpretatione commodâ, ac modum aliquem adhibeant, vel omnia imperiorum jura confundant.

Id Philippus Augustus senserat, cùm olim ** legato Clementis III minitanti, « nisi rex Franciæ, et comes *** Richardus **** cum rege Anglorum (Henrico II) componerent, forè ut terras eorum sub interdicto concluderet ; respondit se illius sententiam nullatenùs for-

1 * An. 1199.
1 *Nicolas Trivet. Chron. Spic.*, t. VIII. p. 531.— 2 *Ext. Greg. IX*, lib. II. tit. I. cap. 13.
** An. 1188. — *** Pictaviensis. — **** Filius Henrici II, regis Angliæ, ac deindè ejus successor.

midare, cùm nullâ æquitate fulciretur. Addidit etiam ad episcopum romanum minimè pertinere in regem aliquem, maximè Francorum, per sententiam animadvertere, si rex idem in HOMINES suos, dementes et regno suo rebelles, ulciscendi causâ insurgere disposuerit [1]. » Sic in sæculis etiam ineruditis, reges nostri, et majestatem intelligebant suam, et pro virili parte tuebantur. Ita que his minis nihil Clemens III, nihil Innocentius III profecere. De peccato cognoscat romanus Pontifex, legitimo, canonicoque ordine, ubi grave facinus evidenter injustum, notorium, neque ullâ tergiversatione celandum, vel, si velint, claris probationibus certum : tunc excommunicationem tantùm, idque adhibitâ christianâ prudentiâ, non autem depositionem comminetur. Ut autem peccati nomine, regnorum jura, ambiguasque bellorum causas, et imperiorum arcana ad se trahat, ne ipse quidem velit. Cæterùm in foro conscientiæ, ubi habemus confitentem ac pœnitentem reum, quo pacto quæcumque peccata sunt, etiam in temporalibus (sive illa sint ambigua, sive certa, sive publica, sive occulta) clavibus Ecclesiæ subdantur, quatenùs quidem peccata sunt, nemo sanus objiciet : neque ad rem ullo modo pertinet. Quod propter tardiores, aut cavillatores monitum esse volumus.

CAPUT XXIII.

Bonifacii VIII cum Philippo IV Pulchro Francorum rege dissidium : acta Bonifacii rescissa à Clemente V : rex omnesque regni ordines, regni in temporalibus tuentur independentiam.

Hic temporum ratio postulabat, ut de Friderico II ageretur; sed quandoquidem novo exemplo in concilio generali est depositus; in eoque negotio, de concilii generalis auctoritate multa mentio fuit, totam rem eò remitti placet, ubi de iis quæ in conciliis circa temporalia ordinanda gesta sunt, disseremus [2]. Properamus ad alia, neque tamen animus est explorare omnia quibus Pontifices usurpatam semel temporalem potestatem exercere aggressi sunt. Posteaquam enim orbis christianus his assuefactus est, non defuere reges ac principes, qui hunc cupiditati et invasioni titulum obtenderent; placebatque jactare in vulgus, Sedi apostolicæ obsecutos, dum fœdæ cupiditati morem gererent. Cæterùm seditiones ac bella atrocia sequebantur; quo metu factum est, ut hæc reformidarent omnes; et magno terrori fuit, quòd his decretis, si non dari regna, saltem perturbari possent. Quæ postquam generatim diximus, ea tantùm sigillatim referemus, quæ ad hanc elucidandam quæstionem aliquid singulare præferre videantur; qualia sunt imprimis ea quæ sub Bonifacio VIII contigerunt.

1 *Matt., Par.*, an. 1188.— 2 *Inf.*, lib. IV. cap. 6.

Eo Pontifice nullus unquam graviùs à Gregorii VII temporibus conculcavit imperia : quo nomine non tantùm apud nostros, quos acerrimè aggressus est ; verùm etiam apud exteros malè audivit. Testis Joannes Hocsemius canonicus Leodiensis, ejus ævi scriptor : « His, inquit [1], temporibus, Bonifacius animosè nimis omnia facta sua expediebat pro libito, nec fratrum suorum consilia sequebatur, et quia videbat quòd propter potentiam regni Franciæ, suam non poterat exsequi voluntatem, et considerans regis Formosi simplicitatem, eo quòd totum regni regimen à suis consiliariis dependebat, ad regis et regni humiliationem pro viribus nitebatur. » Haud longè absimilia Joannes Villanus Italus prodidit [2]. Alii ab eodem multa superbissimè atque arrogantissimè dicta gestaque commemorant. Manavit ea opinio ad posteros.

Platina Italus, historiæ pontificiæ scriptor nobilis : « Moritur Bonifacius, qui semper regibus, principibus, nationibus, populis, terrorem potiùs quàm religionem injicere conabatur ; quique dare regna et auferre, pellere homines et reducere pro animi arbitrio conabatur... Discant hujus exemplo principes omnes, tam religiosi quàm sæculares, præesse clero et populis, non superbè et contumeliosè, ut hic, de quo loquimur ; sed sanctè et modestè, ut Christus rex noster ejusque discipuli [3]. »

Huic adversùs regna, præsertim verò adversùs Francos gravia molieati, Philippus IV, Pulcher appellatus, acerrimi ingenii atque animi rex Francorum, Francique omnes, principes, nobilitas, plebs, clerus ipse magnâ consensione vehementissimè obstiterunt. Quæ per vim facta sunt adversùs Pontificem, lacrymis prosequenda, neque rex probavit, hujusque sceleris insons, pontificio quoque judicio pronuntiatus est ; et nos silentio præterimus. Quæ ad illud quod tractamus doctrinæ caput pertinentia utrinque prolata sunt, exsequemur, prout ea apud Odoricum Rainaldum Baronii continuatorem, Annalium XIV et XV tomis legimus, et in editione Parisiensi anni 1655 Historiæ hujus dissidii ex regestis regiis diligentissimè colliguntur [4].

Cæterùm cùm Bonifaciana decreta, quoad hoc negotium attinet, Clementis V partim antiquata auctoritate, partim temperata, partim ex regestis tolli jussa, ac reverà sublata et deleta in regestis Vaticanis, ab Odorico Rainaldo reperta sunt : nos ubi ea decreta ex temporum serie referemus, suam cuique apponemus notam, ut lector veritatis amans, et quid decretum sit, et quo loco habendum, uno intuitu complectatur.

Ac ne quis existimet hæc, quæ à Rainaldo ex regestis deleta re-

[1] *Hocs. Hist. Episc. Leod.*, c. XXIX. — [2] *Vill. Hist.*, p. 180. — [3] *Plat. vit. Bonif. VIII*, p. 232. edit. Colon. 1626. — [4] *Rain.*, an. 1121. n. 36 ; *Hist. du différ.*, p. 597.

perta sunt, privatis fortè consiliis fuisse sublata, præmittimus Clementis V decretum, in bullâ quæ incipit, *Rex gloriæ*, quæ quidem ab Odorico Rainaldo, omissâ tantùm præfatione, describitur[1]. Sic autem decernit Clemens : « Nos, eorum quæ tantis periculis atque malis causam et occasionem dedisse noscuntur, volentes abolere memoriam..... sententias, constitutiones, declarationes, privilegiorum revocationes, suspensiones, excommunicationes, interdicta, privationes, depositiones, et processus prædictos, de libris capitularibus, et registris Ecclesiæ romanæ, de fratrum nostrorum consilio omninò tolli et penitùs mandavimus amoveri. »

Extat etiam apud Odoricum Rainaldum[2] authentica declaratio ipsi regesto Bonifaciano inserta, quâ hæc omnia jussu Clementis V erasa esse constat. Quæ autem potissimum Bonifacii decreta Clemens V antiquavit et revocavit, docet ipse Rainaldus ex manuscriptâ historiâ Bernardi, quæ in bibliothecâ Vaticana asservatur. Hæc enim verba historici refert[3] : « In kal. feb. duas constitutiones Bonifacii quondam papæ, unam quam direxerat regi Franciæ in quâ scribebat eidem, ipsum regem esse subjectum romanæ Ecclesiæ in temporalibus et spiritualibus ; aliam verò, quæ incipit : *Clericis laicos*, revocavit, et omnia quæ ex ipsis constituta. » Jam postquam universim rerum formam delineavimus, singularia gesta aggredi placet.

Dissensionis exordium, aut maximum fuit incentivum celebris illa anno 1296, Bonifacii VIII edita constitutio invidiosissimo exordio : *Clericis laicos infestos oppido prodit antiquitas*[4]. Hàc vetat Bonifacius, sub anathematis pœnâ, ne quid in regnorum et reipublicæ subsidium, aut principes exigant à clericis, aut clerici solvant sine Sedis apostolicæ licentiâ.

Commotum eâ re Philippum significat bulla *Ineffabilis*[5], ad ipsum eodem anno directa ; sed Bonifacius suam sententiam sic temperat : « Non præcisè statuimus pro defensione vel necessitatibus tuis, vel regni tui, ab iisdem prælatis ecclesiasticisque personis, pecuniarum subsidium non præstari ; at adjecimus, id non fieri absque nostrâ licentiâ speciali. »

Neque explicatio placuit, parum ut videbatur publicis necessitatibus consulens. Quin anno sequente, ipse Bonifacius dato diplomate declaravit : cùm *necessitas immineret, peti ac recipi* ab ecclesiasticis posse pecunias, quas etiam, Pontifice romano inconsulto, *impertiri teneantur*, atque ut *necessitatis declaratio, regis et successorum suorum conscientiis relinquatur*[6].

[1] *Hist.*, etc., pag. 300 ; *Rain.*, an. 1311, n. 26 et seq. — [2] *Rain.*, an. 1301. n. 31. — [3] *Bernard.*, *Chron. ap. Rain.*, an. 1306, n. 1. — [4] *Hist. du Différ.*, etc., p. 14. — [5] *Ibid.*, p. 15. — [6] *Ibid.*, p. 16 ; *Rain.*, an. 1297. n. 50.

Quid autem necesse erat talia invidiosissimè commoveri, ut deindè regum permitterentur arbitrio? Denique Clemens V id Bonifacii decretum, omniaque ex eo secuta, antiquavit, et haberi voluit pro *infectis*, editâ bullâ, cujus initium est: *Quoniam ex constitutione*[1].

Eodem anno 1296, Philippus vetuit « aurum, argentum, pecuniam, victualia, arma, equos, munimenta, à quocumque, cujuscumque dignitatis ac nationis, à regni limitibus, sine sua speciali licentia deferri[2]; » ut his regnum affluereet, neque *inimici augmentarentur*. At Bonifacius bullam *Ineffabilis*, ad ipsum regem dirigit, qua fatetur interdùm id utile, ne civibus necessaria subtrahantur, eaque ad hostes transeant: « Sed, inquit, sic generalem proferre sententiam, ut tulisti, non solùm reprobatur in subditos, sed etiam in exteros cujuslibet nationis. » Tum addit: « Et si, quod absit, fuerit cudentium intentio, ut ad nos et fratres nostros Ecclesiarum prælatos, ecclesiasticasque personas, et ipsas Ecclesias, et nostra et ipsorum bona, non solùm in regno tuo, sed etiam constitutorum ubilibet extendatur: hoc non solum fuisset improvidum, sed insanum, velle ad illa temerarias manus extendere, in quibus tibi sæcularibusque principibus nulla est attributa potestas. Quin potiùs ex hoc, contra libertatem eamdem temerè veniendo, in excommunicationis sententiam promulgati canonis incidisses. » At non puto quemquam esse pontificiorum dictorum tam protervum defensorem, qui tueri hæc audeat; improvidum, insanum ac anathemate plectendum esse facinus, si princeps prohibeat ne ab ecclesiasticis res tam necessariæ, sine regiâ licentiâ extra regnum transportentur. Qui verò sic defendunt ecclesiasticam libertatem, profectò non defendunt; sed regnis invidiosam ac noxiam reddunt; clericosque, non cives, sed propemodùm hostes, atque omnibus graves invisosque faciunt. Quare Philippus ab edicti sui gravitate et auctoritate non recessit.

Neque commotus est his Bonifacii minis[3]: « Cogita et repensa Romanorum, Angliæ et Hispaniæ regna, quæ undique te circumstant, eorumque potentias ac strenuitatem et multitudinem incolarum; et patenter agnosces, quòd non sit tempus acceptabile, non dies salutis in diebus istis, nos et ipsam Ecclesiam talibus perturbare paucis. Nec revocare debuisses in dubium, quòd nostri et Ecclesiæ adjutorii et favoris sola subtractio, in tantùm te debilitaret, ac tam, quòd, ut cætera tua omittamus incommoda, persecutiones adversas ferre non posses; ac ubi nos et eamdem Ecclesiam tibi adversarios constitueres principales, adeò nostra et ejusdem Ecclesiæ et aliorum prædictorum provocationis tibi sarcina gravior redderetur, quòd ad ejus pondus tui efficerentur humeri impotentes. » Ac

[1] *Preuv. du Différ.*, p. 287.— [2] *Ibid.*, p. 13.— [3] *Ibid.*, p. 17.

postea : « Quid ergo tibi accideret, si, quod absit, Sedem ipsam offenderes graviter, eamque hostium tuorum constitueres adjutricem; quin potiùs contra te faceres principalem? » Judicet lector pontificiumne sit ac paternum, catholico regi regium officium fortiter ac innoxiè exsecuto, neque quidquam contra religionem aut Ecclesiam molienti, hæc intentare, commovere adversùs eum reges, se præbere *adjutorem*, imò *adversarium principalem*.

Neque erat levius, quòd subortis Philippo cum Romanorum atque Angliæ regibus controversiis, Bonifacius sic scriberet [1] : « Numquid super iis dicti reges denegant stare juri? Numquid apostolicæ Sedis, quæ christicolis omnibus præeminet, judicium vel ordinationem recusant? Dumque in eos super iis peccare te assuerunt, de hoc judicium ad eamdem Sedem non est dubium pertinere. »

Ad hæc respondet Philippus oblatum à se esse ut reges starent arbitris; ac postea de controversiis cum rege Anglo *compromisit in summum Pontificem*, sed *tanquam in privatam personam, ac benedictum Cajetanum* [2], quod erat Pontificis nomen proprium ac gentilitium. Hoc enim expressè additum, ne pontificiæ potestatis nomine, hoc ad se judicium necessariò deferendum putaret, quod quidem arbitri officium eâ conditione Pontifex ipse suscepit [3].

Cùm autem anno 1297, Franciæ atque Angliæ regibus * sub excommunicationis pœnâ treugas seu inducias indixisset, legatique eâ de re Bonifacii ad Philippum litteras attulissent; quid ille responderit, et in vulgus spargi jusserit, legati testantur sic [4] : « Cùm dictas litteras præsentaremus dicto regi legendas, idem rex in continenti, antequam litteræ eæ legerentur, nomine suo et se præsente, fecit exprimi et mandavit in nostri præsentiâ protestationes ejusmodi, et alia quæ sequuntur : videlicet, regimen temporalitatis regni sui ad ipsum regem solum, et neminem alium pertinere; seque in eo neminem superiorem recognoscere nec habere; nec se intendere supponere vel subjicere modo quocumque viventi alicui, super rebus pertinentibus ad temporale regimen regni. » Ac postea : « Quatenùs autem ipsius regis tangit animam, et ad spiritualitatem attinet, idem rex prædecessorum suorum sequens vestigia, paratus est monitionibus et præceptis Sedis apostolicæ devotè ac humiliter obedire, in quantum tenetur et debet, et tanquam verus et devotus filius Sedis ipsius, et sanctæ matris Ecclesiæ reverentiam observare. » Sic sua tuebatur, nec Sedi apostolicæ, cujus auctoritate res Ecclesiæ stant maximè, quidquam derogabat.

1 *Preuv. du Différ.*, p. 18.— 2 *Ibid.*, p. 23 et 34. — 3 *Ibid.*, p. 41; *Rain.*, an. 1298, n. 2.
* Atque etiam regi Romanorum. (*Edit. Paris.*)
4 *Hist. du Différ.*, etc., p. 28.

Anno 1301, passim circumferebantur brevissimæ Bonifacii ad Philippum, et Philippi ad Bonifacium litteræ omnibus notæ. Bonifacii epistolæ tale est initium : « Scire te volumus, quòd in spiritualibus et temporalibus nobis subes [1]. » Quæ ne in præjudicium traherentur, « die Dominicâ post octavam Purificationis beatæ Mariæ 1301, rex Franciæ fecit comburere bullam Papæ, in medio omnium nobilium et aliarum personarum, quæ erant eâdem die Parisiis, et cum trompis fecit combustionem hujus bullæ per totam villam Parisiis præconisari : item à die Veneris ante diem Dominicam erant elapsi quindecim dies, quòd idem rex condemnavit filios suos in præsentiâ totius curiæ suæ, et procerum omnium, qui erant præsentes, si advocarent ab aliquo vivente, nisi solummodo à Deo regnum Franciæ [2]. »

Quòd ergo regia potestas, alteri quàm Deo in temporalibus subjici diceretur, id non modò regi, sed etiam universæ genti adeò intolerabile visum, ut nullâ unquam in re fuerit omnium ordinum tanta consensio. Eâ de re consultus Petrus de Bosco regius advocatus, ita respondebat : « Quòd Papa sic scribens et intendens, sit et debeat hæreticus reputari [3]. » Neque tantùm ministri regis hæc Pontificis cogitata adversabantur, sed etiam gravissimi hujus ætatis theologi scriptis editis confutábant; ac ne jam privatos appellemus, Franci principes, duces, comites, barones, nobiles, in iis actis quæ ad cardinalium collegium ediderunt, illud horruerunt, quod exprobrabant à Bonifacio dictum : « Regem in temporalibus subjectum ipsi esse propter regnum Franciæ, cùm reges Francique omnes semper dixerint, omnibusque sit notorium, id regnum in temporalibus soli Deo subdi [4]. »

Huic contestationi eodem anno clerus universus assentitur, datis ad Bonifacium litteris, sub hoc titulo [5] : « Archiepiscopi, episcopi, abbates, priores conventuales, decani, præpositi, capitula, conventus, atque collegia ecclesiarum, cathedralium, collegiatarum, regularium et sæcularium totius regni Franciæ Parisiis congregati, » testanturque ad tuendam regis in temporalibus supremam potestatem « se adfuturos eidem, debitis consiliis atque auxiliis opportunis. »

Quod ipsum postea, anno 1303, luculentiùs declarant. Cùm enim à Bonifacio VIII ad futurum concilium œcumenicum rex et barones appellarent, archiepiscopi, episcopi, et abbates præcipui in appellationem consentiunt, atque hæc insuper addunt [6] : « Nos dicto domino regi, et baronibus, ac sibi assistentibus assistemus, et secundùm Deum pro viribus defendemus, nec nos separabimus ab

[1] *Hist. du Différ.*, etc., p. 44.— [2] *Ibid.*, p. 59.— [3] *Ibid.*, p. 45.— [4] *Ibid.*, p. 60.— [5] *Ibid.*, p. 67. — [6] *Ibid.*, p. 112, 113.

iisdem, nec absolutionibus à juramentis fidelitatis, vel aliis quibuscumque relaxationibus, indultis et indulgendis, impetratis, vel impetrandis, vel ultrò oblatis, vel offerendis, vel concedendis, utemur : imò semper eidem domino regi, baronibus et adhærentibus adhærebimus ;..... jure romanæ Ecclesiæ, nostroque et Ecclesiarum nostrarum in omnibus et per omnia semper salvo. »

Quæ appellationem ad concilium spectant non sunt hujus loci. Hic vidisse sufficiat, consentire omnes regni ordines in eam sententiam, regem in temporalibus soli Deo subesse, atque etiam speciatim prælatos profiteri, nullis se sententiis assensuros quibus à fidelitate regi debitâ absolvantur. Cogitet nunc lector diligens, an hæc majoribus nostris tam gravia visa, indirectæ potestatis distinctiunculâ emolliri posse videantur nostri : certè non voces, sed rem ipsam judicabant intolerabilem.

CAPUT XXIV.

Bullæ *Ausculta fili*, et, *Unam sanctam*, expenduntur.

Non desunt qui dubitent verane an falsa sit parva ea epistola Bonifacii VIII, quam anno 1301 toto regno divulgatam, eodemque tempore confutatam à tot gravibus viris, regiâ quoque auctoritate combustam vidimus. Verùm id nihil nostrâ interest, dummodò apud nos constet, omnibus curæ fuisse, ne apud Francos doceretur regem in spiritualibus ac temporalibus Papæ subesse. Sanè Bonifacium id sibi vindicasse, et historici hujus ævi suprà memorati, et certa monumenta probant[1], imprimis bulla *Ausculta fili*, quam ad Philippum, anno 1301, perlatam esse constat *, et bulla *Unam sanctam*, quas nunc perpendere nos oportet.

Ergo Bonifacius in bullâ, *Ausculta fili*, postquam ex Jeremiæ verbis[2] id sibi tribuit, *constitutum esse se super gentes, et regna*, sic concludit : « Quare nemo tibi suadeat quòd superiorem non habeas, et non subsis summo hierarchæ ecclesiasticæ hierarchiæ. » Id quidem à Philippi mente longè aberat, si de spiritualitate ageretur. Audivimus enim regem pio studio hanc obedientiam professum ; sed Bonifacius aliò spectabat. Accusatâ enim regis administratione perversâ tàm in rebus temporalibus quàm ecclesiasticis, significabat èvocatos esse Romam ad diem certum ** nempè totius regni « archiepiscopos et episcopos, unà cum abbatibus, capitulisque ecclesiarum, et magistris in theologiâ, et jure canonico ; ut, inquit, sublatâ repentinâ exceptione consilii, cum iis, sicut cum personis apud te omni suspicione carentibus, quin potiùs acceptis et gratis,.... trac-

[1] *Hist. du Différ.*, etc., p. 48, 54.
* A Jacobo *de Normandis* archidiacono Narbonensi.
[2] *Jerem.*, I. 10.
** 1 novemb.

tare consultiùs, et ordinare salubriùs valeamus, quæ ad præmissorum emendationem,.... ac bonum et prosperum regimen ipsius regni videbimus expedire[1]. » Invitabat deindè regem ut fidos viros mitteret per quos deliberationi interesset. « Alioquin, inquit, tuam, et ipsorum absentiam divinâ replente præsentiâ, in præmissis et ea contingentibus ac aliis, prout expedire videbitur, procedemus. » Quæ si valuissent, ac de regni regimine romanus Pontifex Romæ, rege, sive absente sive præsente, decerneret, nempè regnaret Pontifex : ipse rex nudum regis nomen obtineret : quæ absurda et nimia, testatur Odoricus Rainaldus[2] erasa et expuncta Clementis V jussu fuisse, neque ex his Bonifacii litteris quidquam integrum remansisse in actis, præter ea quibus regem ad Hierosolymitanam expeditionem adhortatur.

Sed quanquam hæc regi vehementissimè displicebant, non ibi tamen constitit Bonifacius. Anno enim 1302, edidit illam celebrem extravagantem, *Unam sanctam*[3], in quâ duo à nobis diligentissimè ac subtilissimè secerni oportet : primùm, id quod exponit Pontifex : alterum, id quod definit ac decernit : hæc enim non ejusdem virtutis esse et sæpè diximus et omnes confitentur. Expositionis autem hæc summa est : « Unam Ecclesiam esse : unum ejus caput Christum Christique vicarium Petrum ac Petri successorem : duos esse gladios, spiritualem similiter et materialem : hunc etiam Petri esse, dicente Domino : *Converte gladium tuum in vaginam ;* sed regum et militum manu exerendum : tum gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati, cùm *quæ essent, à Deo ordinata esse ;* neque ordinata futura esse, nisi secundùm beatum Dionysium inferior reduceretur per alium in supremâ. » Addit postea : « Veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet et judicare, si bona non fuerit, ut indè verificetur illud Jeremiæ : *Te constitui super gentes et regna :* quare si deviat temporalis potestas, à spirituali judicanda ; si spiritualis, minor à suo superiori ; si spiritualis maxima, Deo solo, testante apostolo : *Spiritualis homo judicat omnia ; ipse autem à nemine judicatur ;* quæ quidem spiritualis potestas maxima Petro est tradita his verbis : *Quodcumque ligaveris. Quicumque* igitur, inquit, huic *potestati* à Deo sic ordinatæ *resistit, Dei ordinationi resistit,* nisi duo, sicut Manichæus, fingat esse principia, quod falsum et hæreticum judicamus ; quia testante Moyse, non in principiis, sed *in principio cœlum Deus creavit et terram.* »

His ergo expositis ; eò viam sibi parasse videbatur, ut romano

[1] *Hist.*, etc., pag. 50, 51. — [2] *Vid. Rain.*, tom. XV. — [3] *Extrav., de Maj. et obed.; Hist.*, etc. p. 61 et seq.

Pontifici omnem potestatem esse subditam, etiam in temporalibus, pro certo fidei dogmate definiret. At profectò non eò usque processit: hoc enim tantùm habet definitio : « Porrò subesse romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, et pronuntiamus omninò esse de necessitate salutis; » quod quidem est verissimum, et apud catholicos certum, si de spirituali potestate intelligatur : animadvertique hìc volumus audentissimum Pontificem, nec id fuisse ausum, ut potestatem temporalem, licèt in expositione sæpè memoratam, uti sibi subditam in temporalibus, in ipsâ definitione ac determinatione diceret. Quippe cùm in citatissimo cursu eò quoque abripiendus esse videretur, ut temporalia invaderet, repressit se statìm, rei novitate ac difficultate deterritus, deflexitque ad ea, quæ spiritualem potestatem certissimè stabilirent.

Dùm hæc agebantur, negabat Pontifex, negabant cardinales à Pontifice dictum unquam, « quòd rex recognoscerèt se tenere regnum suum ab aliquo, aut ab Ecclesiâ, aut ab ipso Pontifice[1], » neque profectò *homagium* postulabat, quæ plana et mera esset insipientia. Sed quid verba proderant, si alioquin Pontifex, regnum, ut apertè præferebat, inconsulto rege, Romæ ordinaturus esset, et si ratione peccati omnia ad se traheret? Ad hæc frequente consistorio minaretur, « se regem Philippum depositurum, ut unum garcionem[2] : » quin etiam in bullâ *Unam sanctam,* apertè scriberet, « quòd spiritualis potestas terrenam potestatem instituere haberet ac judicare; » hoc est, procul dubio, datâ sententiâ deponere, quam à se institui doceat : quâ subjectione nulla erat major, ne quidem in eo quod vocant homagio-ligio ? Quid quòd *gladium materialem in potestate Pontificis* planè esse dicebat, aliâ licèt, *regum* nempè et *militum manu exerendum ?* Quæ si doctrina valeat, ac jus sit Pontificibus in bello ac pace tractandi, non jam hortatione et consilio, sed, uti Bonifacius facere aggressus erat, summâ potestate, ac pro imperio agere; nempè reges nihil aliud quàm Pontificum ministri et executores essent.

Quare etsi Bonifacius non hoc definire, aut pro certo et catholico dogmate asserere videbatur, grave erat Francis regique Philippo, hæc, quibus continetur regiæ potestatis certa pernicies, pontificio nomine quocumque modo doceri; impetraruntque à Clemente V, Extravagantem *Meruit,* cujus hæc verba sunt[3] : « Nos regi et regno (Francorum) per definitionem ac declarationem bonæ memoriæ Bonifacii papæ VIII, prædecessoris nostri, quæ incipit *Unam sanctam,* nullum volumus vel intendimus præjudicium generari; nec quòd per illam rex, regnum, et regnicolæ prælibati, ampliùs Ecclesiæ sint

[1] *Hist.,* etc., p. 63, 74, 75.—[2] *Ibid.,* p. 79.—[3] *Extrav.* comm. *de Privileg., Hist.,* etc., p. 288.

subjecti romanæ, quàm anteà existebant; sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam, tàm quantùm ad Ecclesiam, quàm etiam ad regem, regnum, et regnicolas superiùs nominatos. »

Sic decretalis *Unam sanctam*, tanto apparatu prolata, perindè habita est à romanis etiam Pontificibus, ac si nunquam fuisset edita. Clemens enim V id sanxit; atque à Leone X quidem innovata [1], sed sine præjudicio declarationis Clementis V quæ incipit, *Meruit;* remque omnem ad traditionem antiquam ac majorum placita reduci placuit. Neque nostri refugiebant, satis sibi conscii, quàm procul ab antiquâ patrum traditione, atque ab Ecclesiæ gallicanæ sensu nova hæc abfuissent; seque omni ex parte tutos arbitrabantur, dummodò Bonifacii VIII constitutio nocere non posset. Et certè fateamur est necesse, nec stare potuisse, quæ solis allegoriis atque accommodatitiis, non litteralibus genuinisque Scripturæ interpretationibus niterentur. Quale enim illud est, de romani Pontificis supremo judicio : *Spiritualis homo à nemine judicatur* [2]; tanquam hic *spiritualis homo,* apud apostolum fuerit romanus Pontifex, non autem quivis christianus, qui Deo per Christum in spiritu serviat; aut illud, ad duo principia refellenda magis sit appositum, *non in principiis, sed in principio fecit Deus cœlum et terram* [3] : aut quorsùm pertinebat huc duo Manichæi adversa principia allegare? quasi duæ potestates, ecclesiastica ac civilis, adversæ essent, non sociæ; aut ita supremæ in suo ordine, ut nec in Dei potestate essent, neque ejus providentiâ regerentur. Quæ si quis ad litteram tueri voluerit, næ ille se omnibus deridendum, non jam confutandum præbeat.

Cæterùm quod decretalis *Meruit*, soli Francorum regno consulit, causa esse potuit, quòd bulla *Unam sanctam*, occasione Francici exorta dissidii, Francorum regnum maximè petere videbatur. Huc accedit quod cùm Germani, Angli, aliique in temporalibus colla subdidissent, Franci existimabant super alia regna, hujusce regni dignitatem ac libertatem à regibus ac majoribus suis fuisse defensam : quippe qui christianissimi, pariterque fortissimi, in spiritualibus quidem romano Pontifici maximè omnium paruerant, in temporalibus verò minimè omnium huic potestati se obnoxios fecerant.

CAPUT XXV.

Reliqua Bonifaciani dissidii acta : gallicana intacta : Bonifaciana à successoribus antiquata.

Quæ supersunt in Bonifacianâ contentione leviter transilimus. Anno 1303, prodiere in Philippum duæ bullæ, quarum initium est :

[1] *Leo. X, Bull.* Pastor æter., t. XIV. *Conc.*, col. 313.— [2] 1 *Cor.*, II. 15.— [3] *Gen.*, I. 1.

Per processus nostros, et *Nuper ad audientiam*, quibus declarabatur Philippus *multiplici excommunicatione constrictus*; sed eæ, teste Rainaldo, jussu Clementis V erasæ expunctæque sunt[1].

Conscripta quoque fuerat depositionis sententia, adeòque horum omnium deleri memoriam, ac levissima etiam vestigia placuit; ut hæc sententia, eodem teste Rainaldo[2], *erasa et expuncta sit*, quamvis *pronuntiata* non esset. Sanè Bonifacius, antequàm eam sententiam promulgaret, Albertum imperatorem sæpè à se rejectum, omni studio atque industriâ constabiliverat in eo idoneum suæ sententiæ executorem, regnique Francici invasorem nactum se esse arbitratus. Quo fretus præsidio, cùm extrema omnia moliretur, captus ipse Anagniæ per proditionem civium, Columnarumque et aliorum, ac Guillelmi præsertim Nogareti infandum scelus, paulò post obiit. Irâne ac furore percitus, ut memorant, an mœrore oppressus, an aliâ causâ, nihil ad nostram quæstionem? Quàm autem omnia impotenter et intemperanter egerit adversùs Philippum, vel id abundè testatur, quòd ejus successores ea statim pro irritis habuere; ac Benedictus XI, qui ei proximè successit, Philippo *nec petenti*, excommunicationem relaxavit, absolvit etiam episcopos, barones, et alios eâdem causâ excommunicatos à Bonifacio; privilegia regum christianissimorum ab eodem suspensa restituit; denique sponte rescidit quidquid Bonifacius in regni regisque dignitatem fecerat[3]. Clemens verò V omnia ejus gesta hujus occasione dissidii erasit, expunxit, antiquavit, resque eo loco esse declàravit, quo fuerant ante ea gesta decretaque.

Legimus in regestis regiis ad Benedictum XI, Bonifacii successorem, multas expostulationes editas per fratrem Petrum de Peredo, religiosissimum virum, Romam à Philippo missum. Is ergo conqueritur multa à Bonifacio gesta, quæ à sanctorum Patrum moribus abhorrerent. In his ergo hæc habentur : « Temporibus Patrum non fieri solere jura ad nutum oculi, ut diceretur statim : « Absolvimus omnes in talibus provinciis constitutos, ut nonobstante sacramento et juramento fidelitatis quocumque adstricti sunt, obediant tali principi amico nostro. » Addebat, neque illud dici solitum[4] : « Quòd Papa est dominus spiritualitatis et temporalitatis, et quòd graviter peccat, qui hoc non credit; et quòd à temporalibus regum appelletur ad dominum Papam : » et quanquam romani curiales non hæc disertè asserebant, nostris tamen, summæ rei intentis, non ad alium pertinere scopum Bonifaciana decreta videbantur. Hæc ergo conqueritur legatus regius, subditque : « Dicitur in Franciâ, quòd non restat, nisi quòd fiat una constitutio, quæ æquipolleret omnibus, quòd

[1] *Hist. du Dif.*, p. 98. 166; *Rain.*, an. 1311, n. 39, 40.— [2] *Rain.*, *ib.*, n. 44, 49.— [3] *Hist.*, etc., p. 207, 208.— [4] *Ibid.*, p. 212, 213.

omnes clerici et laici essent ministri duntaxat ad nutum summi Pontificis, eorumque qui præsident. » Quem locum sic concludit : « Hæc autem consimilia non fiebant temporibus sanctorum Patrum ; sed de vitâ et honestate clericorum, et defensione libertatis ecclesiasticæ et jurium fiebant constitutiones, cum pœnis excommunicationis et interdicti ; » ut profectò doceret quæ res, ecclesiasticæ scilicet, quibusve pœnis, nempe ecclesiasticis, excommunicatione et interdicto sancirentur. Hæc nomine regis significata Pontifici, neque improbata sunt : adeo irreprehensibilia videbantur.

Cætera quæ in hoc negotio gesta sunt ad alium pertinent locum [1]. Quòd autem ad hanc quæstionem spectat, hæc summa est : quidquid Bonifacius VIII edidit, ut regiam potestatem, quoad temporalia, sibi obnoxiam faceret, non modò à rege regnoque Francorum, totâque Ecclesiâ gallicanâ rejectum ; sed etiam à summis Pontificibus antiquatum fuisse : quod autem rex regnumque, et gallicana Ecclesia eâ de re professa est, et à summis Pontificibus illæsum permanere, et sempiternæ hominum memoriæ consecratum ; datumque est omninò sæculis secuturis exemplum illustre, doctrinam Scripturâ, antiquitate, traditione nixam, quocumque nomine, quâcumque auctoritate oppugnatam, æterno atque invicto robore in Ecclesiâ catholicâ manere constitutam.

Hæc ex publicis gestis hausimus. Jam si excutimus quæ privati doctores scripserint, inveniemus id Ægidii romani aliorumque theologorum summâ consensione defensum [2] : « Clavium potestati nullam temporalium potestatem à Domino fuisse adjunctam : nunquam inveniri sedisse apostolos, ut de temporalibus judicarent, nec petiisse ut reges et principes eis in temporalibus subjacerent, aut de ejusmodi respondere deberent : falsum esse et invalidum, neque Francis ferendum, quod de Childerico per romanos Pontifices deposito, et Pepino per eosdem substituto jactaretur : falsum item quod de translato à Græcis ad Francos imperio ; neque à Papâ esse translatum imperii veritatem, sed nomen ; cùm Carolus Magnus jam rerum potiretur ; quodque hic factum est, qualecumque fuit, non fuisse factum per solum Papam, sed populo acclamante et favente, cujus est se subjicere cui vult, sine alterius præjudicio, et ex causâ necessariâ pro suî defensione ; neque trahenda in exemplum, quæ postea in deponendis imperatoribus facta sunt, postquam illi Papæ ut domino paruerunt : tum verò hæc omnia nihil esse, quod sunt argumenta de facto, et dicunt quod factum sit, non quod fieri debeat ; » aliaque ejusmodi quæ mirum est ad ea sæcula permanare

[1] *Inf.*, l. x. c. xxv. — [2] *Ægid. Rom., quæst. disq.* art. III ; *Vind. Maj.*, l. II. c. 31 ; *Joan., de Par., de pot. Reg. et Pap.*, c. 15 ; *ibid.*, p. 107, et alii pass.

potuisse, cùm tot depositionum exemplis, tot falsis donationibus Constantini, Ludovici Pii, aliisque tot falsis historiis, tot novis per tolerantiam aut consuetudinem inductis, seu veris, seu prætentis, coloratisque juribus undique premerentur; ad hæc in summâ juris publici ignoratione versarentur : ut profectò hæc integra et sana, non nisi ex antiquæ traditionis robore et cursu, oppositas moles evicerint, et ad eos usque perruperint.

CAPUT XXVI.

Joannis XXII successorumque acta adversùs Ludovicum Bavarum imperatorem summatim referuntur, nec ad nostram quæstionem pertinere ostenduntur.

Quæ in Ludovici Bavari imperatoris electi depositione gesta sunt, ad nostram quæstionem vix pertinent; cùm iis facta sint juribus, quæ ad imperium romano-germanicum speciatim spectent : rerum tamen summam perstringemus, ne quis suspicetur latere nonnihil, quod causæ nostræ officiat.

Anno 1314*, Henricus Luxemburgicus imperator obiit. Clemens V, decreto edito, cujus est initium : « Nos ad quos romani vacantis imperii regimen pertinere dignoscitur, » Robertum Siciliæ regem, quoad electus imperator à Sede apostolicâ fuerit approbatus, vicarium imperii ad Sedis apostolicæ beneplacitum constituit, sed in Italiâ tantùm, quòd Germania hæc jura non agnosceret[1]. Nec ita multò post obiit Clemens. Sed vacante Sede, Ludovicus Bavarus et Fridericus Austriacus discordibus electorum principum suffragiis, reges Romanorum electi sunt.

Prolata à Rainaldo[2] acta testantur, dictam communi septem electorum consilio electioni diem**, adfuisse omnes Francofurtum, in loco consueto, præter Henricum Coloniensem archiepiscopum et Rudolphum comitem palatinum : prorogatum horum gratiâ electionis diem : citatosque illos, ut ad eum convenirent, defuisse : Ludovicum Bavarum quinque reliquorum concordibus suffragiis fuisse electum.

Satis constat Fridericum extra Francofurtum à Coloniensi et Palatino fuisse electum. Sed ii obtendebant è quinque electoribus, qui Ludovico suffragati essent, tres fuisse, de quorum jure esset controversia[3]; ac parem utriusque electi conditionem fuisse : quo Rainaldus contendit litem à Papâ fuisse dirimendam. Vacabat interim apostolica Sedes. Anno 1316, Joannes XXII electus est[4]. Is Ludovi-

* Sive potiùs an. 1313, mense Augusto.
[1] *Rain.*, an. 1314, n. 2.—[2] *Ibid.*, n. 18.
** 19 Octob.
[3] *Rain.*, an. 1314, n. 25.— [4] *Ibid.*, an. 1316, n. 10.

cum Bavarum electum ad pacem cum Friderico electo adhortatur : neutrum confirmat. Anno 1317, vacantis imperii regimen ad romanum Pontificem esse devolutum pronuntiat, « cui in personâ Petri terreni simul et cœlestis imperii jura Deus ipse commisit [1] : » quo jure vicarium designat vacantis imperii, sed in Italiâ tantùm ; cùm tamen Petri jura, si seriò allegentur, ad totum christianum orbem protendi constet.

Interea Ludovicus et Fridericus de imperio in Germaniâ ferro decernebant. Anno 1322, Fridericus magno prælio victus captusque est ; Ludovicum Joannes ad clementiam adhortatur, suamque operam ad pacem conciliandam offert [2].

Victor Ludovicus, anno 1323, pergit ad Italiam, tueturque eos qui Pontifici displicebant ; imprimis vice-comites * Mediolanensis ducatûs invasores, ab eo excommunicatos. Quo loco hæc habet Rainaldus : « Inde lis in Ludovicum Bavarum, ac legibus in eum agi cœptum est. Præcipua accusationis capita hæc erant : Ludovicum discordibus electum suffragiis, antequam ea controversia dirimeretur à Sede apostolicâ, imperii administrationem corripuisse ; alterum, quod maximè Pontificis animum asperaverat, Galeatii, quem hostem et hæresi contaminatum pronuntiarat Sedes apostolica : tum perduellium Ferrariensium patrocinium suscepisse [3]. » Itaque his de causis auctoritate apostolicâ Ludovicus ab imperii administratione est prohibitus, quoad ejus electionem Sedes apostolica approbasset.

Ex iis profectò constat hanc controversiam non ad regum causam generatim, sed ad imperii romano-germanici singularem ac proprium statum pertinere.

Eodem pertinent ea, quæ sunt ineundæ pacis causâ, à Ludovico Bavaro ultro oblata Benedicto XII, Joannis successori, de limitandâ in Italiâ et Romæ auctoritate imperatoriâ, et ut idem Ludovicus, si pactis non staret, excommunicationi, interdicto ac privationi subesset [4] : quæ quidem vel ad imperium romano-germanicum, vel ad Ludovici personam propriè et singulatim spectant.

Interim Ludovicus sæpè et publicè, actis editis, est contestatus ea jura, quæ sibi Joannes XXII in imperium vindicaret, à se et imperio non agnosci, imò improbari ; extatque solemnis electorum principum nomine ad Benedictum XII, anno 1338, edita declaratio [5], quâ adversùs Joannis XXII decreta contestantur, « quòd vacante romano

[1] *Rain.*, an. 1317, n. 27.— [2] *Ibid.*, an. 1322, n. 29.

* Erant gibellinorum duces factionis, adversùs quam guelphæ pro Pontifice stabant. Cur autem hæ factiones, quæ Italiam in duas partes diutissimè distraxerunt, guelpha et gibellina vocatæ fuerint, non traditur, quanquàm quidam historici multa de earum origine, conjecturâ ducti magis quàm scientiâ, narraverint. (*Edit. Paris.*)

[3] *Rain.*, an. 1323, n. 30 et seq.— [4] *Ibid.*, an. 1336, n. 18.— [5] *Gold. Const. imp.*, tom. I.

imperio, is qui eligitur concorditer, vel à majore parte tantùm electorum, pro rege Romanorum ab omnibus est habendus, et quòd nec nominatione, approbatione, confirmatione, consensu, vel auctoritate Sedis apostolicæ, super administratione bonorum et jurium imperii indiget, sive titulo regio assumendo; quodque jura et bona imperii administrare poterit de jure et consuetudine, nullâ Sedis apostolicæ super hoc licentiâ habitâ, vel obtentâ. » Hæc igitur omnia ostendisse contenti, eo quo sunt loco, intacta relinquimus.

Quòd autem Ludovicus Bavarus Joannem XXII hæresis accusatum deposuerit, fœdum antipapam substituerit, Franciscanos adversùs Pontificem juverit; hæc, à tanto principe exasperato licèt facta, lugemus.

CAPUT XXVII.

De Navarræ regno Hispanis tradito : item de Joannâ Albretanâ, hæresis crimine, sub privationis pœna Romam à Pio IV evocatâ, quod Galli improbarint ac prohibuerint.

Quod à Julio II, in deponendo Joanne Albretano Navarræ rege, factum esse dicitur, id et Hispani variè referunt, et nullum hujus rei diploma proferunt; et qualecumque est, sive sub brevis bullæve, aut sententiæ formâ; Joannes Mariana, hispanus Historicus celeberrimus, subreptitium et nullum fuisse significat; totamque rem, verane an falsa sit, Odoricus Rainaldus sub dubio relinquit, apud quem etiam videre est Marianæ aliorumque historicorum locos[1]. Henricus verò Spondanus ex temporum notis diploma falsi convincit[2]. Quòd autem à Julio II, anno 1512, 12 kal. Aug. in Lateranensi concilio de Ludovici XII sociis, quorum numero Navarricus erat, decretum est editum, ut excommunicarentur, et omni dignitate privarentur, nisi ab eâ societate discederent, Spondanus idem docet*, primùm haud æquo jure fuisse editum; tum verò Hispanis, ad Navarram occupandam nihil prodesse potuisse, multis quidem de causis, eâque imprimis, quòd, nondum elapso tempore ad resipiscendum dato, Navarricum regnum à Joanne innocuo et repentè oppresso desertum, Hispani invaserint.

Addit Caroli Augusti ** et Philippi II notissimas gravesque de hujus regni possessione legitimâ fluctuationes; adeòque abfuisse romanos Pontifices ab eo, ut regnum Navarræ jure ad Hispanos transla-

1 *Rain.*, an. 1512, n. 60 et seq.— 2 *Spond.*, eod. an. tom. II. p. 296 et seq.

* Spondanus docet Hispanos historicos dicere alium aliud. Et quidem hic narrat illas *pontificias bullas datas* fuisse 18 februarii, ille 1 *Martii*, alter *mense Julio*, *allatas autem Româ duntaxat mense Augusto*, aut retentas Romæ, aut à *Ferdinando occultas*, qui eas non ostendit, nisi *postquam regnum occupatum fuit*. Cæterùm nullus historicus dicit se vidisse bullam hanc integram, aut saltem illius aliquam partem : hoc tantùm omnes referunt, quod famâ et auditione acceperant. (*Edit. Paris.*)

** Aiunt Carolum V, morti proximum, Philippo II in mandatis dedisse, ut Navarræ regnum restitueret, et Philippum II morientem eadem jussa dedisse Philippo III. (*Edit. Paris.*)

tam falsè crederent, ut Pius IV, Antonium Borbonium Navarræ regem, anno 1561, ad obedientiam pro regno Navarræ admiserit : quod contrium historiarum monumentis constat.

Quare ea depositio atque translatio, quæ sola memoratur ad effectum usque perducta, ab ipsis Hispanis iniqua, ab aliis dubia, ab aliis atque etiam à Romanis Pontificibus nulla esse judicatur.

Quò factum est ut idem Pius IV, anno 1563, Joannam Albretanam Antonii viduam, ut reginam Navarræ, hæresis causâ Romam citaret, sub pœnâ privationis regni, nisi se judicio sisteret; quod quidem Carolus IX prohibuit, ac fœderatæ cognatæque, injuriâ communi etiam regiæ majestatis permotus, tutelam suscepit : cujus etiam jussu, « cùm Henricus Clutinius Oisellus, tunc Romæ orator regius, graviter eâ de re apud Pontificem expostulasset, et regem injuriam talem, qualem majores sui nunquàm inultam reliquissent, minimè laturum ostendisset, tandem obtinuit, ut diploma jam in Urbe solenni more publicatum revocaretur, et omninò induceretur, ita ut inter Pii IV constitutiones hodiè minimè reperiatur. » Hæc Thuanus refert[1]; quæ adeò certa sunt, omnibusque historiis comprobata, ut de iis ampliùs laborare sit supervacaneum, liquidumque omninò sit Francos ab eo abhorruisse, ut quidquam ad reges deponendos pontificio nomine moveretur.

CAPUT XXVIII.

Sixti V et Gregorii XIV decreta in Henricum IV, Navarræ, ac postea Francorum et Navarræ regem, quoad temporalia nullo loco habita : à Clemente VIII absolutio eidem Henrico IV nullâ rehabilitationis mentione, ut regi impertitur : obiter notatur, qui adversùs Declarationem gallicanam de *Libertatibus gallicanis* scripsit anonymus.

Anno 1585, Henrico III rege, Sixtus V, edito diplomate, Henricum Borbonium, Navarræ regem, Antonii et Joannæ filium, ejusque agnatum Henricum Borbonium Condæum, tanquam hæreticos et in errorem relapsos, ad hæc hereticorum fautores ac defensores publicos, ac fidei catholicæ hostes proscripsit[2] : Navarrum eo regno, ac Benearnensi principatu excidisse : utrosque ad ullum principatum, ac maximè regnum Franciæ jure hæreditario capessendum inhabiles declaravit : quod decretum rex, Francique omnes molestè tulerunt. Quòd autem, tunc temporis conjurati, seu *Ligæ*, ut vocant, addicti, catholicæ religionis obtento studio, multa in regem moverent, eamque ut suspectum hæreticæ pravitatis apud vulgus traducerent, Navarrusque et Condæus Calvinianæ factionis duces bellum regi inferrent; « ideò, ut ait Thuanus[3], qui circa regem erant, satis

[1] *Thuan.*, lib. LXXXII. tom. IX. pag. 276; *Vid.* lib. XXXV. tom. IV. p. 581, edit. Gall., 1734. — [2] Thuan., lib. LXXXII, pag. 359 et seq. — [3] *Ibid.*, p. 376.

pro tempore habuerunt, cavere ne decretum uspiam in regno promulgaretur, aut ejus ratio publicè haberetur; » quod infirmum quidem, et priscæ circa eas res Francici regni fortitudini haud satis congruum, satis tamen demonstrabat quàm hæc nulla putarentur.

At Navarrus programmate in ipsâ Urbe ac celebrioribus ejus locis affixo, multa egit in Pontificem, ac publicè declaravit, appellare se ab hoc decreto, quantùm ad regni jura attinet, ad curiam Parium Franciæ, quorum ipse princeps esset, primus scilicet regii sanguinis princeps, quantùm autem ad hæresim sibi objectam, ad universale concilium [1] : quibus id perfecit, ut ipse Pontifex talia intrepidè ausum ac gnaviter exsecutum, magnanimitatis nomine collaudaret.

Cæterùm nihil ad nostram quæstionem, si quid suæ contestationi, hujus quo adhuc tenebatur, erroris asperserit. Certum illud cordatioribus Francis probatum, quòd Pontificem de jure regnandi decernentem non tulerit : adeòque hæc decreta pro irritis ac nullis apud nos habebantur, ut Henricus III, cum Henrico Navarro pace compositâ, eum haud minùs pro primo regii sanguinis principe agnosceret, et socium adversùs conjuratos regiæ familiæ hostes adhiberet, et moriens successorem lege Salicâ renuntiaret; cui sententiæ flos nobilitatis etiam catholicæ, multique etiam sacrorum antistites adhærebant, Henricumque IV regem agnoscebant [2]. Neque Gregorii XIV decreto, 1 Martii 1591 dato, à regis obsequio deterreri se passi sunt, imo diploma illud, quod de temporalibus factum, pro apostolico et ecclesiastico non habebant parlamenta, quæ ut religioni, ita regi regnoque fida, regiâ auctoritate Cæsaroduni Turonum, Catalauni, et Cadomi residebant, vehementissimis sententiis proscripserunt [3] : temperatiùs præsules conventûs Autrici Carnutum habiti decreverunt; « et tamen ex auctoritate Scripturæ sacræ sanctorumque decretorum conciliorum generalium, canonicarum constitutionum, perpensis sanctissimorum Patrum exemplis, juribus, et libertatibus Ecclesiæ gallicanæ, quarum præscriptione decessores sui episcopi se, adversùs ejusmodi conatus semper tutati sunt; eapropter interdictiones, tàm in formâ quàm in materiâ, nullas et injustas, et suggestione hostium Franciæ factas declararunt, salvo cultu et honore qui romano Pontifici deberetur. » Decreto dato duo cardinales, Carolus Borbonius * et Philippus Lenoncurius, qui sacro conventui præerant, subscripsere : acta hæc sunt anno 1591, ab iis præsulibus, qui regi regiæque familiæ adhærebant.

Quo ex loco, ut id obiter memoremus, ille confutatur qui adver-

[1] *Thuan.*, l. LXXXII. p. 377. — [2] *Ibid.*, XCVI. t. X. p. 673; *Vid.* t. XI. l. XCVII. p. 1 et seq. et l. CI. p. 343. — [3] *Decret. Boch.*, l. II. tit. XVI. c. 3 et seq.; *Thuan.*, l. CI. p. 367, 370, 374.

* Fratris filius alterius cardinalis Borbonii, *qui Ligæ* rex fuerat.

sùs gallicanam Declarationem de *Libertatibus gallicanis tractatum* edidit auctor anonymus. Is enim primum caput gallicanæ Declarationis oppugnandum aggressus sic incipit [1] : « Difficile intellectu est, quâ ratione illustrissimi antistites gallicani, libertates Ecclesiæ illius regni defendendas suscipientes, à propositione auspicati sint, quæ juri Ecclesiæ potiùs adversatur. » Nempè id inter Ecclesiæ jura revocat, ut potestate clavium reges deponi possint : quæ jura gallicani præsules ignorabant, partemque libertatis Ecclesiæ gallicanæ in his prohibendis juribus reponebant ; quippe qui intelligerent libertatem gallicanam priscis juribus contineri ; quæ his essent superaddita, ea ad turbandam gravandamque Ecclesiam pertinere. Sed nos eum virum, qui de libertatibus gallicanis ludat potiùs quàm disserat, omittamus. Nobis sufficiat quòd gallicani præsules in hâc novissimâ Declaratione majores suos secuti sunt ; eosque præsules regi regnoque fidos cæteri deindè complexi sunt omnes. Neque enim attendi debet quid pars adversa senserit ; quippe quæ jam indè ab Henrici III temporibus, religionem fœdæ rebellioni obtendebat : non, inquam, attendi debet, quid illi senserint vel fecerint, qui Guisianos, si Deo placet, Capetis regibus, sanctique Ludovici posteris anteferrent, Hispanicisque artibus, imò Hispanico auro corrupti, ad hæc *Ligæ* furoribus dementati, Hispanos Lotharenosque se esse, quàm Francos malebant. Hæc ergo febricitantium deliria contemnamus, quid sana et pacata Francia fecerit ac senserit, attendamus.

Conversus ad catholicam fidem rex, omnium clementissimus atque fortissimus, à Reginaldo Belnensi, archiepiscopo Bituricensi, in Sancti Dionysii celeberrimâ toto orbe terrarum ecclesiâ, ad Ecclesiæ catholicæ gremium admissus est [2]. Quæ cùm à Sede apostolicâ comprobari è re esset, Henricus se quidem ejus Sedis auctoritate ab hæresi absolvi supplicavit, missis ad Clementem VIII procuratoribus ; sed de *rehabilitatione*, quam vocant, agi vetuit, indignum id gallicâ majestate ratus : neque Franci, etiam conjurati, aliter sentiebant ; quippe qui, rege converso, in obsequium certatìm ruerent, nullâ Sixtiani et Gregoriani decreti ratione habitâ. Tentati procuratores, Jacobus Perronius, Ebroicarum episcopus designatus, et Arnaldus Ossatus, postea cardinales [3], « an coronam ad pedes Pontificis vellent deponere, ac per illud signum quasi regnum Franciæ in ejus manus consignare, quòd ille se pro rege gerens, quamvis à sanctâ Sede jure successionis privatus, contra divina jura et humana occupasset ; quam coronam post illam summissionem in capite procuratorum mox reponeret. Verùm illi ab eâ conditione se valde alienos

[1] *Tract. de libert.*, etc., lib. IV. cap. I. n. I. pag. 155.—[2] *Thuan.*, lib. CVII. tom. XII. pag. 32 et seq.—[3] *Ibid.*, lib. CXIII. p. 473.

estenderunt, cùm dicerent : Reges Franciæ, quantùm ad jurisdictionem spectat, nullum agnoscere superiorem ; neque verò pati posse Francos, ut reges ipsorum ulli se tanquam superiori summittant, ac præsertim nobilitatem : ac longè decipi eos, et in rerum nostrarum cogitatione toto cœlo errare, qui aliter credant : nam solos id eos sibi persuadere, qui de regni usurpatione cogitant. »

Cùm autem « Pontifex absolutionem ab episcopis gallicanis concessam, tanquam nullam et irritam revocare decrevisset, procuratores assentiri noluerunt : cùmque animo pertenderet Pontifex, et frustrà absolutionem suam peti aut dari diceret, si prior valida maneret, non approbatâ à procuratoribus revocatione : conventum ut statim in decreto pontificio ea clausula adjiceretur, quâ Pontifex cuncta religionis acta, quæ in personâ regis secuta, et quæ per ipsum facta erant, vi absolutionis in Franciâ concessæ probaret et confirmaret, perindè atque si jam tunc à Pontifice rex absolutus esset. Quâ in re cautè à procuratoribus servatum fuit, ut tantùm ad religionis acta confirmatio porrigeretur [1]. » Adeo quidquam quocumque prætextu, circa temporalia attentari refugiebant.

Omni ergo temporalium ac rehabilitationis omissâ mentione, impositæ volenti regi conditiones, quæ regiæ majestati convenirent [*]; revocatæ Sixti V et Gregorii XIV censuræ, quod nostri de excommunicatione intelligebant; permissum aliis ut de solutâ quoque depositione interpretarentur, nullâ licèt ejus factâ mentione, ne quid novæ rei, vel eo prætextu, inquieti homines conarentur. Cæterùm à Clemente nihil aliud factum est, quàm id quod unum rex postulaverat : « nempè ut Henricum regem à vinculo excommunicationis, quâ, ex causâ hæresis erat ligatus, absolveret [2]. » Res autem ita gestæ sunt, ut nemini catholico, aut etiam ecclesiastico fraudi esset quòd regem necdùm catholicum, votis potiùs quàm armis ad veram religionem vocavissent, atque interim coluissent, ut qui optimo jure ex Salicâ lege regnaret; fuitque rex summa postea apud omnes catholicos principes Sedemque apostolicam auctoritate et gratiâ. Ex Thuano hæc referimus eo libentiùs, quòd ille nihil aliud quàm acta publica, certaque hujus rei, apud nos celebris, monumenta retulit. Quæ si cui rerum nostrarum nimis imperito suspecta sint, apud cardinalem Perronium omnia inveniet suo ordine recensita [3]. Ipsa etiam bulla Clementis VIII abundè testatur Henrico IV Magno absolutionem ab hæresi, ut regi ab omnibus ipsoque Pontifice agnito,

[1] *Thuan.*, lib. CVII. tom. XII. p. 475, 476.

[*] Perronium et Ossatum procuratores regios accusat MEZERAY, parum verisimiliter, quasi sivissent absolutionem in Franciâ datam, ut nullam et irritam revocari, quos quidem ipse Thuanus hâc culpâ liberat, ut mox vidimus. (*Edit. Paris.*)

[2] *Thuan.*, l. CVII. t. XII. p. 478. — [3] *Œuv. div. de Du Perr.*, p. 754 et seq.; p. 858 et seq.

nihil autem aliud fuisse impertitum. Jam quantùm ea valeant, ad asserendam Ecclesiæ gallicanæ, ac Francici regni de supremâ in temporalibus solique Deo obnoxiâ potestate sententiam; quàmque ex his liquidò constet, nunquàm ab eâ destituros, qui verè sint Francici nominis ac generis, omnes per se vident.

LIBER QUARTUS,

QUO A GREGORII VII TEMPORIBUS RES IN CONCILIIS ŒCUMENICIS GESTÆ REFERUNTUR: AD CAPUT PRIMUM GALLICANÆ DECLARATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Canon XXVII concilii Lateranensis III, sub Alexandro III, quo pœnæ temporales adversùs hæreticos decernuntur: ibi distinctio notabilis, eorum quæ Ecclesia per se, et eorum quæ gerat principum adjuta constitutionibus: hinc lux huic et aliis ejusdem generis secutis canonibus: his decretis principum consensus intervenire solitus: hinc quoque certa illis auctoritas.

Postquam exposuimus, quæ propriè à romanis Pontificibus circa temporalem potestatem ordinandam deponendamque; nunc quæ eidem de re in conciliis œcumenicis gesta sint, explicemus.

Primus autem occurrit Lateranensis concilii III, sub Alexandro III, anno 1179, caput XXVII; *de Hæreticis* [1]. Quo capite affirmant doceri et exerceri indirectam potestatem, dùm auctoritate concilii adversùs Albigenses hæreticos, eorumque stirpem Brabantianos et alios, incendiis, cædibus, populationibus omnia devastantes, fidelitatis et obsequii juramento sancitum obsequium relaxatur, et subditi seu vassalli à dominorum potestate absolvuntur.

Miror, qui ista objiciunt, non saltem advertisse quo fonte profluant. Sane initium hujus capitis, ex sancti Leonis epistolâ XCIII excerptum, sic habet [2]: « Sicut ait beatus Leo, licèt ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta judicio, cruentas non efficiat ultiones; catholicorum tamen principum constitutionibus adjuvatur, ut sæpè quærant homines salutare remedium, dùm corporale super se metuunt evenire supplicium. » Sic Patres Lateranenses subtiliter discernunt id quod pertinet ad *sacerdotale* judicium, ab iis in quibus Ecclesia *ad corporale supplicium catholicorum principum constitutionibus adjuvatur*.

His positis, jam utrumque remedium à sacro concilio adversùs hæreticos adhibetur; nam et illi et illorum fautores anathemate puniuntur, societate fidelium, sacris oblationibus, christianâ sepulturâ privantur, quibus continetur sacerdotale judicium. Tùm spiri-

[1] *Tom.* X. *Conc.*, col. 1522, 1523.—[2] *Leon.*, ep. XV. al. XCIII.

tualibus expeditis, expediuntur etiam *corporalia supplicia*, quibus Ecclesia *principum constitutionibus adjuvatur*; ex quo fonte hæc profecta sunt : « Relaxatos autem se noverint à debito fidelitatis et homini et totius obsequii, donec in tantâ iniquitate permanserint, quicumque illis aliquo pacto tenentur annexi : ipsis autem cunctisque fidelibus, in remissionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus se viriliter opponant, et contra eos armis populum christianum tueantur, confiscenturque eorum bona, et liberum sit principibus, hujusmodi homines subjicere servituti. » Quòd ergo hæretici suorum *hominio* ac fidelitate priventur; quòd in servitutem redigantur; quòd armis oppugnentur; quòd eorum bona confiscentur; ea sunt quæ Ecclesia, non *sacerdotali judicio*, sed *principum constitutionibus adjuta decernit*. Quare locus ille omninò nos juvat, cùm ex eo videamus temporalia supplicia, quæ hìc *corporalia*, spiritualibus scilicet opposita, nominantur, ab ecclesiastico ordine, non nisi consensione principum attrectari.

Quòd autem bellum in hæreticos omnia populantes injungunt *in remissionem peccatorum*; atque id bellum suscipientibus, *biennium de pœnitentiâ injunctâ relaxant*, ecclesiasticæ est potestatis : neque hoc decreto sibi tribuunt armorum inferendorum potestatem; sed iis præcipiunt, qui hanc potestatem habeant, ut si modò Ecclesiæ indulgentiâ uti velint, eam potestatem ad hæreticorum furores comprimendos adhibeant.

Ut autem concilii Patres hominia, servitutes, confiscationes sibi potiùs, quàm amorum potestatem vindicent, ratio non sinit. Quare est necesse id stare quod diximus, ut hæc omnia eorum numero censeantur, quæ principum consensione præstet Ecclesia.

Hæc semel explicata, sub tanto Pontifice Alexandro III, atque ab œcumenicâ synodo tam nobili Lateranensi III, procul dubio omnibus ejusdem generis decretis lucem præferunt, ac debent subintelligi, etiam ubi expressa non sunt.

Huc accedit quòd conciliis generalibus aderant principes per legatos, ac decreta in sacro conventu promulgata recipiebant : sicut de hoc concilio Lateranensi III legimus apud Rogerum Hovedenum *, hujus ævi scriptorem, qui sacri concilii *canonibus recensitis*, hæc addit : *His decretis promulgatis, et ab universo clero ac populo circumstante receptis, etc.* Populi autem nomine, ecclesiastico more styloque, laici omnes intelligebantur, ipsique adeò principes et eorum legati [1]. Quare si quid in conciliis adversùs hæreticos decerneretur, quod ad civilem potestatem pertineret, id quanquàm ad majorem

* Anglum juris canonici peritissimum et bonum historicum. (*Edit. Paris.*)
1 *Vid.* tom. x. *Conc.*, col. 1525.

religionis reverentiam concilii nomine editum; tamen à civili potestate receptum ac ratum habitum, ex eâ consensione vim suam obtinebat.

Eodem modo rituque actum est sub eodem Pontifice, adversùs eosdem hæreticos, in concilio Turonensi *, cap. IV, quod incipit, *In partibus Tolosæ*. Postquàm enim Patres decreverunt quæ sunt sacerdotalis judicii, nempè : « Quisque contra hæc venire tentaverit, anathemate feriatur; » jam quæ principum auctoritate fiant, exequuntur his verbis : « Illi verò si deprehensi fuerint, per catholicos principes custodiæ mancipati, omnium bonorum amissione mulctentur [1]. » Sic Patres suo defuncti officio, principibus quoque ut suas jam partes exequerentur, indicebant; nihil temporale ipsi per se attrectabant. Hæc dicimus ad canonem XXVII concilii III Lateranensis, ex quo conflatum est caput *Sicut ait*, et caput *Absolutos*, aliaque similia, *Ext. de Hæreticis* [2].

CAPUT II.

Concilii Lateranensis IV canon III, sub Innocentio III, quod ad pœnas temporales attinet, ejus est generis, in quo Ecclesia consensu et constitutionibus principum adjuvatur : principes facilè comprobabant quæ adversùs hæreticos ab Ecclesiâ sancirentur.

Haud aliâ mente actum esse in concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III, æqui rerum æstimatores facilè judicabunt. Ad hoc concilium reges omnes, datis à Pontifice litteris, per legatos invitati adfuerunt [3], eâ præcipuè causâ vocati, ut quæ ab eorum potestate penderent, ipsi suâ non modò præsentiâ, verùm etiam consensione firmarent. Quare nihil mirum est ibi fuisse conditum cap. III, quod incipit : *Excommunicamus*, eodem initio relatum extr. *de Hæreticis*, in quo quidem capite hæc habentur [4] : « Si dominus temporalis requisitus et monitus ab Ecclesiâ, terram suam purgare neglexerit ab hâc hæreticâ fœditate, per metropolitanum et cæteros comprovinciales episcopos vinculo excommunicationis innodetur; et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, et terram exponat catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, sine ullâ contradictione possideant, et in fidei puritate conservent, salvo jure domini principalis; dummodò super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat; eâdem nihilominùs lege servatâ circa eos qui non habent dominos principales. » Decernunt postea, ut defensores et fautores hæreticorum sint etiam infames, sint intestabiles, nec ad testimonium admittan-

* Habito an. 1163.

[1] *Vid.* tom. X. *Conc.*, col. 1419. — [2] *Decr. Greg. IX*, lib. V. tit. VII, *de Hæret.* cap. VIII. XVI. — [3] Tom. XI. *Conc.*, col. 126, 127. — [4] *Decretal. Greg. IX, loco mox. cit.*, c. XIII; *et* tom. IX. *Conc.*, c. 148.

tur, nec ad hæreditatis successionem accedant : » quæ omnia ex iis sunt, quæ non sacerdotali judicio, sed principum adjuta constitutionibus Ecclesia sanciat.

Ejusdem generis sunt quæ subduntur postea in hæreticum seu fautorem : « Nullus ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur... si judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem... si advocatus, ejus patrocinium nullatenùs admittatur : si tabellio, instrumenta confecta per ipsum, nullius penitùs sint momenti [1]. »

Quæ si per se ad ecclesiasticam pertinent potestatem, quid erat necesse ut romani Pontifices eadem iisdem verbis ab imperatoribus impetrarent, ut factum est in iis legibus, quæ à Friderico II imperatore editæ [2], atque ex canonibus XXVII et III conciliorum Lateranensis III et IV conflatæ expressæque sunt. Is enim constitutione quæ incipit, *In die*, eadem quæ in his conciliis habebantur repetit, de dominis temporalibus ac principalibus : item hæreticorum terram exponit à catholicis occupandam : hæreticos eorumque fautores bonorum publicatione mulctat : infames, intestabiles, iisdem verbis pronuntiat : de advocatis, de judicibus, de tabellionibus decernit eadem : quæ profectò satis demonstrant à quo fonte hæc manant, undè transfusa sint in Ecclesiam.

Atque has leges edidit Fridericus, « in die, inquit, illâ, in quâ de manu sacratissimi patris nostri summi Pontificis, recepimus imperii diadema. » Recepit autem ab Honorio III, qui Innocentio III est proximus, à quo hæc Friderici *leges laudantur, approbantur* [3], non profectò conduntur.

Ac profectò principes tam pronâ voluntate Ecclesiam ad extinguendas hæreses cæteraque officia adjuvabant, ut in eâ constitutione Fridericus hæc diceret : « Cùm ergo, dispositione divinâ favente, nihil velit Ecclesia, quæ nihil debet præter bonum appetere, quod nobis eodem concursu et eâdem non placeat voluntate, etc. » Quâ principum voluntate confisa Ecclesia, multa edicere de temporalibus haudquaquàm verebatur, quibus postea principes, religionis studio, expressè vel tacitè consentirent.

Quare, quod diligenter notari velim, cùm concilia Lateranensia III et IV hæc decernunt de hæreticis, ut feudis, ut homagiis, ut honore mulctentur ; nequaquàm auctoritate clavium, aut apostolicâ potestate, de quâ hic controversia est, id faciunt, aut facere se declarant, aut omninò eam potestatem allegant ; patetque explicatio vera ac nativa, quâ nimirùm hæc fieri à conciliis intelligantur, quòd

[1] *Decretal. Greg. IX, loco mox cit.* c. XIII ; *et* tom. XI. *Conc.*, col. 149. — [2] *Const. Frid.* post lib. feud. — [3] *Const. Honor. III, ibid.*

principes præsentes, ac decreta recipientes, hæc fieri vellent, permitterent, consentirent, ac postea etiam, ne dubium superesset ullum, legibus editis, confirmarent, ut à Friderico II paulò post factum esse cernimus.

CAPUT III.

Antiquorum imperatorum leges, quibus Ecclesia juvabatur ad pœnas temporales adversùs hæreticos, in concilliis Lateranensibus III et IV, decernendas.

At si quis quæsierit quales illæ sint constitutiones principum, quibus in concilio Lateranensi III, canone XXVII, Ecclesia adjuvari se profitetur, cùm nondùm Friderici II leges, aut etiam ipse Fridericus extitisset, facilè respondebimus. Præcesserant enim multis sæculis, antiquorum principum circa hæreticos constitutiones eæ, quas in codice Theodosiano et Justinianeo legimus, ac præsertim insignes erant, titulo *de Hæreticis*, leges IV et V[1].

Quarta quæ est Honorii, Arcadii, ac Theodosii Augustorum, sic habet : « Manichæos, seu manichæas vel donatistas meritissimâ severitate persequimur. Huic ergo hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum cæteris : ac primùm quidem volumus esse publicum crimen, quia quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam, quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur... Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremò contrahendi cuiquam convicto relinquimus facultatem... Ergo et suprema illius scriptura irrita sit, sive testamento, sive codicillo, sive epistolâ, sive quolibet alio genere aliquerit voluntatem, qui manichæus fuisse convincitur, sed nec illos hæredes eis existere aut adire permittimus, nisi à paternâ pravitate discesserint. »

Manichæi donatistæque hic notantur mulctandi supra cæteros : manichæi quidem, propter insignem in eâ sectâ Dei creatoris contumeliam, et quod præ cæteris per occultos conventus et obstinatam conspirationem, fœdi, subdoli, malefici habebantur : donatistæ verò propter immanes illos circumcellionum furores, quos beatus Augustinus sæpè deplorat[2].

Easdem decernunt pœnas, lege V, Theodosius Augustus et Valentinianus Cæsar, ac disertè « etiam manichæos de civitatibus pellendos, et ultimo supplicio tradendos. »

Has leges, qui diligenter attenderint, fontem invenient eorum quæ à conciliis III et IV Lateranensibus adversùs hæreticos Ecclesia *principum constitutionibus adjuta* decrevit. Statim enim intuemur ut infames, cur intestabiles habeantur, cur bonis priventur ; ac

[1] *Cod. Justin.*, tit. V. leg. IV et V. — [2] Vid. *passim Aug. contra Donat.*

tametsi hæc de manichæis et donatistis speciatim dicta sunt, hau immeritò ad cæteros hæreticos extenduntur, præsertim ad albi genses, quos manichæorum stirpem fuisse docti sciunt: cùm præ sertim in provinciis devastandis donatistarum furores imitati, hisden quoque pœnis meritò coercerentur. Nec mirum carcere attineri, a servitia redigi, bellis oppugnari, quos etiam leges vità privent.

Veterum imperatorum legibus secuti principes addiderunt, qua temporum conditionibus apta essent; multaque in hæreticos eccle siasticis permiserunt, ut magis magisque sacro ordini, adversù contemptores, debita reverentia sanciretur. Hinc illa de feudis circ dominos temporales principalesque dicta. Domini autem principale dicebantur ii, qui cùm inferiores sub se haberent dominos, ips supremis absolutisque dominis, hoc est, regibus, immediatè sub erant; neque refugere poterant ea, quæ supremorum dominorum regum scilicet, qui per legatos aderant, consensione decreta essent

De regibus verò, quos specialiter designari oportere, eorum quoque temporum jura postulant, si quid in iis aliisve conciliis expressum legeretur, quod nullibi occurrit, tamen nihil nocerent quæ ipsis præsentibus, atque odio hæresum ultrò consentientibus agerentur.

CAPUT IV.

Ex historiis demonstratur quæ de feudis aliisque temporalibus, ecclesiasticâ auctoritate gererentur, principum concessione et consensione valuisse.

Non desunt qui putent ea quæ in his conciliis de feudis decernuntur, ad feudos tantùm ecclesiasticos pertinere. Nos generatim dicta, ad omnes pertinere non refugimus, et principum consensione decreta ostendimus.

Adstipulantur nobis monumenta historiarum. Willelmus Brito, diligentissimus per eam ætatem historicus, Philippidos lib. XII, memorat de Albigensium negotiis habitum fuisse Parisiis totius Galliæ generale concilium, procurante Philippo Augusto.

> Quo fine, cùm reliqui nihil definire valerent,
> Quamvis torreret ipsum intolerantia febris,
> Parisios, medicis contradicentibus ibat [1].

Nempè damnatâ jam albigensium hæresi, quæ per hæc tempora episcoporum synodi habebantur, eæ in puniendis per bonorum ademptionem atque alias temporales pœnas hæreticis totæ sunt, u acta ejus ævi legenti videre est. Quare haud immeritò Willelmu hæc *à reliquis* sine rege *definiri posse* negat.

Et quanquàm passim apud auctores legimus comitatum Tolo sanum et alias terras Simoni comiti Montis-fortis, per Innocentiu

[1] *Wil. Brit. Philipp.*, lib. XII. *in Hist. Franc. Pithœi*, pag. 389. edit. Francof. 1666.

III et generale concilium fuisse adjudicatas [1]; hæc tamen vero sensu explicata sunt ab iis qui rem subtiliùs distinxerunt. Rigordus imprimis audiendus de gestis Philippi Augusti. « Per hæc, inquit [2], tempora (anno 1215 quo tempore est habitum Lateranense concilium) Simon comes Montisfortis factus est comes Tolosanus, papâ Innocentio procurante, et Philippo rege concedente, propter hæreticam pravitatem albigensium, et propter apostasiam Raymundi comitis Tolosani. » Verba memoratu digna : Papa enim *procurat*, rex verò *concedit*; et tamen Pontifici omnia tribuuntur ; quòd in causâ religionem attinente, reges omnia delata ipsi vellent.

Et cùm in concilio Lateranensi IV, capite illo III, *de Hæreticis*, quod nobis objicitur, disertè scriptum sit de summo Pontifice : « Terram exponat catholicis occupandam, qui eam sine ullâ contradictione possideant; » tamen id nonnisi regum consensu factum ex Willelmo Britone constat, cujus de Raymundo hæreticorum defensore extant hi versus, Philippidos libro VIII, pag. 192.

Rex et Papa simul exponunt omnibus illum
Et res et patriam totam, quæ spectat ad illum;
Ut qui prævaleat armis et viribus illi
Tollere quid, proprias licitè convertat ad usus,
Et dominus fiat rerum, quas auferet illi.

In aliis feudis haud aliter actum facilè intelligimus. Utriusque potestatis concurrebat auctoritas : ac regia quidem hæretico principi feudum adimebat, alteri principi concedebat; pontificia verò et de hæresi judicabat, et in hæreticum meritò hæc à rege fieri declarabat, dantemque et accipientem in conscientiâ tutos præstabat; et sic etiam suo modo concedere putabatur.

Neque reges repugnabant quin Simon et alii novos feudos ab hæreticis captos Pontifici acceptos referrent, ut Sedi apostolicæ atque Ecclesiæ catholicæ eò fideliores essent, quò, auctore Pontifice, talia beneficia impetrarent.

Quare de concilio Bituricensi anni 1225, sub Ludovico VIII, romano legato præside, Matthæus Parisiensis hæc refert [3] : « Simon de Monteforti » (Amalricum ejus filium dicere debuit : pridem enim obierat Simon, anno scilicet 1218, in secundâ obsidione Tolosanâ lapide percussus; sed hæc nihil ad rem), « Simon ergo de Monte-forti petiit sibi restitui terram Raymundi comitis Tolosani, quam dominus Papa et rex Francorum Philippus sibi et patri suo contulerunt, exhibens super donatione factâ, utriusque, Papæ scilicet et regis monimenta. » Quæ in Chronico Turonensi, in gestis conciliorum inserta distinctiùs explicantur his verbis [4] : « Quibus (Raymundi scilicet petitionibus),

[1] *Gall. de Pod.*, c. XXVI; *Duch.*, tom. V. p. 770, etc. — [2] *Rigor. ap. Duch.*, tom. V. p. 66. — [3] *Mat. Par.*, an. 1226, p. 277; et tom. XI. *Conc.* col. 292. — [4] *Ibid.* col. 291.

Amalricus comes de Monte-forti obvians, litteras papæ Innocentii, necnon et Philippi regis Franciæ ostendebat, in quibus continebatur, et dicti comitis Tolosani damnatio, et terræ albigensium Simoni de Monte-forti patri suo facta donatio. » Quibus intelligimus regis donationem Pontificis damnatione nixam, suo quoque modo ad eum relatam, à quo damnatio processisset. Quis autem propriè ac reipsâ donaret, non erat obscurum. Is nempè rex fuit, à quo terram Simon *recepit*, qui Simonem *investivit*, terram *ei et hæredibus confirmavit*; ut profectò Rigordus accuratè diligenterque, *Pontifice procurante, rege concedente*, hæc facta esse scripserit; sed in hæreticis puniendis reges, pontificiæ potestati ferè omnia tribuebant.

Quare qui talia pontificiæ potestati per sese innata, non autem concessione aut consensione tacitâ vel expressâ civilis potestatis quæsita esse dixerit, prorsus ineptiat. Idem judicium esse volumus de trium denariorum censu, quem Innocentius III de terrâ contra hæreticos acquisitâ Sedi apostolicæ annuatim reservabat [1].

CAPUT V.

Ecclesiastica potestas multa sibi vindicavit civilia; sacra bella religionis causâ, sive Cruciatæ: aliæ ejusmodi occasiones: S. Ludovici de Philippo Augusto avo insigne testimonium: tacitæ consensionis exceptio utrique ordini ad sua jura explicanda necessaria est: utriusque potestatis sancta societas: Petri Damiani repetitur locus.

Neminem, credo, latet, multa ejusmodi contigisse sacrorum bellorum, quæ *Cruciatas* vocant, tempore, sive illæ in Saracenos recuperandæ Palæstinæ gratiâ, sive in hæreticos susceptæ essent; placebat enim christianis regibus, in illis sacris bellis, præesse omnibus pontificiam potestatem, ut et conjunctioribus animis, et majori religionis reverentiâ rem gererent.

Sæpè etiam reges ac principes, bellum sacrum inituri, se suaque omnia Pontificibus tuenda commendabant. Hæc obvia et nota tantùm referimus. Neque duntaxat in sacris, sed etiam in omnibus bellis, pacto de pace fœdere; hujus firmandi et exequendi gratiâ, Sedi apostolicæ se ultrò submittebant; aliisque multis modis se religionis nomine ac reverentiâ tutabantur; quibus fieret ut sæcularia negotia maxima, Romæ potissimùm coram Pontifice tractarentur.

Per eam interim occasionem spiritualis potestas multa regum jura invadebat; cùmque id perspicerent boni ac pii principes, non semper repugnabant.

Notum illud in testamento sancti Ludovici, quo rex sanctissimus et maximus, Philippo filio et successori colendam omni studio Ecclesiam commendat his verbis [2]: « Cùm Philippo regi avo meo (Au-

[1] *Pet. de Vale., Hist. Albig.* cap. LXXXIII. p. 658; *vid. ap. Duch.*—[2] *Test. S. Lud., post Histor. de Joinv. Vid. Mon. S. Dionys., ap. Duch.* tom. V.

gustus ille est) consiliarii indicarent à sanctâ Ecclesiâ multis modis ejus jura invadi et minui, ac mirum videri sibi quòd hæc æquo animo ferre videretur; respondisse memorant optimum principem: hæc quidem sibi nota; cùm tamen consideraret quanta à Deo sibi concessa essent, malle de jure suo decedere, quàm sanctæ Ecclesiæ contentionem ac litem movere, aut creare incommodum. » Digna quidem christianissimo ac maximo rege sententia! Quâ tamen interim demonstretur, non esse semper pro vero innatoque Ecclesiæ jure reputandum id quod ea egerit, habuerit, decreverit, tacentibus regibus; sed diligentissimè secernenda, quæ à Christo concessa sint, ab iis, quæ regum auctoritate, consensu, permissu, conniventiâ, silentio denique gesserit aut habuerit.

Quod itidem usu venit in ecclesiasticis rebus, quas sæpè videmus regibus attributas. Sic imperatores id sibi sexto etiam sæculo et Gregorii Magni tempore vindicabant, ut nemo in cathedrâ Petri etiam electus sederet, nisi qui ipsis probaretur. Sic in episcopatûs omnes, reges Franci, primæ quoque dynastiæ tempore, atque aliarum gentium reges, id sibi juris tribuebant, ut nonnisi eorum voluntate ac jussu episcopi fierent; eòque res devenit, ut editâ formulâ, à se designatis prædicationis munus injungerent, ac *pontificalem in nomine Dei committerent dignitatem* [1]; eos denique à metropolitanis; ceterisque coepiscopis benedici præciperent. Sic denique à tot sæculis, tot præbendas, tot ecclesiasticas dignitates, tot alia beneficia cum curâ et sine curâ, vel *regalium*, vel alio quocumque nomine, plenissimo jure conferunt. Non ideò adversarii hæc omnia regibus esse innata per se, imò verò ab Ecclesiâ manasse decernent: ac tametsi nullæ concessiones producuntur, valere tamen ea omnia ex consensione tacitâ facilè demonstrabunt. Quid ita? quia scilicet ipsa rerum natura docet ecclesiastica nonnisi per Ecclesiam haberi posse. Sic ubi Ecclesia feudos adimit, concedit, aut aliud quid ex civili potestate decerpit, ea civilis potestatis consensioni, saltem tacitæ, accepta referemus.

Sanè passim occurrit in imperatorum regumque authenticis et capitularibus, ut qui hæc et hæc fecerit, sacro ordine deponatur, excommunicetur, in pœnitentium redigatur [2]: quæ haud minùs intelligimus canonum auctoritate fieri; tametsi non id semper expressum est.

Multa etiam à regibus de Ecclesiis ordinandis edicta sunt, quæ in canonibus vix ac ne vix quidem invenire possumus. Consensu Ecclesiæ valere ea facilè intelligimus.

[1] *Marculp.*, lib. I. *Form.* cap. V, VI, VII; tom. XII. *Bibl. Patr.*, p. 771. — [2] *Capit.*, tom. II. tit. XXIV, cap. X. pag. 94.

Sit etiam id exempli causâ positum. Decernit ita Carolus Calvus : « Hæc si quis transgressus fuerit, anathematis vindictâ feriatur; et comitis districtione constringatur : » quæ uno licèt tenore posita, tamen ad suos fontes quæque revocamus. Sic cùm Pontifices eodem contextu ecclesiasticis civilia miscent, sanè meminerimus haud minùs secernenda esse, quæ ipsis per sese competant, ab iis quæ à civili potestate mutuantur.

Nempè utriusque potestatis sancta societas postulabat, ut altera alterius munia in speciem usurparet, eo jure, quo amici amicorum rebus utuntur : his certè omnibus communi societate et consensione valituris. Quò spectans sanctus vir Petrus Damiani càrdinalis episcopus Ostiensis, hoc à nobis jam commemoratum tradidit [1] : « Quodam mutuæ charitatis glutino, et rex in romano Pontifice, et romanus Pontifex inveniatur in rege. » Ac postea : « Cæterùm (Pontifex) delinquentes, cùm causa dictaverit, forensi lege coerceat; et ipse rex cum suis episcopis super animarum statu, prolatâ sacrorum canonum auctoritate decernat. » Quæ quidem mirè congruunt cum his quæ de conciliis Lateranensibus III et IV diximus. Quo enim jure reges ex canonibus, super animarum statu, toties cum episcopis decreverunt; eodem jure Pontifices, in conciliis Lateranensibus III et IV super temporalia, cum regibus synodo adhærescentibus atque præsentibus, ex legum auctoritate decrevisse vidimus. Reliqua hujus loci verba ex antedictis repetat, cui hæc recolere est animus. Hic tantùm volumus, ut cum summo viro, et pontificia ab regiis distinguantur officia, et liquidò appareat, sic regem inter et Pontificem consentire, ut si quid alter ex altero usurparit, id ambobus volentibus, consensione mutuâ, tacitâ vel expressâ factum, neutri fraudi esse possit.

Hoc societatis ac mutuæ amicitiæ jure Lucius III, capite *Ad abolendam*, de hæreticis statuit, « ut comites, barones, rectores et consules civitatum et aliorum locorum,... nisi requisiti Ecclesiam adjuvent contra hæreticos,... honore quem obtinent spolientur, neque ad alios assumantur [2]. »

Hoc jure vel nullo, Bonifacius VIII, capite *Felicis, de pœnis*, in Sexto, in eum qui cardinalem fuerit hostiliter insecutus hæc statuit [3] : « Ut sit infamis, diffidatus *, bannitus, intestabilis, ab omni successione repulsus : dentur cuncta ejus ædificia in ruinam : nullus ei debita reddere, nullus respondere in judicio teneatur : bona ejus

[1] *Sup.* lib. II. cap. XXIX. *Pet. Dam. Discept. syn.*, tom. IX. *Conc.* col. 1172 ; *et int. op. Dam.* tom. III. opusc. IV. p. 30.—[2] *Extr. Greg. IX*, lib. V. tit. VII. cap. 9.—[3] *Sext. Decr.* l. V. tit. IX. *de Pœn.*, cap. V, *Felicis.*

* *Diffidare propriè est à fide quam quis alicui debet, aut pollicitus est per litteras, deficere*, inquit. DUCANGE : Glossar, mediæ et infimæ latinatis. (*Edit. Paris.*)

fisco vel reipublicæ dominio applicentur; neque eorum filiis aut nepotibus ulla unquàm pateat janua dignitatis aut honoris ecclesiastici vel mundani, nullus aditus ad legitimos actus. » Tot merè temporalia, si in Ecclesiæ ac Pontificum potestate sint, eò tantùm nomine, quòd Ecclesiæ sint utilia; utilitas ecclesiastica nunquàm deerit, quâ Pontifices semper et ubique, inconsultis etiam invitisque principibus, de temporalibus decernant, atque absolutè regnent: quod, nec ipse, credo, Bellarminus dixerit. Quare est necesse assentiantur omnes, hæc decreta, quatenùs de temporalibus statuunt, non aliter valere posse, quàm consensu principum tacito vel expresso; prælatamque semel à conciliis III et IV Lateranensibus lucem sequi omninò nos oportet.

Hæc ad canones conciliorum Lateranensium III et IV ex Lateranensis IV luculentâ interpretatione aliisque monumentis, dicenda habebamus.

CAPUT VI.

De Friderico II deposito, sub Gregorio IX acta: excommunicatus, deindè depositus, à S. Ludovico et Gallis pro Imperatore est habitus: concilium œcumenicum à Galliis requisitum, à Gregorio IX Romam convocatum.

Devenimus ad Friderici II depositionem; atque hanc primam invenimus in concilio œcumenico promulgatam: quo nomine dignam arbitramur, quam diligentiùs consideremus; sed primùm sunt exponenda quæ antecesserunt.

Quòd ergo imperator Fridericus II, voto, juramento, ac pœnâ excommunicationis ultrò susceptâ, ad sacrum bellum obstrictus, nec promissis steterat, et christianos, eâ spe magnâ conatos ac posteà destitutos, in gravia incommoda conjecerat; Gregorius IX, anno 1228, eam dixit sententiam, quam suprà aliâ occasione retulimus [1]: « Imperatorem Fridericum excommunicatum, quanquàm inviti, publicè nuntiamus, et mandamus ab omnibus arctiùs evitari: contra ipsum, si contumacia ejus exegerit, graviùs processuri. » Sic nominatim eum excommunicabat: gravius aliquid, depositionem nempè excommunicationi additam intentabat; nondùm deponebat.

Cùm autem Fridericus reges ac regna, præsertim verò Anglos recenti servitute, per Joannem *sine terrâ* romano Pontifici obstrictos, eàque re indignatos adversùs romanam curiam [2], quibus posset clamoribus concitaret, ac romanæ Ecclesiæ civitates invaderet, Gregorius quoque altiùs inclamavit; datisque ad Romanum suum ad Francos legatum litteris, mandat: « Quatenus per terram legationis suæ hæc solemniter prædicans Christi fidelibus, eos inducat, ut pro

[1] *Sup.*, lib. I. sect. II. cap. 29; *Greg. IX*, ep. II. tom. XI. *Conc.* col. 315; *Matt. Par.*, p. 308. — [2] *Matt. Par.*, p. 308.

statu fidei et religionis observantiâ stent ex animo, tanquam prosequentes singuli proprium interesse [1].

Tunc ea contigerunt, quæ sunt aliâ occasione à nobis scripta paucis [2], et à Matthæo Parisiensi, ejus ævi scriptore fusè memorata [3]. « Eodem anno (1228) Fridericus imperator, mare Mediterraneum ingressus, ut Domino peregrinationis votum persolveret, apud Achon applicuit. Venientes ei obviam clerus terræ et populus, cum magno honore, ut tantum decebat virum, illum receperunt: verumtamen, quoniàm noverant eum à Papâ excommunicatum, non ei communicaverunt in osculo, neque in mensâ; sed consuluerunt ut domino Papæ satisfaciens, rediret ad sanctæ Ecclesiæ unitatem. Templarii verò et hospitalarii in adventu ejus flexis genibus adoraverunt eum, genua ejus deosculantes, et omnis fidelium qui aderat exercitus, glorificabat Dominum in adventu ipsius, sperantes quòd per eum salus fieret in Israël. » Ergo imperatorem ut excommunicatum habebant, et à communione ejus abstinebant *in osculo et in mensâ*, ut jam suprà diximus; cæterùm ut imperatorem honorabant.

Parebant etiam; eumque ut ducem sequebantur principes et rectores exercitûs christiani, « Dux scilicet Lemburgensis, patriarcha Hierosolymitanus; archiepiscopi Nazarensis, Cæsariensis, Narbonensis, episcopi Vintoniensis et Exoniensis, ac magistri hospitalis ac teutonicorum; » qui omnes ecclesiastici æquè ac laici, « præparatis omnibus ad progrediendum necessariis, processerunt feliciter, prævio imperatore, et apud Joppen prosperè pervenerunt [4]. »

Pergit historicus [5] : « Anno 1229, papa Gregorius nimis molestè ferens quòd Romanorum imperator excommunicatus et rebellis, ad Terram Sanctam transierat, de illius pœnitentiâ desperabat. Decrevit ergo eum, quem contumacem vidit et rebellem, ab imperiali fastigio depellere, et alium quemlibet filium pacis et obedientiæ, loco ejus subrogare. »

Interea Geroldus patriarcha Hierosolymitanus, datis ad universos Christi fideles litteris, de Friderico multa conqueritur; at nihilominùs ubique imperatorem appellat [6].

Anno 1229, « videns dominus Papa robur et constantiam imperatoris nondum enervatam, sibi et romanæ Ecclesiæ nondum incurvari, misit per totam Allemaniam prælatis magnificis, et aliàs manentibus, epistolas prolixas, commonitorias, et præcepit districtè, ut omnes insurgerent in imperatorem, Deo et romanæ Ecclesiæ rebellem.... Absolvit etiam omnes qui eidem fidelitatis juramento tenebantur adstricti [7]. » Hæc Matthæus Parisiensis parum Pontifici cessisse me-

[1] *Matt. Par.*, p. 349; et ep. III. *Greg. IX*, tom. XI. *Conc.*, col. 216. — [2] *Sup.*, lib. I. *loc. max cit.* — [3] *Matt. Par.*, *loc. cit.* — [4] *Ibid.*, p. 351. — [5] *Ibid.*, p. 353. — [6] *Ibid.*, p. 359. — [7] *Ibid.*, p. 346.

morat. Quas causas attulit, referre non libet, nec nisi necessaria memoramus.

Extat ea depositionis sententia in conciliorum voluminibus, ubi iteratâ excommunicatione, sic legitur : « Omnes qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab observatione juramenti ejusmodi absolutos, et firmiter prohibendo ne sibi fidelitatem observent, donec fuerit vinculo excommunicationis adstrictus [1]. »

Ne tamen dixeris depositionem per se cum excommunicatione connexam, cùm Fridericum vinculo excommunicationis adstrictum, prohibente nemine, ne ipso quidem Pontifice, regnasse videamus; sed ipse sententiæ suæ, quem vellet adhibebat modum.

Alio dato diplomate, ait, Fridericum asseruisse hæresim, « dum constanter proponeret, inquit [2], quòd per nos tanquàm Christi vicarium excommunicationis vinculo adstringi non potuit. » Quòd autem negaverit passim se potuisse deponi, hæresi non imputatur : adeo hæc diversâ auctoritate constant.

Intereà illa contigit memorabilis ad regem sanctum Ludovicum et *Francorum Baronagium*, de Roberto regis fratre ad imperium eligendo, Gregorii IX legatio [3]. Franci pro regni Francici nobilitate ac domûs regiæ dignitate, magnificè multa; cæterùm, quod ad rem nostram attinet, responderunt : « Si Fridericus *ab apice imperiali*, meritis exigentibus, deponendus esset, nonnisi per generale concilium cassandus judicaretur. » Matthæus Parisiensis memorat addidisse eos : « Insontem sibi videri adhuc Fridericum, neque quid sinistri in eo visum, vel in fidelitate sæculari, vel fide catholicâ; missuros ad imperatorem qui quomodo de fide catholicâ sentiat diligenter inquirant : tum ipsum, imò etiam ipsum Papam, si malè de Deo senserit, usque ad internecionem persecuturos. » Quæ quidem non probamus omnia, sed referimus, atque ab historicis recensita percurrimus.

Credibile est Gregorium eâ Francorum responsione permotum fuisse ut concilium œcumenicum convocaret. Certum quidem est, Romam ab eo Pontifice fuisse convocatum. Fridericus episcopos multos etiam gallicanos, ad Sedem apostolicam ex obedientiâ properantes, cepit. Quâ de re graviter conquestus est sanctus Ludovicus, datâ ad Fridericum epistolâ. Interim ad eum scribit ut ad imperatorem, ejusque imperium cum Francico regno conjunctissimum agnoscit; quantumvis Fridericus à Gregorio IX fuisset anathemate et depositione perculsus [4]. Addit : « Prænestinum episcopum et alios legatos Ecclesiæ, in præjudicium vestrum volentes subsidium nos-

[1] *Greg. IX, ep. ad Ott. Card.*, tom. XI. col. 239.— [2] *Ep.* XII; *ibid.*, col. 248. — [3] *Matt. Par.*, p. 517.— [4] *Int. epist. Pet. de Vin.*, l. I. c. 12; *Vid. Nang., de gest. S. Ludov.*, an. 1239; *Duch.*, tom. V. p. 336.

trum implorare, manifestè repulimus; nec in regno nostro contra majestatem vestram potuerunt aliquid obtinere. » De episcopis suis hæc signanter notat : « Nam sicut ex eorum litteris manifestè didicimus, nihil contra imperialem celsitudinem excogitaverant; etiamsi summus Pontifex fuisset ad aliqua minùs debitè processurus. » Hæc senserunt de imperatore deposito episcopi gallicani : hæc sensit rex, quo nullus unquàm sanctior, nullus sapientior, aut Sedi apostolicæ obedientior.

CAPUT VII.

Quæ sub Innocentio IV, Gregorii IX successore, gesta; concilium Lugdunense I : in eo acta; atque ex his et antè dictis, argumenta contra nos.

Gregorio mortuo, ad Innocentium IV habendi concilii cura transmittitur. Is igitur, anno 1245, concilium convocat Lugdunum, hâc, inter alias, causâ memoratâ [1] : « Necnon pro negotio quod inter Ecclesiam et principem vertitur, reges terræ, prælatos Ecclesiarum, et alios mundi principes duximus advocandos. » Ac postea : « Nos dictum principem in prædicatione nostrâ citavimus, ut per se, vel per suos nuntios, in concilio celebrando compareat, responsurus nobis et aliis, qui aliquid contra ipsum duxerint proponendum. »

Misit Fridericus procuratores suos, qui primùm dilationem peterent, « mox ad futurum Pontificem et concilium futurum generalius appellarent. Atque dominus Papa respondit : Quòd illud erat concilium generale, quia tàm principes sæculares quàm clerici ad illud fuerant invitati; sed omnes qui in jurisdictione imperatoris fuerant, ad illud eos accedere non permisit, propter quòd appellationem non admittebat [2]. »

Prolata sententia est in hanc formam : « Innocentius episcopus, sacro præsente concilio, ad rei memoriam sempiternam [3]. » Mox relatis Friderici criminibus, atque allegatâ clavium potestate, addit : « Memoratum principem.... suis ligatum peccatis, et abjectum, omnique honore ac dignitate privatum à Domino ostendimus ac denuntiamus; et nihilominus sententiando privamus [4]. » Tum absolvit à fidelitatis juramento subditos; et qui pareant vel faveant, vinculo excommunicationis adstringit.

Postea, « Dominus Papa et prælati assistentes concilio, candelis accensis, in dictum imperatorem Fridericum, qui jam imperator non est nominandus, terribiliter, recedentibus et confusis ejus procuratoribus, fulgurarunt [5]. »

Hinc argumenta congerunt : depositum imperatorem virtute cla-

[1] *Ep. Inn. IV.* tom. XI. *Conc.*, col. 626; *Matt. Par.*, an. 1245. — [2] *Vid. in Conc. Lugd. brev. not., etc.*, col. 639, 640; *Matt. Par.*, p. 666. — [3] *Tom.* XI. *Conc. loc. cit.* — [4] *Ibid.*, col. 645. — [5] *Ibid.*, col. 665. *Matt. Par.*, p. 672.

vium, idque præsente concilio generali; adfuisse principes cum episcopis; reclamasse neminem; quin ab ipso Friderico agnitam Ecclesiæ potestatem, cùm ab hoc concilio ad futurum pontificem et futurum concilium appellarit; agnitam etiam expressissimè à Francis, quos antiqui juris retinentissimos fuisse jactamus; cùm etiam ipsi responderint id quod suprà vidimus [1]; « Si Fridericus deponendus esset, nonnisi per generale concilium cassandus judicaretur : » quo responso fateantur imperia subjici ecclesiasticæ potestati; neque enim referre multi, concilione an Papæ subsint, quæ suâ jam arce dejecta sint.

CAPUT VIII.

Solutio objectorum præcedentis capitis : duo quædam notatu digna : depositio edita, SACRO PRÆSENTE CONCILIO, NON SACRO APPROBANTE CONCILIO, ut solet.

Hæc nos ex gestis facilè explicamus. Primùm ergo observari volumus in rei gestæ serie, quàm diligentissimè descriptam habemus, enarrari quid Pontifex, quidve alii dixerint. De nullâ autem aliâ re tractatum videmus quàm de Friderici sceleribus, decretisque in eum latis; de his quæsitum deliberatumque esse : an autem datum Ecclesiæ à Christo sit ut reges deponeret, ne inquisitum quidem fuisse; neque quidquam eâ de re dictum; neque hic in tantâ synodo, neque alibi usquam : quod tamen vel semel fieri oportebat.

Secundò notamus singularem formulam : *Sacro præsente concilio.* Et quidem ille theologiæ professor anonymus, qui adversùs Declarationem Cleri gallicani edidit responsionem historico-theologicam, hæc scribit [2] : « Innocentius in publico totius orbis christiani universali concilio, ipsoque approbante, Fridericum regno privat. » Vide quàm oscitanter hæc legant, vel malâ fide referant, qui nostra oppugnent : cùm tantùm intersit, an quid fiat, duntaxat *sacro præsente concilio,* an etiam *sacro approbante concilio.* Nos autem advertimus passim quidem in conciliis, ubi adest præsens Pontifex, edi decreta ejus nomine, sed ubique adscriptum : *Sacro approbante concilio,* vel aliquid ejusdem roboris. In hâc etiam synodo, celebrata hæc formula est : et de usuris quidem, capite XIII; *præsentis concilii approbatione sancimus :* et *ejusdem concilii auctoritate firmiter inhibemus :* et cap. XVII, *definientes, sacro approbante concilio :* et, *communi concilii approbatione statuimus* [3]. Quin etiam, more majorum in hoc quoque concilio vidimus, ab omnibus episcopis sententiam excommunicationis pronuntiatam fuisse. At is qui reliqua omnia, *sacro approbante concilio,* decernit Pontifex, sententiam in quâ depositio sancita est, *sacro* tantum *præsente concilio,* dictat [4].

[1] *Sup., hoc lib.,* c. VI. — [2] *Res. hist.,* col. 1683. p. 64. — [3] *Tom.* XI. *Conc.,* col. 649, 654, 655. — [4] *Ibid.,* col. 645.

Et quidem interserit hoc à se decretum esse, *cum fratribus et sacro concilio, deliberatione præhabita diligenti*. Aliud autem est, cum episcopis deliberasse, et eorum consilia exquisiisse: aliud, concilii auctoritate atque approbatione decretum aliquid esse.

Ne verò arbitremur ideo illâ formulâ Pontificem pronuntiasse, quòd imperatoris depositionem tanquam rem maximam, suæ auctoritati potestatique reservaret. Ecce enim excommunicationem more majorum cum sacro concilio suisque coepiscopis pronuntiât: quæ tamen sententia eò est gravior majorisque potestatis, quò regno cœlesti quàm terreno privari gravius est ac luctuosius. Et tamen in conciliis passim communi Patrum decreto atque approbatione anathemata promulgantur; communi decreto episcopi deponuntur, quorum depositio, pro spiritualis potestatis amplitudine, majorem in Ecclesiâ potestatem requireret, quàm laicorum quorumcumque; communi denique decreto, fidei dogmata ac symbola sacrique canones promulgantur, quo nihil est in totâ religione majus aut gravius. Cùm igitur ecclesiastica omnia, quanticumque sint ponderis, communi auctoritate ac *sacro approbante concilio* promulgentur; quæ *præsente* tantùm *concilio* fieri dicuntur, habere ea non debemus pro ecclesiasticis.

Certè docent Patres, ac theologi confitentur, quæ verè ecclesiastica sint, atque à Christo tradita, ea quidem in Petro et successoribus eminere: cæterùm ad omnes manare episcopos, atque in episcopatu toto unam esse potestatem. Nihil enim Papæ attributum, quod non sub ipso et cum ipso facere ac decernere coepiscopi possint. Rursus ergo testantur romani Pontifices, non esse ecclesiasticam principes deponendi potestatem, quam soli exerceant.

CAPUT IX.

De statu imperii romano-germanici quædam quæ ad objectorum solutionem spectant.

Tertiò notamus, reverâ imperatores germanos, seu romano-germanicos eâ conditione fuisse, ut romani Pontifices existimarent, præter illam potestatem, quam à Christo haberent in omnem animam christianam, aliquid sibi peculiaris juris in eos, processu temporis quæsitum et comparatum fuisse. Neque tantùm romanos Pontifices, sed etiam alios multos in eam sententiam consensisse.

Placet colligere hic paucis, quæ sparsim eâ de re monumenta extent, quorum etiam partem maximam suo loco retulimus [1].

Primùm autem vidimus [2], quæ à Baronio relata sunt, ut probaret jam pridem sub Othonibus, imperium romano-germanicum ejusque

[1] *Sup.*, lib. II. cap. 33.—[2] *Ibid.*, cap. XL; *Bar.*, tom. X. an. 964. p. 783, 784; an. 996, p. 909.

imperatores, romanis Pontificibus ita fuisse obnoxios, ut ab eis acciperent, non modò imperium, sed etiam successoris designandi potestatem. Hoc primum : tum illud consecutum, ut extinctâ Othonum familiâ romani Pontifices, suâ auctoritate designarent eos Germaniæ principes, qui regem Teutonum eligerent, in romanum postea imperatorem à romano Pontifice promovendum. Quæ quidem Baronius à Gregorio V Germano, anno Christi 996, circa ipsa initia imperii romano-germanici constituta esse memorat.

Hæc si tam vera sunt, quàm à Baronio magnâ vi affirmantur, fateri nos oportet, imperium romano-germanicum, ejusque imperatores, in ipsâ suâ origine romanis Pontificibus, quoad ipsa temporalia fuisse obnoxios.

Non ita multò post, circa Gregorii VII tempora, audivimus [1] quid auctor vitæ Henrici IV scripserit; nempè ad eum Pontificem à Germanis perduellibus fuisse jactatum, « non decere (Henricum IV) tam flagitiosum, plus notum crimine quàm nomine, regnare, maximè cùm sibi regiam dignitatem Roma non contulerit; oportere Romæ suum jus in constituendis regibus reddi : providerent apostolicus et Roma ex consilio principum, cujus vita et sapientia tanto honori congrueret. » Hæc igitur à Germanis Gregorio VII fuisse suggesta narrat coævus historicus : « Quâ subreptione delusum apostolicum, simul et honore creandi regis quem sibi fallaciter obtulerant. » Quæ profectò ostendunt his jam temporibus, in romano Pontifice fuisse notatum peculiare aliquod jus ad constituendum eum regem, qui postea imperator futurus esset; atque ad eum postea deponendum.

Hunc ad locum pertinet illud, ab eodem Gregorio VII romanis imperatoribus postulatum, regiæ fidelitatis sacramentum, quod memoravimus suprà [2].

Sub Paschale II, qui romanus Pontifex à Gregorio VII est tertius, ab hujus ævi historico Gotfrido Viterbiensi relata hæc sunt [3], tanquàm à romanis Pontificibus dicerentur :

> Imperium dedimus, tu pauca dedisse videris.
> Imperio nostro, Cæsar romanus haberis.

Hinc profectum illud, quod ex Radevico retulimus, de imperatore Lothario Saxone inscriptum Lateranensi palatio :

> Rex venit ante fores, jurans priùs Urbis honores.
> Post Homo fit Papæ, sumit quo dante coronam [4].

Huc etiam facit, id quod est ab Adriano IV ad Fridericum I scriptum de *beneficio*, atque insigni coronæ imperatoriæ per Pontificem

[1] *Sup.*, lib. I. sect. I. c. 12; *Urst.*, p. 382.— [2] *Ibid.*— [3] *Gotf. Viterb. Chron.*— [4] *Sup.*, lib. III, c. 18; *Radev., de gest. Frid. I*, cap. x; *Urst.*, p. 482.

dato : quæ quanquàm ab ipso Pontifice erasa et emollita, usque adeò Pontificis animo adhærebant, ut postea rursùs ad Fridericum scriberet, datum à se imperium, atque auferri posse à quo datum esset.

Id passim fuisse creditum testatur paulò post in concilio Turonensi* habita ab Arnulpho Lexoviensi concio, quâ, ubi docuit eam quam Fridericus I imperator communem cum cæteris Ecclesiæ debebat obedientiam, hæc subdit[1] : « Prætereà specialem causam habet quâ sanctam romanam Ecclesiam dominam recognoscere debet : alioquin manifestissimè poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurramus historias, certum erit prædecessores ejus imperium non de alio jure, quàm de solâ sanctæ romanæ Ecclesiæ gratiâ percepisse. Nihil igitur plus juris vindicare principes possunt, quàm quòd in eos contulit dignatio largientis. »

Neque ita multò post, Innocentius III hæc declarat[2] : de electoribus quidem, jus eorum omne ab apostolicâ Sede descendere, de electâ verò personâ, si indigna haberetur, eam à romano Pontifice rejici posse, ne Ecclesia romana idoneo defensore carere cogeretur : quæ in gratiam Friderici II facta et ab eo agnita, ejus deponendi jus romano Pontifici tribuebant.

Huc accedit, quòd jam pridem romanis Pontificibus ab imperatoribus id præstitum fuerat juramentum, quod *fidelitatis* fuisse romani Pontifices postea declaraverunt[3] : summi certè obsequii fuisse nemo diffitetur.

Cùm ergo hæc, et sibi romani Pontifices vindicarent, et omnes passim pronis animis acciperent; haud absurdum videbatur dejici imperio posse imperatores, qui erga Pontificem, quo auctore regnarent, debito ac jurato ac jurato officio defuissent : quam in sententiam toto jam orbe vulgatam, Lugdunenses Patres, pontificio honori faventes, facilè adductos esse nihil mirum est.

Quod autem jus illud quæsitum et adscititium, romani Pontifices cum apostolicâ potestate sedi suæ innatâ pariter exercerent simulque imperatorem excommunicarent atque deponerent; excommunicationis quidem episcopi ut participes clavium, pro antiquo jure ac more, se socios adhibebant; depositionem verò, in quâ jus sibi nullum, neque innatum neque quæsitum vindicarent, nolebant à se, aut pro potestate decretam, aut approbatione solemni firmatam; sed tantùm, quod res erat, præsentes esse se, atque etiam in concilium adhibitos fatebantur. Quo ritu aliquid, quod verè esset ecclesiasti-

* An. 1163.

[1] *Serm. Arnulph. Lex. in Conc. Tur.*, tom. x. col. 1415. — [2] *Inn. III, Extr.* lib. i. tit. vi. *de Electione*, cap. *Venerabilem.* — [3] *Clem.*, l. ii. tit. ix. *de Jurejur.*, cap. unico, *Principes rom.*

cum, ab episcopis gestum nemo unquam in conciliorum actis ostendet.

Neque tamen arbitramur, si hæc in Fridericum, sacro concilio approbante, gesta essent, ideò statim rem esse confectam; quærendumque superesset, an ita gesta sint, ut solent ea, quibus certa Ecclesiæ fides summaque auctoritas explicatur, ut dictum est suprà [1]. Consentiunt enim catholici omnes, non ejusdem esse generis, quæ in conciliis etiam œcumenicis fiunt; quæque expressè quæsita, quæ de fide, quæ lato canone sancita sunt, magno ab aliis habent discrimine; et tamen hic maximum est causæ deploratæ argumentum, quòd concilium generale non eam susceperit, neque tali facto adscribi voluerit solemnem formulam : *Sacro approbante concilio.*

Recolique hic volumus, id quod est à nobis perpetuâ rerum serie demonstratum : quæcumque hactenùs à romanis Pontificibus, ad deponendos reges, etiam in synodis sunt gesta, in iis, Deo ita providente, nunquàm ac semel quidem adscriptum, hæc Patrum consensione, approbatione, decreto gesta esse : quæ formula, cùm in cæteris ecclesiasticis decretis, Pontifice præeunte perpetua solemnisque sit, certum est hæc quidem, quanquàm Petri nomine agi videbantur, longo discrimine distincta à reliquis, quæ certò verèque essent ecclesiastica.

Ex antedictis solvimus, quæ de Francis imperia concilio generali subjicientibus sunt objecta. Et quidem, si Franci id vel maximè tertio decimo sæculo facere incepissent, gliscente imperitiâ, tamen anteactis sæculis stare nos oportet; quantò magis cùm id nequidem cogitaverint?

Primùm enim, si quis strictè eorum ad Gregorium IX de deponendo imperatore responsa perpenderit, inveniet ab iis non absolutè dictum, imperatorem à concilio deponi posse; sed, « si exigentibus meritis deponendus esset, nonnisi à concilio generali cassandum videri : » tùm etiam illud de imperio romano-germanico dici, quòd singulari titulo Ecclesiæ obnoxium credebatur; putabantque nostri tantam rem, qualis est depositio romani imperatoris, qui reipublicæ christianæ caput haberetur, ad romanam licèt Ecclesiam pertineret, nonnisi exquisito totius orbis concilio * perfici debuisse, aut etiam potuisse. Cæterùm coronam Franciæ, nec Papæ, nec concilio, Franci unquàm subjecerunt. Imò verò non multò post, Bonifacii scilicet VIII tempore, cùm objicerentur eis depositi imperatores, hæc statim reponebant : « Quod dicitur, quòd Papa deponit imperatorem : respondeo, Verum est illum quem ipse posuit, quia ab ipso accepit

[1] *Sup.*, lib. III. c. 1.

* Editi habent *concilio*, nullo sensu : nos verò codicis MS. abbé Fleury auctoritate fulti, substituimus *concilio*. (*Edit. Ver sal.*)

feudum [1]. » Et de Friderico II disertè : « Quod autem dicitur de Friderico, quem deposuit Innocentius IV, dico quòd verum est, et de illo imperatore concedo; quod Papa est ejus dominus temporalis, quoniàm ille imperator fit per electionem, et à Papâ confirmationem recipit et coronam; sed nihil horum est in rege Franciæ. » Hæc nostri quadraginta circiter post Fridericum depositum annis, facti recente memoriâ, respondebant.

Quo etiam pertinebat illud, sancti Ludovici tempore, à Francorum legatis dictum : regem Franciæ, *quem linea regii sanguinis* provexit ad sceptra Francorum, excellentiorem esse aliquo imperatore, quem sola electio provehit voluntaria [2]. Quantùm autem nostri ab eo abfuerint, ut coronam Franciæ ulli alteri quàm Deo subditam esse vellent, Bonifaciana, quæ jam retulimus [3], gesta demonstrant.

CAPUT X.

Constantiensia et Basileensia decreta : Sigismundi imperatoris in synodo Constantiensi imperiale decretum; ejusdem imperatoris de romano-germanici imperii principibus, declaratio.

Facile est, ex antedictis, conciliorum Constantiensis et Basileensis ea quæ objiciunt decreta explicare. Pari enim ratione dicimus, si quid ibi à Patribus de pœnis temporalibus decernatur, id fieri consensu principum, qui ex toto orbe christiano per legatos aderant : eoque jure, quo Ecclesia ad temporales pœnas inferendas, principum constitutionibus adjuvatur.

Id verò ex ipso Constantiensi concilio satis constat. Anno enim 1415, sessione XIV, decretum legimus hoc titulo [1] : *Quòd imperator det operam; ut concilium sit tutum.* Sic autem decernit : « Sacrosancta synodus exhortatur invictissimum principem dominum Sigismundum Romanorum et Hungariæ regem, quatenùs placeat patentes litteras sub suæ Majestatis sigillis dare, et omnibus principibus, vassallis et subditis sacri imperii, et præsertim civibus et incolis civitatis Constantiensis præcipere et mandare, quòd manutenebunt et defendent prædictum concilium,... quandiù duraverit, et quicumque.... non observaverit.... sententiam imperialis banni incurrat, perpetuò sit infamis, nec ei unquàm portæ dignitatis pateant,... omnibus feudis.... sit ipso jure privatus. » Quæ ad ecclesiasticam dignitatem et utilitatem maximè pertinentia, si per sese sancta synodus decernere potuisset, non erat cur à rege requireret.

Quâ de re rex decernit his verbis : « Qui statuit terminos gentium

[1] *Tract. Joan., de Par. de pot. Reg. et Pap.*, cap. XV; *Vind. Maj.*, lib. II. pag. 107; *Vid. ibid., quæst. de pot. Pap.*, p. 188.— [2] *Matt. Par.*, an. 1239, p. 518.— [3] *Sup.*, l. III. c. 23 et seq. — [1] *Conc. Const., Sess.* XIV. tom. XII. col. 115, 116.

secundùm numerum Angelorum, et utrorumque ministeria ordine mirè dispensans, sicut choros angelicos variis dignitatibus..... mirabiliter insignivit; sic et Ecclesiam adhuc militantem in terris, diversis tàm spiritualium quàm temporalium distinxit titulis potestatum, ut pulchra fidelibus, et infidelibus terribilis apparens, ut castrorum acies ordinata procedat. » Quâ temporalium et spiritualium distinctione ex jure divino explicatâ, temporales pœnas ipse decernit, utilitati ecclesiasticæ servituras. At si has Ecclesia per sese inferre potuisset, distinctionem vanam, neque ex jure divino imperator explicasset, neque sancta synodus recepisset.

Per ea tempora Fridericus, dux Austriæ, Georgium episcopum Tridentinum ejus civitatis aliorumque locorum possessione dejecerat. Res ad imperatorem delata per episcopum; dux episcopo restituere jussus, imperatoris jussis non stetit. Sessione XXVIII, episcopus postulat à concilio Constantiensi monitorias litteras, quibus dux bonis occupatis cedere cogeretur, sub pœnis in constitutionibus Caroli IV imperatoris editis aliisque gravioribus. Eâdem sessione XXVIII, dat synodus monitorium, quo declarat Fridericum ducem incidisse in pœnas *privationis feudorum et inhabilitationis in constitutione Carolinâ contentas*, addito anathematis vinculo [1]. Non ergo has pœnas per se decernit, sed principum adjuta constitutionibus.

Multa sanè decreta sunt à principibus adversùs eos qui in hæresi obstinatè permanserint, quique in excommunicatione sordduerint. Ea verò legimus in constitutione Friderici II, memoratâ suprà, eademque ab aliis postea principibus decreta, confirmata, amplificata sunt; quibus adjuta synodus Constantiensis decernit, contumaces adversùs Ecclesiam *spiritualiter* et *temporaliter* puniendos, ut est in decreto, *et contra invasores accedentium et recedentium à concilio*, et in *monitorio contra Philippum comitem virtutum* [2].

Quo etiam ex fonte manavit id quod est à Martino V, sacro Constantiensi concilio approbante, editum in bullâ *Inter cunctas*, adversùs Viclefi Hussique defensores [3]; nempè, « ut quâcumque dignitate præfulgeant, etiamsi patriarchali, archiepiscopali, episcopali, regali, reginali, ducali, » in eos ab episcopis atque inquisitoribus hæreticæ pravitatis *inquiratur*; ab iisque « per excommunicationis pœnam, suspensionis, interdicti, necnon privationis dignitatum, personatuum, et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac feudorum, quæ à quibuscumque ecclesiis, monasteriis, ac aliis locis ecclesiasticis obtinent, ac etiam bonorum, et dignitatum sæcularium, ac graduum scientiarum, quarumcumque Facultatum, et

[1] *Conc. Const., Sess.* XXVIII. col. 208, 211. — [2] *Constit. Conc. Const. cont. inv., Sess.* XV. col. 144; *Vid. Sess.* XXXI. col. 216. — [3] *Ibid., post. Sess.* XLV. col. 271.

per alias pœnas, sententias et censuras ecclesiasticas, ac vias et modos, quos ad hoc expedire viderint. » Quæ conglobata licèt, quis non videat jure tamen diversissimo decerni, nec ab eodem fonte manare, confusèque dicta, tamen congruè aptèque singulorum ratione habitâ, intelligi exercerique debere? Quis enim cùm audiat eodem tenore intentari *privationem bonorum ac dignitatum sæcularium, ac graduum scientiarum quarumcumque Facultatum;* quis, inquam, cùm hæc audiat colligata, ideò putet ab iisdem inquisitoribus, dignitates omnes, etiam, si Deo placet, regiam pari jure tolli posse, ac doctoratum, baccalaureatum et magisterium artium? Quare hæc omnia conglobatim licèt dicta atque congesta, tamen diligenter secerni oportere, luce est clarius.

Ac si vel maximè hujus vi decreti etiam regna tolli possunt, quis vetet intelligi de iis regnis, quæ sunt feudi ecclesiastici; cùm expressè dicatur tolli quidem feudos, sed eos, *qui à quibuscumque ecclesiis, monasteriis, ac aliis locis ecclesiasticis obtinentur?*

Vel decretum sessionis XIX audiamus, contra invasores ecclesiasticæ libertatis atque ditionis. Ibi inveniemus inter bona ecclesiastica, quæ occupata reddi debeant, bis terque recenseri, *regna, provincias, comitatus, dominia, territoria, civitates*[1]. Neque immeritò; cùm regna utriusque Siciliæ, Sardiniæ, Corsicæ, ad Ecclesiæ romanæ feudum certâ possessione pertinere constet, ut alia regna omittamus, quæ se ultrò huic conditioni subjecerint, atque etiam imperium romano-germanicum, quod eodem vel simili jure habere pertendunt; ut profectò nec mirum esset, si in concilio Constantiensi, privati fuissent reges, qui amplexi hæresim, juratam Ecclesiæ romanæ fidelitatem ejurassent. Ut autem eodem jure, Franciæ aut Castellæ, quo Sardiniæ aut Corsicæ regna adimantur, neque quis animo cogitare, neque Constantiensi concilio, sine gravi contumeliâ, tribuere possit.

Hæc ergo, conglobate licèt confusèque dicta, valeant aptè, congruè, distributivè, respectivè, suo quæque ordine ac modo; neque omnia eodem jure constare, aut cum potestate clavium conjuncta esse intelligantur; sed adhibitâ diligendi cautione, ad suos fontes quæque revocentur.

Quo itidem sensu decretum fuerit, ut qui Sigismundum Romanorum regem ad Hispaniam pacis ecclesiasticæ causâ profecturum impediant, *quâcumque dignitate, aut ecclesiastico beneficio, sæcularive priventur*[2]: quatenùs scilicet eæ dignitates, ea beneficia, Ecclesiæ sint, vel innato, vel acquisito jure.

[1] *Sess.* XIX. *in confirm. Const. Frid. II et Carolinæ. Vid.*, col. 273 et seq.—[2] *Sess.* XVII, *ib.*, col. 160, 161.

Idem dicimus de constitutione ejusdem concilii sessionis XXXIX, cui est titulus : *Provisio adversùs futura schismata*[1]; quâ Bonifacii VIII constitutio *Felicis*, à nobis suprà memorata[2], adversùs eos extenditur, qui *imperiali, regali, pontificali, vel aliâ quâvis ecclesiasticâ aut sæculari præfulgeant dignitate* : quæ ita intelliguntur, primùm ut temporalia ad consensum principum referantur; tùm ut non omnia omnibus, sed singulis, quæ singulis sint congrua, applicentur.

Nec alio sensu valent ea quæ eodem modo à concilio Basileensi sessione IX decreta sunt *, *sub pœnâ excommunicationis et privationis dignitatis cujuslibet ecclesiasticæ aut mundanæ*[3]. Neque enim illis Constantiensibus Basileensibusque formulis usquàm exprimitur, hæc temporalia ad ecclesiasticum ordinem auctoritate clavium ac jure divino pertinere, de quo uno litigamus; ac facilè intelliguntur privari dignitate, etiam mundanâ, eos in quos sibi tale jus Ecclesia comparavit.

Et quanquàm Ecclesia catholica, seu concilium generale eam repræsentans, nullos per se feudos, nullas ejusmodi res obtinet; sacræ tamen synodi Constantiensis ac Basileensis, eo jure quo se in romanum Pontificem aliosque prælatos illa jura obtinentes pollere intelligebant, de iis quoque decrevere.

Novo id exemplo in his conciliis factum esse confiteor; neque mirum hæc, quæ nullatenùs ad fidem perpetuamque morum doctrinam, sed ad variabilem disciplinam pertinent, variè tractata, ordinata, administrata fuisse.

Qui ergo hæc Constantiensia et Basileensia tanto studio inculcant, jam credo ipsi intelligunt, nihil hæc ad nostram quæstionem pertinere : velimque meminerint, quâ defensione à concilii Constantiensis sessionibus IV et V tutos se esse putent. Nempè lata illic tam clara, tam firma de conciliorum superioritate decreta, sic elevare solent, quòd concilium, sessione IV, « non tractet ex proposito materias aut quæstiones fidei, nec intendat ibi dogmata fidei statuere, aut hæreses vel errores damnare; » neque id decretum fecerit « per modum definitionis; quia non additur ita secundùm fidem catholicam esse tenendum; nec dicitur anathema contrarium sentientibus, ac docentibus[4]. » Hæc auctor *Doctrinæ Lovaniensium*, ex Joanne Viggers : hæc Bellarminus et alii scribunt, Melchiorem Canum secuti[5], cujus hæc verba sunt : « Si quis (tradita in sessione IV concilii Constantiensis) diligenter expendat, inveniet ea non formam habere de-

[1] *Sess.* XVII. *in confirm. Const. Frid. II, et Carolinæ. Vid.* col. 239. — [2] *Sup. hoc. lib.*, c. V.

* In illo decreto irrita declarantur ea quæ adversùs Sigismundum imperatorem synodi defensorem Eugenius IV fecerat. (*Edit. Paris.*)

[3] *Conc. Bas., Sess.* IX. tom. XII. col. 500, 501. — [4] *Doct. Lov.*, p. 73, 74. — [5] *Bell., de Conc. auct.*, lib. II. c. XIX; *Melch. Can., de Loc. Theol.*, lib. V. cap. 6.

creti, quo videlicet aut fideles obligentur, aut contrarium sentientes explodantur. »

Ostendant has formulas confusè congestas, *formam habere decreti* : ostendant in his propositum aliquid omnibus ad credendum : ostendant saltem in iis aliquid distinctè dictum, quod ad rem nostram, et ad clavium à Domino concessam potestatem pertineat. Quod cùm intellexerint nullo modo posse fieri, dùm hæc profectò objicere pergunt, nihil aliud quàm fucum faciunt, et imperitos ludunt.

Quòd ergo si argumentatur passim Nicolaus Dubois[1] : vel hæc esse admittenda, vel conciliorum Constantiensis ac Basileensis contemnendam auctoritatem : næ ille suo more nugatur, qui contra theologorum omnium, suaque etiam placita, res à concilio obiter, confusè, indistinctè, nullâ deliberatione dictas, æquiparet iis, quæ à concilio disertè, datâque operâ, decretæ, ordinatæ, definitæque sunt.

Idem D. Dubois synodo Basileensi exprobrat, quòd de feudo judicare voluerit, prohibitaque sit ab imperatore Sigismundo : quasi verò negemus fieri potuisse, ut ea synodus, aliæve, inconsultò aliena tractarent, et ab iis vetitæ abstinerent. Sed quandoquidem hæc objicit, velim, cogitet, quæ à Sigismundo in his expressa sint actis : « Palàm, ac solemniter protestati sumus, quòd archi-principatus, archi-mareschallatus, et jus eligendi romanum principem a nobis et sacro romanum imperio immediatè descendant, ac in feudum dependeant[2]. » Aliâ occasione idem Sigismundus ad eamdem synodum Basileensem hæc scribit[3] : « Notum facimus tenore præsentium universis, quòd, cùm inter alios orbis principatus, sacrum romanum imperium divinitus institutum obtineat principatum, etc. » Quæ à religiosissimo imperatore dicta, de principatibus divinitùs institutis, nostræ sententiæ favent. Quatenùs autem ad romanum spectant imperium, electorumque et aliorum principum jura ad imperium revocant, nullâ romanorum Pontificum mentione, vehementissimè dicta decretaque videmus. Ex quo appareat in his temporalibus, nullo fidei religionisque periculo, posse quædam à romanis Pontificibus vendicata, à romanis imperatoribus propulsari. Sed hæc quidem parùm ad nos. Ad propositum revertamur.

CAPUT XI.

Concilium Lateranense V sub Julio II. De concilii Tridentini decreto sessionis XXV, capite XIX de reformatione : quid nostri, etiam curiæ romanæ addictissimi, senserint.

Ne quid prætermittamus quod concilii œcumenici titulo nobis objici possit, recensenda sunt quædam quæ sub Julio II, in concilio

1 *Pars* I. *refut.*, p. 29, 31 et pass.—2 *App.* I., *Conc. Bas.*, col. 969, 999.—3 *Ibid.*, col. 961.

Lateranensi, sub eâ formulâ, *sacro approbante concilio*, decreta sunt : imprimis illud anni 1512, quòd rex Ludovicus XII regnumque Franciæ, exceptâ Britanniâ, ac maximè Lugdunensis civitas, conciliabulo, ut aiunt, Pisano adhæsistent ; constat non modò excommunicationem et interdictum pronuntiatum esse, sed etiam *ex Lugduno in civitatem Gebennensem translatas nundinas* [1]. Sic bellis flagrantibus, Gallisque absentibus, Julius II in Lateranensi synodo hostili animo decernebat. Quæ quidem proferimus in exemplum eorum, quæ licèt magno nomine, nimia, et ad terrorem composita ; atque ut nullo effectu, ita nullâ auctoritate gesta, nemo cordatior diffitebitur.

Objiciunt concilii Tridentini caput *Detestabilis*, de duellis, quod est sessionis XXV caput XIX de Reformatione. « Imperator, reges, duces, principes, marchiones, comites et alio quocumque nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione et dominio civitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem duellum permiserint fieri, quod ab Ecclesiâ obtinent, privati intelligantur, et si feudalia sunt, directis dominis statim acquirantur [2]. » Hæc conceptis verbis *de feudis ecclesiasticis* decreta, favent nobis potiùs quàm nocent ; cùm nec tanti sceleris atrocitate compelli potuerit sancta synodus, ut aliquid de feudis temporalibus decerneret. Interim cùm excommunicationem et feudi privationem pari verborum tenore decernat, hoc exemplo docet, optimè à nobis dictum, ad diversissimos fontes esse revocanda, quæ à sanctis conciliis persæpè colligata atque congesta sint.

Quod addit sacra synodus : « Qui verò pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant ; » id à nobis relatum est inter eas causas, quibus Franciæ regnum prohibitum sit ab acceptandis tanti concilii de disciplinâ ac reformatione decretis [3].

Hæc enim et similia effecerunt, ut anno 1576, sub Henrico III, in conventu ordinum Blæsis habito, tametsi deputati ferè omnes è conjuratis sive ex *Ligâ* erant, curiæque romanæ eo nomine addictissimi, concilii tamen Tridentini de reformatione decreta, nonnisi eâ exceptione admitterent, *salvis Ecclesiæ gallicanæ libertatibus*.

Neque etiam illa sessionis XXV clausula in constitutionem Blæsensem illata est ; cùm tam multa ex concilii reformatione petita eò conferrentur.

[1] *Conc. Later.*, V. *Sess.* III. tom. XIV. col. 88. — [2] *Conc. Trid.*, *Sess.* XXV. *de Refor.*, c. XIX. *Detestabilis* : tom. XIV. col. 916. — [3] *Bochel.*, *Dec. Eccl. Gall.*, lib. V. cap. 15.



Quin etiam in eâ congregatione, quæ nomine conventûs ordinum, anno 1593, vigente *Ligâ*, habita Parisiis est, à duce scilicet Meduanensi convocata : cùm dux Feriæ Hispanique concilium recipiendum urgerent, prolati sunt articuli, quibus Franci deterrerentur à concilii decretis admittendis, quos inter articulos is legitur : « Concilium excommunicat et privat regem eâ civitate, aut loco, in quo duellum permissum sit : » sessione XXV. Addita nota : « Hic articulus lædit potestatem regis, qui temporali suo ullâve ejus parte privari non possit; cùm eo respectu nullum superiorem agnoscat, qualiscumque ille sit [1]. » Quæ, jussu cardinalis Pellevei, conjuratorum antesignani, qui sacro ordini præsidebat, allata, eo tempore et loco ubi romana curia regnare videbatur, ostendunt quàm sit insitum Francis ne quid ecclesiasticæ potestati in temporalia juris tribuant.

Sic decreta de rebus temporalibus à conciliis etiam œcumenicis prolata, rata sunt vel irrita, prout principum vel consensione admittuntur, vel dissensione respuuntur : nedum ad clavium divinam potestatem aut ad fidei invariabilem regulam pertinere possint. Atque hæc quidem sunt, quæ ex conciliis œcumenicis opponantur; patetque clarissimè sacras synodos de rebus temporalibus nihil auctoritate clavium decrevisse.

CAPUT XII.

Nostri sæculi gesta ultimo loco reservata : dissidium Venetum, sub Paulo V, Henrici IV Magni operâ compositum.

Priorum sæculorum gestis evolutis, quæ nostro ævo nostrâque memoriâ gesta sunt, ultimo reservamus loco.

Quòd anno 1602, dux et senatus reipublicæ Venetorum de bonis immobilibus per ecclesias ac monasteria, sine senatûs licentiâ acquirendis, quædam judicia legesque edidissent, et quasdam ecclesiasticas personas *propter prætensa crimina carceri mancipassent* [2], Paulus V, die 17 aprilis, anno Christi 1606, pontificatûs primo, monitorium promulgavit, quò ducem ac senatum, nisi ea omnia certis præstitutis temporibus revocarent, excommunicatos, civitatem ipsam Venetorum terrasque omnes eorum ditioni subjectas, ecclesiastico interdicto suppositas nuntiat et declarat.

Statim atque id breve perlatum est ad episcopos ac prælatos Venetæ ditionis, ad quos directum erat die 6 Maii ; prodiit ad eosdem edictum *Leonardi Donati, Dei gratiâ Venetorum ducis* nomine [3], in quo annotamus ea quæ ad quæstionem nostram faciunt. Hoc primùm : « Nos qui tranquillitatem ac quietem dominii, nostro regimini à Deo

[1] *Vid. Dupleix.*, tom. IV. *Histor. Henr. IV*, *Thuan.*, lib. CV. — [2] *Monit. Paul. V*, *ap. Gold.*, tom. III. p. 282. — [3] *Ibid.*, p. 285.

commissi servare tenemur, et auctoritatem principis, neminem superiorem in temporalibus sub divinâ majestate agnoscentis debemus tueri, etc. » Tum ista : « Cùm cognoverimus præfatum breve, contra omne jus et æquum emanasse, et contra ea quæ divina Scriptura et sanctorum Patrum doctrina sacrique canones præcipiunt, in præjudicium auctoritatis sæcularis à Deo nobis traditæ, et libertatis reipublicæ nostræ, cum perturbatione tranquillæ possessionis,..... non sine omnium scandalo promulgatum fuisse; prædictum breve non modò ut injustum indebitumque, verùm etiam ut nullum nulliusque roboris aut momenti, nobis habendum esse non dubitamus, atque ita invalidum, irritum, et fulminatum illegitimè, et de facto nulloque juris ordine servato; ut ea remedia adhibenda non duxerimus, quibus majores nostri et alii supremi principes usi sunt cum Pontificibus, qui potestatis sibi in ædificationem traditæ, limites ac modos egressi fuerint. » Sic ipsâ per se notâ nullitate contenti, appellationem ad concilium œcumenicum superfluam censuerunt. Hujus dissidii eventus cùm neminem lateat, tantùm observamus hìc aliqua, quæ causam nostram spectent.

Primùm : excommunicatos ducem et senatum reipublicæ Venetorum; civitatem aliasque ejus imperii terras ecclesiastico interdicto suppositas; nihil sollicitatum imperium; et excommunicationem penitùs à depositione sejunctam, contra quod Gregorii VII tempore sentiebant; cæterùm de depositione nihil actum esse, neque auctoritate apostolicâ dissolutas leges à senatu conditas, quas Pontifex improbaret, sed jussum senatum ut eas antiquaret : metuentibus, ni fallor, romanis curialibus, ne depositiones aliaque ejus generis, oculato sæculo, jamque harum rerum pertæso, parùm approbari possent.

Secundò : ducem ac senatum, dato edicto, professos principum potestatem in temporalibus soli Deo subesse : Papam, dùm ad ea prosiliret, egressum esse limites ac modos traditæ sibi à Deo potestatis : ejus decretum Scripturis, Patribus, sacrisque canonibus adversari.

Tertiò : omnes Venetos atque ecclesiasticos religiososque, haud minùs quàm laicos, exceptis paucissimis *, eâ doctrinâ nixos, senatui obtemperasse, decreta Pauli V pro nullis habuisse.

Quartò : constitisse decretum Leonardi ducis : constitisse leges, quas de temporalibus rebus senatus dixerat; tametsi ecclesiastica bona personasque concernerent : nihil eorum à senatu fuisse revocatum : excommunicationem rerum temporalium causâ latam, præ-

* Ii fuerunt, præter omnes jesuitas, nonnulli ex familiis capucinorum et theatinorum, qui, senatui ne obtemperarent, maluerunt esse exules. (*Edit. Paris.*)

textis licèt ecclesiasticis immunitatibus, pro nullâ habitam, ac reverà ut talem per sese cecidisse; nullâque vel in speciem à senatu veniâ postulatâ *, aut absolutione acceptâ, pro catholicis atque Ecclesiæ romanæ filiis eos esse habitos.

Quintò : factum id esse Henrici IV operâ, totâ Galliâ, imò etiam totâ Ecclesiâ applaudente : Hispanis etiam in hujus gloriæ partem venire cupientibus ** : nullo catholico extra curiam romanam suscipere conato Pauli defensionem; nullo oppugnante ea, quæ senatus, publico edicto toto terrarum orbe promulgasset : quin etiam edictum à nullo romano Pontifice, ullâ unquàm censurâ fuisse improbatum.

Sextò : non promoveri aut augeri, sed potiùs atteri rem ecclesiasticam nimiis aut præposteris incœptis; defendique potuisse, adversùs Pontifices vehementissimos ac nimia ausos, temporalia jura supremarum potestatum, integrâ religione Sedisque apostolicæ reverentiâ; cùm ille frater Paulus calvinianæ hæresi, quam cucullatus fovebat, per eorum dissidiorum occasionem ***, aditum aliquem quærens, nullum invenerit, aut Senatum inducere ausus sit, insidiosissimus licèt, ad infringendam Sedis apostolicæ majestatem.

Hæc perpendant, qui religione semel nominatâ, romano Pontifici permittenda omnia, etiam temporalia; eamque sententiam ad romanam fidem putant pertinere.

Neque eo seciùs hæc atque alia hujusmodi dissidia, et inviti commemoramus, et toto animo, ut Ecclesiæ simul et reipublicæ noxia aversamur; gravemque putamus divini numinis ultionem incumbere his, qui hæc vel induxerint, vel libenti animo susceperint, aut ullo modo aluerint, vel ad ea ocius restinguenda sudoribus ac sanguini pepercerint.

* Cardinalis DE JOYEUSE, cui hoc negotium Henricus Magnus commiserat, quemque Pontifex suâ instruxerat auctoritate, cùm senatus nollet aut petere absolutionem, id quod Pontifex vehementer cupiebat, aut etiam illam non petitam saltem accipere, dixit in senatu : *Subiatum esse interdictum*; et senatus *carceri mancipatos ecclesiasticos* tradidit, non quidem *è prælato* cui Papa jusserat; sed legato regis Franciæ. Historia pauca habet exempla *dissidiorum*, quæ, ut illud, ad finem usque tam firmiter et constanter defensa fuerint. (*Edit. Paris.*)

** Rex Hispaniarum Philippus III solus dilatæ pacis causa fuit, dùm se cum omnibus suis copiis Pontifici offerebat, ad bellum Venetis inferendum. Vid. ejus epist. ad Paulum V, ap. Thuan. lib. CXXXVII. Deindè, seu pudore victus, seu quâlibet aliâ de causâ, pacis arbiter esse voluit; et quidem nonnullas conditiones proposuit. Veneti ipsùm, arbitrum admiserunt; non item conditiones, quas, ut iniquas, nec reipublicæ dignas majestate respuerunt. Quapropter, rebus demùm compositis, quanquàm uno Henrico Magno reconciliatæ pacis honor deberetur, et Hispani exiguam operam navassent, Veneti tamen Hispaniarum quoque regi gratias referri jusserunt. (*Edit. Paris.*)

*** Eorum dissidiorum occasione, anonymus libellum fixerat Venetiis, quo rempublicam adhortabatur ad desciscendum ab Ecclesiâ romanâ. Senatus in libelli auctorem inquiri jussit, et intereà edicto confirmavit; se à fide et obedientiâ sanctæ Sedis nunquàm discessurum. Hujus dissidii tempore, FRA-PAOLO, usus operâ Marci-Antonii DE DOMINIS, edidit apud Anglos Historiam concilii Tridentini, eo nempè consilio, ut curiam romanam calumniis respergeret, et sanctæ synodi decretorum imminueret auctoritatem. (*Edit. Paris.*)

CAPUT XIII.

Cardinalis Bellarmini libri adversùs Barclæum : senatûs decretum, antiquis ejusdem senatûs decretis congruum, quæ sacra Facultas susceperit : regii concilii decretum, Perronii cardinalis operâ.

Anno 1610, 26 novembris, aliquot mensibus post Henrici IV infandam ac parricidialem cædem, cardinalis Bellarmini tractatus de potestate summi Pontificis in temporalibus, adversùs Guillelmum Barclæum, prodiit. Is statim à parlamento Parisiensi est proscriptus, « vetitumque est, sub pœnis læsæ majestatis, ne quis eum librum haberet, ederet, venderet, ut qui contineret falsam et detestabilem propositionem, eò pertinentem, ut submitterentur homini à Deo constitutæ supremæ potestates ; et adversùs eorum personas et imperia subditi populi concitarentur [1]. » Interdictum toto regno, ne quis eam propositionem directè vel indirectè doceret.

Hoc senatûs decretum consonabat ei quod ab eodem senatu *, anno 1561, editum fuerat, jussusque Tanquerellus hæc verba promere : « Mihi displicet, quòd dixerim, quòd Papa Christi vicarius monarcha, spiritualem et sæcularem potestatem habens, principes suis præceptis rebelles, dignitatibus privare potest [2]. »

Item ab eodem senatu, anno 1595, eamdem doctrinam ejurare jussus est Florentinus Jacob clericus regularis sancti Augustini.

Utroque decreto vetita sacra Facultas hanc doctrinam permittere, gratias senatui egit, decretisque paruit.

His ergo consona adversùs Bellarmini librum senatus decreverat ; cujus decreti, cardinalis Perronii operâ, suspensa est à supremo regis consilio, executio, usque ad regis beneplacitum [3] ; decretumque id ei est formâ, quâ rege præsente decerni solet.

Causabatur Perronius Bellarmini in Ecclesiam merita, dicebatque, pupillo principe ac novo principatu, omitti oportere ea, quæ romanæ curiæ displicerent. Datum ergo temporibus, ut res in suspenso haberetur ; neque quidquam aliud potuit impetrari. Data clàm opera est, ne Bellarmini hic evulgaretur liber, aut sententia doceretur, virique tantùm nomini et honori parcitum. Alii laudabant Perronii prudentiam : plerique, hoc obtentu, veterem Galliæ vigorem infringi, et glacere adulationem dolebant.

[1] *Arrêt du Parlem.* 26 nov. 1610 ; *Vid. lib. cui titulus :* Recueil de pièces concern. l'hist. de Louis XIII. *Par.*, 1717, tom. IV. p. 11.
* 12 novemb.
[2] *Bochel., Dec. Eccl. Gall.*, lib. V. cap. 6, 7 ; *Vid. Dup.* XVI. sæc. pap. 1469. — [3] *Recueil de pièc., etc., ibid.*, pag. 13.

bus in suâ religione viverent. Tale autem erat juramentum, qu « in conscientiâ suâ, verè ac sincerè, nullâ reservatione menta quilibet catholicus testaretur Jacobum esse regem suum legitimu qui à Papâ, aut apostolicâ Sede nullo modo deponi ac deprimi pos rexque maneat nonobstante aliquâ declaratione, vel sententiâ e communicationis, vel deprivationis, atque etiam tolli non pos absolutione quavis fidelitatem atque obedientiam suæ majestati ej que successoribus [1]. »

Hoc verò juramentum quod Angli *fidelitatis* aut allevantiæ voca cardinalis Bellarminus cum illo Elisabethæ, quod erat *supremati* re ac sententiâ convenire asserit; negatamque Pontifici excommu candi principis potestatem : quæ quidem æquo lectori dijudican relinquimus. Quæ verò auctoritate certâ, in eâ re gesta sint, pr ferimus.

Huic certè Jacobi regis juramento insidiosissimè atque invidiosis mè erat insertum illud : « Præterea juro, quod ex corde abhorreo, d testor, et abjuro, tanquàm impiam et hæreticam, hanc doctrinam propositionem : quòd principes per Papam excommunicati, vel d privati, possint per suos subditos deponi et occidi. »

Hoc eò pertinere videbatur, ut catholici quivis privatâ auctorita decernerent *impiam et hæreticam* eam esse sententiam, quam deponendis, hæresis saltem causâ, regibus, viri maximi atque san tissimi, ipsique adeò romani Pontifices postremis sæculis, bono a mo, tanquàm probabilem defendissent. Et quidem ab eorum se tentiâ abhorrere, perspectis meliùs rebus, uti nos Franci facimu erat licitum ac bonum; damnare ut hæreticam, absque Eccles auctoritate, nimium et temerarium videbatur.

Nostri doctores rem totam, in eâ quam prædiximus consultation sic temperant, ut quandoquidem hæreticum esset, et ab Ecclesiâ Constantiensi concilio ut hæreticum damnatum, tyrannos, hoc principes etiam legitimos malè potestate usos, *occidi posse*, eode titulo possit insigniri ea propositio, quæ depositionem cum ce conjungeret, ut erat in juramento positum.

Utcumque est (neque enim hìc de hâc consultatione quærimu sed rem gestam enarramus) Paulus V, eodem anno 1606, 10 kalen octobris, breve edidit ad anglos catholicos cujus est initium : *Mag animi mœrore*; quo quidem in brevi, relato juramento, hæc addi « Vobis ex verbis ipsis perspicuum esse debet, quòd hujusmodi jur mentum, salvâ fide catholicâ et salute animarum vestrarum, præsti non potest; cùm multa contineat, quæ fidei et saluti apertè adve sentur. » De quo brevi, cùm in Angliâ quidam ambigerent, ill

[1] *Vid. Rap. Thoyr.*, lib. XVIII. tom. VII. p. 50, 51.

fices erroris damnarentur;.... multa quoque in regnum et rempublicam incommoda, perturbationes graves secuturas : quin etiam nocere regum incolumitati ac majestati ea, quibus illam adjuvare vellent. »

Hæc vir maximus toto eloquentiæ flumine peroravit. Jam objicitur nobis, non modò tanti cardinalis archiepiscopi Senonensis toto orbe celebratissimi, ac de Ecclesiâ catholicâ benè meritissimi, verùm etiam cleri totius, cujus nomine agebat, auctoritas; quæ duo magno habemus discrimine. Aliud enim est cleri decretum, aliud ab oratore ingeniosissimo quæsita et aptata causæ argumenta.

Ac de clero quidem quod objici potest, nostros nempè episcopos nunc à majorum sententiâ deflexisse, cùm id anno 1682 declararint, quod ne declararetur, eorum antecessores, anno 1615, tanto studio obstiterunt : facilis responsio ex dictis.

Quòd enim clero gallicano anno 1615 displicuit, hæc quæ ad religionem pertinerent, nomine ordinum regni fieri, idque auctoribus laicis tertii ordinisdeputatis, nihil ad conventum nostrum anni 1682 attinet. Conventus ordinum regni, licèt ibi sacer ordo, et ut regni membrum intersit, et pro suâ dignitate primas ferat, tamen civilis conventus est, reipublicæ, non rei ecclesiasticæ causâ convocatus; ubi ordo ecclesiasticus, conventûs tertia pars, à duobus ordinibus laicalibus numero ac suffragiorum auctoritate vincitur; de cujus articulis rex decernit supremâ auctoritate : conventus verò noster anni 1682, totus ecclesiasticus, ac de re ecclesiasticâ congregatus, à rege non decreti firmamentum, sed executionem, Patrum more, expectavit.

Quòd autem anno 1615 metuebant ne schismata fierent, gravi adversùs catholicos, qui à nobis dissentirent, intentatâ censurâ, id conventus noster cavit, dùm et veritatem asseruit, et ab omni censurâ temperatum esse voluit.

Quæ cùm ita sint, nihil jam necesse est nos de Perronio cardinale admodùm laborare, utcumque adversæ sententiæ favisse videatur. Facilè enim credimus vehementissimum oratorem, ipso, quo rapiebat cæteros, eloquentiæ impetu, fuisse abreptum : neque veritum auditores ultra metas impellere, ut cùm se repressissent, tamen quo ipse vellet loco consisterent, atque à censurâ abstinerent. Quanquàm et aliæ causæ inerant, cur in romanam curiam propenderet; ut nec mirum sit, si gallicani Patres potioribus ducti momentis, ab ejus sententiâ discesserint.

Ne quid tamen prætermisisse videar, de ejus oratione, quæ meo quidem judicio momenti sint maximi, pauca dicam.

CAPUT XV.

In Perronii cardinalis oratione ad tertium ordinem annotata quædam : ejus dicta confutantur : acta laudantur : hujus controversiæ finis.

Ac statim occurrit ipsa quæstio artificiosissimè constituta. Illud ex dialectices regulis, atque ab intimo artificio depromptum, quòd oppugnaturus universalem negativam istam, quam legis fundamentalis loco esse volebant : *Nullo casu reges à Pontifice deponi possunt ;* opponebat ille particularem affirmativam hanc : « Possunt à Pontifice deponi aliqui reges, his nempè conditionibus, si fidei catholicæ propugnandæ sacramento obligati sunt, si eam deserunt; si denique persequuntur[1]. » Quibus cùm finibus quæstionem circumscriberet, eò coarctare adversarios nitebatur, ut, quod erat invidiosissimum, reges hæreticos, violatique jurisjurandi reos, ad hæc persecutores, defendere viderentur. Illud interim studiosissimè tacuit, quod sæpè jam diximus : inter indirectæ potestatis defensores, neminem unquàm fuisse aut esse potuisse, qui se his finibus contineret; quippe cùm indirectam potestatem Dei gloriâ, animarum salute, et potestate clavium metiantur : quam quidem ad hos tres redigere casus, non modò esset absurdum, verùm etiam hæreticum.

Quare nec ipse cardinalis, qui se ad eos redegisset, quidquam probare potuit, nisi ultrà tenderet; protulitque depositos Henricos *, Fridericos **, nullum catholicæ fidei articulum denegantes, Childericum etiam Francico regno, et græcos imperatores imperio Occidentali nudatos, cùm nihil Ecclesiæ repugnarent. Nec tantum virum puduit allegare Gregorium Magnum, tanquàm privaturum imperio reges, si unius xenodochii privilegium violassent.

Id sensit vir acutissimus, atque ultrò professus est, « adhiberi à se ejusmodi exempla, quatenùs inservire possent huic thesi generali : dari quosdam casus, quibus subditi exsolvi possent à præstito regibus sacramento; aut huic hypothesi particulari : licere id fieri in principes hæreticos, sive apostatas, ac persecutores[2]. » Tanquàm in oratoris potestate esset, coercere ad arbitrium ipsam argumentorum vim : non autem aut totâ vi suâ valeant, aut, si nimis probant, totâ vi suâ corruant.

At illud dissimulare non possum, quòd etiam ab Orientalibus bellis sacris præsidium quærit, contenditque : non alio nomine justum piumque esse christianorum adversùs Turcas bellum, quàm quòd infidelis princeps, nullum jus sibi in christianorum provincias com-

[1] *Vid. Perr., loc. cit.*, p. 600.
* IV et V.— ** I* et II.
[2] *Vid. Perr., loc. cit.*, p. 602, 603.

parere possit : « Quod negare, inquit[1], nihil aliud esset, quàm errorem Lutheri defendere, priscorumque heroum, qui adversùs mahometanos tanta bella gesserunt, sancti etiam Ludovici damnare memoriam. »

Neque illud perpendere voluit, mahometanos ac Turcas, ex quo emersérunt, hostilem animum, atque inexpiabile bellum professos adversùs christianas provincias, meritò ut perpetuos hostes atque invasores haberi, qui etiam ubi pacem se fovere simulant, nihil nisi bella cogitant, idque ex ipsis impiæ legis placitis : nullâ nobiscum pace tutâ, nullo fido fœdere, nullo unquàm beneficio, nisi cyclopico; ut extremi pereant, quibus interim pepercisse videantur. Quo jure quis dubitet justa christianorum inter se adversùs communem hostem fœdera, justas societates; ac prorsùs suo more insanisse Lutherum, qui à tetris prædonibus bellum amoliretur? Hæc quàm procùl absint à nostrâ quæstione, ne imperitissimos quidem fugit, nolùm tantum virum latere potuerit; qui tamen hìc, si Deo placet, et sancti Ludovici damnandam memoriam, et Lutheri errores crepabat, credo, ut pueros territaret.

Pessimum et illud quod toties inculcavit : causam depositionis, vel maximè in eo esse, quòd mutuo sacramento, et se reges populis ad tuendam rectam fidem, et populi regibus ad fidele obsequium obligarint; ut si illi à juramenti religione discesserint, hi quoque vicissim à dito sacramento absolvi possint : neque verò obstare « quòd reges etiam ante coronationem factamque unctionem, ac præstitum jusjurandum regnent; responderi enim ab indirectæ potestatis defensoribus, reges nondùm consecratos sic haberi, ut qui jam in prædecessoribus solemne jusjurandum populis præstiterint[2]. » Hæc enim quam vanè jactentur, multa demonstrant; imprimis quòd ne illud quidem ad causam, hoc est, ad pontificiæ potestatis quæstionem perfinebat : quippe cùm si semel statuamus reges conditionali tantùm conventione regnare, jam, nullo pontificiæ potestatis interventu, sponte evanesceret illa regii nominis auctoritas, ruptis conventis conditionibus quibus niteretur. Huc accedit illud à cardinali pro certo positum : principum juramentis eam contineri regnandi conditionem, quâ deficiente simul solvantur imperia; quod ille immeritò pro certo habuit. Ea enim juramenta valere ut commendetur infigaturque principis animo vera fides; non eo profectò ut regnandi jus ad conditionalia pacta necessariò revocetur, ut suo loco docuimus, et Anastasii, Leonisque imperatoris suprà memorata exempla testantur[3].

Neque tolerari potest quòd Perronius ita argumentatur[4] : « Aliud

[1] *Vid. Perr., loc. cit.*, p. 630.—[2] *Ibid.*, p. 599, 627, 628, 630, 643.—[3] *Sup.*, lib. II. c. 7, 11, 12 et seq.—[4] *Perr., loc. cit.*, p. 628, 663.

esse, adversùs jurisjurandi religionem actu quodam, aliud ipsâ professione pugnare, aliud peccare adversùs jusjurandum, aliud ipsum jusjurandum evertere contrario etiam edito jurejurando... Et quidem cùm aliquis princeps injustè judicat, peccare illum contra jurisjurandi religionem; at si profiteretur juramentoque firmaret, se semper injustas dicturum sententias; tùm verò everteret, inquit, ipsum jusjurandum de servandâ justitiâ, simulque regnum abdicaret, eversâ conditione regnandi. » Ita deindè respondet[1] : « Regni sub Christo obtinendi fieri incapaces, qui à præstito ipsi christianisque populis fidei catholicæ servandæ sacramento defecerint. » Hic lubens à tanto viro quærerem, in historiis ac libris, quos studiosissimè evolvit, ecquem invenerit principem, qui ipsam justitiam factâ professione ejurarit? Certè neminem. Multos autem à rectâ fide abhorruisse lugemus, qui nihilò seciùs rempublicam benè gesserint; quandoquidem Deo placuit, veram fidem, non humanâ sapientiâ comparari, sed divinâ gratiâ provenire. Quorsùm ista? Ut pateat, illam quam fingit cardinalis de justitiâ ubique contemnendâ professionem juramento firmatam, ne in insani quidem principiis mentem incidere posse. Quamobrem si fingendum est quid fieret de principe qui ita justitiam ejuraret, facilè respondemus, amovendum eum à gubernaculis, dandumque tutorem, non quidem ut ei qui regnandi conditionem violaverit, sed ut ei qui propriè strictèque supra omnem humanum morem insaniat. Ita, inquam, ei tutor adhibendus esset, uti phreneticis ac furentibus principibus factum est, ab iis ad quos pertinet; non tamen profectò à romano Pontifice aut sacrorum antistitibus, qui quidem nihilo magis huic rei se immisceant, etiamsi eam vel maximè placet fieri, ex conditionalibus pactis. Maneret enim jus suum integrum liberæ civitati; quo jure fraudari nequeat; nequidem si religio conditionali fœdere continetur. Eo enim casu, postquàm de religione sacrisque, sacrorum antistites, tùm de imperio, libera respublica civitasque decerneret; ut profectò hæc omnia, quæ tanto circuitu apparatuque verborum amplificat eloquentissimus cardinalis, extra causæ statum tota sint, nec nisi imperitis fucum faciant.

Quòd autem declamat reges, sacramento dato, Christo regi obnoxios, « ipso feloniæ crimine, excidere feudis, quos à supremo Domino Christo obtineant; » tanquàm Christo regi, accepto à regibus fidelitatis sacramento, novum jus in reges comparetur : hæc ut in populari oratione toleramus, ut theologicè ac seriò dicta respuimus; neque propterea tanti viri judicio nostrum anteponimus; sed tamen docemus multùm interesse, an quis oratoriis ampullis, an theologicâ gravitate ac simplicitate disserat.

[1] *Perr., loc. cit.*, p. 628.

Cæterùm id sufficit maximi cardinalis gloriæ, quòd si ejus dicta quædam reprehendere cogimur, certè gesta laudamus. Gloriatur enim, nec immeritò, » se verè genuinèque Francum Francorumque filium, semper adhæsisse regibus, semper respexisse reges; ac post Henrici III necem, Henrico IV Magno obsecutum esse; et quidem tutâ conscientiâ, ex utriusque partis sententiâ; cùm ille princeps nunquàm incorrigibilis fuerit, relapsus verò habitus sit, informatione falsâ [1]. » Optimè omnino. At illud interim constat : eum, dùm tutâ conscientiâ sequitur principem à romanis Pontificibus regno exclusum, abundè docuisse quàm facilè hæc à Pontificibus, circa imperium ac res temporales decreta, viri boni gravesque omittere potuerint.

Hæc ad orationem Perronii dicenda habebamus. Et quidem ea omnia de regnandi conditionalibus pactis, quæque sint aut esse fingantur, quæque etiam esse possint, uno verbo transegimus; quæstionesque eas à causâ nostrâ prorsus alienas, ab hâc disputatione procul amovimus : quippe cùm agamus de jure divinitus annexo clavium potestati, non de ejusmodi, quales fingi possent, regum populorumque conventionibus.

Reliqua, quæ tantus cardinalis copiosissimè prosequitur momenta rationum, aptatosque causæ ab artifice summo veterum locos priscoque historiæ, hic excuti nihil necesse; cùm hæc omnia suo loco, in tractatione, diligentissimè perpensa atque explorata sint, presso hâc etiam plerumque auctoris gravissimi nomine.

Neque id omisimus, quod est occasione hujus controversiæ coram ipso rege, à sapientissimo principe Condæo peroratum [2]; nihilque hic dicendum superest, quod ad nostram quæstionem faciat, nisi id : rem ad regem evocatam, ac postea silentio esse transactam.

CAPUT XVI.

Censura Sanctarelli. An cardinalis Perronius jure metueret, ne Ecclesia errasse videretur, si censurâ notata esset illa de deponendis regibus sententia.

Cæterùm cùm de deponendis regibus nova quotidiè scripta prodirent, atque Antonii Sanctarelli exitiosissimus eâ de re circumferretur liber; ne porrò pergerent, his inventis, Ecclesiæ conciliare odia, ac rempublicam commovere, nostræ Facultati visum est, etiam censurâ comprimendam ingeniorum licentiam : atque anno 1626, magno omnium consensu magistrorum, totiusque regni applausu, illud decretum prodiit quod suprà retulimus [3].

Non illi metuerunt, quod Perronius cardinalis nimio causæ suæ

[1] *Perr., loc. cit.*, p. 896. — [2] *Sup.*, lib. I. sect. II. cap. 2. — [3] *Ibid.*, cap. 4.

studio, in illâ oratione imminere dixerat[1] : ut si sententia de deponendis regibus censurâ notaretur, Sedes apostolica aberrasse à fide, imò ipsa à multis jam sæculis cecidisse videretur Ecclesia; non id, inquam, metuerunt. Satis enim intelligebant, illos qui eam sententiam secuti essent, non eam amplexatos, ut dogma fidei, uti à nobis luculentissimè demonstratum est : neque verò ignorabant præstandam theologis ipsam Ecclesiæ romanæ fidem, non etiam magnorum quamlibet virorum, aut romanorum quoque Pontificum opiniones certis temporibus natas : neque iis præjudicari adversùs veritatem ac majorum doctrinam. Neque enim si Papias, Justinus, Irenæus, aliique apostolici viri ac sancti martyres mille annorum regnum approbarunt, communisque ea primis sæculis sententia ferebatur, ideò nunc vetamur rejicere eam, ut evangelicæ apostolicæque doctrinæ contrariam; quantò minùs eas, quæ postremis sæculis opiniones succreverunt? Imò id argumentum fuerit divinæ Providentiæ tuentis Ecclesiam; quod ingeniis ultro in dubia aut falsa labentibus, cursus tamen opinionum divino Spiritu sustentetur, quominus in Ecclesiæ fidem irrumpat. Quare sacra Facultas nihil dubitavit subortam de deponendis clavium auctoritate regibus opinionem *improbare et damnare tanquàm novam et falsam, erroneam, ac verbo Dei contrariam*. Id tantùm cavit, ne hæreticam, tacente Ecclesiâ, declararet. Huic censuræ consonant articuli, anno 1663, Ludovico XIV oblati, quos alio loco memoravimus[2] : à quibus Facultatis nostræ decretis, uti incœpimus, ita in his desinemus : Deoque agimus gratias, quòd hanc tractationem à remotissimis usque temporibus ad nostra tempora, eo duce atque auctore, deduximus, nostramque doctrinam tot labentibus sæculis immotam invictamque præstitimus.

CAPUT XVII.

Recapitulatio dictorum ad caput I gallicanæ Declarationis de temporalis potestatis supremâ auctoritate : an quod cardinalis Perronius objecit, nostram sententiam romani Pontifices pro erroneâ habuerint? An ab ullis conciliis damnata sit? An aliquis ex eâ adversùs Ecclesiæ auctoritatem metus?

Jam quæ ex dictis, totâque hâc tractatione consequantur, paucis colligamus. Et quidem, id erat nobis propositum uti doceremus, non modò nostram sententiam ab omni censurâ esse liberam, sed etiam veram, antiquam, firmam; ac si censura adhibenda sit, eam meritò in adversarios intorqueri. An id probaverimus, recensitis omnibus quæ pro utrâque parte retulimus documentis, intueri placet.

I. Ergo hæc demonstravimus[3] : quam ecclesiastico ordini, roma-

[1] *Perr., loc. cit.*, p. 284. — [2] *Sup.*, lib. I. sect. I. c. V; *Vid. Diss. præv.* — [3] *Sup.*, libr. sect. I.

noque Pontifici, virtute clavium tribuunt rerum temporalium ac deponendorum regum, sive directam, sive indirectam potestatem, eam ad nimia, periculosa, horrenda deducere, ejusque sententiæ novitate totam Ecclesiam perturbatam.

II. Gregorium VII, qui primus omnium de deponendis regibus cogitavit, etiam requisitum, nullum ejus rei exemplum, nullam auctoritatem proferre potuisse : nec nisi manifestè vana, nimia et nulla respondisse : eumdem nec sibi constare potuisse; novaque superstruxisse novis, quo ausu suis decretis omnem auctoritatem abrogasse.

III. Eam potestatem in omnibus veteris novique Testamenti libris penitùs inauditam, neque unquàm traditam, cùm res atque occasio id maximè postularet; imò disertè explicatum à Lege, à prophetis, à Christo, ab apostolis, regiam potestatem in temporalibus soli Deo subesse, eique potestati, etiam sævienti, atque Ecclesiam persequenti, in civilibus rebus præstandam obedientiam, nedum illi ullâ etiam pontificiâ auctoritate repugnetur [1].

IV. Eam doctrinam ad secuta sæcula dimanasse, et usque ad extremum ferè undecimum sæculum regibus idololatris, apostatis, hæreticis, excommunicatis, Ecclesiam persequentibus, fidem atque obedientiam integram esse servatam : nunquàm vel intentatas minas depositionis, neque quidquam, de eâ unquàm, cùm id res maximè posceret, à quoquam christiano, sive clerico sive laico fuisse jactatum : sed omnes ita concurrisse in obsequium, ut qui nihil aliud cogitarent [2].

V. Id factum iis regulis atque sententiis, quæ ad omnem ætatem, ad omnia tempora æquè pertineant; pessimèque mereri de christianâ religione eos, qui postremâ ætate dixerint, apostolis, martyribus, patribus, romanis denique Pontificibus, civili potestati etiam adversanti obedientibus, nocendi vires, non autem voluntatem atque animum defuisse.

VI. Quæ à Gregorio VII ac deinceps in eam rem decreta gestaque sint, pessimis initiis, pessimo exitu processisse.

VII. Qui Gregorio VII auctore, à regis obedientiâ recesserint, manifestè falsâ opinione ductos, malè intellecto interdicto de vitandis excommunicatis; eorumque doctrinæ secutos Pontifices, theologos omnes atque canonistas, ipsum etiam Gregorium VII obstitisse [3].

VIII. Pontifices romanos in deponendis regibus Gregorium VII de facto imitatos, non de jure processisse; neque unquàm quæsitum, neque canone aut professione editâ constitutum, utrum et quid Ecclesiæ circa temporalia ordinanda Christus concesserit : unum

1 *Sup.*, lib. I. sect. II.— 2 *Ibid.*, lib. II.— 3 *Sup.*, lib. III. et hoc lib.

Gregorii VII factum pro summâ auctoritate fuisse : ergo Pontifices non ex certo dogmate, sed ex opinione, quæ ipsis tantùm probabilis videretur, judicasse ; neque hæc ad Ecclesiæ doctrinam omnino pertinere, fatentibus etiam iis, qui romanæ infallibilitati maximè faveant.

IX. Prolatas etiam in synodis à romanis Pontificibus circa reges deponendos sententias, à nullâ synodo dictis sententiis, editoque synodico decreto comprobatas : tanquàm prohibente Spiritu sancto, ne se rebus novis sacræ synodi immiscerent.

X. Viros sanctos doctosque, qui post ea Pontificum, de deponendis regibus, decreta floruerint, nihil iis motos in Patrum sententiâ perstitisse.

XI. Bonifacium VIII, qui primus omnium aggressus sit temporalium rerum ordinandarum ac deponendorum principum potestatem Sedi apostolicæ edito canone in bullâ, *Unam sanctam*, vindicare, rei novitate deterritum, in nudâ rei expositione stetisse ; neque ad eam definiendam prosiliisse ; et tamen, ne valeret id quod vel exponendo in publico diplomate dixerat, bullam *Unam sanctam*, eâ in parte ab ejus successoribus ita habitam, ac si nunquam extitisset, eâque ratione robore vacuatam.

XII. Ecclesiam gallicanam, clerumque gallicanum apertè obstitisse iis, quibus idem Pontifex, propter subordinata religioni regna, summam sibi potestatem in civilibus tribueret : quæ eâ occasione Ecclesia gallicana, regnique ordines, ipse rex, doctoresque theologi religiosorum ordinum gesserint, scripserint, decreverint, ea illæsa et immota stetisse et stare : quæ verò Bonifacius, ea à secutis Pontificibus antiquata, erasa, abolita esse.

XIII. Quæ à sacris conciliis œcumenicis circa temporalia decreta sint, nunquàm auctoritate clavium facta esse : nunquàm adscriptum eâ auctoritate fieri ; imò explicatum fieri, mutuatâ à regibus potestate ; neque unquàm ea decreta, nisi consensu principum valuisse.

XIV. Cùm à romanis Pontificibus reges pro potestate depositi sint, nunquàm ab ullo rege, nunquàm ab ullius regni ordinibus hanc potestatem fuisse agnitam ; imò obstitisse regesque, remque ad cruenta bella externa et civilia esse deductam : quare nec regna unquàm verè data esse ; sed belli causas duntaxat, atque ambitioni, rebellionique colorem ac titulum, totumque orbem his bellis conflagrasse ; atque omnino has regum depositiones pontificiâ auctoritate factas, nulli unquam utilitati, maximo damno atque invidiæ fuisse.

Ex his facilè duo hæc christianus lector intelliget.

Primùm id : cardinalem Perronium haud ex vero dixisse[1] : *A*

[1] *Perr., loc. cit.*, p. 640, mal. 644.

Papâ haberi nostram sententiam tanquàm erroneam. Nullus enim romanus Pontifex id unquàm docuit, vel censuit : malè item asseruisse eumdem cardinalem : *A decem conciliis contrariam sententiam, ut veram fuisse suppositam;* cùm ne unum quidem concilium extiterit, à quo dictis sententiis romanorum Pontificum in deponendis regibus sententia comprobetur, aut potestas temporalium ecclesiasticis clavibus, annexa doceatur : frustrà ergo metuisse eumdem cardinalem, ne si annexa clavibus temporalium potestas, inustâ notâ proscribatur, Ecclesiæ catholicæ, Sedisque apostolicæ fides atque auctoritas collabescat; cùm nullum Ecclesiæ, nullum apostolicæ Sedis de eâ potestate decretum proferatur; imò talis potestas cum Scripturæ ac traditionis auctoritate stare non possit. Hoc primum ex nostrâ tractatione consequitur.

Alterum istud : nisi gallicani Patres summo studio pacem colerent, nihil obesse potuisse, quominus adversam sententiam totâ Scripturarum ac traditionis auctoritate, longoque malorum experimento proscriptam, iisdem afficerent notis, quibus Sanctarelli doctrinam sacra et sapientissima Facultas configendam censuit. Sed episcopalem Declarationem, quò per sese est gravior, eò moderatiorem esse debere judicarunt : atque id facere contenti, quò tam periculosa tamque invidiosa novitas ultro corrueret, non modò ab omni contumeliâ, verùm etiam à censurâ, quamvis æquâ, temperarunt.

CAPUT XVIII.

De regibus propter hæresim et apostasiam deponendis : cur ætate postremâ multi reges consenserint? Cur scholastici doctores? Cur ab eâ sententiâ discedamus?

Quæres quî factum ergo sit, ut doctores scholastici passim in eam sententiam abierint : reges christianos, saltem propter hæresim atque apostasiam, deponi posse ab Ecclesiâ ; et cur ipsi principes postremis temporibus id ultrò fateri videantur? Cujus confessionis quædam acta referuntur.

Facilè respondemus : primùm, ut sæpè diximus, hæresis atque apostasiæ causas nihil habere proprium, quo reges Pontificibus faciant obnoxios : cùm clavium potestas, cui volunt connexam hanc deponendi principes potestatem, non restringatur hæresis atque apostasiæ causis. Quòd ergo quidam fortè principes se propter eas causas deponi posse concesserint, id non oritur ex ullâ potestate, quam in Pontificibus agnoscant ad ordinanda temporalia : sed quòd hæresim detestati, omnia in se ultro permittant, si eâ se peste infici sinant. Cæterùm cùm ab hæresi tantopere abhorrerent, sanè intelligebant nihil in se juris cuiquam dari à se, qui hæresis tantùm causâ dedissent.

Cur autem non eâ causâ nunc deponi posse fateamur : primùm id prohibet, quod verum amamus, ac priscam Ecclesiæ et profectam ab apostolis Patribusque doctrinam novitiis opinionibus anteponimus : alterum, quòd hæresis nomen tam diffusè pateat, ut ad omnem causam latâ interpretatione facilè deducatur; quo ambiguo verbo involvi sublimes potestates publica tranquillitas non sinit : denique, quòd hæresis etiam strictè sumptæ semel admissâ causâ, alias repudiare non sint integrum; quippe eas causas separant, vel fraudem moliantur, vel in summâ ignoratione versentur.

De scholasticis verò, qui ab aliquot sæculis post sanctum Thomam et alios, magno consensu fateri videantur, hæresis et apostasiæ causâ deponi posse reges; præter ea, quæ dicta sunt [1], hæc insuper addimus : manifestè eos falsos ac nimios fuisse, qui hæresis atque apostasiæ causam sufficere dixerint; cùm Perronius hæresi atque apostasiæ violatum jusjurandum ac persecutionem adjunxerit : Bellarminus verò id saltem, ut *subditos a fide abstrahere conentur*; quod si defuerit, quietè pacatèque regnent. Quare haud dubium est, quin scholasticorum hâc in parte caduca et infirma habenda sit auctoritas, cùm ii, Bellarmino et Perronio fatentibus, falsi ac nimii fuerint.

Jam ergo meminisse nos oportet opiniones scholæ, quantùm à scholæ decretis dogmatisque differant, Melchiore Cano teste. Eo namque auctore, nobis est integrum, ut à scholæ opinionibus liberè recedamus, eisque anteponamus majorum dogmata, quæ, eodem Cano teste, multò illustriora firmioraque sint.

Idem Melchior Canus decreta ac placita scholæ eo internosci docet à scholæ opinionibus, quòd placita quidem firmo judicio stent; nec sine censuræ notâ ii elabantur, qui ab his discesserint. At inter scholasticos alicujus certè nominis (quis enim præstare omnes audeat, aut verò legere velit, quos ad contaminandam potiùs quàm ad tractandam theologiam diræ intemperiæ tanto numero egerint?) inter illos, inquam, neminem invenies, qui ad fidei dogmata referat eam, quam pontificibus tribuunt in deponendis hæreticis regibus, potestatem. Quod ergo hic sentiunt, ad opiniones, non ad placita scholæ pertinere constat.

Certè scholastici veteres, per librorum penuriam, aliasque causas, tantâ multarum rerum, præsertim juris publici, imperitiâ laborarunt, ut eos in his quæstionibus testes adducere, relictis Patribus, nihil aliud sit, quàm altâ caligine demersos, in apertâ ac limpidâ luce versantibus anteferre. Vel hoc exemplum perpendant. Quis è scholasticis, aut verò è canonistis postremi ævi, non id docuit : clericos nullo modo principibus esse subditos? tanta publici juris ignorantiâ

[1] *In appendice*, lib. II. cap. 14.

tenebantur! At nunc quotusquisque est, non dico clericorum, sed religiosorum, episcoporum, etiam romanæ Ecclesiæ cardinalium, qui non se subditos suis regibus fateantur, salvis privilegiis ordini suo Ecclesiæ auctoritate concessis, et publicâ regnorum lege firmatis? Curiales excipio, eosque non omnes. Aut dicant in rebus dubiis, quantùm iis fidere nos oporteat, qui Patres apud solum ferè Gratianum legerunt; rei ecclesiasticæ seriem ignorarunt; falsas historias aut interpolatas, pro veris atque integris habuerunt.

Talibus ergo delusos, non modò de principum, sed etiam de Pontificum juribus multa fugerunt; ac si à Pontificibus reges hæresis causâ deponi posse fateantur, fatentur interim à regibus quoque ac particularibus synodis deponi potuisse Pontifices; Othonisque I in Joannem XII pontificem gesta laudant, quæ Baronius detestatur [1]: ut non nostra tantùm, sed etiam omnium intersit ab his appellari.

Mitto Constantini aliorumque falsas donationes, falsasque decretales, veterum Pontificum nomine consarcinatas, nunc omnium consensione rejectas, tunc tamen pro sacrosanctis habitas; atque in his quidem nihil legimus, quo Pontificibus ulla temporalium potestas tribuatur. Adeò hæc, quæ nunc venditant, his quoque novellis ac posteris posteriora sunt. Sed tamen hæc nos admonent, ne imperitis sæculis omnia tribuamus, utque recurramus ad ipsos ecclesiasticæ traditionis fontes.

Quòd si porrò pergunt scholasticorum auctoritate nos premere circa principes propter hæresim deponendos; duo hìc in memoriam revocari volumus.

Primum, id quod gestum est, anno 1615, in ordinum regni generali conventu, ubi cardinalis Perronius, allegato licèt scholasticorum sibi favente consensu, tamen id tantùm postulabat, ut hæc quæstio inter problematicas ac liberas haberetur : « An reges hæretici, ac juratæ etiam in coronatione catholicæ fidei persecutores, deponi possint [2]? » Ergo existimabat eam sententiam, quæ depositioni faveret, non inter certa scholæ placita, sed inter opiniones esse recensendam.

Alterum quod recogitari volumus, hoc est censura Sanctarelli anno 1626 edita, anno 1682 repetita; ac vulgati acceptique toto regno articuli ejusdem Facultatis anno 1663, quibus omnibus sacra Facultas, non modò profitetur sententiam de deponendis etiam hæresis causâ regibus, non esse inter certa placita referendam; sed etiam planè rejiciendam, notisque atrocibus configendam. Quare privatorum doctorum scholasticorum opinionibus, quas memorant, opponimus totius scholæ ejusque gravissimæ, ex quâ nimirum ple-

[1] *Bar.*, an. 963. t. x. p. 775 et seq.— [2] *Perr. loc. cit.*, p. 600.

rique veteres scholastici prodierunt, non jam opiniones, sed certa decreta, toto christianissimo regno publicè approbata, toti Ecclesiæ nota, à nemine unquàm pro suspectis habita, aut ullatenùs incusata.

CAPUT XIX.

Anonymi auctoris, qui tractatum DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ GALLICANÆ edidit, liber IV ex antedictis confutatur.

Scriptor anonymus qui *de Libertatibus Ecclesiæ gallicanæ* tractatum edidit, primam propositionem nostræ Declarationis aggressus, indè auspicatur : *An hæc propositio spectet ad libertates Ecclesiæ gallicanæ* [1] ? Quâ quæstione nihil agit, nisi ut inanem litem moveat. Non enim clerus gallicanus Ecclesiæ gallicanæ libertates tantùm, sed etiam decreta tutanda suscepit. Scilicet sic incipit Declaratio : « Ecclesiæ gallicanæ decreta et libertates à majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta, sacris canonibus ac Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur [2]. » Quibus verbis, quoniàm anonymus occasionem cœpit tractandi de libertatibus gallicanis, sanè integra ea pensitare debuit. His certè vocibus clerus gallicanus Patrum scita universim antiquis traditionibus nixa complexus, illud etiam professus est : propulsari à se ea, quibus « hæretici apostolicam potestatem invidiosam et gravem regibus et populis ostentent : » quorum numero vel maximè continentur, quæ de illâ pontificiâ regum deponendorum potestate, tanquàm Ecclesiæ catholicæ dogmata essent, invidiosissimè objiciunt. Hæc igitur clerus gallicanus, ut falsa et catholicæ Ecclesiæ perperam imputata respuit.

Sed age : anonymo concedamus in gallicanâ Declaratione tantùm agi de libertatibus : ne tùm quidem à verâ libertatum notione discedimus, dùm earum nomine retinemus ea, quibus Ecclesiæ prisca jura continentur : arcemus autem ea, quibus gravari non modò rempublicam, sed etiam Ecclesiam ipsa experientia docuit.

Quod verò anonymus *difficile intellectu* dicit [3], *quâ ratione* ad libertates Ecclesiæ revocari possint *quæ juri Ecclesiæ potiùs adversentur;* facilè admitterem, nisi ea quæ ille jactat jurium nomine, ad Ecclesiæ non jura, sed incommoda pertinere intelligerem.

Neque ut anonymus existimat [4], clerus gallicanus libertates gallicanas ex Petro Pithæo aut Petro de Marca defiivit. Patrum monumenta protulimus [5], quibus ad ecclesiasticam libertatem hæc quoque, de quibus nunc agimus, jura regia revocantur. Quæ sanè monumenta non miramur ab anonymo præter missa [6]; quippe

[1] *Tract. de Lib.*, etc., lib. 4. cap. 1. — [2] *Decl. Cler. gall.* 1682. præf. — [3] *Anon., loc. cit.*, n. 1. — [4] *Ibid.*, n. 2. — [5] *Sup.*, lib. II, III et hoc lib. — [6] *Anon.*, n. 5.

cùm de libertatibus gallicanis contentiosè magisquàm vere solidèque scripserit.

Neque quod ille putat, adeò absonum est regni libertatem cum Ecclesiæ libertate esse conjunctam. Neque dedecori ducimus quod theologi christianique jura regia defendimus, non tàm ut jura regia, quàm ut Christi placita; Christi, inquam, placita, rempublicam ordinantis, tranquillantis imperium, ut Ecclesia in imperio futura, jam à seditionibus libera, melius Deo serviat : nec placet, religionis specie, regna pessumdari, quibus religio tutelæ esse debeat.

Objicit anonymus decretalem *Novit*, in Galliâ receptam, eamque altercationem quæ sub Philippo VI Francorum rege contigit [2] : quâ nempè « episcopi contendebant ecclesiasticam jurisdictionem sese ad temporalia extendere, saltem ratione peccati : » quam decretalem omniaque adeò hinc secuta, ab hâc questione alienissima esse ostendimus [3]. Neque enim id agebatur, ut ecclesiastici judices peccata prohiberint sub depositionis, quod unum hìc quærimus, sed tantùm sub anathematis pœnâ, ut profectò mirum sit virum eruditum, ipso in limine, tanquàm fundamenti loco illud tantâ ambitione jactasse, quod nequidem ad questionem pertinere constet.

Jam illud quærimus : an seriò velit judices ecclesiasticos peccati nomine, de pace, de bello, de tributis summâ auctoritate decernere, pacta, fœdera publica privatave, ac publica etiam judicia retractare; uno verbo, totam rempublicam commovere? Neque enim in his nullum est peccatum. An igitur hæc, peccati nomine, ad ecclesiastica judicia revocabimus? Aut id ad Ecclesiæ jura libertatesque pertinere dicemus? Non id equidem reor. Imò verò pars libertatis fuerit, ne ecclesiastici tot sæcularibus negotiis implicemur, seu potiùs obruamur. Ea ergo decreta de peccatis ad ecclesiastica judicia revocandis commodâ interpretatione molliri, uti nos fecimus, non ad extrema urgeri oportebat.

Neque me fugit extisse tempus, quo ecclesiastici judices hoc titulo omnia ad se traherent, atque ad civilia prosilerent; quæ, ut Ecclesiæ profecerint, experientia docuit. Certè hinc factum est, ut civilis magistratus, quasi vice versâ, magno Ecclesiæ detrimento, tot ecclesiastica invaderet. Quæ omnia utrinque resecari è re esset, ut omnes verâ pace, verâ libertate potirentur.

Quærit anonymus [4] : « Aliane sit hodiè Ecclesia gallicana, ab eâ, quæ anno 1615 tam generosè restitit tertio regni ordini, propositionem hanc primam, aut certè simillimam statuere conanti? » Nos autem ex actis docuimus [5], quàm ea, quæ tunc gesta sunt, à nostris

[1] *Ibid.*, n. 4, *Extrav.*, *de Jud.*, lib. II. tit. I. cap. 13. — [2] *Sup.*, lib. III. c. 22. — [3] *Anon.*, *loc. cit.*, n. 6. — [4] *Sup.*, *hoc lib.*, c. XIV, XV.

tùm ipsâ re, tùm ipsâ rei tractandæ ratione, abhorrerent. Laudat anonymus cardinalis Perronii orationem quam se totius cleri, imò et nobilium nomine pronuntiare affirmabat [1], « quam clerus gallicanus, cleri actis inseri probaverit, jam ab anno 1646, et interùm anno 1673. Hæc refert anonymus; neque id investigat: quam causam Perronius susceperit; quid clerus jusserit; quid à laico aut civili cœtu tractari vetuerit; nec si clerus gallicanus summam ipsam ac scopum orationis, ideò omnia quæ in eâ dicta sint comprobavit. Atque hæc quidem virum doctum ex actis publicis, quæ in omnium sunt manibus, conquirere, non autem unum Petrum Frizonium * allegare oportebat.

Quærit deindè anonymus: « An invidiosa et gravis regibus et populis fiat potestas ecclesiastica, si circa temporalia principum in certis casibus exerceri posse affirmetur [2]? Quo loco illud etiam exprobrat [3], gravem christianissimo regi factam ab episcopis gallicanis injuriam, quòd suspicari visi sint, moliturum ea, propter quæ Ecclesia decurrere cogeretur ad extremum illud, « ut ejus subditos à præstito fidelitatis juramento absolveret. » Quæ quidem non modò invidiosè in clerum, sed etiam in regem subobscurè jactata anonymus omisisset, si cogitasset tantum principem, quò ab illis minis per se est tutior, eò securiùs approbasse ut posteris caveretur.

Quod autem anonymus monet [4]: « Cùm principes spiritualia non satis pertimescant, facilè ruituros, nisi principatûs privatione se plecti posse sentiant, » viri solertiam agnoscimus: tanta tuendæ fidei Ecclesiæque remedia à Christo, ab apostolis, ab omni antiquitate prætermissa, ultimaque ætati reservata, admiramur.

Quin etiam vir solertissimus, regnique gallicani studiosissimus id cavet: cùm regnum ab unâ stirpe in aliam non semel translatum fuerit, id existimetur non posse fieri, « sine præstiti juramenti solutione, ac sine auctoritate Ecclesiæ, quæ nunquam interventura sit, nisi gravissimæ causæ, deficientibus aliis omnibus remediis, et adhibitâ cautelâ quàm maximâ, illuc adigerent [5]; » ut hoc quoque, si Deo placet, ad incolumitatem regiæ domûs pertinere judicemus, si aliqua extra regnum vis dejicere eam et deturbare possit. Cæterùm quàm verum sit, has depositiones regum, non *nisi gravissimis causis, et adhibitâ cautelâ quàm maximâ*, factas, exempla testantur.

Quid autem anonymus mutationes Francici regni commemorat, tanquàm eæ sint metuendæ, nisi ad pontificiam auctoritatem revo-

[1] *Anon.*, n. 6, 8.

* Frizonius, doctor Sorbonicus, historiam gallorum cardinalium scripsit parùm diligenter, in eo libro, cui titulum fecit: *Gallia purpurata*. Vid. Steph. Baluzii *Anti-Frizonium*. (*Edit. Paris.*)

[2] *Sup. hoc lib.*, cap. II. — [3] *Anon.*, n. 3. — [4] *Ibid.*, n. 6. — [5] *Ibid.*, n. 8.

centur? Neque id cogitat in Capetorum, quæ nunc obtinet, domo stabiliendâ pontificiam auctoritatem ne quidem esse nominatam. At illa familia septingentos jam annos stabile imperium possidet: quo nihil unquàm firmius aut durabilius rebus humanis contigit. Verùm illa tanta familia, quâ nulla augustior extitit, patrum nostrorum memoriâ cecidisset, si hæc quæ anonymus nunc, tanquàm firmamenta memorat [1], valuissent. Quid ergo Henrici IV tempora adducit in medium, quem ad fidem catholicam, non tam quorumdam catholicorum repugnantiâ, quàm aliorum obsequiis, ipsoque successu atque victoriis, perductum fuisse novimus? nec ideò hominum inventa probare cogimur, quòd Deum iis ad sua consilia exequenda usum meritò collaudemus.

Ludit suo more anonymus, dùm quærit *quos reges possit ab Ecclesiâ alienos facere illa* regum deponendorum *auctoritas* [2]? *Paganos fortassis?* Subditque: *De illis antistites gallicanos cogitasse non puto.* Tanquàm non de iis Paulus; quid autem Paulum appello? Christus ipse cogitarit. Vanum ergo illud ac ludicrum, quod reponit anonymus. At illud insulsum: « Sed numquid facultas censurarum adimenda etiam erit pastoribus ecclesiasticis, ne illarum metus à suscipiendo baptismo retardet? Nùm inermis esse debet omnis superior, ne pœnarum timor ab ejus obedientiâ deterreat? » Infelix theologus! Inermem et invalidam putat Ecclesiam, si à regno cœlesti tantùm arceat: nullas Ecclesiæ censuras, si spiritualia tantùm, non etiam temporalia auferant. At cogitare debuit non illud invidiosum et grave esse regibus ethnicis, si propter inobedientiam, ex Christi mandato ad ethnicos redigantur, in integro regnandi jure, integrâ republicâ. Ut autem Ecclesia, unà cum christianâ fide, obtrudat regibus dominum, cujus nutu deponantur: hoc verò ad efferandos reges pertinet; hoc eam dedecet Ecclesiam, quæ omnes complexa gentes, omnibus securam pacem, neque tantum divinam, sed etiam humanam, Christique imperio dignam pollicetur.

CAPUT XX.

Reliqua anonymi argumenta soluta paucis: ac primùm quæ ad Scripturam.

Hæc anonymus duobus primis libri IV capitibus exequitur: quâ velitatione prætermissâ, ad ipsam quæstionem accedit, ac Scripturæ locos aggreditur; neque quidquam dicit, quod non anteà fuerit diligentissimè confutatum [3]. Hic verò prætermittere non possumus egregiam viri interpretationem ad illud Christi dictum: REDDITE QUÆ SUNT CÆSARIS CÆSARI, *dummodò*, inquit, *reddantur quæ sunt Dei*

[1] *Anon.*, n. 7.—[2] *Ibid.*, n. 10.—[3] *Sup.*, lib. I. sect I. cap. 6; sect. II. cap. 13 et seq.

Deo [1]. Quam exceptionem si admittimus, nihil aliud Christus egerit, quàm ut ea statim everteret, quæ statuta volebat invicto robore, statimque à Cæsare discedendum fuit, quem idolis servientem, *quæ Dei sunt, Deo* denegare constaret.

At enim subdit anonymus, à Cæsare discedendum, « si non solùm quæ Dei sunt, non reddat, sed si subditos à fide per vim retrahat, ac nisi aliundè mala graviora timeantur; » denique *si Dei vicarius* declaret, OBEDIENDUM ESSE DEO MAGIS QUAM HOMINIBUS [2]: quas glossas comminisci quid est aliud, quàm Christi verbis sua aliena et inaudita assuere?

Sanè auctor ipse intellexit perperam allegari istud Actorum: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*. Sibi enim objicit [3], « hinc tantùm sequi non esse parendum principi aliquid contra Deum præcipienti, non autem propterea in aliis ab ejus obedientiâ recedendum; ac potiùs bonorum ac vitæ jacturam faciendam. » Quæ cùm verissimè dixerit, quid ad hæc responderit audiendum: « Laudabile id quidem, sed quotusquisque nunc est, qui paupertatis, exilii, ac mortis metu à Dei servitio non deterreatur? Quo concludit, licere Ecclesiæ « christiano principi monito et incorrecto potestatem nocendi adimere, ac ab ejus tyrannide populos subducere. » Sic quia ab evangelicâ fortitudine tam multi deficiunt, alia nos remedia, Evangelio Patribusque incognita comminisci et humano ratiocinio omnia indulgere oportet, nullâ etiam adductâ Scripturæ auctoritate, nisi fortè illâ, quam unam adhibet anonymus [4]: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ* [5]: quæ quàm ad romanum Pontificem pertineat, et omnes per se vident, et suprà demonstravimus [6].

CAPUT XXI.

Argumenta anonymi deprompta ex antiquitate: tum ex scholasticis et canonistis.

Nihil moramur id quod capite IV anonymus agit multis, regum potestatem non ita esse à Deo, quin sit à populorum consensu: quæ nemo negaverit, neque quidquam ad rem pertinent. Nos autem quatenùs regia potestas à Deo sit, lucidè exposuimus [7].

Jam Patrum traditionem capite V expendit: quo loco de Patribus iis primùm agit, qui in conciliis sederint. A Gregorii VII tempore traditionem probandum auspicatur: locos affert supra memoratos ex conciliis Lateranensi III et IV, Lugdunensi II, Constantiensi, Basileensi, Tridentino depromptos.

Quid autem attinebat locos referre tantùm, quos nullus ignoret? Res gestas ac rerum circumstantias aperire, decretorum causas

[1] *Anon. loc. cit.*, cap. III. n. 4. — [2] *Act.*, V. 29. — [3] *Anon. loc. cit.*, n. 5. — [4] *Ibid.*, n. 1, 2. — [5] *Matth.*, XXVIII. 18. — [6] *Sup.*, lib. I. sect. I. c. 6, sect. II. c. 19. — [7] *Sup.*, *loc. cit.*, c. 1, 2, 3.

mentemque investigare, de solutionibus quærere oportebat eum, qui *amplam discussionem* Declarationis gallicanæ initio haud exigui tractatûs, vel ipse titulo promiserat. Nos hæc omnia toto hoc libro quarto clarè discussimus.

Copiosissimè pertractat sancti Gregorii dictum de regibus etiam potestate privandis, qui xenodochii privilegium violassent [1]. Quo loco omnia satis sibi tuta arbitratur, si epistolæ Gregorianæ veritatem asserat, ac Joannem Launoium insectetur. Nos autem alia protulimus [2], quæ doctis haud ignota, si animo providere anonymus non potuit; his lectis speramus ab eâ objectione facilè destiturum.

Idem dicimus de Childerico deposito : quem quidem locum anonymus copiosissimè tractat [3]; sed interim æqualium auctorum testimonia pleraque conticescit : eorum qui multa post sæcula scripsere, auctoritatem plus æquo extollit; rerum circumstantias prætermittit. Nos omnia evolvimus, et certa documenta adduximus [4].

A Gregorio II negata tributa, translatumque imperium ad Francos, tanquàm exploratam rem adducit anonymus [5] : ac de negatis tributis rem confectam putat, allato Theophane et Zonarâ, et Joanne Launoio fortassis confutato : quid hic Græci vel attingant, vel misceant, quid Latini memorent, quid ipsa rerum series postulet, prætermittit : quamquàm hæc vel à Baronio didicisse poterat; quæ nos recensuimus [6].

Alia exempla refert regnorum pontificiâ potestate ademptorum [7]; neque omittit Ivonis locum, de coronâ Philippo I regi restituendâ, quam per summam imperitiam de regiâ potestate esse intellectam docuimus [8]. Anastasium imperatorem memorat, sanctique Symmachi locum [9]; quem nisi à totâ sermonis serie abrupisset, sibi nociturum facilè intellexisset : neque id saltem explicat; si Symmachus depositiones cogitabat, cur hæreticum, contumacem, excommunicatum, denique persecutorem Anastasium, ubique appellet imperatorem? Neque ex imbecillitate, tot ubique adversùs Anastasium seditionibus concitatis : neque quòd pejora metueret, quàm quæ jam Ecclesia experta fuerat. Nos historiam hanc, ut et alias retulimus integram [10], quo lector omnia dijudicare potest.

At illud omisimus ab anonymo relatum [11] : nempè quòd Petrus Blesensis, Eleonoræ reginæ nomine, ad Cœlestinum III scripserit pro liberatione Richardi filii, à Leopoldo Austriæ duce capti; hæc, inquam, omisimus; quippe quæ ad rem non pertinebant. Id enim

[1] *Anon. loc. cit.*, c. VI.—[2] *Sup.*, lib. II. c. 9.—[3] *Anon. loc. cit.*, c. X.—[4] *Sup.*, l. II. c. 34, 35.—[5] *Anon. loc. cit.*, c. XI, XII.—[6] *Sup.*, l. II. c. 11, 12 et seq.—[7] *An. loc. cit.*, c. XI. n. 5.—[8] *Vid. Sup.*, l. III. c. 10.—[9] *Anon.*, n. 7, 8.—[10] *Sup.*, l. II. c. 7.—[11] *Anon.*, n. 9.

regina agit, *ut Petro et successoribus omnis potestas regendi committatur*[1]. Quare dicit, *non regem, non imperatorem, à jugo pontificiæ jurisdictionis eximi :* excommunicationis certè, quemadmodùm factum esse vidimus; non depositionis metu; nec, si quid tale Eleonora regina rebus suis serviens duodecimo sæculo scripsisset, auctoritatem ejus tanti esse putaremus.

Bernardi dictum de duobus gladiis refert anonymus[2] : quâ occasione prolatum, suo more, tacet. Nos ex ipso Bernardo, rerumque serie exposuimus[3].

Tum ille, à tertio decimo sæculo, scholasticos et canonistas longo recenset ordine[4]. Quibus quanta fides haberi debeat paulò antè diximus[5]. Cæterùm, qui rem penitùs introspexerit, facilè intelliget anonymum non in his semper bonâ fide esse versatum. Indicio esse poterit locus ex Ægidio romano, sive, quisquis ille est, *Quæstionis disputatæ* auctore depromptus. Hunc laudat anonymus hæc scribentem[6] : « Et si rex Franciæ secundùm jura non subest summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de feudo sui, potest ei subjacere incidenter et casualiter, ratione connexionis alicujus causæ spiritualis, sicut habetur extr. *de Judiciis*, cap. *Novit*, etc. » Quæ verba primùm quidem ad depositionem nihil pertinent, quod nunc quærimus. Quin favet glossa Hostiensis super verbo *de Feudo*, ibidem relata ab Ægidio romano; quâ glossâ Pontificem sic inducit loquentem : « Non intendimus cognoscere de feudo, sed tantùm ratione peccati, inducendo illum ad pœnitentiam, quia illam non potest agere nisi satisfaciat. » Tùm illud notandum quod Ægidius paulò antè dixerat[7] : « Causæ merè temporales sunt causæ feudales, et causæ sanguinis, et hujusmodi; istas commisit Deus immediatè et principaliter imperatori et regibus, de quibus nec Papa nec alii prælati debuerunt cognoscere in Ecclesiâ primitivâ; licèt modò consuetudine, de personalibus quibusdam et temporalibus, ad utrumque judicem recurratur. »

His animadversis, facilè intelligi potuit, quòd prælati de temporalibus interdùm judicent; non id pertinere ad primitiva Ecclesiæ jura, de quibus quærimus; sed ad consuetudinem consensu mutuo introductam, ad quam auctores quosdam, ab anonymo laudatos, respexisse constat. Sed hæc utcumque se habeant, graviore nos auctoritate teneri significavimus.

[1] *Ep. Eleon. Reg. ad Cœl. III*; *int. ep. Pet. Bles.* CXLV. tom. XXIV. *Bibl. Pat.*, p. 1089. — [2] *Anon. loc. cit.*, c. VII. — [3] *Vid. sup.*, l. III. c. 16. — [4] *Anon.*, c. VII, VIII, IX. — [5] *Vid. sup. hoc lib.*, c. XVIII. — [6] *Anon.*, c. VIII. n. 7; *Æg. Rom. quæst. disp.*, art. IV; *Vind. Maj.*, l. II. c. 39. — [7] *Anon.*, c. 34.

CAPUT XXII.

Anonymi argumenta ex consensu regum, et sanctorum exemplis.

Apud anonymum capitis XIII titulus mira pollicetur : *Principes ipsos aliquam Ecclesiæ in temporalia potestatem agnovisse* [1]. Sanè meminerimus de illâ potestate agi, quâ reges deponuntur. Quid autem ad eam rem refert anonymus? Nempè Ludovicum Germaniæ ac Lotharium Austrasiæ reges adversùs Carolum Calvum, de invasione cogitantem, ad Nicolaum I confugisse; ut quos nulla pacis fœdera, nulla nectunt consanguinitatis ligamenta, apostolica injunctio per censuram ecclesiasticam venire compellat. Hic verò anonymus depositiones somniat. Excommunicatione agi volebant, ut in re manifestâ; quod ad rem nostram non pertinet; neque à Nicolaò impetrarunt.

A nono sæculo statim ad duodecimum anonymus transvolat, quibus depositiones istas invaluisse nemo negat. Hæc ergo penitùs omittere præstitisset. An enim oportebat memorari Philippum II ac III, Francorum reges, qui Anglicanum et Aragonense regnum pontificiis depositionibus nixi, invaserint; tanquàm etiam ad auctoritatem trahi possint, quæ reges cupiditate aut errore peccarunt?

At anonymus ex anteactis sæculis Justinum II memorat, qui christianos Persarmenos à Chosroâ Persarum rege desciscentes, tutatus sit, et Chosroæ querenti responderit : « Nefas esset ut christiani christianos tempore belli ad se confugientes, desertos esse patiantur [2]. » Quorsùm ista? Ubi hic depositio, aut solutum fidelitatis sacramentum? At enim ait anonymus : « Nonne melius est ut fideles principibus non se subtrahant, etiamsi justam habeant causam, nisi Ecclesiæ accedente auctoritate? » Cur non ergo illud Justinus II aut Persarmeni cogitaverunt? Nempè illud *melius* nondùm christianorum quisquam in animum induxerat.

Quod Henricus IV imperator aliique, post undecim ferè sæcula, principes aliquandò dixerint, parùm ad rem facere satis ostendimus [3].

Quod autem anonymus memorat de jure, « quod penès rempublicam maneat aliquandò principatûs transferendi, deque mutuâ principum et subditorum obligatione, ad exequenda pacta in institutione regni conventa [4], » jam diximus [5]. Quæ quidem, si quid valent, Ecclesiam ab his rebus arceant; ut hoc alieno loco quærere nihil aliud sit, quàm hanc quæstionem involvere, non explicare voluisse.

Quòd clerus gallicanus Declarationem suam sanctorum exemplis

[1] *Anon. loc. cit.*, c. XIII. n. 1.—[2] *Ibid.*, n. 2; *Evagr.*, l. V. c. 7.—[3] *Sup. hoc lib.*, c. XVIII.—[4] *Anon. loc. cit.*, n. 10, 11.—[5] *Hoc lib.*, c. XV.

Sede apostolicâ collocarent : quibus maximè permotos, ad id devenisse, ut, extra cardinalium collegium, Bartholomæum Barensem archiepiscopum, Urbanum VI eligerent, non quidem romanum, sed tamen Italum ; quem in Italiâ, ipsa patriæ charitas detineret [1]. Atque is, delinitâ plebe, in pontificiâ cathedrâ constitutus, et ab omnibus agnitus. Neque eo seciùs post aliquot menses, Robertus Gebennensis *, Clemens VII dictus, Anagniæ ** electus est, quòd plerique cardinales Urbanum vi electum contenderent : se quidem metu adactos, ac datâ copiâ, statim ex urbe Româ tanquam ex custodiâ effugisse. Urbanus Romæ Clemens à Gallis agnitus, Avenione sedit. Urbano Bonifacius IX, Innocentius VII, Gregorius XII, Clementi Benedictus XIII Hispanus suffectus est. Has inter turbas christiana respublica infando schismate, quadraginta ferè annorum spatio, laborabat. Quærebatur primùm, an is metus fuisset, qui graves et constantes viros meritò permoveret, atque electionem irritam faceret? Tùm si electio per vim et seditionem extorta ab ipsâ origine nulla esset, an secutâ consensione, atque agnitione Urbani VI rata haberetur? An verò omnia per se, etiam ipsa agnitio atque consensio, eodem scilicet metu præstita, irrita caderet? et quidem satis constabat à cardinalibus, quanquam non per omnia plebi furenti obsecutis ; quippe cùm non romanum, sed Italum duntaxat Pontificem providissent, tamen electionem ipsam, non uti sacri canones postulabant, plenâ libertate fuisse celebratam ; neque integrum fuisse eis, ut, more majorum, ex totâ republicâ christianâ eligerent, qui toti præfuturus esset. Utcumque est (neque enim juvat hic tantam innovare litem), est certum, rem doctis etiam sanctisque viris adeò obscuram esse visam, ut nationes, regna, principes, sacrorum antistites, illique etiam ipsi, qui vitæ sanctitate atque miraculis celebres habebantur, in re hactenùs inauditâ, juris et facti ambiguitate, in diversa studia traherentur.

Sæpè interim de pace actum, sed inani operâ ; neque persuaderi potuit utriusque partis cardinalibus, ne sede vacante, novo Pontifice constituto, schisma propagarent ; neque ipsi contendentes, ut vocabant, hoc est, Angelus de Corario, Gregorius XII, ac Petrus de Lunâ, Benedictus XIII, qui se pro Pontificibus gererent, sæpè licèt polliciti, adduci potuere, ut reipsâ loco cederent, ac pacem honori suo anteponerent : adeò imperii dulcedine capti, vanis pollicitationibus ac pactis, etiam sacramento confirmatis, nihil aliud

1 *Vid. Rain.*, tom. XVII. an. 1378, n. 1 et seq.

* Seu potiùs Genevensis.

** Cardinales primùm secesserunt Anagniam, et indè Fundos urbem regni Neapolitani in provinciâ Terræ Laboris, novem leucis distans ab urbe Anagniâ. Ibi Robertus electus est. (*Edit. Paris.*)

suam conscientiam, ac publicam fidem, totumque adeò or-
christianum, ludere videbantur.

uterque profitebatur se à pontificatu pacis ecclesiasticæ gratiâ
rum; sed eâ conditione, si priùs æmulus loco cederet,
et unio, ut vocabant, statim coalitura videretur. Sed cùm
iterum expectaret, neuter inciperet, nihil interim fieret,
in infinitum extraheretur, totum id, quod inter ipsos, mis-
ultrò citròque legatis, agebatur, fœdæ ludificationi, quàm
tractationi, similius habebatur.

me fugit Gregorium XII, virum bonum ac simplicem, me-
ide egisse visum; Benedictum XIII, subdolum, pervicacem,
obstinatæ mentis, eo tantùm collimasse, ut in æmulum con-
schismatis invidiam derivaret. Sed nec ipse Gregorius erat
us: quippe qui ad pacem et abdicationem per se ipse pronus,
à dimittendâ potentiâ, nepotum quibus ingenti studio ad-
tenebatur, artibus ac ludificationibus vetaretur. Placet referre
Aretini Gregorianarum partium elegantissimi et candidis-
historici de ipso Gregorio verba memoranda. « Paulatim res
cœperunt, et cuncta in dies deteriora fieri; voluntas
Pontificis recta, nequaquam satis habere firmitatis reperta
pontificatum deponendum. Cujus rei culpam multi in pro-
ejus referebant. Ab his enim formidines inanes, et adum-
pericula quotidiè fingi, ac instillari ejus auribus prædica-
.» Neque ab his abludit Theodorus à Niem, earumdem partium
ius: neque quidquam visum est gravius, quàm cùm Gregorius,
veteribus cardinalibus, qui studerint paci, eorum loco car-
fecit Antonium Corarium fratris filium, et Gabrielem Con-
rium sororis filium postea Eugenium IV [2]. Ac multa eum
orum turbâ circumdabat, qui ad retinendum Pontificatum
ent; nec imbecillem senem puduit abdicationem pacisci eâ
ut Faventinus * et Foro-Juliensis principatus ** nepotibus tra-
tur [3]. Nihil ergo mirum, quòd tanta coorta sit christiani orbis
atio adversùs ambos Pontifices, qui septuagenariis majores,
onoris cupiditate, rempublicam christianam certam in perni-
gerent.

nidem ab aliquot sæculis fœda erat Ecclesiæ facies, solutâ
inâ et corruptis moribus; et ab ipsâ curiâ romanâ prima totaque

Aret. de temp. sui hist., p. 27.— 2 *Theod. à Niem*, lib. III. *de Schis.*, cap. 15, 16, 17,
Rain., tom. XVII. an. 1408, n. 8.
tia urbecula, distans quatuor leucis à Foro-Julio in Romandiolâ provinciâ.
dit Rainaldus illum quoque postulasse, ut nonnulla oppida Ecclesiæ Ravennatis ditio-
darentur. (*Edit. Paris.*)
., tom. XVII. an. 1407, n. 29; *Theod. à Niem., loc. cit.*

ferè mali labes, unde remedium expectare debuit: adeo omnia a tia ac libido pervaserat, ac plerique Pontifices vix aliquid prisci m cogitabant, satis superque se Pontifices arbitrati, si dispensationib reservationibus, indictionibus, decimationibus, aliisque mand extraordinariis, cuncta ad se traherent. Venalia omnia, tota Ecclesia prædæ fuit. Hæc à sancto quoque Bernardo Sedis aposto studiosissimo memorata [1], nec referenda arbitrarer, nisi de refor tionis summâ necessitate, vel maximè agendum incumberet. Et constabat post sancti Bernardi tempora res in deterius quoque flux Verùm in tanto schismate magis magisque omnia pessum ire, in liâ tyranni invalescere, ingruere undique bella, et quisque tut sui Pontificis specie, hostes insectari, vicinos diripere, omnia cere, *simonia in domo Dei præsidere, eripi Ecclesiæ libertates.* Universitas Parisiensis datâ ad Carolum VI epistolâ querebatur [2].

Ad hæc profligatâ disciplinâ, hæreses gliscere, Viclefi, Hussi, rumque scelere concuti Ecclesia; periclitari fides; Sedes apostol conciliatrix unitatis, veluti schismatum altrix, contemptui ha Testantur enim Universitatis Parisiensis sanctissimæ et gravis litteræ ad Clementem VII [3], Avenione sedentem, « eò rem proces per schisma, ut plures passim et publicè non vereantur dicere curandum sint ne duo, vel tres aut decem, vel duodecim Pape et singulis regnis præfici posse nullâ sibi auctoritate prælatos, in detrimentum sacrosanctæ Ecclesiæ romanæ, ecclesiasticæ polit et religionis catholicæ. »

Sic ex schismate tam diuturno, tam fœdo, addita audacia apostolicæ contemptoribus; unde emersit illa, in synodo Cons tiensi relata, Viclefi propositio [4]: « Post Urbanum VI non est al recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum. apostolicæ Sedis totiusque Ecclesiæ catholicæ res per schisma d nerant.

Cæterùm apud pios bonosque inconcussa manebat sacrati Sedis auctoritas, Ecclesiæ catholicæ petra, fidei magistra, mater tatis, atque inter pravos mores et horrendi schismatis mala, sal tot sanctorum Pontificum recordatio. Et satis constabat super Ecclesias romanam Ecclesiam, ut dignitate, ita disciplinæ pietat laude diutissimè præstitisse, tum ejus auctoritate vel maximè, cumque tempore prostratas hæreses, fidem catholicam, chri namque pacem ubique viguisse; quæ labentibus sæculis mala nissent, iis non infringi Christi promissa; tentari nos à Domino in his promissis firmâ fide maneremus, nec suæ Ecclesiæ de

[1] *Bernard., lib. de Consider. ad Eug. pass.* — [2] *Spicil.*, tom. VI. p. 96, 97. — [3] *Ibid.* — [4] *Conc. Const., Sess.* VIII. *prop. Viclef.* IX. col. 46.

m. Ea spes animos sustentabat : quòque vehementiùs concussa
apostolica Sedes, eò magis in eam piorum incensa studia. Sed
cebat infirmorum fides, atque omninò navicula, veluti dor-
te Christo, mergi fluctibus videbatur.

CAPUT VIII.

hismati quæsita remedia : concilium œcumenicum necessarium : Ecclesia
cana ab Odorico Rainaldo Vicleflsmi accusata, propter subtractam simul
entiam et annatas.

ma Gallia tanto vulneri medicas adhibuit manus. Clerus galli-
Lutetiæ congregatus anno 1394, Simone Cramando *, patriar-
Alexandrino titulari, præside electo. Quo duce hæc professi
cani antistites [1] : « Tendimus ad redintegrationem et conservatio-
statûs et honoris summæ dignitatis papatûs, et universalis Ec-
, sicut in nostris consecrationibus juramus. » Hic finis omnium,
alis et universalis Ecclesiæ dignitas pristino reponeretur loco.
Universitas Parisiensis commoveri cœpit. Multi tractatus, multi
habiti : compertum denique est tria sanando schismati accom-
esse remedia. Primum, ut contendentes loco cederent. Secun-
, quoniam, id ab invitis extorqueri non potuit, ut se ab eorum
entiâ omnes subtraherent, ac neutrales essent. Tertium, cùm
ulosi esset exempli, ut subjecti ab obedientiâ se ipsi subduce-
, concilii generalis auctoritas quærebatur. In eam posteà sen-
am ibat frequens concessus Ecclesiæ gallicanæ, eodem Cra-
o præside, anno 1406. Hinc tria illa remedia hoc ævo toties
ata : cessio, obedientiæ subtractio seu neutralitas, concilii
alis congregatio.

nc autem accedebat illud, quod per sese erat gravissimum,
electi Pontifices sæpissimè etiam inter ipsa electionis initia ad
entum voluntariæ cessionis adacti, cùm rem protelarent, nec
Ecclesiæ consulerent, perjurii quoque nomine omnibus exosi,
hostes Ecclesiæ magis quàm Pontifices, eâque causâ meritò
endi, imò per generale concilium deponendi haberentur.

Odoricus Rainaldus, Simonem Cramandum, aliosque Gallos,
clesiâ optimè meritos arguit [2], ut qui odio Benedicti, hæc per-
issima dogmata invexerint : nempe, « neutri contendentium

Decretorum doctor famosissimus, subtilis ingenio, clarusque eloquentiâ, ut verbis
eri gallicani cœtus an. 1394, Spicil. tom. VI, p. 73, fuit referendarius, seu magister pre-
cancellarius ducis Bituricensis, tum episcopus Pictaviensis, demùm patriarcha Alexan-
, archiepiscopus Rhemensis, et sub Joanne XIII cardinalis Ille Pisani concilii, ad ex
ndum schisma coacti, pars fuerat maxima. Cramandum omnes testantur fuisse sui ævi
maximum, et eum cujus opera erat eximia, in gerendis et extricandis rebus arduis.
Gall. Christ. tom. II, col. 1194 et seq. tom. IX, col. 133, 134. (*Edit. Paris.*)
Spicil., tom. VI. p. 77, et tom. XI. *Conc.*, col. 2515.— 2 *Rain.*, tom. XVII. an. 1406, n. 18.

obsequendum esse, sed provocandum esse ad generale concilium; concilium romano Pontifici præferendum; sacerdotiorum conferendorum jus ad episcopos, provocationes ad archiepiscopos revocandos; leges canonicas ab iisdem solvendas, neque extra Galliæ regnum evagandum ut Sedes apostolica consulatur; Gallorum regem de hæresi et schismate posse cognoscere; Gallos Sedi apostolicæ conjungi posse, quamvis sedenti in Sede apostolicâ conjuncti non sint, et negato Pontifici obsequio, non futuros acephalos, cùm Christus sit caput Ecclesiæ; quâ in re Cramandum ad Viclefismum deflexisse. Tum illud gravissimum, atque ex viclefistarum subdolis conciliis, edicto regio, vetitas pendi annonas, » quas *annatas* vulgò dicimus. Quo fine desinere ineptissimam accusationem oportebat. Neque enim hic dissimulare possumus Ecclesiæ gallicanæ injuriam, quæ sub Cramandi nomine Viclefismi accusetur : tanquam viclefistæ fuerint et acephali, qui utrique Pontifici fœdum schisma alenti obedientiam denegarent; ut unus idemque indubitatus Pontifex, concilii œcumenici auctoritate, proderetur. An verò putamus, vacante Sede apostolicâ, dissipari ecclesiasticam unitatem; aut unà cum Pontifice Sedem apostolicam interire, cui quidem Sedi christiani omnes interim conjungantur; aut Ecclesiam esse tùm corpus acephalum ac truncum, cùm interdùm vacatio in multorum annorum spatium extrahatur?

Cæterùm subtractâ semel obedientiâ, quid aliud fieret, quàm ut episcopali regimine tantisper componeretur Ecclesia, donec summus Pontifex crearetur? Neque verò quidquam est à regibus postulatum, quàm ut ad abolendum schisma, ipsâ hæresi tetrius, præeuntibus episcopis atque theologis, suam operam atque auctoritatem interponerent; quod præsidium, si periclitanti Ecclesiæ denegarent, quis non videat, eos necessario officio defuturos?

Quod autem Odoricus Rainaldus premit Benedictum, Gregorium excusat, ejusque vituperat cardinales, qui ab eo discesserint, cùm in ejus fide persistere, ac Benedicti asseclas ad eum deserendum urgere debuissent [1], frustra est. Nempè si hæc tùm concilia valuissent, dùm contendentes alter alterum accusarent, cæteri expectarent, et tanquam pacatissimis Ecclesiæ rebus omnia ordine consueto gererent; Ecclesia immedicabili vulnere scinderetur, et adhuc infandum schisma duraret. Quare hæ ludificationes semel incidendæ erant; meritòque cardinales toti orbi testabantur, eo loco esse Ecclesiam, ut omnia ruitura essent, nisi jam non in verbis ac pollicitationibus, sed in ipsis rebus remedium quæreretur [2]. Qui enim pertinebat inquirere diutiùs, penes quem schismatis culpa resideret,

[1] *Rain.*, tom. XVII. an. 1408, n. 7, 8 et seq.— [2] *Ep. Card. ap. Rain.*, *ib.*, n. 53, 54, 55, etc.

aut cujus medici inscitiâ, vel scelere, vulnerata ac lacera periclitaretur Ecclesia? Quin certum utrosque in culpâ esse, qui mercenarii, non veri pastores, semetipsos, non gregem pascerent; satisque se schismatis reos proderent, nisi sese citiùs propter Ecclesiam conservandam, vel in altum dejici paterentur. Ergo cardinales ipsam, anteaquàm funditus interiret, nisi Deus provideret, Ecclesiam ex utriusque manibus confestim eriperent, et concilio œcumenico sanandam conjungendamque traderent.

CAPUT IX.

Nullum remedium nisi in conciliorum generalium superiore potestate: an ea sit agnita in causâ schismatis tantùm, an ideò collata ad schismatis causam, quod in aliis quoque causis prævalere soleret?

Conciliorum generalium jam indè ab initio nascentis Ecclesiæ summa auctoritas habebatur; ac tum vel maximè è re Ecclesiæ erat ut eam auctoritatem omnes agnoscerent. Quippe contendentes pontificiam potestatem immodicè extollebant, et Gregorius quidem apertè dicebat: « Ego sum Papa, ego sum supra jus [1]. » Cùmque cardinales, ab eo dira omnia comminante, ad concilium œcumenicum appellarent, sic ipse respondit: « Hæc appellatio est contra sacros canones; hæc appellatio non defendit, sed gravat: hæc appellatio implicat ignorantiam, vel malitiam, vel falsitatem [2]. »

Benedictus autem eo superbior, etiam datis bullis, excommunicaverat qui à se, aut à successoribus romanis Pontificibus appellarent. Quin etiam Francorum regem Carolum VI, à se discedentem, admonet, « nullo casu à romano Pontifice appellare licitum: » simul regis subditos à juramento fidelitatis absolvit [3]: adeò tumidos vel in adversâ fortunâ gerebat spiritus.

At quotquot erant schismatis inimici, præcipuè verò Universitas Parisiensis, quam pacis auctorem et sanæ doctrinæ fontem universa tum suspiciebat Ecclesia, hæc opponebat [4]: « Papa matri suæ, hoc est sanctæ Ecclesiæ, quam fidelium omnium matrem esse constat, si ipse catholicus est, materno Jure subditur, ut et Christus matri: tum illud: « Cùm neuter nos audiat, nihil superest, nisi ut dicamus Ecclesiæ: » addebat « utrumque Pontificem apertè hæreticum, quòd schisma inveteratum sit hæresis: » denique, « reformationem omninò necessariam; cùm nisi Christus provideat, in ruinam irreparabilem ventura sint omnia; » ac propterea « synodum universalem congregandam, cui auctoritatem consensus omnium fidelium da-

[1] *Spicil.*, tom. VI. p. 290; *Rain.*, tom. XVII. an. 1409, n. 55. — [2] *Rain.*, *ib.*, an. 1408, n. 2. — [3] *Bull. Bened.*, *Spic.*, *loc. cit.*, p. 180, 184, 189. — [4] *Ibid.*, p. 87.

ret. » Quam sententiam Benedicti cardinales, datis ad eum litteris *, confirmabant.

Neque Gregorii cardinales minore studio concilii œcumenici auctoritatem prædicabant; quippe qui et ad illud appellarent, et appellationi hæc intersererent : « A vobis, Pater sancte, vicario ad Dominum nostrum Jesum Christum, qui judicaturus est vivos et mortuos et sæculum per ignem : item ad generale concilium, à quo, et in quo solent gesta etiam summorum Pontificum quæcumque pertractari, decerni, et judicari : item ad Papam et Pontificem futurum, cujus est gesta inordinata sui prædecessoris in melius reformare, etc. [1] »

Hinc patet quàm falsi sint, qui tum primùm, occasione schismatis, ortam putant de conciliorum superiore potestate sententiam, quique memorant appellationes ad generale concilium, rem novam, quam hujus schismatis necessitas expresserit. Neque cogitant à Bonifacio VIII, regem et regnum Galliæ cum universis ordinibus appellasse ad futurum concilium; suoque loco referemus [2] ejusmodi appellationes, sæculis anterioribus, à catholicissimâ tum Ecclesiâ anglicanâ celebratas. Sed ut hæc et alia vetustiora omittamus, in modò recensitis actis vidimus appellationem interpositam à Gregorio XII ad generale concilium, *ut à quo, et in quo solent gesta summorum Pontificum judicari*. Ergo concilii superiorem potestatem, ut rem solitam, non ut causâ schismatis recens excogitatam implorabant; neque à Papâ, ut dubio, sed generatim à Papâ recurri ad concilium fatebantur; duæque obedientiæ, hoc est tota Ecclesia catholica, agnoscebat hanc concilii superiorem potestatem, in quâ unâ fidelium conscientia acquiesceret.

Nam quod quidam commemorant, contendentium cessione seu abdicatione præstantissimum atque tutissimum remedium contineri, ex parte quidem verum est; sed rem penitùs inspicienti vanum. Quid enim reverà tutius atque præstantius in omni lite, quàm ut litigantes ultrò paciscantur? Sed cùm id impetrari à pertinacibus sit difficillimum; hinc fit ut necessaria sit judiciaria auctoritas, quæ cuncta constituat. Quare concilium, quod litem disceptaret atque ambos contendentes in ordinem cogeret, omnes requirebant.

Huc accedit, quò, ambobus etiam loco cedentibus, quæstio superesset, spontene an coacti papatum abdicarint. Neque enim persuaderi poterat auctoritate pollentibus ut cederent; ac si id deserti facerent, vis quædam illata videbatur, resurgebantque vanæ spes tuendæ dignitatis, atque in pristina mala relabebatur Ecclesia. Nullum ergo remedium, nisi in supremâ concilii generalis auctoritate atque judicio.

* Quibus eum ad Pisanum concilium convocabant.

[1] *Bull. Bened., Spicil.*, p. 202; *Ap. Rain.*, an. 1048, n. 9.—[2] *Inf.*, lib. x. cap. 25.

CAPUT X.

[illegible] Pisanum ab utriusque obedientiæ cardinalibus convocatum, quo jure? Ejus concilii acta.

[illegible] ergo omnes faterentur generalis concilii opem esse Ecclesiæ [illegible]ariam, quæstio supererat, quis illud concilium convocaret. Nam [illegible]is canonibus erat cautum, ne absque romano Pontifice Eccle[illegible] conveniret; et id à contendentibus expectare, ut totam Eccle[illegible] in duas distractam obedientias convocarent, nihil aliud erat [illegible] operam ludere. Neque enim quisque eorum concilium ullum [illegible]caturus erat, nisi à quo pro vero certoque Pontifice coleretur. [illegible] experimento claruit: ecce enim Gregorius, Senas; Benedic[illegible] Perpinianum petiit. Ibi diversissimis mundi partibus constituti, [illegible] quisque synodum, Gregorius, Austriam Aquileensis diœcesis, [illegible] in Utini vicinià oppidulum; Benedictus, Perpinianum [illegible]* diœcesis, convocarunt. Quo fine? Nempè eo, ut, quem[illegible] erat prædictum à cardinalibus, « unus ad Occidentem, [illegible] Orientem, gressibus directis, ad schisma perpetuandum, [illegible] spem penitùs evacuandam pergerent [1]: » nihilque aliud [illegible] Ecclesiæ superesset, quàm illud propheticum, quod iidem [illegible] meritò inculcabant: *Venite, congregamini omnes bestiæ [illegible] festinate ad devorandum: ecce derelictus est grex* [2].

[illegible] igitur eo loco res essent, ipsa necessitas extorquebat, ut quo[illegible] modo Ecclesia conveniret: quæ ubi semel coacta et adunata [illegible], ejus auctoritatem summam et indetrectabilem futuram, pacis [illegible] consentiebant omnes. Quare cardinales utriusque partis, id [illegible] ore decernunt licere; ut in tanto discrimine concilium con[illegible]. Et disertè Benedicti XIII cardinales: « Ubi concilium est [illegible]andum, sicut in casu nostro, et PAPA UNICUS (quantò magis [illegible]), non vult, negligit, aut non potest, vel est furiosus; non [illegible] quin cardinales possint; nec necesse est ut convocans habeat [illegible]tatem supra concilium, cùm ab archiepiscopo convocante, [illegible]cilium appelletur [3]. »

[illegible]sum professi Gregorii XII cardinales, et utrumque collegium, [illegible] Pontificibus discessione factâ, concilium generale Pisas con[illegible]. Quâ verò auctoritate in casu tam extraordinario staret illud [illegible]um, noster Gerson exponebat anno 1408, factâ propositione [illegible] Anglicis ad synodum Pisanam delegatis, in hæc verba Osee [4]: [illegible] *filii Juda et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput*

[illegible], seu potius Helena, est oppidulum Galliæ Narbonensis, cujus sedes episcopalis à [illegible] VIII, an. 1604. translata est in vicinam urbem Perpinianum. (*Edit. Paris.*)

[illegible] *ep. Rain.*, an. 1408, n. 54, 56. *ep. Card.* — 2 *Jerem.*, XII. 9. — 3 *Spicil.*, *loc. cit. Resp.* [illegible] *Reg. Rom. Ruperti*, p. 270. — 4 *Os.*, I. 11.

unum. Docebat autem hæc, consideratione IV : « Congregatio filiorum Israel et Juda pariter sumit suam efficaciam et virtutem à divino semine, quod per ecclesiasticum corpus, tanquàm sanguis vivificus, diffusum est, et radicaliter seu inseparabiliter insertum [1]. » Tum commemoratis permultis sanè casibus, quibus Ecclesia sine Papâ congregari possit : « In talibus, inquit, casibus, congregatio ecclesiastica sumit auctoritatem, et virtutem se ipsam uniendi, ex divino semine per universum corpus diffuso; quod est ipsa fides, ipsa charitas, ipse utriusque ductor Spiritus, ipse Christus, *ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis.... augmentum facit* [2]. » Plura in eam rem posteà referemus; nunc ista sufficiant; cùm præsertim nemo dubitet jure ipso naturali communitatem omnem, nativo licèt capite destitutam, quantò magis Christi Ecclesiam ab eo optimè constitutam, suæ unitati ac saluti summâ auctoritate et efficaciâ providere posse.

Hâc igitur auctoritate fulti cardinales utriusque partis, Pisano concilio, ipsi primi omnium numero viginti tres adsunt; adcurrunt undique principes Ecclesiarum, fidei periculo et tantâ necessitate permoti; trecenti episcopi cum totidem ferè abbatibus, omnium penè religiosorum ordinum superiores et generales, legati regum, principum, regnorum, provinciarum, ex celeberrimis capitulis et academiis deputati, atque innumerabiles sacræ theologiæ et canonici juris doctores [3]. Fit « sancta et universalis synodus universalem Ecclesiam repræsentans, Spiritûs sancti gratiâ in majori Ecclesiâ Pisanâ congregata [4]. » En quâ auctoritate freti; nempè universalis Ecclesiæ, *quam repræsentarent*, sanctique Spiritûs, cujus gratiâ coalescerent; quâ deindè auctoritate citantur contendentes, et contumacia declaratur; ac demùm sessione XV [5], uterque « de papatu damnabiliter contendentes (seu potiùs colludentes), ut notoriis schismatici et antiqui schismatis nutritores, notorii hæretici et à fide devii, notoriisque criminibus enormibus perjurii et violationis voti irretiti, et universalem Ecclesiam notoriè scandalizantes; atque adeò ipso jure dejecti » declarantur, deponuntur, ab Ecclesiâ præciduntur. Sessione XVI, antequàm eligatur Pontifex, fit decretum cardinalium sacramento confirmatum, « de continuando concilio, quoad rationabilis, debita, ac sufficiens reformatio universalis Ecclesiæ, et status ejus tàm in capite quàm in membris facta sit, et quòd sede vacante continuetur concilium, et ad reformationem procedatur [6]. » His pactis atque decretis, anno 1409, sessione XVII, Petrus Philargus Cretensis,

[1] *Gers., prop. cor. Angl.*, cons. IV. tom. II. pag. 128. — [2] *Ephes.*, IV. 16. — [3] *Vid. subscript.*, tom. XI. *Conc.*, col. 2213; *et in Spic.* — [4] *Conc. Pis., Sess.* XV; *ib.*, col. 2201. — [5] *Ibid., et Spic.* tom. VI. p. 324. — [6] *Ibid., sess.* XVI. col. 2203, 2204.

ex minorum familiâ, vir sanctus ac doctus, à cardinalibus eligitur, et assumpto Alexandri V nomine, in Petri cathedrâ collocatur. Denique cùm multi antistites ac legati discessissent, sessione XXI, ab Alexandro V, sacro approbante concilio, dimittuntur Patres, ac triennii tempus indicitur, quo elapso tempore, continuetur concilium. Atque hæc, quæso, lectores diligenter advertant, nec schismatis tantùm, sed etiam reformationis gratiâ, Pisanam synodum *institutam et continuatam esse* recordentur. Ne miremur Constantiensem synodum, Pisanæ continuationem, de reformandi auctoritate tanta dixisse : quæ tamen Schelstratus non modò dissimulaverit, verùm etiam, quoad potuit, eversa voluerit.

CAPUT XI.

Confirmatur assertum illud : quòd processus Ecclesiæ catholicæ et Pisani concilii, superiore conciliorum, etiam extra schisma, in summis quibusque negotiis, auctoritate nitatur : quibus fundamentis concilii Pisani decreta nitantur.

Jam ex actis facilè intelligitur, quo fundamento, et à contendentibus discessum sit, et illi loco dejecti, et novus Pontifex substitutus. Aiunt passim id duobus niti fundamentis : primum, quòd in schismate, hoc est sub dubio Pontifice, concilii auctoritas procul dubio potior habeatur : tum etiam, quòd potior habeatur adversùs schismatis altorem obstinatum, atque adeo suo modo hæreticum. Hæc quidem vera sunt, sed non his pertingimus ad radicem ipsam ; vanaque hæc duo erant, nisi ab illo uno ac primo dogmate profluxissent : Ecclesiæ catholicæ, ejusque concilii generalis auctoritatem, absolutè atque etiam extra schisma, in summis Ecclesiæ rebus prævalere.

Nam de Papâ dubio, et schismatis casu, ut inde ordiamur, falsum illud esse constat, imò periculosissimum, quod à Bellarmino aliisque passim pro certo axiomate asseritur : *Papa dubius, Papa nullus* [1]. Quærimus enim axioma illud, quo canone sit fixum, quo juris fonte manarit, quis denique ille sit dubius Pontifex, qui jam Pontifex non sit. An ille de quo reipsâ dubitetur? Ergo pseudo-papas omnes, Burdinum etiam, et alios toties anathemate percussos in Petri sede reponamus. An fortè eos, de quibus ab electionis origine fuerit dubitatum? Abeant igitur laudatissimi pontifices Innocentius II, Alexander III, alii sancti verique Pontifices : redeant Anacleti, Victores, alii antipapæ, aut cum veris Pontificibus æquo jure disceptent *. Atque hi quidem antipapæ in factionem suam, principes

[1] *Bellarm., de Conc. auct.*, lib. II. cap. 19. et alib. pass.

* Significat Bossuet hanc esse Bellarmini sententiam : coorto schismate, statim Papam et antipapam æquè fieri dubios pontifices, quoad usque concilium diremerit controversiam. Quæ sententia adeò absurda est, et verò Papæ, atque etiam Ecclesiæ paci incommoda, ut mirum sit Magnum sic sensisse Bellarminum. (*Edit. Paris.*)

quoque et imperatores, totaque adeo regna pertraxerant; ut si partem orbis etiam ingentem dubitasse sufficiat, optimi quoque Pontifices inter dubios ac nullos habeantur. Periculosissimi exempli est, si statim factione ortâ, et pseudo-episcopo per ambitionem constituto, verus Pontifex sit dubius, atque adeo nullus. Ergo Bellarmini vaga nimis, et latiùs fusa de dubio Pontifice ad certos limites coercenda sententia est. Valeat nempe in eo casu, in quem Bononiensis et Parisiensis academiæ, illa Gregorio, hæc Benedicto favens, consenserunt [1] : *Ubi dubium de papatu sit inextricabile, propter dubium juris et facti*, eo casu Papa dubius sit profectò Papa nullus. Nihil enim prodest nullo certo documento deprehensa aut probata veritas. Sed enim nec sic erat expedita difficultas, aut sublatæ schismatis causæ; remanebat enim quæstio : esset ne in suo casu *inextricabile juris, et facti dubium*. Nam uterque Pontifex, Benedictus æquè ac Gregorius, pro certo et indubitato Pontifice se gerebant, et id certum esse bullis promulgatis, canonibus editis, conciliis adhibitis, sub anathematis pœnâ decernebant. Vel illud audiamus à Gregorio XII, in suâ Austriensi synodo, pronuntiatum [2] : « Christi nomine invocato, sancta et universalis synodus, universalem et catholicam Ecclesiam repræsentans, ad quam cognitio et decisio hujus causæ noscitur pertinere,... pronuntiat, decernit, et declarat... Urbanum papam VI, Bonifacium papam IX, Innocentium VII, fuisse indubitatos ac veros Pontifices,.... et nunc Gregorium papam fuisse verum et indubitatum Papam;.... ac damnatæ memoriæ Roberto Gebennensi, Petro de Lunâ et Petro de Candiâ in titulo papatûs nullum jus competisse, ipsosque fuisse et esse notorios schismaticos et pertinaces,.... ipsumque sanctissimum dominum nostrum Gregorium papam modernum, ad professionem obedientiæ suæ per orbem universum restituendum esse. » En quid decerneret illa sub Gregorio ferè jam ab omnibus destituto, miserabilis synodus. Neque Benedictus inferiora cogitabat : quin uterque Pontifex se certum, notorium et indubitatum Papam decernebat; æmulum verò suum notorium et indubium schismaticum, nullâque vel probabili ratione nixum; adeoque dubium illud non esse inextricabile, si ad fontem veniretur. Nec utrique deerant sui sectatores, qui usque adeo faverent suo pontifici, ut nonnisi à contumacibus jus illius in dubium revocari posse crederent. Quare ex dubio, nullum satis firmum perpetuæ discessioni, sive, ut vocabant, obedientiæ subtractioni præsidium, aut turbatis conscientiis plena tranquillitas, aut schismatis vulneri certum remedium. Neque quidquam aliud præsto erat, quo omnis scrupulus tolleretur, nisi invictâ auctoritate figeretur illud : Pontificem, etiam

[1] *Spicil.*, t. VI. p. 221.— [2] *Conc. Austr.*, t. XI. col. 2005, 2006; malè pro 2106, 2108.

certum, in Ecclesiæ catholicæ, ejusque concilii generalis potestate esse, de quo Ecclesia decerneret id, quod rei ecclesiasticæ necessarium videretur.

Jam illud de Pontifice altore obstinato schismatis, ac propterea suo quodam modo hæretico; haud minùs Ecclesiæ catholicæ, ejusque concilii auctoritatem, Papâ quoque ipso superiorem requirebat. Sanè afferebatur ex corpore Juris canon ille: *Si Papa*, quo Papa diceretur à nemine judicandus, *nisi esset à fide devius* [1]. Quo hæresis casu fatebantur omnes Papam etiam certum à concilio judicandum. Sed constabat contendentes nullam hæresim professos esse, neque pro certo canone habebatur, id quod glossa dicebat: « Posse accusari Papam si notorium sit crimen ejus, et scandalizatur Ecclesia, et sit incorrigibilis; nam contumacia dicitur hæresis [2]. » Quare Parisiensis et Bononiensis academiæ, quibus postea Senensis, totaque adeo accessit Ecclesia, id quidem, quoad poterant, statuebant: « Quòd contendentes per schisma inveteratum in hæresim inciderint. »

Sed quoniam ea res dubia haberetur, addebant: si id quoque esset dubium, an propter schisma inveteratum in hæresim inciderint, eoque nomine à synodo deponi possint, id quoque ad synodi cognitionem pertinere.

Verùm, hæc si ad vivum persecare aggredimur, comperiemus eò stare, quòd quivis Pontifex, quovis jure nixus, pacem Ecclesiæ ac salutem gregis honori suo anteponere, atque adeo certis casibus abdicare teneatur; quæ obligatio possit ac debeat à concilio œcumenico declarari. Unde quocumque modo quæstio tractaretur, eò redibant omnia, ut quivis Pontifex, et quovis jure præditus, concilio œcumenico certis in casibus, usque ad abdicandam potestatem parere debeat.

Et quidem satis constabat, uti prædiximus [3], Gregorium et Benedictum de abdicando sæpè jurasse. Unde cardinales, ac florentissimæ academiæ concludebant eos esse sacrilegos, impios, « Ecclesiæ hostes, apertè schismaticos, ac schismatum auctores et nutritores [4]: » ac rursus: quòd « schisma sit mater errorum, cujus obstinatione et vetustate descendatur in hæresim, et fides lædatur Deo et Ecclesiæ debita, cujus provisio spectet ad concilium: » et quòd « schisma inveteratum in hæresim transeat: » ad hæc « Papam hæreticum et schismaticum cessasse esse Papam, et à schismaticorum atque hæreticorum incorrigibilium obedientiâ recedendum: » denique, « et in dubio, an hoc incrementum schismatis transeat in hæresim, vel an tale sit ex quo provisio spectat ad concilium, id quoque ad con-

[1] *Decr. Dist.* XL.—[2] *Gloss.* in cap. *Si Papa*, *ibid.*—[3] *Sup.*, *hoc lib.*, c. VIII.—[4] *Spicil.*, t. VI. p. 201, 211, 221.

cilium pertinere : » quæ omnia à concilii summâ, in quemcumque Papam, quocumque jure præditum, potestate pendebant.

Huc accedit, quòd Christus nullam specialem in schismaticos aut hæreticos Pontifices, congregatis episcopis, aut synodo œcumenicæ concesserit potestatem. Quare totum illud jus, quod omnes unanimi consensu, in schismatis atque hæresis causâ, concilio œcumenico tribuebant, eo uno dogmate nitebatur; quòd synodus œcumenica totius Ecclesiæ, atque adeo sancti Spiritûs complexa potestatem, universim, ubi de summâ re ecclesiasticâ agitur, summâ et indeclinabili auctoritate decernat.

Quo factum vidimus [1], ut uno eo axiomate utraque obedientia niteretur. Et Gregorii quidem cardinales apertè provocabant ad concilium generale, « ut à quo et in quo soleant gesta etiam summorum Pontificum quæcumque pertractari, decerni et judicari [2]. » Benedicti verò asseclæ, atque in his, vel potissima Ecclesia gallicana, Universitatis Parisiensis dictum illud comprobabat : « Papam matri suæ, hoc est, sanctæ Ecclesiæ materno jure esse subditum [3] : » quæ vel nihil concludunt, vel ad omnem Pontificem, etiam extra schismatis casum, protenduntur.

Et quidem ab Odorico Rainaldo Simonem Cramandum patriarcham Alexandrinum, suggillatum audivimus [4], quòd Ecclesiæ gallicanæ sacro conventui præsidens, *concilium prætulerit romano Pontifici;* et Petrus Plaoul Parisiensis doctor idem asseruit, sacro consessu applaudente; tantùmque abfuit, ut eos ad hanc tuendam sententiam vehementissimè perorantes quisquam incusaverit, ut eorum maximè auctoritate atque consiliis, tota gallicana Ecclesia adversùs schismaticos uteretur. Quin ipse Petrus Plaoul ab Universitate studii Parisiensis ad concilium Pisanum *ambaxiator* missus, in ejusdem concilii sessione publicâ eâ de re celebrem orationem habuit. Sic enim in gestis sacri concilii legimus : « Sessione XIII, die Mercurii, 29 Maii, quidam valentissimus doctor, vocatus magister Plaoul, ascendit pulpitum, et proposuit verbum Dei,... et deduxit pulchrè exaltando Ecclesiam, et asserendo eam esse supra Papam : quod deduxit pluribus rationibus, tàm ex parte materiæ, scilicet animarum ; quàm ex parte formæ, quæ est Spiritus sanctus; quàm etiam ex parte causæ efficientis, quæ est ipse Christus ; quàm etiam ex parte finis, quæ est ipse Deus in Ecclesiâ triumphante [5]. » Atqui his quidem argumentis, hujus ævi more, complexus est omnia, quibus summos theologos in eamdem sententiam adductos esse constat : ut certum omninò sit, quæ in concilio Constantiensi, de conciliorum

[1] *Sup.*, c. IX.—[2] *Ap. Rain.*, an. 1408, n. 9.—[3] *Spic.*, *loc. cit.*, p. 87.—[4] *Sup.*, c. VIII.—[5] *Conc. Pis.*, *Sess.* XIII. col. 2124, 2126 ; *Spicil.*, tom. VI. p. 320.

supremâ auctoritate, explicatiùs dicta sunt, ea in utrâque obedientiâ, hoc est, in Ecclesiâ catholicâ, atque in concilii Pisani dictis atque gestis præcessisse.

CAPUT XII.

An sine temeritate concilii Pisani auctoritas rejici possit.

At Pisano concilio Odoricus Rainalduş objicit : sine Papâ, secundùm canones, legitimum haberi non posse concilium : pessimorum scilicet medicorum more, qui, valetudine desperatâ, ægrum interire malunt, quàm à consuetis remediis, quamvis frustrà tentatis, ad extraordinaria, quamlibet certa, confugiant. Nec deerant, Alexandri V tempore, imbecilles animæ, quæ hâc superstitione tenerentur, quos Gerson noster sermone coram Alexandro V confutat et irridet, his verbis : « Cujus est ista tua substitutio, Pater beatissime, nisi Christi? Undè convocatio concilii (Pisani scilicet) tàm mira? Undè priùs discordantium inaudita consensio? Undè tot præsulum et sapientium concursus tam celer? Non causâ certè dissensionis, sed pacis. Non vocavit Papa : fuit conventiculum. O ridenda ac irrationalis nimiùm ratio! Neque verò quatuor illa concilia, quæ in Actibus apostolicis describuntur, Petrus vocasse memoratur. Neque synodus Nicæna jussu Silvestri, sed Constantini convenisse legitur. Ad quintum universale concilium Patrum, contra Theodorum Nestorii discipulum *, nemine convocante **, sese Patres exhortati sunt. Fuere ergo conventicula? Cave dixeris. Coluntur ab Augustino (Gregorium voluit dicere, sive librarii mendum est) tanquàm Evangelia. Quid si schisma dubios reddit christianos, quem duorum pro Papâ colant? Quid si, quod perrarum est, summus Pontifex labatur in hæresim, ut legimus Liberium arianæ pravitati subscripsisse, Marcellinum idolis sacrificasse? Quid si intolerandis oneribus christianitatem gravaret? An adversùs tantos morbos nullam relinquis medelam? Relinquo, inquis. Credo sanè : nam imperfectam nimiùm ecclesiasticam politiam adstrueres; nec à Deo, cujus perfecta sunt opera, salubriter institutam, si quis in eam morbus posset incurrere, contra quem nulla posset adhiberi medicina. Sed tamen nulla memoratis casibus relinquitur, si non aliquandò sine Papæ vocatione, convenire possit Ecclesia. »

* Hic suspicor librarii vel typographi erratum, qui aut oscitantes prætermiserint nonnulla verba, aut incuriì unum pro altero posuerint. Neque enim ignorabat Gerson fuisse Theodorum Nestorii *magistrum*, non *discipulum*. Sed Gersonis opera, etiam editionis D. Dupin, sunt tot mendis typographicis deformata, ut esset necesse ea recudi diligentiùs. (*Edit. Paris.*)

** Convocatam fuisse quintam synodum à Justiniano imperatore dicit Evagrius, et testatur quoque illa Justiniani epistola ad episcopos tunc C. P. degentes, quæ lecta est in ipso concilio, collat. I. Vid. tom. V. Conc., col. 422. Hoc erratum fuisse Gersonis vix credi potest. Profectò manuensis, cùm in suo codice haberet *Cæsare convocante*, scripserit incogitanter *nemine convocante*. (*Edit. Paris.*)

Ne hic mihi critici, fastidiosum hominum genus, aliquos memoriæ aut historiæ lapsus, seu menda operarum, quæ in editione Gersonis sunt innumerabilia; sed ipsum argumentorum pondus attendant. Eorum vim invictam sentient. Quare Alexandro V, Pisæ electo pontifici, multò maxima pars christiani orbis statim adhæsit: Gallia, Anglia, Germania, Hungaria, Dalmatia, Croatia, Norvegia, Dania, Suecia, Polonia, Italia ferè tota, Roma quoque ipsa.

Huc accessit postea tota posteritas, teste Bellarmino [1], et in Sede Petri, post Alexandrum V, duos Alexandros sexti et septimi nomine venerati sumus; cùm Clemens VII, Leonis X successor, et Clemens VIII, eum Clementem spreverint, Robertum scilicet Gebennensem cardinalem, qui Clementis VII assumpto titulo, post Urbanum VI Avenione sedit.

Neque valet Odorici Rainaldi responsio [2], in romanorum Pontificum serie, numeratos falsos Stephanos falsosque Joannes; undè veri Pontifices numerum ac titulum suum traxerint. Ita enim numeratos esse constat, obscuris temporibus et ab historicis, non ab ipsis romanis Pontificibus, cùm per ea tempora, nondùm in decretis suis addere solerent nomini suo, ipsam numeri notam. Nunc autem cùm romani Pontifices sic passim edicant in capite diplomatum, *Alexander papa VI, Alexander papa VII,* numeratum ab iis esse falsum, et à falsâ aut suspectâ synodo creatum Pontificem, recente adhuc facti memoriâ ac manifestis gestis, absonum, absurdumque est.

Quare et illud certum, Alexandrum V et Joannem XXIII, Pontificum historiis, vitis, catalogis, toto orbe terrarum, atque etiam in Urbe editis, passim fuisse adscriptos; totique Ecclesiæ catholicæ probro maximo sit, tanto episcoporum aliorumque orthodoxorum numero, tanto universitatum, religiosorum ordinum, provinciarum, regnorumque catholicorum concursu, celebratam fuisse falsam et canonibus repugnantem synodum, quam etiam Alexander V à Romanis, totoque propemodùm orbe jam agnitus, confirmarit. Extat enim illius synodi confirmatio Bononiæ edita [3], aliquot post mensibus, quàm Pisana synodus soluta est; ne id Patrum auctoritati magis, quàm ipsi veritati tribuisse Pontifex videatur. Probat autem ejus gesta, ut quæ *universalis Ecclesiæ auctoritate et concordiâ facta sint* [4]. Neque ita multò post, idem Pontifex summâ cum pietate obiit; testatusque est inter extrema suspiria, se quidquid Pisis egisset, summo divinæ gloriæ amore fecisse.

Huc accedit quòd ejus æmuli ac Pisani concilii contemptores, Gre-

[1] *Bellar., de Conc.*, lib. I. cap. 8. — [2] *Rain.*, an. 1409, n. 80. — [3] *Tom.* XI. *Conc.*, col. 2303. — [4] *Ibid.*, col. 2311; *Rain.*, an. 1410, n. 15, 17.

gorius atque Benedictus, convocato licèt generali concilio, vix paucos episcopos congregare possent. Quin etiam synodus Benedicti, Perpiniani habita, Pisanum concilium venerata est, conclusumque in eâ est, ut Petrus vocatus Benedictus, iret vel mitteret procuratores irrevocabiles Pisas, ubi aliud concilium congregabatur pro unione Ecclesiæ, qui procuratores, ejus nomine, papatui renuntiarent, Gregorio cedente, mortuo, vel ejecto [1]. Id ex sexdecim deputatis, quindecim concluserunt *; atque ita ex duobus frustulis, quæ Pisano concilio repugnabant, unum jam frustulum, à quo Benedictus colebatur, votis atque suspiriis Pisanæ synodo cohærebat, eique se suumque Pontificem submittebat.

At in aliâ particulâ Gregorius, cùm paucas Italiæ urbes, easque ferè ignobiles, vix in obsequio retineret, frustrà convocabat totius orbis episcopos. Quâ de re sic Rainaldus scribit [2] : « Spreta sunt ab episcopis ejus imperia, cùm in magnam adduceretur invidiam concilium ad schismatis propugnationem molitum ; misitque Nicolaum episcopum Ferentinum, et Dominicum designatum episcopum Melitensem, Venetias ; ut, objectâ anathematis pœnâ, illius provinciæ præsules ad synodum cogerent. Sed Veneti, Alexandro, ex doctorum sententiâ, quamvis Gregorius Venetus esset, adhæserant ; » nec immeritò. Quis enim non sperneret tam paucos episcopos in tenui atque ignobili Austriæ oppido synodum œcumenicam venditantes, aut ab eis universalem repræsentari crederet Ecclesiam ? Tali tamen concilio Ecclesiâque fretus Gregorius, se notorium et indubitatum papam, Alexandrum V, quem tota ferè Ecclesia coleret, æquè ac Benedictum in altero mundi angulo præsidentem, notorium schismaticum declarabat ; quem talia declarantem Odoricus Rainaldus pro vero Papâ haberi vult, in eoque frustulo totam Ecclesiæ catholicæ potestatem collocat. Quis hæc ludibria et ecclesiasticæ historiæ dedecora ferat ?

Illud paulò gravius, quòd aucto Pontificum numero, Pisani Patres non restinxisse schisma, sed auxisse videantur. Id quidem Odoricus Rainaldus, et alii passim objiciunt. Sed profectò immanem belluam ille interemit, qui percusso capite, et corpore obtrito, seminecem, atque ægra vix membra trahentem, reliquit : quo factum est ut lethali

[1] *Tom.* XI. *Conc.*, col. 2019 et seq.; *Rain.*, an. 1409, n. 84.

* Hæc ultima verba nullibi reperimus in tomis Conciliorum, neque in historicis Surita, Theod. à Niem, Rainaldo, etc. Surita rem sic narrat : « Concilio interfuere prælati... circiter CXX.... Cùm Pater Benedictus consuluisset, quid è republicâ christianâ esse censerent..... summâ dissensione... in contrarias partes Patrum opiniones distrahuntur..... Ea opinionum discrepantia eò rem deduxit, ut Perpiniano penè omnes discederent, et XVIII » reliqui hoc omnes fecerunt, quod hic à Bossuet refertur. Cæterùm Suritæ narratio, argumentum Bossuet confirmat, nedùm illud infirmet. (*Edit. Paris.*)

[2] *Rain.*, an. 1409, n. 2.

vulnere ictam in Pisanâ synodo, Constantiensis synodus paulò post superveniens conficeret.

Cæterùm quisquis Constantiensis synodi salutarem Ecclesiæ, ac schismati pestiferam agnovit auctoritatem, Pisanam quoque synodum suscipiat oportet, quæ Constantiensis continuatio est. Quid plura? cùm ipsos liceat adhibere testes qui Pisanæ synodi adversentur. Nempè Bellarminus qui dubiam, Rainaldus et alii qui nullam pronuntiant, in hoc axioma consentiunt : romanum Pontificem dubium, sive in casu schismatis, concilio generali subesse. Omnes enim, excepto nullo, in eam sententiam uno ore decurrunt, ut Pontificem saltem dubium œcumenico concilio subdant. Atqui Gregorius æquè ac Benedictus dubius erat Pontifex, à quo tanta pars Ecclesiæ, suique cardinales discedebant. Ergo ille concilio suberat, ab eoque depositus acquiescere debuit, ac renitens pro schismatico habendus, eorum quoque calculo qui cum Odorico Rainaldo ei favent : quod est argumentum ex confesso ab adversariis planè peremptorium.

Objiciunt tamen sanctum Antoninum excusantem eos qui post Pisanam synodum, atque Alexandrum V, Benedicto et Gregorio favebant : *Cùm dubium esset maximum* de illo maximè, utrùm Gregorius et Benedictus *Ecclesiam scandalizarent dissimulando unionem se velle. Nam*, inquit [1], *de Gregorio apparuit contrarium, quia de facto renuntiavit.* De facto renuntiavit sanè in Constantiensi concilio, posteaquàm quantùm potuit ludificatus Ecclesiam, desertus ab omnibus, et ad angulum redactus Italiæ, rem in eo esse vidit, ut meritò anathemate feriretur, postquàm et ipsum et suos suî puduit; malueruntque cum aliquâ laude cedere, quàm ignominiosè ejici, ut æmulo Benedicto contigit. Quòd ergo Gregorius cessit, ipsi Pisanæ synodo imputandum est. Neque propterea penitùs inexcusatos esse volumus qui bonâ spe ducti, sive à Gregorio, sivè à Benedicto schisma produci paterentur; quod unum Antoninus voluit. Cæterùm qui præfractè contendunt cessionem utriusque Pontificis, aut saltem Gregorii expectandam fuisse, eos ego dixerim invidiosissimum schisma propagatum voluisse, spreto remedio, quoad ipsa necessitas extorqueret : ad hæc in eo labi, quod imperfectam asserant à Christo constitutam Ecclesiam, quæ adversùs exitiosissimum vulnus nullo præsidio instructa esset. Tertiò, grave illud est non agnoscere vim occultam Spiritûs sancti, ad synodum Pisanam, tot regna, tot Ecclesias, tot principes, tot episcopos, tot abbates, tot ordinum capita, cum religiosis cœtibus, tot inclytas academias adducentis, ut facerent sibi caput unum. Denique jam diximus, dicemusque ipsam Constantiensem synodum eo esse fultam, quòd Pisanæ synodi con-

[1] *Antonin. summ.*, part. II. tit. III. *de schism.*, § 6.

tinuatio esset, quod est vel gravissimum ejusdem Pisanæ synodi firmamentum; ut profectò nunc tàm sancta, tàm probata synodus, sine gravi saltem temeritatis notâ abjici nequeat.

CAPUT XIII.

Ad Constantiense concilium devenitur : ejus causæ atque initia referuntur : rerum series usque ad sessionem v : hinc confutati qui ad schismatis tempus decreta restringunt.

Jam ergo ad Constantiensem synodum devenimus. Eam Joannes XXIII, Alexandro V mortuo substitutus, convocavit, ut Pisana synodus continuaretur.

Causæ continuati concilii in bullâ convocationis expresse : ut schisma finiretur, ut hæreses damnarentur, ut ecclesiasticæ disciplinæ reformatio fieret [1].

Schisma quidem vivebat adhuc; ac si Pontificum atque obedientiarum numerum aspiceres, non excisum, sed auctum esse videbatur; et falsorum Pontificum fautores, pauci licèt comparatione reliquorum, Hispani præsertim, quò iniquiùs, eò obstinatiùs eos tuebantur; neque immeritò timebatur, commotis adhuc animis, ne ex scintillâ majus incendium resurgeret. Jam viclefiana hæresis totâ in Ecclesiâ grassabatur, quodque malorum omnium caput erat, jacebat ecclesiastica disciplina; tantæque morum corruptelæ inerant, ut vel eâ causâ synodus necessaria haberetur; cùm ex eâ radice et schismata et hæreses prodiisse constaret.

His de causis Constantiensis synodus est convocata, ac Joanne XXIII Sigismundoque imperatore præsentibus, inchoata [2]. Primum omnium sacra synodus recipit Papæ sponsionem, sponte quidem oblatam, sed postea juramento, bullâque insuper editâ, confirmatam : quòd *cessurus esset papatu*, non tantùm si Petrus de Lunâ, et Angelus de Corario cederent; verùm etiam, si id è re Ecclesiæ esset synodo videretur [3] : eo nempè fundamento, quòd verus quoque et certus Pontifex; quo magis, quo veriùs, quo denique certiùs pater pastorque esset, eo magis honori suo Ecclesiæ pacem, et gregis salutem anteponere teneatur.

Hâc sponsione factâ, bullâque promulgatâ, Pontifex die 20 Martii, majore heddomadâ imminente, clàm aufugit Constantiâ, atque in vicinum oppidum Scaphusense se contulit, ubi sub tutelâ Friderici ducis Austriæ morabatur. Multum eâ fugâ commota est synodus, nec deerant Papæ adulatores pessimi, qui synodum solvere molirentur; sed habita est frequente concessu, die 25, sessio III, post Papæ re-

[1] *Bull. conv. Conc. Const., Sess.* I. col. 11. — [2] *Ibid., Sess.* II. col. 16. — [3] *Vid. in append.*, tom. XII. *Conc.*, col. 1438.

cessum prima, in quâ decernitur, quòd « Constantiæ in Spiritu sancto synodus generalis, pro reformatione et unione Ecclesiæ in capite et in membris, fuit et est ritè et justè convocata, initiata, celebrata [1]; » quod per recessum Papæ aut aliorum quorumcumque, hoc sacrum concilium non est dissolutum : neque transferri debeat, nisi assensu concilii, aut omninò dissolvi, « usque ad extirpationem præsentis schismatis, et quousque Ecclesia sit reformata in fide et moribus, et capite et membris. »

Quid sit apud synodum, et hujus ævi scriptores, *in Ecclesiâ reformari fidem*, omnes facilè intelligunt. Non hoc est, restitui collapsam, cùm nunquam Ecclesiæ collabatur fides ; sed, eâ firmâ et integrâ, damnari hæreses, hæreticos Ecclesiâ ejici, quò clariore luce fides enitescat. Cæterùm Ecclesiam « in fidei veritate semper immaculatam permanere, et de hæresibus semper triumphare, » alibi dicet synodus [2], Viclefum condemnans : atque hoc obiter dictum oportuit ; ne quis in ambiguâ reformatæ fidei voce falleretur.

Verùm id diligentissimè advertendum, tres concilii causas ab ipso concilio statim ac disertè expressas : fidem, schisma, reformationem generalem in capite et in membris. His ut reliqua consentanea essent, sessione IV, ubi ad ipsos Pontifices devenitur, ad easdem tres causas, debita ab ipsis obedientia refertur, nempè ut huic synodo obedire debeant in his quæ ad fidem pertinent, quæque ad extirpationem hujus schismatis, quæque ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris.

Dùm hæc agerentur, et sessio IV fieret, renuntiatum est sacro concilio, Papæ nomine, ipsum non aliâ causâ, quàm *propter sanitatem corporis*, Constantiâ recessisse, atque omninò *impleturum omnia quæ sacræ synodo promisisset* [3]. Hæc in acta relata sunt. Quin ipse Pontifex, datâ schedulâ propriâ manu, aliisque multis testificationibus, idem confirmavit.

Sacra tamen synodus intellexit ex ejus recessu, quocumque colore quæsito tegeretur, nonnihil turbarum eventurum, multaque eum de disturbandâ synodo moliri ; nec deesse adulatores, qui pessima suaderent. Sex enim cardinales palàm pronuntiaverant, ejus absentiâ jam solutum esse concilium, ac Rainaldus memorat [4], plerosque cardinales, alios post alium, ad Papam confugisse ; edictumque Papæ valvis affixum repertum fuisse, quo curia omnesque officiales, ut ad ipsum accurrerent, sub excommunicationis ac privationis pœnâ citabantur : quæ omnia ad dissolvendam synodum pertinerent.

[1] *Conc. Const., Sess.* III. col. 17.—[2] *Ibid., Sess.* VIII. col. 45.—[3] *Ibid., Sess.* IV. col. 20; *Vid. in app.*, cedul. *Joan. XXIII*, col. 1461.—[4] *Rain.*, an. 1415, n. 6 et seq.; *ex Theod. à Niem.*

Scribunt et alii, Patres cardinalibus indignatos id etiam cogitasse, ut prohiberentur à sessionibus concilii, ubi de Papâ ageretur, cui se turpes adulatores præstitissent; Petrum de Alliaco cardinalem, æquum omnibus nec minùs Ecclesiæ romanæ, quàm ipsius concilii studiosum, his obstitisse, et cardinalem defendisse dignitatem [1]. Nec interim deerant, qui pessimo adulandi studio, pontificiam potestatem immodicè efferrent. Quæ cùm ita se haberent, necessarium erat Patribus, ut conciliarem auctoritatem magis magisque inculcarent. Quare sessione v, non modò sessionis iv canonem iterarunt, sed etiam hæc duo addiderunt : primum, ut explicatiùs diceretur, *cujuscumque alterius concilii generalis decretis Papam subjici*; alterum, *ut si contumaciter obedire contempserit, debitè puniatur* [2]; ne scilicet, quòd plerique jactabant, honestè potiùs quàm necessariò obstringi obedientiæ videretur; tantâque Patrum consensione finita est sessio, ut actis hæc verba inserantur : « Quibus constitutionibus lectis, concilium eas uniformiter approbavit et conclusit. »

Hi sunt illi duo canones relati superiùs, de quorum sensu agitur. Sed ipsa, credo, rei series persuadet, non alium esse posse, præter eum quem tuemur : nempe ut in fidei, schismatis, reformationis casu, non tantùm Constantiensi, sed etiam cuicumque, quocumque tempore, et quâcumque causâ congregato concilio generali, obedientiam, à Papâ etiam, præstari oporteat.

CAPUT XIV.

Vana suffugia, ex ipso concilii scopo ac verbis, confutantur.

Certè cùm Constantiense concilium in his sessionibus, duplicis generis decreta protulerit, quarum alia propriè ad concilium Constantiense pertineant, alia ad omne concilium protendantur, utriusque generis decretis certam notam adhibuit. Et tertiæ quidem sessionis decreta qui legerit, statim animadvertet ita decerni : « Quòd istud concilium non debet dissolvi : quòd ipsum concilium non potest transferri : quòd qui interesse debent huic concilio, non recedant [3]. » Tunc sessionibus iv et v multa in eumdem sensum de hoc concilio propriè decernuntur : quam notam si haberent omnia synodi decreta, libenter fateremur non posse protendi ad omne concilium ea, quæ de isto constituta fuerint. Nunc cùm concilium, in sessione v, disertè scripserit, « et huic concilio et cuicumque alteri concilio generali, » etiam à Papâ deberi obedientiam; patet sacram synodum, quasi deditâ operâ occurrisse eorum effugiis, qui ad concilia in schismate

[1] *Pet. Alliac., de auct. Eccl. in append.*, tom. ii; *Gers. Leo., Arret. de temp. sui hist.* — [2] *Conc. Const., Sess.* v. col. 26. — [3] *Ibid., Sess.* iii. col. 18.

habita, aut ad solum schismatis tempus horum decretorum verba detorqueant.

Hoc certè suffugium post Basileensem contentionem, auctore Turrecrematâ, primùm emersit. Is enim, cùm auctoritatedecretorum Constantiensium vehementissimè premeretur, primus omnium contendit, « quidquid verba concilii in sono litteræ prætendant, » tamen aliter quàm sonant intelligenda esse; difficillimumque esse observare Constantiense decretum de obedientiâ à romano Pontifice debitâ, « nisi decretum illud, ad aliam trahatur intelligentiam, quàm verba in superficie prætendant[1]. » Itaque commentum illud excogitavit, decretum Constantiense ad solam schismatis causam restringendum: ex quibus satis constat, virum acutissimum semel iterùmque ac tertiò verborum concilii perspicuitate summâ eò esse deductum, ut, repugnante litterâ, ad hunc sensum comminiscendum causæ necessitate se fuisse abreptum, ultrò fateretur.

Quare qui eum secuti sunt, nihil aliud quàm ludibria protulerunt. Et quidem commemoravimus, quàm aliena, non modò à sensu, verùm etiam à verbis horum decretorum dixerint, qui Constantiense concilium huic concilio duntaxat, non autem aliis, auctoritatem eam tribuisse respondent; cùm Patres Constantienses disertè scripserint : « Papam hujus concilii, et cujuslibet alterius concilii generalis præceptis teneri. »

Nec minùs absurdè *Disquisitionis* auctor, pro confirmando Turrecrematæ suffugio hoc argumentum proposuit : « Concilium istud (Constantiense scilicet) fuit continuatio Pisani concilii ad civitatem Constantiensem translati : ex actis, Pisanum verò pro sublatione dicti schismatis congregatum fuerat : item ex actis[2] : » ergo ad schismatis causam illa Pontificibus præscripta obedientia revocatur. Quæ jactata ad speciem jam ex gestorum serie evanescunt. Esto enim, urgentissima causa Pisani concilii fuerit, extirpandum schisma; tamen ex actis docemur, accessisse aliam haud minùs necessariam, nempè *reformationem in capite et in membris*[3] : tùm continuatam in urbe Constantiâ Pisanam synodum, tria suscepisse; fidem exponendam, extirpandum schisma, reformandam Ecclesiam in capite et in membris; atque in his tribus ab ipso Pontifice, non tantùm huic, sed *cuicumque concilio generali*, præstari obedientiam oportere. Ergo pessimâ fide, decreta concilii sessionum IV et V, ejus gestis dictisque apertè reclamantibus, ad solam schismatis causam restringuntur. Quo etiam factum est, ut qui his solutionibus uterentur, subesse tamen aliud facilè persentiscerent, ut de Turrecrematâ vidimus. P.

[1] *Turrec. Resp. ad Basil.*, part. II. n. 2 et 4. t. XIII. *Conc.*, c. 1711, 1712.—[2] *Disq.*, n. 76, 77. p. 27.—[3] *Conc. Pis.*, *Sess.* XVI. tom. XI. col. 2203; *Conc. Const.*, *Sess.* II, III; *Vid. Sup.*, c. X.

verò Gonzalez, postquàm ad tempus schismatis dubiique Pontificis verba restrinxit, subdit tamen : « Forsan vero incautè in diffinitione suâ verba posuerunt, quæ videntur ampliùs aliquid sonare [1]. » Quis verò non existimet incautum potiùs fuisse Gonzalem, quàm tot sapientissimos Patres ac theologos ita incautè locutos, ut nec ipsi eorum verborum, quæ tam accuratè selegerint, sensum intelligerent?

Jam quod Bellarminus quo uno vel maximè adversariorum causa nititur, dixit, ex decreto Constantiensi, subjectum fuisse conciliis Papam dubium, adeoque non jam Papam [2], manifestam absurditatem præ se fert; nempe ut concilium, cùm sibi et cuicumque concilio asserit collatam immediatè à Christo potestatem, etiam in Papam, tanto conatu nihil agat, quàm ut conciliis eum qui non sit Papa, subjiciat : quo nihil est absurdius. Deinde observatum à nobis est, Papam dubium, qui jam pro Papâ non sit, intelligendum esse, non in quocumque schismate; sed in eo schismate, *ubi est inextricabile dubium juris et facti* [3], quale erat illud schisma post Urbanum VI. Talis autem casus est rarissimus; quippe qui post Christum natum, semel tantùm contigit. Hinc argumentum : Constantiense concilium nunquam adhibuit illas voces, quibus generaliores ac latiùs fusæ nullæ esse possint, ad exprimendum eum casum, quo nullus est rarior et infrequentior; atqui his vocibus, quas Constantiensis adhibuit synodus : *quicumque : quâcumque dignitate : cuicumque concilio*, nullæ generaliores reperiri possunt; ergo Constantiense concilium non eas adhibuit, ut se ad infrequentissimum, ac tot retro sæculis semel tantùm cognitum casum adstringeret; cùm præsertim sacra synodus alias futuras synodos, non modò animo prævideret, sed ipsa etiam decretura esset. Neque enim quisquam ignorat canonem, *Frequens*, sessionis XXXIX [4], quo de decennio in decennium habenda concilia generalia decernuntur; atqui illa concilia non omnia futura erant sub dubio Pontifice : ergo concilium Constantiense non ea tantùm concilia prævidebat, quæ sub dubio Pontifice futura essent. Atqui conciliis quibuscumque futuris subjiciebat Papam; ergo etiam subjiciebat iis, quæ à Papâ indubitato haberentur.

Prætereà demonstravimus [5] totam Ecclesiam schisma elisuram, adeo abfuisse à restringendâ ad Papam dubium concilii potestate, ut etiam intelligeret, ne in Papam quidem dubium valituram eam, nisi absolutè valuisset; neque tolli potuisse dubium Papam, qui in suâ obedientiâ certus haberetur, nisi et illud constitisset, certum etiam Papam in concilii generalis potestate esse. Hinc illa ma-

[1] *Gonz., de infall. R. P.*, disput. XIII. sect. V. § 10. n. 2. p. 671. — [2] *Bell., de Conc. auct.*, lib. II. cap. 19. — [3] *Vid. Sup.*, cap. XI; *et loc. Spicil. hic cit.* — [4] *Conc. Const., Sess.* XXXIX. col. 238. — [5] *Sup. hoc. lib.*, cap. IX, X, XI.

narunt, causam schismatis ad concilium generale devolutam, non quidem propter illum singularem casum, sed quòd singularis casus non aliâ potestate diffiniendus esset, quàm eâ quâ cæteri casus diffiniri solerent. Quæ si universa Ecclesia ante Pisanam synodum, multò magis post eam, atque in Constantiensi concilio, declaravit.

Tùm illud constat, Constantiensem synodum, non modò de extinguendo schismate, sed etiam de exponendâ fide, ac reformandâ disciplinâ fuisse sollicitam. Id enim, et Ecclesiæ mala, et bulla convocationis, et ipsa sacræ synodi jam indè ab initio professio postulabant. Atqui expositio fidei ac reformatio disciplinæ, non ad solum schismatis tempus, sed ad omnia Ecclesiæ tempora protenditur. Ergo absurdum est ad solum talis schismatis tempus restringere concilii sollicitudinem.

Postea, sacra synodus non nisi certo Papâ constituto reformationem aggressura erat. Ergo cùm docuit, in reformationis causâ Papam concilio subesse oportere, non Papam dubium, sed certum, et ab ipsâ synodo constitutum cogitabat. Neque enim quis negaverit sacram synodum, cùm sessionum IV et V decreta conderet, quæ deindè actura erat animo providisse. Imò potiùs in ipsis initiis certa fundamenta ponebat, quibus cæteræ synodi actiones et ordinationes suo tempore struerentur. Id autem volebat maximè, ut, Papâ constituto, reformatio fieret; utque eam nullus hominum, ac ne quidem ipse Papa prohibere posset. Id ergo agebat, ut Papam etiam certum, atque ab ipsâ synodo constitutum, conciliaribus decretis obligaret.

Hic verò omnem absurditatem exsuperat illa responsio, quam auctor *Doctrinæ Lovaniensium* prodidit [1] : nempe ut in synodo Constantiensi reformatio nihil aliud sonet, quàm ipsam extinctionem schismatis. Quo loco verba illa de reformatione faciendâ *in capite et in membris*, intelliguntur : *in capite*, seu *capitibus schismaticis*; quæ scilicet capita schismatica à synodo in ordinem cogerentur : quo nihil excogitari possit absurdius; sed tamen ad hæc absurda rediguntur, qui perspicuis synodi verbis atque sententiis commenta sua assuunt.

Itaque postulamus ut ex ipsis consuetis synodi Constantiensis locutionibus, synodum Constantiensem intelligant. Certè sacra synodus, sessione XV, sic decernit : « Ne quis ullo modo prohibeat ad Sedem apostolicam, aut romanam curiam, hoc durante concilio, vel ad ipsum, et quæcumque alia generalia venientes [2]. » En sessione XV easdem planè voces, quas in V legimus. Dicant boni expositores

[1] *Doct. Lovan.*, p. 74.— [2] *Conc. Const., Sess.* XV. col. 147.

prohibitionem eam XV sessionis, non ad omnes synodos, sed ad eas quæ in schismate fiant pertinere. Item sessione XXVI fit decretum cum hâc clausulâ : « Salvis iis quæ in hoc præsenti, et in aliis quibuscumque generalibus conciliis fieri solerent[1] : » quæ cùm ad omnes synodos pertinere necesse sit, sessionis V verba, non minùs generalia, nec minùs patere constat. Denique in ipsâ bullâ *Inter cunctas*, sacro approbante concilio, hæc jubentur : nempe interrogari quemvis Viclefismi suspectum : « Utrùm credat quod quodcumque concilium generale et etiam Constantiense universalem Ecclesiam repræsentet[2]. » En iterum ac tertiò constantique tenore *quodcumque concilium* unà cum concilio Constantiensi omne concilium comprehendit : quo nihil est clarius ad ipsius Constantiensis concilii voces interpretandas, constituendamque sententiam.

CAPUT XV.

Ex sessione VIII concilii Constantiensis, sessionis V, sensus asseritur.

Aliud argumentum exsurgit ex sessione VIII pro vero et nativo Constantiensium canonum sensu, quem tuemur. Eâ sessione referuntur ac damnantur Viclefi propositiones XLV. Ex his Cajetanus ac Nicolaus Dubois quasdam seligunt[3], quarum condemnatio nobis officiat : octavam : « Si Papa sit præscitus, vel malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam ; nisi fortè à Cæsare : » propositionem XLI, hanc scilicet : « Non est de necessitate salutis, credere romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. »

Ac ne quid omittamus, proferunt, item Joannis Hussi propositiones damnatas : septimam : « Petrus non est nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ[4]. » Inculcant etiam illud, quod Martinus V, bullâ *Inter cunctas*, quemlibet de hæresi Viclefi, aut Hussi suspectum, sacro approbante concilio, sic interrogari jubet : « Utrum credat quòd beatus Petrus fuerit vicarius Christi, habens potestatem ligandi et solvendi super terram ? Utrum credat quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei[5] ? » Ex his igitur tale conficiunt argumentum : Si Ecclesia romana suprema est ; si Papa habet supremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei ; ergo concilium generale non est supra Papam, aut Ecclesiam romanam ; ergo

[1] *Concil. Const., Sess.* XXVI. col. 207. — [2] *Bull.*, Inter cunctas. *post. Sess.* XLV. col. 268. — [3] *Cajet., de auct. Pap. et Conc. tract.* I et II. *pass. post* tom. III ; *Summ. S. Thom., edit. Lugd.*, 1687 ; *Disq.*, art. IV. n. 61 et seq. ; *Doct. Lov.*, pag. 68 et seq. ; *Vid. Sess.* VIII. *Conc. Const.*, col. 46, 47. — [4] *Vid. Sess.* XV. *Concil. Const.*, col. 130. — [5] *Bull. Inter cunctas, loc. jam cit.*

sessionum IV et V decreta non de Papâ absolutè, sed de Papâ dubio ac de schismatis tempore intelligenda sunt.

Valeat planè illa consecutio, nisi et à synodo prævisa difficultas et ab ipsâ quoque apertè soluta est. Sed quid Constantienses Patres addiderint videamus; nempè post relatam Viclefi propositionem illam: « Non est de necessitate salutis credere romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias, » statìm subjiciunt: « Error, si per romanam Ecclesiam, intelligat universalem Ecclesiam, aut concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontifici super alias Ecclesias particulares. » En quàm diligenter Constantienses Patres, et Martinus V locuti sunt: en ut *Ecclesias particulares*, non totam ipsam Ecclesiam catholicam, uno ore aliquid decernentem, Pontifici submiserint. Indè nimirum nostri sua illa sumpserunt: « dandam esse supremam et plenam Pontifici potestatem, sed in comparatione ad fideles singulos, et ad particulares Ecclesias. » Ita Gerson noster in ipsâ Constantiensi synodo prædicabat; ita in eodem concilio totidem verbis docebat Gersonis magister Petrus de Alliaco cardinalis[1], quo maximè auctore viclefiana hæresis damnata est. Hæc profitebantur qui in synodo docebant, qui synodum docentem audiebant: hæc ipsa Martinus V sua facit, cùm decretali *Inter cunctas*, concilii verba inserit, et ipsâ synodo approbante confirmat.

Instat Cajetanus, nihil obesse sibi hæc verba concilii à Martino V approbata; cùm istud « quòd primatus Papæ sit super Ecclesias particulares, sit sermo affirmativus de primatu super particulares, et non negativus de primatu super universalem Ecclesiam[2]. » Quod P. Thyrsus Gonzalez, Cajetanum secutus, sic exponit, « ut vi illius censuræ à Martino V approbatæ, solùm sit de fide romanum Pontificem habere primatum supra singulas Ecclesias, et vi illius non sit de fide habere primatum supra Ecclesiam universalem ut congregatam in concilio: » addit quòd « ibi sic adstruitur primatus romani Pontificis super Ecclesias particulares, ut non negetur super Ecclesiam universalem[3]. » Hæc ille, hæc alii, non perpensâ rerum serie, res magnas vanis distinctiunculis conficere soliti, in hunc locum memorant.

Sed profectò nimis scholasticâ subtilitate ludunt: quasi verò deceret sanctissimam synodum, dum deditâ operâ id agit, ut contra Viclefum explicet quid sit *de necessitate salutis*, in Ecclesiæ romanæ primatu profitendo, aliquid eorum omisisse, quæ *de necessitate salutis* credere oporteat. Atqui ex concesso, nihil dicit de primatu romani Pontificis super ecclesiam, ut est universalis, et illud tantùm

[1] *Gers., Serm. in fest. S. Ant.*, tom. II. p. 355; *Petr. Alliac. tract. de Eccl., ib. in append.* — [2] *Vid. Cajet., loc. jam cit.* — [3] *Gonz., de infall.*, disp. XIII. sect. V. § 5. n. 2. p. 665.

asserit, primatum eum agnoscendum super particulares Ecclesias. Ego hoc, non illud, de necessitate salutis credendum esse definit; statque inconcussum, quod sessionibus IV et V de concilii summa et absoluta, etiam in ipsum Papam potestate, decreverat. Huic doctrinæ congruit illa Martini V interrogatio quam diximus; non enim quæri jubet: utrum credant quòd *Papa habeat supremam auctoritatem super Ecclesiam Dei*; sed, utrum habeat supremam *in Ecclesiâ Dei*: quod à nobis est alibi luculentè explicatum[1].

Jam verò ex his argumentum conficimus: Quod est ita positum à concilio Constantiensi, ut ex illo tota papatûs ratio exponatur, erroresque contra papalem potestatem suborti condemnentur, id non ad tempus schismatis, aut ad Papam dubium, sed ad ipsum papatum, qualis est à Christo institutus, et ad omne tempus pertinet: atqui id quod est sessionibus IV et V de Papâ definitum, ita se habet, ut exindè tota papatûs ratio exponantur, et papatui oppositi errores condemnentur, ut patet ex prædictis: ergo quod est de Papâ in sessionibus IV et V definitum, non ad Papam dubium, aut ad schismatis tempus; sed ad omnia tempora, et ad ipsum papatum, qualis est à Christo institutus, pertinet; contra quod adversarii interpretabantur.

CAPUT XVI.

Mens sessionis V, ex capite *Frequens*, et ex capite *Si verò* sessionis XXXIX demonstratur.

Haud minùs valida argumenta deducuntur ex sessionis XXXIX multis capitibus, quæ sigillatim pensitanda erunt.

Primum occurrit caput *Frequens*[2], quo capite synodus Pontificibus legem figit, eamque multiplicem. Primùm enim decernit ut summus Pontifex certis temporibus, et quocumque decennio synodum generalem habeat; deindè ut in fine cujuscumque concilii futuro concilio locum *assignare teneatur*: tùm, ne id faciat, nisi *consentiente et approbante concilio*: postea ut *ad defectum Pontificis*, ab ipso concilio is locus assignetur, valeatque convocatio etiam sine Pontifice facta à concilio: postremò, ut Pontifex tempus concilio præstitutum *abbreviare* quidem possit, non tamen prorogare. Sic præscribit rem quamdam, eamque maximam, quam quocumque decennio romanus Pontifex facere *teneatur*; adeòque ligari putat decreto à se facto Papæ conscientiam. Ergo manifestè dat legem summis futuris Pontificibus: quibus? Dubiisne, ac tempore schismatis tantùm? Absurdum; cùm hæc certis determinatisque temporibus, post quinquennium scilicet, exindè post septennium, ac

[1] *Vid. in append.*, lib. I. cap. 3.— [2] *Conc. Const., Sess.* XXXIX. col. 238.

deinceps post quodcumque decennium exequenda, nullo resp schismatis, *edicto perpetuo* sanciantur. Quare decretum istud M nus V jam electus, jam agnitus, jam indubitatus Pontifex est executus. Nempè sic decernit sessione XLIV : « Cupientes ac vol decreto hujus concilii generalis satisfacere, inter alia dispon quod omninò generalia concilia celebrentur in loco, quem sum Pontifex, per mensem ante finem hujus concilii, consentien approbante concilio, DEPUTARE ET DESIGNARE TENEATUR,..... e consentiente et approbante concilio, civitatem Papiensem t præsentium deputamus [1]. » Ex eodem decreto, sub eodem Mart Papiense concilium et inchoatum est, et Senas deindè transl probante concilio : ex eodem decreto, Basileense Concilium a dem Martino V indictum, et ab Eugenio IV celebratum fuit. Q alia deprompta ex capite *Frequens*, Martinus V et Eugenius IV essent executi, *ut huic decreto satisfacerent*, nisi intellexi non tantùm ad schismatis tempus, sed ad omnia tempora; n tantùm dubiis, sed etiam indubitatis pontificibus, legem p tutam.

Cur autem sessione XXXIX omnibus Pontificibus legem ponun à futuris quibuslibet conciliis poni posse decernunt? Cur, qu nisi quia sessione V *quemlibet, quâcumque dignitate, papali* o *cuilibet concilio generali* subditum decreverant? Ergo omnibus tificibus, neque minùs certis, quàm dubiis, conciliarem potes ipsa synodus anteponit; sessionis XXXIX fundamento, jam in initiis, sessionis scilicet V, solidè providenterque jacto.

Neque objiciant caput *Frequens*, de conciliis quocumque dece celebrandis, nullius jam esse roboris. Neque enim hìc quærimus, Ecclesiæ usu atque consensu, hi, qui disciplinam spectant, ca aboleri possint. Id certè quærimus : an synodus Constentien se gesserit, ut quæ existimaret summos etiam Pontifices, in fid schismatis, in reformationis causâ, conciliis œcumenicis esse riores. Certè, caput *Frequens* ad reformationem pertinebat, Patres intelligerent tantam esse tamque inveteratam ecclesi disciplinæ corruptelam, ut nonnisi per frequentia concilia suc temporis reformari possit.

Quo ex loco argumentum nostrum ita potest confirmari : Patres Constantienses sessione V decernebant, *cuicumque co generali à quocumque* parendum, hoc certè decreto intelli comprehendi ea concilia, quæ ipsi vel maximè imperaturi e ideò enim usi sunt generalibus vocibus : *Huic et cuicumque concilio legitimè congregato* : atqui ea concilia imperaturi erant,

[1] *Conc. Const., Sess.* XLIV. col. 257.

etiam sub certis indubitatisque Pontificibus haberentur : ergo ea quoque concilia Papæ anteponebant.

Huic argumento plurimum lucis accedit ex capite *Si verò*[1], quod est positum in sessione XXXIX post caput *Frequens*. Eo capite, Constantienses decernunt de habendis synodis, *si in futurum schisma oriri contingeret*. Quo loco præscribunt, quid ipsi contendentes, quid verò concilium, quid denique omnes præstare debeant. Hinc exsurgit argumentum : Cùm Constantienses Patres decernere aggrediuntur, quid agendum in tempore schismatis, id non generalibus verbis, sed expresso nominatìm schismatis casu, decernunt, ut legenti patuit : ergo certò constat singularem schismatis casum singulari decreto consideratum ac provisum ; at quæ verbis generalibus, *de quocumque concilio legitimè congregato*, sessionibus IV et V, anteà dicta essent, ad omne concilium et ad omne tempus omninò pertinere.

CAPUT XVII.

Idem demonstratur ex aliis capitibus sessionis XXXIX, Schelstrati et aliorum suffugia præcluduntur.

Sequitur, in sessione XXXIX caput *Quanto romanus Pontifex* ; quo capite synodus « statuit et ordinat, quòd deinceps quilibet in romanum Pontificem eligendus, antequàm sua electio publicetur, coram suis electoribus, publicè confessionem et professionem faciat infra scriptam[2]. » Ergo manifestè omnibus futuris Pontificibus, etiam indubitatis, etiam in fidei professione faciendâ, legem ponit.

Objicit Schelstratus, id ne quidem in synodo Constantiensi, præsentibus Patribus à Martino V fuisse observatum. « Sed, inquit, is Pontifex, electione factâ consecratus fuit, ac postea fidei professionem fecit[3]. » Tantus scilicet sacri concilii, facillimique decreti contemptus Martinum cœperat, qui aliis synodi decretis tantâ diligentiâ satisfecit ! At à Schelstrato quærimus, cur non ejus rei aliquod monumentum proferat ? An fortè in his reconditis gestis, quæ toti orbi hactenùs ignorata, à se primùm edita jactat, fidei professionem in ipsâ consecratione factam invenit ? Atqui nihil vetabat quin fieret, semel quidem privatìm, coram electoribus ex synodi decreto, atque iterùm publicè in ipsâ consecratione, sive post consecrationem : sed nempè placebat Schelstrato ostentare contemptam, etiam sine causâ, tantam synodum, tantosque fastus ad pontificiam dignitatem pertinere putat.

In eâdem sessione XXXIX, duo extant canones, quibus canonibus

[1] *Conc. Const., Sess.* XLIV. col. 239. — [2] *Ibid.*, col. 241. — [3] *Schelst., Diss. Antuerp.*, cap. III. pag. 60.

in episcopis transferendis, inque spoliis vacantium Ecclesiarum capiendis, aliisque ejusmodi rebus, quid romano Pontifici faciendum, sacrosancta synodus *statuit et ordinat*[1].

Occurrit Schelstratus, et hæc quidem decreta esse confitetur qu « etiam Pontifices indubitatos tangunt : sed, inquit, nullam pœna injungunt; nullam mentionem coactionis faciunt; prout tamen fa ciunt in decreto de schismatis tempore, ubi circa Pontifices tempo illo viventes, pœnas etiam privationis papatûs constituunt[2]. »

Hæc quidem Schelstratus objicit; tanquàm concilia non nisi po adhibitâ jurisdictionem exerceant, jaceantque canones innumerabi in corpore Juris, sacrisque conciliis editi, in quibus prohibitio, nu licèt anathematis aut pœnæ cujuslibet et coactionis mentione, co stat. At profectò sæpè sufficit simplici interdicto ligar conscientia quod synodus Constantiensis apertè sibi tribuit in capite *Frequen* decernendo scilicet, ut Papa ante finitum quodcumque concilia probante concilio, futuri concilii tempus designare teneatur; ne nulla pœna tamen est, si futurum concilium designare Papa no illud ab ipso concilio, etiam invito Papâ, statim designari. Cæterù quis ignorat, pœnas interdùm judicum prudentiæ reservari, neq minùs obligare ea quæ conscientiæ relinquantur; ut miremur Schelstrato, haud indocto viro, lectorem talibus deludi nugis?

CAPUT XVIII.

Idem demonstratur ex sessione XL, et octodecim tùm propositis reformati articulis.

Atque his quidem sessionis XXXIX canonibus, synodus Const tiensis reformationem aliquâ ex parte delibavit : cæterùm tantu opus ad vivum aggressura erat, postquam unus Pontifex constitu esset. Cùm ergo res eò devenisset, ut abjectis aliis, unus summ Pontifex crearetur, tùm verò, sessione XL, octodecim articuli refo mationis diù examinati, *ac per nationes in reformatorio* * *oblati*, po ponuntur cum hoc decreto[3] : quòd « futurus Pontifex per Dei gr tiam de proximo assumendus (post octo scilicet dies) cum hoc sac concilio, vel deputandis per nationes, debeat reformare Ecclesi in capite et in membris, et curiam romanam,..... antequàm h

[1] *Conc. Const., loc. jam cit.*, col. 241, 242.— [2] *Schelst., loc. cit.*, cap. II. p. 66.

* In eâ synodo, singulæ seorsim nationes de singulis rebus quæstionem habebant, et decr in sessionibus tum legebantur, cùm ab omnibus nationibus fuerant approbata. Hâc metho quæstiones eò diligentiùs examinabantur, quòd nationes libentiùs inter sese consilia conferebant. Quapropter in sessionibus publicis unanimes episcopi decretis subscribebant. Ea m thodus obtinuit quoque in concilio Basileensi. *Reformatorium* illud, de quo dicitur sess XL concilii Constantiensis, constabat ex deputatis nationum, quibus ea cura mandabatur, quærerent et proponerent quæcumque sibi reformatione indigere viderentur. (*Edit. Paris.*

[3] *Conc. Const., Sess.* XL. col. 243.

concilium dissolvatur, super articulis qui sequuntur, » octodecim illis scilicet sæpè memorandis. Hinc autem multa argumenta consurgunt.

Primum, quod jam tetigimus : Reformatio in capite et in membris, quò sessionis v decreta collimabant, exciso penitùs schismate et electo Pontifice, præcessura erat : ergo in eo decreto præscripta obedientia *cuilibet, cujuscumque statûs vel dignitatis, etiamsi papalis existat*, non ad schismatis tempus, sed ad ipsum quoque, omnium consensu, constitutum Pontificem pertinebat.

Atque ut pateat sanctam synodum, in sessione v, nihil aliud animo designasse, quàm id quod postea executura erat, stet istud argumentum : In sessione XL, sancta synodus Pontifici statim à se eligendo legem dixit : ut nempè, cum ipsâ synodo, Ecclesiam et curiam in capite et in membris, super certis articulis à synodo præscriptis, reformaret : atqui Pontifex mox eligendus, futurus erat certus et indubitatus Pontifex : ergo sancta synodus certo etiam ac indubitato Pontifici legem dixit.

Quid quòd articuli omnes, vel ferè omnes, Ecclesiam romanam ac Sedem apostolicam spectabant? Id vel tituli docent : « De numero et qualitate cardinalium ; de reservationibus ; de annatis ; de gratiis expectativis ; de confirmationibus electionum ; de causis in romanâ curiâ tractandis ; de appellationibus ad romanam curiam ; de officiis cancellariæ et pœnitentiariæ ; de dispensationibus ; de provisione Papæ et cardinalium[1], » et ejusmodi cæteris : quæ cum absurdum sit ad schismatis tantùm tempora, et ad dubios tantùm Pontifices pertinere, omnia tempora, et indubitatum quoque Pontificem designabant.

Neque obest quòd de his parùm in synodo actum, sive curiales reformationem eluserint, seu Patres, negotiorum mole obruti, secuturo concilio multa reservarint. Neque enim hic inquirimus quid gestum sit, sed in sessionibus IV et V quæ mens synodi fuerit. Certè constat eam fuisse mentem, ut vel maximè reformatio fieret. Ergo etiam constat eam fuisse mentem, ut indubitatus, et ab ipsâ synodo constitutus Papa, quàm maximè synodo obediret. Nec elusa reformatio probat synodi auctoritatem infirmam, sed fortè hominum animos nimiùm fuisse perversos.

Huic probationi magnum robur accedit ex articulo XIII octodecim illorum, qui sessione XL propositi sunt : *Propter quæ, et quomodo Papa possit corrigi et deponi*[2]. Atque equidem miror, quosdam Lovanienses aliosque censores nostros[3], eo loco abusos, ut sessionem V

[1] *Conc. Const., Sess.* XL. col. 243, 244. — [2] *Ibid.* — [3] *Disquis.*, pag. 60 et 65 ; *Doct. Lovan.*, p. 70, 71.

everterent : quasi sancta synodus sessione XL, omnibus jam ob dientiis congregatis, in integro reliquerit, an Papa in concilii potestat esset. Neque adverterunt ea, quæ sessione V generatim designat essent, *de Pontifice* scilicet *debitè puniendo*, sessione XL plenè atq integrè perficienda proponi, expositis specialibus causis atque agen modis ; quæ adeò non pugnant cum iis, quæ sessione V gesta erant ut alterum alteri necessariò conjunctum colligatumque sit. Pon certissimum est sessionis XL decretum ita esse conditum, ut p extinctum schisma, et sub indubitato Pontifice valeret. Ergo sessi nis V decreta, ex mente concilii, etiam extincto schismate, et sub i dubitato Pontifice valitura erant.

CAPUT XIX.

Recapitulatio eorum quæ de mente concilii dicta sunt, solutio objectorum cap.

Profectò hæc concilii mens, hic sensus : ac si, malis urgentib ac prævalentibus, tanti concilii, de reformatione ad unguem pe ciendâ, vota frustrata sunt ; certa tamen fundamenta, quibus e niteretur, posuisse juvabat. Denique si quis diligenter antedicta pe penderit, quove statu res Ecclesiæ essent, quidve illa optaret, quid metueret, et quo indigeret, tot malis undecumque prementibus, infando schismate ad cumulum ferè auctis, facilè intelliget, qu ad sananda Ecclesiæ vulnera pertineret, ne ad solum schismatis, dubii Pontificis tempus, provisa remedia, ipsaque adeò concilii creta traherentur. Et ipsum quoque schisma aliud postulabat, c unicuique factioni addicti, suum Pontificem pro certo jactarent; pontificii nominis auctoritate mali abuterentur, boni etiam plerq turbarentur ; atque inter schismatis mala, ac prodendæ pontifi majestatis metum fluctuarent. Quas inter angustias, tantaque pr sentia et ingruentia mala, si Patres Constantienses sibi asseruis supremam potestatem in dubios tantùm Pontifices, næ illi Eccle morbis inane remedium attulissent. Quare dubii Pontificis, nulla tenui mentione factâ, altiore et communiore ratione subnixi dec verunt, « quemcumque hominem, quâcumque dignitate, pa etiam, cuicumque concilio subjici oportere ; « ut postea omnes ch stiani, quocumque tempore, et quocumque rerum statu, sive schismate, sive extra schisma, seu dubium Pontificem, seu cert esse crederent, supremam conciliorum agnoscerent potestatem, eâque acquiescerent. Quod quidem sancta synodus eo luculenti firmiùs declarare ac definire teneretur, quia pars malorum maxi indè provenerat, quòd multi non satis synodo Pisanæ credidisse Jam verò, his explicatis, nihil est facilius quàm adversario

omnia argumenta, atque axiomata in eorum caput retorquere.

Nempe his agebant regulis *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi*[1]. Nos verò id fecimus, atque ex causis quibus collecta est synodus; cùm illæ, non ad schismatis tantùm, aut ad dubii Pontificis tempus, sed ad omnia Ecclesiæ tempora referantur, ejus quoque decreta ad omnia tempora patere docuimus. *Ex contextu facienda est interpretatio*[2]. Nos verò gesta omnia ab ipsâ origine repetita revolvimus, atque hinc doctrinam et Parisiensium et Ecclesiæ gallicanæ fixam invictamque esse monstravimus. *Ubi est apparens aliqua contradictio, capienda interpretatio est, quæ tollat contradictionem*[3]. Id verò meminerint; id enim semper agunt, ut synodi inter se decreta committant, nec unum ex alio elucident, sed evertant. Sic ea quæ in Viclefum à synodo Constantiensi intorta sunt sessione VIII; sic reformationem sessione XL propositam, in ipsis synodi sessionibus IV et V decreta convertunt. Nos ita conciliamus omnia, ut sibi cohærere, et eodem ubique tenore processisse constet. Jam cùm ex optimis regulis, quas ipsi adversarii adducebant, sacrosanctæ synodi mentem in sessionum IV et V decretis liquidò exposuerimus, haud minùs luculenter earum sessionum invictam auctoritatem adstruemus.

CAPUT XX.

Sessionibus IV et V æquè ac reliquis concilii œcumenici auctoritas constat : an valeat Bellarmini responsio, earum sessionum decreta, à Florentinâ et Lateranensi synodis antiquata ?

Ac primùm auctoritas sessionum IV et V haud alio fundamento nititur, quàm quo tota synodus; ipso nempè concilii titulo : « Sancta synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitimè congregata, generale concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, etc. »

Hæc de se statim synodus, prorsùs synodorum generalium more. Quærimus à nostris censoribus, an hunc titulum sessionibus IV et V detractum velint? Si velint, non catholica, sed mendax est synodus, pro universali sese venditans; si nolint, aut, volentes licèt, ipsa sanctæ synodi reverentia cohibet, fateantur necesse est, sessiones IV et V eâ auctoritate niti, quâ nulla major esse possit.

Ait quidem Bellarminus, « Constantiense concilium, quantùm ad primas sessiones, ubi definit concilium esse supra Papam, in concilio Florentino, et Lateranensi ultimo reprobatum[4]. » Anne expresso nomine concilii Constantiensis, ut sanè oportebat? Sic enim et Ariminensis, et Ephesina illa nefaria synodus expressè abrogatæ et

[1] *Disquis.*, n. 80; *Vid. Sup.*, cap. III. — [2] *Disquis.*, n. 81. — [3] *Ibid.*, n. 80. — [4] *Bell.*, *lib. de Conc. et Eccl.*, c. VII.

condemnatæ sunt. An igitur Florentina, aut Lateranensis illa ultima synodus, Constantiensem synodum notavit ullo modo? Nusquàm. Sed, aiunt, contraria decreta protulit. Ergo jam non concilio abrogatur auctoritas : sed ipsa concilia quæ verâ auctoritate constent, pessimo exemplo inter se committuntur. Nos autem conciliorum Florentini atque Lateranensis decreta Constantiensibus esse contraria negamus et pernegamus; falsòque et temerè assertum id esse, prolatis gestis, suo loco demonstramus. Hìc interim id querimur, novo more, atque à catholicis theologis alienissimo, concilia œcumenica opponi conciliis œcumenicis in eâ re, quæ ad ecclesiasticum dogma pertinet, negamusque unquàm in Ecclesiâ factum, ut alicujus concilii, quod se pro œcumenico gesserit, quale illud falsum Ephesinum fuit, in alio concilio œcumenico, doctrina damnetur, nisi priùs ipsa synodus antiquetur, mendaci œcumenicæ titulo insignita. Jam si concilia inter se non concilianda, sed committenda essent; quis Florentinum aut etiam Lateranense ultimum concilium, tam paucorum episcoporum, ac, dùm celebraretur, vix extra Urbem notum, Constantiensi anteponat, ubi teste Bellarmino, *Patres ferè mille* [1]; atque in his *episcopi ampliùs trecenti* adfuerunt; tanta hominum copia, ut eos Constantia urbs tanta non caperet, quemadmodùm hujus temporis testantur historici [2]; quos inter eminebant tot ac tanti cardinales romanæ Sedis atque potentiæ studiosissimi. Quis, inquam, æquus judex tam sancto conventui, ubi exitiale schisma extinctum, et res Ecclesiæ in pace sunt compositæ, ex ipso statim titulo non asserat auctoritatem?

At enim non omnes, sed primæ tantùm sessiones abjiciuntur. Quasi verò nihil sit, ipsa tantæ synodi fundamenta concutere, idque ex proprio sensu, nullâ synodo, nullo auctore Pontifice. Quid verò non liceat, si hæc licent? Verùm omittamus certa licèt præjudicia, atque adversariorum objecta diluamus.

CAPUT XXI.

An sessionum IV et V dubia sit auctoritas, quòd duæ obedientiæ defuerint? An Joannis XXIII obedientia tertia pars Ecclesiæ fuerit? An Joannes XXIII aut alii sessionibus IV et V contradixerint? Joannis Turrecrematæ et Joannis Gersonis loci.

Aiunt : Non erat tùm generale concilium, cùm tantùm adesset tertia pars Ecclesiæ [3]. (Quæ alibi fusè diximus, ut ostenderemus absurdum esse Ecclesiæ tertiam partem tantùm dicere tot populos tantaque regna quæ Joanni XXIII obediebant, hìc iterare non est

[1] *Bell., lib. de Conc. et Eccl.*, c. VII.—[2] *Vid. Cochlæ.*, lib. I. *hist. Huss. et al. hist.*—[3] *Doct. Lov.*, p. 77; *Bell.*, lib. II. *de Conc.*, cap. XIX; *Turrec.*, *de Eccl.*, lib. II. cap. XCIX; *Vid. Dist. Præv.*, n. 39 et 41.

necesse.) Inter illa regna erat Hungaricum, misso quoque legato pro toto hoc regno Lamberto de Groliâ [1]; quod ideò annotamus, ut intelligant censores nostri, majores quoque suos cum nostris majoribus in unam sententiam convenisse. Harum nationum regnorumque antistites ac legatos in eo catalogo legimus, quo descripta sunt illorum nomina, qui fœdus Narbonense * cum Aragonensibus pactum approbarunt [2].

Ut ut sit, inquiunt, duæ obedientiæ deerant. Certè; sed omnes convocatæ, et quidem auctoritate veri Pontificis, et ex decreto Pisani concilii generalis. An verò propter Hispanos, et Scotos, aut etiam Apulos damnatis Pontificibus adhærentes, perditam Ecclesiam oportebat; nec licebat, tot tantisque Ecclesiis vero Pontifici obedientibus, personam agere Ecclesiæ, resque ejus componere, aut earum agendarum fundamenta collocare? Esto, fuerint excusabiles, aut tolerabiles, qui Gregorio Benedictoque adhærebant. An propterea reliquam Ecclesiam, ipsâ nixam veritate, auctoritate spoliabant, ac prohibere poterant, quominùs veris certisque decretis, saluti animarum, atque extinguendo schismati provideret?

Sed addit Bellarminus: « Non aderat tum certus papa in Ecclesiâ: sine quo dubia de fide definiri non possunt [3]. » Certus, quem omnes omninò reipsâ agnoscerent, fateor: certus, qui meritò pro certo haberetur, et quem multò maxima pars Ecclesiæ reipsâ pro certo haberet, cæteris tantæ multitudinis comparatione perpaucis; nec ipse Bellarminus inficias eat.

Instat: « In concilio nullus erat Papa: Joannes enim XXIII, qui concilium inchoaverat, jam indè recesserat, cùm quarta sessio haberetur [4]: » quasi è concilio turpiter aufugisse, hoc esset synodo abrogare potestatem. Atqui ipse Joannes postridiè quàm abiit, missis ad imperatorem et ad synodum legatis, *datâque creditivâ litterâ* testabatur *se propter sanitatem corporis secessisse*. Hanc turpi fugæ excusationem obtendebat; cæterùm *omnia impleturum quæ synodo promisisset* [5].

Bellarminum secutus auctor anonymus *Doctrinæ Lovaniensium* hæc addit: « Nec desunt qui asserant, quòd non omnes illius primæ congregationis, consenserint illi decreto sessionum IV et V; » nec ipse Joannes XXIII adhibuit « consensum, vel auctoritatem suam: dicitur enim fuisse conquestus, post abscessum suum aliqua esse

[1] *Conc. Const.; Sess.* XX. col. 190.

* Nempè Narbone transactum fuerat inter Sigismundum imperatorem et Ferdinandum Aragonum regem, ut episcopi qui Ferdinando parebant, certis conditionibus suo Benedicto obedientiam denegarent, et synodo se jungerent. Vid. tenor. Cap. concord. tom. XII. Conc. col. 178 et seq. (*Edit. Paris.*)

[2] *Conc. Const. Sess.* XX. col. 183 et seq. — [3] *Bell., loc. jam cit.* — [4] *Ibid., et Doct. Lov.*, p. 77. et *Turrecr.* — [5] *Conc. Const., Sess.* XV. col. 20, 21.

decreta erronea et falsa adversùs auctoritatem romani Pontificis [1]. » Hæc ille ex Joanne Turrecrematâ retulit. Quo loco multùm utuntur, qui nostra impugnant, ac præsertim ille, qui de libertatibus gallicanis scripsit auctor anonymus. Atque is quidem laudat Joannem à Turrecrematâ cardinalem, ut « de rei veritate optimè instructum, ac gestorum ex parte oculatum testem, ac pro suo merito fide dignum [2]. » Id prætermisit, ab eo cardinale hæc fuisse scripta post Basileense dissidium : quo Tempore Turrecremata Eugeniarum partium antesignanus, cùm Constantiensis concilii auctoritate premeretur, nullum videbat effugium, nisi, quoad poterat, Constantiensium canonum et sensum obscuraret, et auctoritatem infringeret. Itaque cùm acta publica deessent, ipsos etiam rumores aucupatus, ea scripsit quæ Joannes XXIII coram oratoribus gallicanis iratus effudisse diceretur. Jam verò quis dicat admittenda quidem ea quæ ab uno viro, eoque addicto partibus, memorantur; contemnenda verò quæ sunt in actis publicis expressè notata? Nempè hæc consensum et auctoritatem publicam manifestè exprimunt, non item quod incertâ tantùm quorumdam relatione nititur. Nec verò aliud innuit Turrecremata, dùm nullo tantæ rei appellato teste, solùm ait : « Dicitur enim fuisse conquestus post abscessum suum aliqua esse decreta erronea et falsa adversùs auctoritatem romani Pontificis. » Hæc anonymus repetit. At virum gravem non decet his moveri, quæ dicantur, et in aëra jactentur, dùm interim ex actis ipsis synodi, duo hæc constant; nempè sessioni IV ducentos Patres adfuisse; et sessioni V adscriptum, lectis articulis, *Concilium eos uniformiter approbasse, et concludisse.* De Joanne verò XXIII quid dicam, quem ex actis constet, etiam post fugam synodo adhæsisse, ac postea iteratis vicibus ultrò confessum « quòd turpiter à concilio recesserat; quòd vellet stare definitioni concilii; quòd Constantiense Pisani continuativum errare non posset; quòd synodi sententiam, etiamsi in se latam, cum birreti depositione acciperet, confirmaret, approbaret quantùm in se esset [3]? » Quæ ergo synodus intelligeret, eo vel invito per sese valitura, quis, eo quoque assentiente, valere negaverit?

Neque verò nostrâ interest, quid ipse Joannes privatim aut clanculùm demurmuraverit; sed quid ad synodum apertè professus sit. Neque ego diffiteor ei adfuisse, ut principibus solent, adulatores pessimos, cùm ab Alliacensi cardinale notatum videam quemdam, « qui inter fautores et adulatores ejus, velut anguis in herbâ latitaret, qui eum lacte erroris nutrientes, ad exterminium deduxerunt [4]. »

[1] *Doct. Lovan.*, p. 69, 73, 77. *ex Turrecr.* — [2] *De Libert.*, etc., lib. V. c. 15. n. 2. — [3] *Conc. Const., Sess.* XI, XII. col. 87, 88, etc. — [4] *Pet. All., de Eccl. auct.* p. 111. cap. III. *jam cap. cit.*

Neque etiam moror quid illi Pontificis insusurraverint auribus fœdi adulatores; sed quid ipsa synodus votis communibus atque suffragiis definiverit; quod unum inquirimus. Auctor anonymus [1], aliique passim mirum in modum se efferunt his Joannis Gersonis verbis [2] : Ante celebrationem sacrosanctæ hujus Constantiensis synodi, sic occupaverat mentes plurimorum litteralium, magis quàm litteratorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset de hæreticâ pravitate suspectus vel damnatus. Hujus rei signum accipe, quia post declarationem, et quod urgentius est, post determinationem et practicationem ejusdem sanctæ synodi * inveniantur qui talia passim asserere non paveant. »

Quæ cur viri graves tanti faciant, non equidem hactenùs intelligere potui. Quid enim novi quòd, ante rem definitam, in diversam sententiam multi abierint? Aut quis nesciat post res etiam definitas, non defuisse synodis, etiam optimè gestis, obtrectatores suos? Sanè quod Gerson memorat : « Qui Constantiensia dogmata tuerentur, ante sacræ synodi celebrationem de hæreticâ pravitate suspectos vel notatos, » ad Benedicti XIII, cui Galli parebant, tempora pessima referendum. Is enim superbissimus atque ambitiosissimus, qui contra se hiscere auderent ac synodum implorarent, diris devovebat, quod jam ex actis constitit [3]. Atque hunc pessimum morem, et ab alto imbibitum adulationis virus Gerson irridens, *traditionem* vocabat, qualem certè in Judæis improbavit Christus. Ipse cum cæteris veram et apostolicam traditionem tuebatur. Jam qui hæc objiciunt, viderint an litigia judiciis, ipsisque judicibus, in Ecclesiæ catholicæ cœtu sedentibus, obtrectatores anteponendos putent.

CAPUT XXII.

Quòd inter catholicos certum sit, concilium Constantiense jam indè ab initio, et ante edumatas obedientias fuisse œcumenicum : bulla *Inter cunctas* à Martino V, *sacro approbante concilio*, edita Constantiæ.

Denique, ut uno verbo totum negotium transigamus, judicata res est; totaque illa de duabus obedientiis absentibus, deque sessionibus nulle Pontifice habitis, argumentatio sponte jacet. Nemo enim negat decreta sessionum VIII, XIII, XV, circa Viclefum et Hussum, et circa communionem sub unâ specie, et circa Joannis Parvi propositionem de cædendis tyrannis, aliaque de fide, plenâ œcumenicæ synodi

[1] *De Libert.*, etc., lib. v. cap. 15. n. 7.— [2] *Gers., de potest. Eccl.*, cons. XII.

* Synodo etiam stante, quidam hæc asserere non verebantur : « Nec ab eo (Papâ) appellari, » neque eum judicialiter evocari, nec obedientiam ab eo substrahi..... est aliquatenùs possi» bile : hic solus symbolum fidei condere, hic solus causas ejusdem fidei.... tractare potest : » solus.... regulas, leges et canones condit, alioquin quidquid per alios diffinitur, decernitur, » conditur, statuitur, irritum est et inane. » Vid. loc. in text. citat. (*Edit. Paris.*)

[3] *Vid. sup. hoc lib.*, c. IX; *et S. Anton.*, t. III; *Hist.*, l. XXXI. § V et seq.; *et Rain.*, an. 1409.

auctoritate esse facta. Atque illas sessiones æquè ac quartam et quintam constat esse celebratas, antequàm omnes obedientiæ convenissent. Ergo ante conjunctionem illam, concilii generalis apud Constantienses valebat auctoritas; ac sessionum IV et V decreta pari cum cæteris potestate omninò constant.

Respondent [1], quæ adversùs Viclefum et Hussum decreta fuerant, à Martino V fuisse approbata, decretali *Inter cunctas :* nihil autem prætereà ab eo Pontifice confirmatum.

Verùm enim verò attendere debuissent nihil hic novi decrevisse Martinum : sed quæ à concilio œcumenico, de Viclefi atque Hussi erroribus rectè jam et ordine gesta essent, episcopis et inquisitoribus exequenda mandasse. Id ipsius diplomatis probat series. Hæc deindè Martinus V interrogata subdit, quibus tentari debeat is cujus fides suspecta sit [2] : « Utrum credat quòd quodcumque concilium generale, et etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentet? Item quòd illud, quod sacrum concilium Constantiense Ecclesiam universalem repræsentans, approbavit et approbat in favorem fidei et ad salutem animarum; quòd hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum et tenendum, et quod condemnavit et condemnat, esse fidei vel bonis moribus contrarium. »

En quod sancta synodus approbavit et condemnavit circa Viclefi, Hussique propositiones sessionibus VIII et XV, nondùm licèt adunatis obedientiis; en quod approbandum et condemnandum Martinus precisè proponit, ut jam approbatum et condemnatum à concilio œcumenico, quod Ecclesiam catholicam repræsentaret. Pergit : « Utrum credat quòd dictæ condemnationes * per sacrum generale concilium ritè et justè factæ sunt : » *ritè,* quoad ordinem; *justè,* quoad rem ipsam : quod iterùm iterùmque inculcat et urget; ut quod in concilio generali decretum et peractum erat, jam observandum omnibus credendumque relinquatur. Qui ergo concilio Constantiensi ante adunatas obedientias œcumenicam detrahit auctoritatem, non modò toti synodo, verùm etiam Martino V et fidei catholicæ contradicit.

Neque verò his nocet, quòd Martinus V sessionum IV et V nullam fecerit mentionem; neque enim aut memorat prolatam de Joannis Parvi hæresi sententiam [3], quæ haud minùs habètur pro œcumenici concilii sententiâ : neque aliud quidquam præter ea, quæ in Viclefum Hussumque gesta sunt. Quin etiam vidimus bullæ *inter cunctas,* insertam à Martino V censuram concilii in Viclefi propositionem XLI, quâ censurâ constet, *Ecclesiam romanam ita supremam esse,* qua-

[1] *Disq.*, pag. 21. — [2] *Bull., Inter cunctas,* col 268.
* Nempè Viclefi, Joannis Hussi, et Hieronymi à Pragâ.
[3] *Conc. Const., Sess.* XV. col. 144.

tanùs eo nomine *universalis Ecclesia, aut concilium generale* intelligitur : Papam verò ita supremum, quatenùs *primatum habet super alias Ecclesias particulares*. Hæc exscribit Martinus V : hæc ad fidem catholicam pertinere intelligit. Quæ nos ex sessionibus IV et V manasse, cum iisque apta et connexa esse, luce clarius demonstravimus [1] : quo liquet Martinum V iis sessionibus assensisse, qui connexa et consentanea probaverit.

Neque mirum. Ipse enim Martinus, unus fuit eorum cardinalium, qui suscripsit cum aliis ei declarationi, quâ Papam œcumenicæ synodo subesse testabantur [2]. Is eo fundamento nixus, in Pisano concilio et Constantiensi, nunquàm ab aliorum Patrum sententiâ discrepavit. Itaque cùm bullâ *Inter cunctas*, primarum sessionum decreta, tanquàm œcumenicæ synodi acta veneratur, id tantùm Pontifex mandat exequendum, quod prælatus et cardinalis cum aliis jam fecerat et constituerat.

Pari ratione solvitur ea objectio, quòd adsente Papâ, synodi œcumenicæ auctoritas constare nequeat : cùm iis sessionibus, quas Martinus V, totâ synodo approbante, pro œcumenici concilii veris sessionibus agnoscit, haud minùs quàm sessionibus IV et V romanus Pontificem defuisse constet.

Quamobrem ruit funditus illa objectio, quæ ex diversis obedientiis nondùm adunatis petebatur. Nec ullum periculum nostrorum Parisiensium sententiæ imminet ab aliis obedientiis, quæ primùm unanimi consensu bullam *Inter cuncta* Martini V approbarint, tùm declarationi ipsius concilii Constantiensis primis sessionibus superstructæ, in idem ædificium, atque omninò in idem corpus coaluerint ; totamque sacræ synodi doctrinam imbiberint ; cujus quidem doctrinæ, si quam partem suspectam habuissent, nonnisi eâ expressè reprobatâ synodo adhæsissent.

CAPUT XXIII.

An novæ concilii convocationes, Gregorii et Benedicti obedientiis Constantiam adventantibus, pacis studio factæ, antecedentium sessionum auctoritatem infringant? Ac primum de suscepto Gregorio, sessione XIV.

Neque illa obstat ab auctore anonymo *Doctrinæ Lovaniensium* [3] aliisque jactata, adunatis demùm obedientiis, nova concilii convocatio, quæque ad eam mentem facta sunt. Hæc enim sunt synodi, non de sua auctoritate dubitantis, sed apostolicâ charitate sustentantis infirmos. Jam quidem fortiores animæ, amborum contendentium, tanquàm sua quærentium, jugum excusserant, ac maximam Eccle-

[1] *Sup.*, cap. XV. — [2] *Vid. Rain.*, tom. XVII. an. 1498, n. 9. *sup. hoc lib.*, c. IX ; *Diss. præv.*, n. 10. — [3] *Doctr. Lovan.*, p. 69, 70.

siæ partem ad pacem adduxerant; sed tamen infirmi supererant, qui ad hæc fortia exsurgere, aut ex obortis dubiis, quæ saltem probabilia viderentur, extricare se non poterant. Quid igitur agendum? Multi suadebant bello adigendos ab obedientiam; atque ea erat, quam quam *viam belli* vocabant [1]. At Petrus de Alliaco, et academia Parisiensis, et optimus quisque, et sacrosancta synodus cruenta remedia respuebat. An igitur in fœdo schismate relinquendi? Alia omnia postulabat fraterna ac materna charitas, et apostolicum illud, ut *firmiores imbecillitates infirmorum sustinerent* [2]. Hinc novæ illæ convocationes admissæ sunt, illæsâ synodi auctoritate, cùm nihil profectò lædat; quæ omnia potiùs sanat, charitas.

Quare sessione XIV, cùm accederet ad synodum jam Constantiæ congregatum Gregorii XII obedientia; nova quidem facta est ipsius Gregorii nomine, per ejus procuratores convocatio et confirmatio [3]. Sed postquam ea omnia facta sunt, synodus sic pronuntiat: « Eam convocationem, auctorizationem, approbationem, et confirmationem à Gregorio nunc factas, quantùm ad ipsum spectare videtur, in omnibus et per omnia admitti: quia abundans at certitudinem pro bono cautela nemini nocet, sed omnibus prodest. » Hæc docent synodum per se stantem, convocatam tamen à Gregorio, non quidem absolutè, sed *quantùm ad ipsum spectare videbatur*: neque ex necessitate, sed *ex abundanti*.

Eâdem ratione sacra synodus Joannis XIII jam depositi consensionem, et *quantum in ipso esset*, sententiæ synodalis confirmationem admisit [4]. Quas res Joannes Gerson præsens, earumque pars maxima *ad cautelam et humili quâdam condescensione factas*, et ipse credidit, et coram totâ synodo concione habitâ prædicavit [5]. Neque convocatorium Gregorii decretum in provincias pro more missum est; sed tantùm in synodo lectum, ut ea convocatio ad œconomiam quamdam atque indulgentiam, non ad ipsam rei, ut vocant, substantiam pertineat. Sic synodus suæ conscia majestatis, et constantiæ retinens, infirmis quoque ac dubiis animis consulebat.

Eodem pacis intuitu, in eâdem sessione admissum est Gregorii de papatûs abdicatione mandatum, cum hâc professione, quòd cùm hunc papatûs titulum *clarum certumque* haberet, permissum etiam ei sit, ut quibuscumque verbis papatum tueretur, quem reipsâ abdicaret.

Quamobrem in eodem diplomate procuratoribus seu legatis suis facultatem dabat, « vice suâ convocandi et auctorizandi generale concilium, remotâ tamen, inquit, omninò Baltasaris præsidentiâ et

[1] *Append.*, tom. XII; *Conc.*, col. 1443.—[2] *Rom.*, XV. 1.—[3] *Conc.*, *Const.*, *Sess.* XIV. col. 107.—[4] *Ibid.*, *Sess.* XII. col. 96.—[5] *Gers.*, *Cerm. de viag.*, etc., direct. IV. tom. II. col. 275.

præsentiâ [1] : « quæ quidem sancta synodus nullo suo detrimento concedebat; cùm Joannes jam depositus sententiæ acquievisset, cautumque esset, ne aut ipse, aut Gregorius, aut Benedictus eligi possent.

CAPUT XXIV.

Exemplum singularis, in ejusdem schismatis casu, indulgentiæ et condescensûs.

Scilicet ut tuta præstarent omnia, omnes in unum titulos congerebant, ne ex levi quoque scrupulo, tanquàm ex tenui scintillâ tota exosi schismatis flamma resurgeret. Quod tunc usque adeò hærebat animis, ut Martinus V, duodecimo pontificatûs anno, cùm per tot annorum spatium, ac totâ jam Ecclesiâ egregius ac stabilitus Pontifex coleretur, fictitii Clementis cessionem, Petri cardinalis Fuxensis operâ impetratam, magni beneficii loco duceret.

Hæc advertat lector diligens. Petrus de Lunâ in Constantiensi concilio à tribus jam obedientiis anathemate damnatus, desertusque à suis penè omnibus, et tamen in papatu tuendo ad mortem usque obstinatissimus, nescio quem Ægidium Munionem, canonicum Barcinonensem, successorem habuit. Is anno 1422, Petro mortuo, à tribus cardinalium larvis electus, Clementis VIII nomen accepit. Tota illi Ecclesia, erat paniscolensis rupes, in Cataloniâ castellum exiguum, extremum Petri de Lunâ schismatisque perfugium. Favebat occultè rex Aragonum Alphonsus, Martino V infensus, tantoque Pontifici inane Pontificis spectrum opponebat; totâ Ecclesiâ partim irridente, partim etiam indignante. Et tamen, ut ea larva è medio tolleretur, pace jam cum Alphonso rege factâ, missi regii oratores; in his Alphonsus Borgia, postea Calixtus (III) pontifex maximus, qui falsum Clementem ad abdicationem inducerent. Missus Petrus cardinalis Fuxensis * vir per eam ætatem, et genere, et rerum gestarum gloriâ clarus, qui reliquias schismatis extingueret; cujus acta sic habent apud Odoricum Rainaldum, ad annum 1429 [2] : « Dominus Ægidius in sessione publicâ, indutus papalibus insigniis, in castro Paniscolæ, primitus et ante omnia pro serenitate conscientiæ suæ et suorum sequacium, ut dixit publicè et solemniter, omnes processus, sententias, fulminationes et censuras, depositiones, inhabilitationes, per suum prædecessorem Benedictum papam XIII in suâ obedientiâ nuncupa-

[1] *Conc. Const., Sess.* XIV. col. 106.

* Petrus Fuxensis, è Franciscanorum familiâ, natus annos XXII ad cardinalatum evectus est à Benedicto XIII, qui comites Fuxenses sibi adjungi cupiebat. Petrus Benedicti partes egregiè fovit, usque ad concilium Constantiense. Bis venit in Aragoniam pacis causâ, ac demùm schisma prolatum ab Ægidio de Munione omninò extinxit. Erat tunc Arelatensis archiepiscopus et vice-legatus Avenionensis. Vid. *Gall. Christ.* et tom. XII Conc. col. 406 et seq. (*Edit. Paris.*)

[2] *Rain.*, tom. XVIII. an. 1429, n. 2.

tum, et ipsum in suo prætenso pontificatu, contra omnes et singulos ei non obedientes, specialiter contra Odonem de Columnis, quem secundùm eorum opinionem reputabant antipapam et schismaticum, et omnes sibi adhærentes, factas, pronuntiatas, et fulminatas, per suas litteras et prætensas bullas plumbeas expressè revocavit; et omnes illos, qui præfato domino Odoni adhæserant, et specialiter ipsum Odonem de Columnâ ad omnes dignitates et honores, et specialiter ad papatum habilitavit, restituit, et redintegravit. Deindè idem Ægidius proposuit solemniter coram omnibus, qualiter electus ab ibidem præsentibus suis fratribus, prætensis cardinalibus, papatum recepit; non ad alios fines, quàm ad hoc principaliter, ut per ejus medium, Dei Ecclesiæ vera et indubitata unio sequeretur: etiam à primis diebus suæ novæ assumptionis ad apostolatum veraciter in animo disposuit, pro tanto bono unionis Ecclesiæ Dei, sponte et liberaliter se velle renuntiare honori et officio papali. » Quod reverà præstitit; « confitens expressè viam renuntiationis hujusmodi, esse viam planiorem, utiliorem, securiorem, et breviorem ad consequendam veram et indubitatam unionem Ecclesiæ Dei. »

Quin etiam umbraticus Pontifex bullam plumbeam super cessione suâ edidit [1], sub hoc titulo : *Clemens episcopus, servus servorum Dei,* cujus hæc verba referre placet : « Hinc est quòd nos propensiùs attendentes, quòd quantò validiora, certiora et firmiora sunt in hujusmodi apostolatûs officio jura nostra, tantò laudabiliùs ea ducimus pro pace ac redintegratione religionis christianæ relinquere. » Quo fundamento posito hæc subdit : « Omni juri papatûs, oneri et honori, ejusque titulo et possessioni,..... quam habemus..... non vi, dolo seu metu,..... sed simpliciter, purè, liberè, et sponte, ac ex certâ scientiâ, et de plenitudine potestatis, assistentibus nobis venerabilibus fratribus nostris sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinalibus, necnon præsentibus..... Alphonsi regis Aragonum..... ambassiatoribus,..... cedimus et renuntiamus;..... papalia deponentes insignia, ad efficaciam veræ ac desideratissimæ unionis Ecclesiæ sanctæ Dei... Datum Paniscolæ Dertusensis diœcesis, 7 kal. Augusti, pontificatûs nostri anno quinto. » Prorsùs eo more rituque, atque etiam verborum majore magnificentiâ, quam Angelus de Corario, seu Gregorius XII, abdicaverat.

Neque eo contenti fuere; sed post eam abdicationem falsi Clementis, ejus cardinales, tanquam vacante sede, ad novum Pontificem eligendum, locum conclavis postularunt, quo pro more conclusi, « nemine discrepante, per viam Spiritûs sancti, reverendissimum in

[1] *Vid.* tom. XII. *Conc.*, col. 407.

Christo patrem et dominum Odonem de Columnâ, in suâ obedientiâ nominatum Martinum V, quem ipse dominus Clemens..... ante suam cessionem, tollendo sententias et processus contra ipsum ratione schismatis latos et factos, habilitarat, de apostolicæ potestatis plenitudine, usque ad summum pontificium inclusivè, in romanum Pontificem..... ac beati Petri successorem concorditer elegerunt [1]. » Atque hujus electionis publicum instrumentum ab Alphonsi regis oratoribus pontificio legato statim est traditum.

Quid igitur? Nisi larva Pontificis Martinum V *habilitasset* ad pontificiam dignitatem; nisi loco cessisset; nisi umbratici cardinales eumdem Martinum elegissent, non ei tota sua constabat auctoritas, ac decreta Constantiensia fluctuabant? Absit. Sed tamen hæc omnia facta sunt, quòd catholici spectarent, non solùm vera jura, titulorumque certam auctoritatem, sed etiam firmum et tutum consensionis effectum, ut infirmi nihil haberent quod jam mutire possent.

Quæ quidem cùm accepisset Martinus pontifex, referente Rainaldo [2], *ingenti gaudio affectus est, datisque litteris, legato cardinali* plurimùm gratulatus; Ægidium Munionem Baleari episcopatu, Alphonsum verò Borgiam, quo suadente abdicaverat, Valentino archiepiscopatu donavit. Tantâ mercede eos honestavit, tantâque operâ, etiam profligato schismate, tamen ad muniendam pacem, inania etiam jura, inanesque titulos conquirebant.

Non ergo mirum, si eodem adhuc vigente schismate, Constantienses Patres Gregorio XII tanta permiserint; cùm pariter declararent, *hanc convocationem et auctorizationem* Gregorii admittendam esse, *quantum ad ipsum spectare videretur* [3]: non quantum ad synodum, neque ex necessitate, sed *ex abundanti* esse, ut et Gregorii ejusque sequacium scrupulis caveretur, et sua interim sacrosanctæ synodo constaret auctoritas.

CAPUT XXV.

De sessionibus XXII, XXVI, XXXV, quibus Aragonenses, Navarrici et Castellani suscepti sunt.

Eodem animo actum cum Aragonensibus aliisque Hispanis, qui rejecto Benedicto Sigismundi imperatoris operâ, ex pacto Narbonensi * sessione XXII ac sequentibus, Constantiensi se synodo conjunxerunt: quæ compositio Narbonensis, Constantiæ in sessione XX

[1] *Vid.* tom. XII. *Conc.*, col. 408.— [2] *Rain*, an. 1429, n. 3.— [3] *Vid. Sup.* cap. præced.

* Sic in illo pacto statuitur, capit. I: « Quòd convocatio fiat per prælatos.... in dicto concilio Constantiensi existentes, de regibus et principibus.... et prælatis.... de obedientiâ D. Benedicti, .. et vice versâ: quòd præfati domini reges et principes obedientiæ D. Benedicti facient litteras convocatorias ad prælatos.... de concilio Constantiensi... vel per suos ambassiatores. » Vid. col. 178. (*Edit. Paris.*)

lecta et approbata est [1]; ac postea, præsentibus legatis Ferdinan regis Aragonum, sessio XXII celebratur [2]. Et statim quidem decretu editur consueto ritu : scilicet, *sacrosanctæ generalis synodi* * *Co stantiensis* nomine : mox, uti fœdere Narbonensi pactum erat, dep sito titulo, datæ sunt ad eumdem regem Aragonum, nomine *dinalium, aliorumque prælatorum, Constantiæ in Christi nom congregatorum* [3], litteræ, quibus eum ejusque prælatos Constanti convocarent. Quo facto, oratores regis Aragonum, eos à quibus convocabantur, *prælatos et cæteros dominos* Constantiam convo bant : qui scilicet jam præsentes aderant, totoque orbe conscio, annum integrum conciliari potestate agebant, responsumque statim à Patribus Constantiensibus : *Nos dictam convocationem acce mus* [4]. Continuò, nec dimissis in Aragoniam aliasve provincias convocationis litteris, nedum expectato responso, mutua facta c junctio est; ac sancta synodus multa decrevit, sub titulo cons *sacrosanctæ generalis synodi Constantiensis in Spiritu sancto legit congregatæ* : ut una in sessione, si spectes titulos, synodus ter tem mutaverit **.

Ac ne aragonenses Antistites generali synodo deesse putaren ibidem promulgatum est sacri concilii decretum : ut regis Aragon oratores, non provinciarum delegatione, sed ipsius synodi auct tate sic agerent, atque in synodo sententiam ferrent, ac si om earum partium repræsentarent Ecclesias; quæ non ex ecclesia disciplinâ, aut rei veritate, sed οἰκονομικῶς, ac pacis gratiâ, summ indulgentiâ et condescensione facta esse, res ipsa clamat.

Eodem ritu modoque legati Navarræ regis (Caroli), sessione X ac Joannis regis Castellæ et Legionis, sessione XXXV suscepti, utrâ sessione nova fit convocatio [5]. Iterum synodus œcumenicæ titu deponit, statimque resumit; atque interim interjectæ sessiones œ menicæ synodi titulo celebrantur; quæ res omnibus sessionib jam indè ab initio universalis synodi nomen dignitatemque asse Nam ad ipsam quidem, quæ se ab initio pro universali gereret, om

[1] *Vid. Conc. Const., Sess.* XX. col. 178.— [2] *Ibid., Sess.* XXII. col. 192, 193.

* Vocabulum *generalis* abest ab eo decreto, saltem in excusis codicibus; neque tamen minùs est firma Bossuet argumentatio. Nam sacra synodus titulum *generalis* deponit qu *condescendentiæ* causâ, ut aiebant, illum statim resumptura. Præterea observandum c synodum, sessione XIV, procuratoris Gregorii XII admisisse convocationem ad concili nerale, assumpto consueto suo titulo. Notanda verba exscribam : « Sacrosancta ge synodus Constantiensis.... convocationem, auctorizationem... nomine illius Domini, qui i obedientiâ dicitur Gregorius XII nunc factas... admittit. » Vid. col. 107. (*Edit. Paris.*)

[3] *Vid. Conc. Const., Sess.* XXII. col. 195. — [4] *Ibid.*, col. 196.

** Nempè initio sessionis, col. 192, *sacrosancta synodus Constantiensis* appellatur; de col. 193, *litteras* dat *convocatorias* ad regem Aragonum sub nomine *cardinalium et præl rum in Constantiâ congregatorum* : denique, col. 196, condit decreta, resumpto suo t *sacrosancta generalis synodus, etc.* (*Edit. Paris.*)

[5] *Vid. Conc. Const, Sess.* XXVI et XXXV. col. 207 et 224.

accurrunt, ipsa immota stat : atque illa, suæ licèt conscia dignitatis, id infirmis tribuit, ut venerandum nomen, terque quaterque deponere videatur; sed ut majore semper consensione recipiat. An igitur toties, atque etiam in unâ, ut vidimus, XXII sessione, œcumenica esse et perstat, et desinit, et incipit? Neutiquam. Sed οἰκονομικῶς, pacis atque infirmorum gratiâ, et nomen deponit, et rem tuetur. Et quemadmodum sacra synodus, licèt in gratiam Castellanorum ultimò adventantium, sessione XXXV, nomen œcumenicæ tantisper deposuerit; tamen haud immeritò illud acceperat, et sessione XXVI, in quâ Navarrici, et XXII, in quâ Aragonenses accessere. Sic, tametsi eum titulum in Aragonensium gratiam tantisper dimiserit, haud minore jure illum acceperat, et sessione XIV, accedente Gregorio, et ante eam sessionem, ab ipso convocationis et celebrationis initio.

CAPUT XXVI.

Ex ipsâ rerum serie antedicta confirmantur.

Quin ipse rerum tenor eam œconomiam probat, quam assertum imus. Neque enim aut Gregorius, ejusve seu Benedicti asseclæ, cùm ad synodum accederent, id sibi vindicarunt, ut antè gesta velut ad incudem revocarent, aut ab iis postulatum, ut ea, tanquam essent infirma vel dubia, approbarent, rataque habere vellent; sed ea omnia, non aliter quàm ipsâ rerum serie et consecutione firmantur. Id ipsa in Benedictum gesta manifestant. Certè enim post susceptos, sessione XXII, Aragonenses, sessione XXIII adversùs Benedictum juridica *informatio* decernitur, idque sub œcumenicæ synodi titulo, nihil expectatis Navarricis, prope diem, sessione scilicet XXVI, adventuris : quibus advenientibus, novâ licèt convocatione factâ, ac deposito tantisper synodi œcumenicæ titulo, non tamen antè gesta iterantur; sed tenore suo causa procedit. Itaque, sessione XXIV, Benedicti *citatio* promulgatur : sessionibus XXIX et XXXIII declaratur contumacia : sessione XXX, subtracta Benedicto obedientia approbatur, aliaque multa fiunt maximi ad causam ponderis. Quæ omnia, Castellanis adventantibus, sessione XXXV, novaque concilii convocatione promulgatâ, adeo non infirmantur, ut statim, sessione XXXVII, ultima et peremptoria adversùs Benedictum sententia pronuntietur : quæ tamen non valeret, nisi et informatio, et citatio, et contumaciæ declaratio antea valuissent. Certum igitur est, novis illis synodi convocationibus, pacis studio ex indulgentiâ factis, nihil ipsius synodi auctoritatem infringi; idque agnitum ab iis etiam qui eas fieri postulassent.

Quòd si respondetur, valuisse illa quidem, sed tamen ex consensu tacito Navarricorum, aut etiam Castellanorum, qui ultimo loco ad-

venerint; quamquam id absurdum est, tamen ad rem nostram sufficit. Sic enim omninò constat quæcumque ab initio à Joannis XXIII obedientiâ gesta, ea, advenientibus reliquis obedientiis, ipsâ conjunctione ac rerum prosecutione valuisse. Neque enim retractatum quidquam de rebus antea, atque ab initio ipso, in synodo gestis; neque magis de sessione VIII actum est, ubi damnatus Viclefus, ante susceptum Gregorium, aut de sessione XV, ubi damnatus Hussus, proscriptaque propositio Joannis parvi de cæde tyrannorum, ante Hispanos adunatos, quàm de IV et V sessionibus, ubi conciliorum supra Pontificem declarata est potestas. Nihil, inquam, de iis actum, nihil retractatum fuit; sed ipsâ conjunctione membrorum Ecclesiæ, hæc atque illa decreta æquè firmata sunt.

Neque objicias, ideo constitisse facta adversùs Viclefum Hussumque decreta, quòd bulla *Inter cunctas*, quà hæc decreta firmantur, omnibus obedientiis adunatis, sacro approbante concilio, sit edita. Hoc enim ipsum est, quo vel maximè vicimus cùm demonstratum fuerit[1] Viclefi et Hussi propositiones ita referri in bullâ *Inter cunctas*, non ut quæ tunc à synodo generali damnentur; sed ut quæ jam antea à synodo generali, Constantiensi scilicet, quòd universalem Ecclesiam repræsentaret, damnatæ atque proscriptæ sint: quod cùm approbarint Gregoriani atque Hispani præsules, nihil aliud egerunt, quàm ut sessiones, ipsis quoque absentibus, celebratas, ut veri œcumenici concilii sessiones et acta approbarent.

Non ergo ab illis requirendum fuit, ut sessionum IV et V decreta expressè approbarent, cùm præsertim ea essent, quibus universa synodi acta, et ante adunatas et post adunatas obedientias niterentur. Hoc fundamento nixi Hispani, cum reliquâ synodo Benedictum suum deponebant; quem usque adeò pro vero certoquè habebant Pontifice, ut synodo declararent, non posse ullum à se pro Pontifice agnosci, nisi Benedicto mortuo, vel renuntiante, vel deposito canonicè[2]. Ergo eum à synodo deponi, ejus sententias, ejus anathemata solvi postulabant, atque ita ex decretis sessionum IV et V ipsum Pontificem, à se verum habitum, synodo submittebant[3].

Neque alio ex fonte illa repetita toties de reformatione decreta manarunt. Neque enim eam in capite et membris fieri, una Joannis XXIII obedientia; verùm id vehementissimè, et Gregoriani sessione XIV, et Hispani Benedicti asseclæ sessionibus XX et XXII, postulabant. Denique quoties aliqua Ecclesiæ pars Constantiensi se synodo adjungeret, toties inculcatum, ut in capite et membris fieret reformatio; idque sacræ synodi auctoritate, quæ proinde caput suum suâ potestate suisque decretis comprehensura esset.

[1] *Vid. sup.*, c. XXII.—[2] *Vid. Capitul. Narbon.*, c. III. *Sess.* XX. col. 179.—[3] *Ib.*, c. IV. col. 180

Hæc spectant ea decreta, quæ omnibus obedientiis adunatis, unanimi consensu sunt promulgata. Unanimi consensu tres obedientiæ unitæ protulerunt caput illud, *Frequens*[1], aliaque capita, ubi futuris quoque certis Pontificibus legem dictam demonstravimus. Unanimi consensu, à Papâ eligendo, unà cum concilio, reformationem etiam in capite faciendam decreverunt; neque, antequam fieret, synodum dissolvendam[2]. Unanimi consensu compegerunt octodecim illos reformationis articulos, quibus curiam romanam, uti prædiximus, coercitam volebant; quæ omnia demonstravimus[3], non nisi ex iis decretis manare potuisse, quæ concilio Pontificem subjicerent; nihil ut à totâ synodo magis stabilitum inculcatumque fuerit; certumque omnino sit, Patres Constantienses, quotquot sunt, qui diversis temporibus sacro se conventui adjunxerant, omnes in omnibus, ut communione, ita sententiâ et doctrinâ convenisse.

Et certè si à concilio Constantiensi, sessionibus IV et V, prolata doctrina, ferè hæretica est, ut Bellarminus[4]; si schismatica saltem, aut periculosa, ut quidam alii haud minùs inconsideratè jactant; favebant hæresi, favebant schismati, quotquot supervenerunt, quotquot adhæserunt, quotquot communicaverunt, longè magis, quotquot consentanea decreverunt, ac tali fundamento nixi sunt, atque omnes obedientiæ totaque Ecclesia eâ communione et consensione commaculata, hanc labem eluere nullâ ratione queat. Martinus quoque V ipse schismaticorum non modò communicator, sed etiam approbator, romanam eâ labe conspurcavit Ecclesiam; quippe qui schismaticos, et suum, Petrique, si censoribus nostris creditur, primatum evertentes, non modò consortes habuerit, cùm esset cardinalis, sed etiam postea ad ipsam Petri sedem capessendam auctores secutus, eosque jam Pontifex suâ charitate complexus, insuper editâ bullâ *Inter cunctas*, tribus jam obedientiis adunatis, eorum cœtum tam perspicuè ac toties, ab ipsis quoque initiis, concilii œcumenici nomine celebrandum putavit.

CAPUT XXVII.

Antiquæ Ecclesiæ exemplis concilii Constantiensis œconomia asseritur.

Jam ad eam, quam tuemur, concilii Constantiensis œconomiam atque indulgentiam asserendam, ex ipsâ antiquitate exempla prodeant. Primùm episcopi Africani, ductore potissimùm Augustino, maximo illo post apostolos charitatis et auctoritatis ecclesiasticæ assertore. Hi ergo cum donatistis schismaticis toties victis, toties ab

[1] *Vid. Conc. Const., Sess.* XXXIX. col. 238.—[2] *Ibid., Sess.* XL. col. 243.—[3] *Vid. Sup.*, c. XVI, XVII, XVIII.—[4] *Bellarm., de Conc. auct.*, lib. II. cap. 17.

Ecclesiâ et imperio condemnatis, quasi æquo jure disceptant; nec verentur de catholicæ Ecclesiæ causâ, sub Marcellino comite iterum litigare[1], hâc quoque ultro conditione oblatâ : « Veritate confisi illo nos vinculo conditionis obstringimus, ut si nobis ii cum quibus agimus demonstrare potuerint... subitò Ecclesiam Christi, nescio quorum, quos isti accusant, peccatorum periisse contagio, et in solâ remansisse parte Donati : si hoc, ut dictum est, demonstrare potuerint, nullos apud eos honores episcopalis muneris requiremus, sed eorum sequemur pro solâ æternâ salute consilium, quibus tanti gratiam beneficii pro cognitâ veritate debebimus. » An cunctabundi, an dubii, an catholicæ Ecclesiæ ejusque auctoritatis incerti, qui eam tot tantisque documentis non modò certam, sed etiam perspicuam demonstrabant? Absit. Verùm id agunt, « ut, si fieri potest, corda hominum vel infirma, vel dura, pia charitas aut sanet aut edomet[2]. » Advertatur illud, *vel infirma, vel dura*; ut nec ipsa pertinacia duros animos ab Ecclesiæ indulgentissimâ charitate posset excludere. Pergunt : Si victores ipsi fuerint, pervicerintque adversùs donatistas, Ecclesiam non periisse, « sic ejus, inquiunt[3], teneant unitatem, ut non solùm viam salutis inveniant, sed ne honorem episcopatûs amittant. » Hinc illa conditio, ut in quâlibet civitate catholicus ac Donatista episcopus, utrique pari jure, servato episcopatu, *vicissim sedeant eminentiùs*; aut si populi christiani episcopalis dignitatis studio hoc refugiant, « utrique, inquiunt, de medio secedamus*, et Ecclesiis... in unitate pacificâ constitutis,.... singuli constituantur episcopi. » Sic victi victoresque æquè loco cedebant, potioremque volebant esse donatistarum conditionem, à quibus victoribus nihil sibi honoris reservari postulabant. An obliti Ecclesiæ majestatem? Nullo modo; sed charitate et humilitate victi, reducendis schismaticis, contra ecclesiasticam disciplinam, talia indulgebant. « Quid enim, inquiunt[4], dubitemus Redemptori nostro sacrificium istius humilitatis offerre? An verò ille de cœlis in humana membra descendit... et nos, ne ejus membra crudeli divisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? » Cùm ergo hanc œconomiam erga perditissimos schismaticos pacis studium suaserit, an vererentur Constantienses Patres, de sublimi veluti solio œcumenici concilii tantisper videri descendere,

[1] *Tom.* II. *Conc*, col. 1332; *Gest., primæ Coll. Carth.*; *Vid. inter Aug., ep.* CXXVIII. t. II. col. 377 et seq.— [2] *Tom.* II. *Conc. in append.*, col. 1353 : *apud Aug.*, col. 379.— [3] *Ib.*, col. 1352; *et ap. Aug.*, col. 378.

* Rem narrat Augustinus his verbis; « In concilio penè trecentorum episcoporum sic placuit » omnibus... Duo ibi vix inventi sunt, quibus displiceret : unus annosus senex, qui hoc etiam » dicere liberiùs ausus est, alter voluntatem suam tacito vultu significavit. Sed posteaquàm » illum senem liberiùs hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio, illo mutante senten» tiam, vultum etiam ille mutavit. » De gest. cum Emer. n. 6. tom. IX, col. 629. (*Edit. Paris.*)

[4] *Tom.* II. *Conc., in append.*, col. 1352; *et ap. Aug.*, col. 378.

et cum fratribus æquo jure disceptare, ut eos ab schismate revocarent, in quo plerique non malo animo, sed infirmæ conscientiæ scrupulis permanere videbantur?

Quid Cyrillus Alexandrinus? Nonne ille conscripserat adversùs Nestorianam perfidiam duodecim illos anathematismos maximè theologicos atque veridicos, à Sede apostolicâ atque œcumenicâ Ephesinâ synodo aliquatenus comprobatos? Nonne illos Theodoretus, jussu Joannis Antiocheni, et omnium Orientalis diœceseos episcoporum, omni execratione prosecutus erat? Nonne Orientalis synodus eosdem anathematismos ut hæreticos proscripsit, Cyrillum et Memnonem sacræ synodi duces episcopatu dejecit, totam œcumenicam Ephesinam synodum anathemate condemnavit? Quid postea? Facta pax est: quasi æquo utrinque jure, rebusque integris, nullâ anathematismorum beati Cyrilli, nulla Orientalis schismaticæ synodi, nullâ etiam, ut paria omnia esse viderentur, synodi Ephesinæ œcumenicæ mentione factâ [1]; idque tantùm actum, ut iis omnibus prætermissis, vera fides, et Ecclesiarum facta adunatio firmaretur. An igitur aut Orientalis synodus stetit, aut anathematismi pro hæreticis habiti, vel synodi Ephesinæ catholica definitio concussa est? Imò hâc indulgentiâ vel condescensione firmata; retulitque id in illo dissidio pars sanior et potior, non solùm ut veritate, sed etiam ut charitate vinceret.

Neque illud omittendum, quod à Magno Gregorio papâ per mirificam indulgentiam reginæ Longobardorum Theodelindæ concessum est [2]. Ea nempe cùm quintæ synodi occasione, se ab Ecclesiâ abrupisset, ita ei Gregorius satisfieri voluit, ut laudatis tantùm quatuor primis synodis, quibus summa fidei continetur, quinta synodus ac trium capitulorum damnatio, ut minùs necessaria, taceretur; neque propterea quintæ synodi, à se toties comprobatæ, auctoritatem infregit.

Quo sanctorum Patrum spiritu acta sacra Constantiensis synodus, sui tantisper oblita, sed recordata pacis, suam auctoritatem et omittit et firmat; seque verè probat œcumenicam synodum in Spiritu sancto legitimè congregatam, dum spiritu charitatis animata nihil prætermittit, quo Hispanicos fastus delinire, aut duritiem frangere, aut infirmas conscientias tranquillare possit.

[1] *Vid. in act. ante et post. Syn. Eph.*, tom. III. *Conc. Anath.; Cyrill.*, col. 408; *Ejusd. ep. ad Joan. Antioch. Lætentur cœli*, col. 1105; *et int. op. Cyrill., edit. Par.; Anath.*, t. V. part. II. int. ep., p. 76, 104. — [2] *Greg. Mag.*, indic. XII. lib. IV. al lib. III. *epist.* II. *ad Const. ep. Mediol.*

CAPUT XXVIII.

Objectio ex defectu confirmationis petita dissolvitur.

At enim, inquiunt, utcumque in unam eamdemque sententiam omnes obedientiæ concurrerint, non tamen valent synodi œcumenicæ nomine, nisi ea quæ Martinus V prolato decreto expressè approbavit, confirmavitque. At sessiones IV et V Martinus V non expressè probavit prolatò decreto; neque enim in bullâ *Inter cunctas*, eas sessiones confirmavit, sed tantùm quæ adversùs Viclefum Hussumque gesta essent; et in ultimâ sessione concilii declaravit, non à se omnia comprobari, sed tantùm ea quæ in materiâ fidei *conciliariter* gesta essent[1] : quo nomine sessionum IV et V decreta comprehendi negant. Denique non edidit generalem confirmationem synodi, tametsi id ipsa synodus postulasset. Hæc Turrecremata; hæc Bellarminus; hæc omnes alii jactant, in eoque vim maximam causæ reponunt. Nos prolatis gestis nullo negotio dissolvimus.

Ac primùm testamur, nihil à nobis refugi confirmationis apostolicæ nomen ac vim; neque existimamus romanos Pontifices, cùm synodos œcumenicas legitimè habitas confirmant, superiorem in eas exercere potestatem. Neque enim romani Pontifices, conciliorum tantùm, sed etiam antecessorum suorum passim decreta confirmant; neque tamen iis superiores se præbent, atque ut à Pontificibus concilia, sic à conciliis Pontificum decreta confirmari in actis ecclesiasticis ubique legeris. Nec immeritò : confirmare enim, ecclesiastico stylo, consentire est, et consentiendo firmare. Quippe ecclesiastica gesta atque decreta, ipsa unitas firmat, rerumque confirmatio est, ipsa testificatio unitatis, quæ nos suo loco diligentiùs, ut par est, exequemur[2].

Verùm ad testificationem unitatis atque consensionis, adeoque confirmationis, non profectò necesse est ut expressa diplomata de confirmando prodeant. Martinum V vidimus[3], cùm Otho cardinalis esset, omnium quæque Pisis, quæque Constantiæ gesta essent, jam inde ab initio fuisse participem; et Pontificem factum, nihil eorum, quæ in synodo gesserat, retractasse; imò, totâ synodo approbante, easdem sessiones concilii œcumenici nomine honestasse. Neque necesse erat, ut post semel assertam, primis quoque sessionibus, synodi generalis auctoritatem, sessionum IV et V decreta expressè approbaret. Satis approbabat, qui decernentibus præsens communicabat, eorumque conventum pro œcumenico concilio agnoscebat. Satis approbabat, qui Joanni XXIII, ex his sanè decretis, ritè depo-

[1] *Conc. Const., Sess.* XLV. col. 258. — [2] *Inf.*, lib. VIII. c. 2 et seq. — [3] *Sup. pass. et in dis. præv.*, n. XL.

o, suffici se patiebatur. Satis approbabat, cui caput *Frequens*, earum sessionum auctoritate valiturum et exequendum putabat. is approbabat, qui in bullâ *Inter cunctas*, et exscripserat, et exendas mandaverat adscriptas à sacrâ synodo articulo XLI Viclefiano uras, quæ ad sessionum IV et V decreta necessariò referrentur. s denique anteacta approbabat, qui eorum auctoritate omnibus rat. Quin ipsum interesse, ipsum communicare, probare est : si antiquitatem omnem, totamque vim canonum penitùs igno-s, romani Pontificis, præsentis maximè, atque insuper collau-s ipsa communicatio, validissima auctoritas atque approbatio Quare nec verum est, quod asserunt [1], post electum Martinum, m synodum ab eo petiisse confirmationem decretorum suorum, e consueto. Hoc enim in gestis nusquam apparet, neque sessio-VIII et XV contra Viclefum et Hussum prolata decreta, peculiari ficis decretali eguissent, nisi decuisset, quæ adversùs Vicle-s et Hussitas canonicè constituta essent, ad ordinarios exequenda mitti. Undè damnatio propositionis : *Quilibet tyrannus*, de cæ-is tyrannis, Decretali inserta non est, eo quòd non eodem ritu nda videretur; neque eo minùs valet.

d autem ipse Martinus, sessione ultimâ, jamque dimissis Pa-, declaravit, *in materiis fidei* à se probari ea quæ *conciliariter ua essent* [2]; id neque petente synodo, neque ad cujusquam in-iam, sed occasione Polonorum, obiter atque aliud agendo dic-, gesta ipsa testantur. Supplicabant Poloni quemdam librum, ut nt, « ritè damnatum tanquam hæreticum, per deputatos fidei, iam per omnes nationes concilii, ac per collegium cardinalium lusum,... in sessione publicâ, per sacrum concilium damnari, publicè damnatum pronuntiari. » His Papa respondet, « quòd ia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis fidei præsens concilium CONCILIARITER, tenere, et inviolabiliter ob-are volebat;.... ipsaque sic CONCILIARITER facta approbat et rati-, et non aliter, et alio modo. » Quare confirmatio à nullo petita, e quo loco res erant, necessaria videbatur; et cùm Martinus aravit, *in materiis fidei* quid probaret [3], respondebat profectò ad orum propositum, qui, de fide quærentes, responsum de fide erunt. Cæterùm satis constat, non hinc tantùm petendam esse di approbationem; alioquin cùm hic Martinus signanter addi-t : *de materiis fidei id à se esse dictum*, reliqua improbata mane-, suaque Joanni XXIII, Gregorio XII, Benedicto XIII, constaret oritas : quin ipse Martinus suam electionem infirmaret; cùm ectò quæ circa illa gesta sunt, *ad fidei materias* non pertinere

[1] *Oct. Lovan.*, p. 70.— [2] *Sess.* XLV. col. 258.— [3] *Vid.* cap. seq.

constet. Stat ergo concilii certa confirmatio, ipsâ executione, i consensione, imò ipsâ Papæ præsentiâ; valerentque ea quæcum *conciliariter* gesta essent, tametsi Poloni nihil rogassent, ac Mart non eam vocem edidisset.

CAPUT XXIX.

An sessionum IV et V decreta iis accenseri debeant, quæ Martinus V, ut *concili* facta, confirmavit.

Ne quis tamen scrupulus superesse possit, addimus decreta ea sionum IV et V de quibus agimus, et ad fidem pertinere, et *conc riter* facta esse.

Ad fidem quidem pertinent, quæ pertinent ad interpretatio divini Juris, et ad traditam immediatè à Christo Petri successori atque episcopis in concilio generali sedentibus, potestatem; n Bellarminus aut alii diffitentur *.

Quòd autem *conciliariter* facta sint, constat, cùm in publicâ sione, imò in duabus] publicis sessionibus, prolata sint, ut v mus[1].

Et quidem adversarii vocem hanc, *conciliariter*, planissima simplicissimam, per vim manifestam ad vana et aliena detorqu nec tamen in unum convenire potuerunt. Sic nempe Bellar ludit[2], *conciliariter* factum dici quod more conciliorum, m deliberatione factum esset; quasi Martinus V Constantiensis co primis sessionibus, quarum ipse pars fuerat, indiligentiam e brarevellet. Alii vanum commentum aspernati, *conciliariter* ge dicunt, adunatis obedientiis gestum; neque aliud quidquam à tino probatum. Quasi verò in Viclefum et Hussum et in Joan parvum gesta reprobentur, quæ ante adunatas obedientias g sint.

Sed profectò nos ludunt: Martinus enim *conciliariter* gesta me rabat, vulgari et populari sensu, quem Poloni et omnes intellige et ipsa rerum ostendit series. Nempe ad Polonorum respondet positum. Illi namque petebant, quem librum « à fidei deputatis per omnes nationes, ac per cardinales condemnatum dicerent, in sessione publicâ per sacrum concilium condemnari, vel con natum pronuntiari; » tanquam confecta res, suâ tantùm quâd ut ita dicam, formulâ vestienda remaneret. Quæ Martinus refuta à se pro *conclusis, decretis determinatisque* haberi dicens, quæ

* Diffitetur Schelstratus. [Vid. *Diss. Antuerp.* cap. III, pag. 71; et Diss. III. advers. cap. III, p. 177 et seq. Verùm hunc non tam dissertatorem quàm vitilitigatorem, à no confutari non est necesse; cùm præsertim Bossuet hanc ita quæstionem tractet, ut nebris obscurari possit. (*Edit. Paris.*)

1 *Sup.*, cap. II. — 2 *Bell.*, lib. II. *de Conc. auct.*, cap. 19.

iariter, et in sessione publicâ decreta fuissent; non ea perinde, e per congregationes, seu per nationes, atque deputatos, vel etiam cardinales fuissent examinata : hæc enim tractata tantùm, digesta, polita, et quodam modo præparata; non autem decreta, conclusa, erminataque fuisse, aut solemniter et *conciliariter* judicata, et r se perspicuum est et gestis consentaneum.

CAPUT XXX.

rmini sensus exploditur : an sessionum IV et V decreta sine examine debito processerint.

Nec piget hic viri doctissimi cardinalis Bellarmini Patrum Constansium levitatem et inconsiderantiam incusantis memorare verba, e sic habent [1] : « Martinus V disertè dixit se confirmare ea tantùm reta de fide, quæ facta erant CONCILIARITER, id est more aliorum ciliorum, re diligenter examinatâ; constat autem hoc decretum e ullo examinefactum à concilio Constantiensi. » Hæc Bellarminus, suo more accinunt alii [2], exscriptis Bellarmini verbis, atque sentiis; et addunt, « Patres Constantienses non commisisse rem illam examinandam, sicut commiserunt alias materias et quæstiones, doctrinam Viclefi et Hussi, priusquam ad determinationes proerent. » Atque hæc, si Deo placet, concilii decreta, duabus conti sessionibus repetita, tam destinatò facta, tam fundamenti loco ita, tantâque omnium consensione munita et inculcata, rebus umerant, quæ in concilio *obiter pertractatæ fuerant.*

ria reponimus : primum illud; post rem à synodo, expresso cae ac peculiari decreto definitam, periculosissimo exemplo revoi in dubium, an de eâ rectè et maturè sit deliberatum; atque hinc riri viam ad omnes canones, decretales omnes, omnia concilia vertenda.

lterum; quòd in istâ quæstione Polonorum, nihil de examine batur; illi enim affirmabant omnia examina præcessisse. At Mars ideo tantùm approbationem negabat suam, quòd res *conciliar*, atque in publicâ sessione conclusa non esset.

ertium, idque vel maximum; cæteræ fidei quæstiones, puta lefi et Hussi, quæ à concilio certis deputatis examinandæ sunt missæ, infinitæ erant. Occurrebant enim se horum hæreticorum iæ et perplexæ propositiones, et omnigenum errorum monstra. que tantùm Viclefi libri, et doctrina exitiabilis; sed etiam auctoris nanda erat memoria, exhumandi cineres, scrutandi sectatores gè latèque diffusi, et occulti ulceris persecandi sinus. Tum Hussus

[1] *Bell., loc. sup. cit.* — [2] *Doct. Lovan.*, pag. 73. *ex Mald.*

ipse præsens confutandus, convincendus, ejusque discipulus Hier nymus Pragensis : horum artificum comprimendi lubrici laps dolique retegendi. At in sessionibus IV et V simplex juris quæst ardua illa quidem; sed quæ ubique terrarum, in Galliâ præsertim, vivum resecta, et innumeris libris, decretis, litteris, conventi theologorum, canonistarum, universitatum, antistitum eliqua elucidata, certique fundamenti loco posita erat, anteaquam Pa Constantiam convenirent. Neque vero opus erat post tot ac tant ante Pisanum, et in ipso Pisano concilio, tractatus habitos, n disputationibus tempus terere, cùm extrema omnia imminerent; explorata, et jam in Pisanâ synodo aperta remedia expedire op tebat. Nihil ergo leviter, nihil præcipitanter actum : tantùm opp tuna, imò verò necessaria, rebus in summum discrimen adduc adhibita celeritas.

Quin etiam Constantiæ Petrus de Alliaco Cardinalis, Episco Cameracensis, sancti conventûs lumen, et in dogmatibus explica omnium facilè princeps, in eo libro, quem vigente Concilio, *auctoritate Ecclesiæ* scripsit, memorat quæstionem de stabili Concilii auctoritate sæpe tractatam, *specialiter in hujus Co initio*[1] extantque eâ de re Joannis Gersonis sermones coram Sy habiti[2] qui sessionibus IV et V præluxerunt. Atque omnino ista tr bant, ut in quibus non aliqua pars, sed ipsa summa Concilii collo esset. Neque necesse erat ad ea explicanda deputatos nominari, quæ per sese Patres omnes à toto decennio, maximè verò in Synodo, attenti arrectique essent; nihil ut unquam fuerit vel trinâ elimatius, vel auctoritate firmius, quàm id quod hoc de gotio à sacrâ Synodo constitutum fuit.

CAPUT XXXI.

An illa formula, *sacro approbante concilio*, Papam concilio superiorem prob

Permulti adversariorum magnam in eo vim faciunt, quod post quam electus est Martinus V, reformationis decreta sub ejus no sunt edita. Nec jam edictum, ut antea *sacrosancta Synodus*; *Martinus*, *sacro approbante Concilio*. Non ergo jam in Concilio, in Pontifice « suprema potestas; neque Concilium censuit se supra Papam, extra casum schismatis, quo plures se pro Pont gerunt : aliàs non erat ratio mutandi formam decretorum de refor tione[3]. Ex quo inferunt Papam unum esse qui statuat; vim dec nendi in eo esse totam; Patres consiliariorum, non judicum loco e

[1] *Pet. Alliac., de Eccles. Conc. et R. P. ant. Proœm. app.*, tom. II; *Gers.*, col. 926 et seq.
[2] *Gers. Serm.*, tom. II. col. 201 et seq.— [3] *Doct. Lovan.*, pag. 71. *Disq.* p. 30.

At hæc omnia vana sunt; primùm enim mutatæ formulæ ratio nifesta est, quòd ab aliquot sæculis, Papâ quidem præsente, conci- ia decreta sub ejus nomine pronuntiari solerent, *sacro approbante cilio, sacri approbatione Concilii, sacro approbante et consen- te Concilio* : quæ nihil officere suæ auctoritati Constantiensis odus intelligebat.

nè ostendimus [1] quantùm illa differrent, *sacro præsente Concilio, sacro approbante et consentiente Concilio*. Quid autem sit appro- , quantaque sit in eo auctoritas, ipsi Pontifices attestantur, n ipsâ *approbandi* voce confirmant decreta. Vel ipsum Martinum V amus, de Concilii Constantiensis decretis hæc edicentem; quòd *is conciliariter facta approbat et ratificat* [2], quæ profectò adversarii veram auctoritatem pertinere contendunt. Ita cùm dicitur : *Mar- s, sacro approbante Concilio*, Martini decreta verâ auctoritate antur; seseque mutuò firmant Pontifex auctor, et Synodus ap- ans; quòd ex eâ conjunctione capitis atque membrorum, ut e dicemus [3] illud invictum Ecclesiæ catholicæ robur exsurgat.

it autem quæsitum in Constantiensi synodo, ante Papæ elec- , eo electo, quâ formulâ uterentur; an illâ recentiore, quam us; an eâ, quæ in antiquis passim conciliis visitur : *Sancta dus, etc.* Alliacensis cardinalis scripto etiam edito docuit [4], seque heologos ita existimare, antiquiorem illam formulam : *Placuit o concilio; sancta synodus statuit, convenientiorem esse, et theo- magis consonam;* quippe quæ magis congruat formæ illi apo- cæ : *Visum est Spiritui sancto et nobis* [5] : cæterùm secundam ulam, *sacro approbante concilio, convenientem* quoque esse; n eâ sufficienter exprimatur certissima ratio, quâ judicanti decer- atique Pontifici, Patres conjudicent atque condecernant.

Atque ita intellexisse Constantienses Patres gesta declarant. Sic m in XLIII sessione, Papâ jam electo ac præsidente, legimus : ro cujus sessionis introductione, reverendissimus pater dominus ermus cardinalis... nonnulla decreta sive statuta per dominum rum Papam, ac synodum facta * publicè perlegit sub his ver- [6]; » subditque decreta multa in hanc formam edita : *Martinus copus, servus servorum Dei, sacro approbante concilio;* quo liquidò onstratur, decreta in eam formam edita, haud minùs communi tificis atque concilii auctoritate esse facta.

eque illa posterioris ævi efficiebat formula, ut Patrum senten-

[1] *Sup.*, lib. IV. cap. 8. — [2] *Sess.* XLV. col. 258. — [3] *Vid.* lib. VIII. — [4] *Alliac., loc. jam cit.*, . III. cap. II. col. 952. — [5] *Act.*, XV. 28.

[6] Statuta per dominum Papam et synodum facta fuisse legimus etiam sessione XLII, quæ ma celebrata est Martino V præsidente. (*Edit. Paris.*)

[1] *Sess.* XLIII. col. 253, 254.

tiæ minùs requirerentur. Eadem enim synodus Constantiensis Joanne XXIII præsidente, sic incipit : « Sanctissimus dominus noster Papa, sacro approbante concilio, statuit sessionem tenendam Veneris 16 hujus mensis [1]. » Hinc ordo agendorum, *sacro approbante concilio*, designatur, lectâque schedulâ hujus verbi ipsa bulla convocationis descripta erat, aliisque decretis nomine jussuque Papæ edit. « D. cardinalis Florentinus altâ et intelligibili voce interrogavit, sciscitatus est, utrum omnia et singula in supradictâ schedulâ contenta, ipsi sacræ synodo placerent? Ad cujus interrogationem omnes et singuli prælati... concorditer... responderunt, Placet [2]. quâ responsione factum ratumque intelligitur conciliare decretum.

In ipsâ etiam concilii Ferrariensis, postea Florentini, inchoatio solemni, lectum Eugenii papæ decretum; quo lecto, gesta sic habent [3] : « Surrexit quidam ex parte Italorum, et interrogavit cardinales, et archiepiscopos, et episcopos et clericos omnes, dicens : Recipitisne hæc, quæ scripta et lecta sunt hodie coram vobis? et responderunt : Recipimus et approbamus. Tunc interrogaverunt Græci suos præsules, similiter, et reliquos omnes iisdem verbis : illi responderunt : Recipimus et approbamus; et scripta fuit approbatioutriusque partis, et indictum concilium et sessionum celebratio in urbe Ferrariâ. » En quid sit concilii auctoritate edita probatio; ut synodus non tantùm Pontificis decreto; sed etiam sanctæ synodi approbatione formetur et constet; quæ ratio ad cætera quoque decernenda spectat.

Quantùm autem ea formula cum episcoporum auctoritate conveniat, ex synodis etiam provincialibus discere est. Nam sæculis postremis initio ducto, ni fallor, ab anno 1314, in Senonensi concilio, decreta conciliaria persæpe in eam formam eduntur : *Nos* (N) *metropolitanus sacro approbante concilio* [4]. Ergone coepiscopi metropolitano conciliarii tantùm, non judices et assessores assistunt, non decernunt, non statuunt? Absurdum et inauditum; ac profectò stare Patrum sententiam, etiam archiepiscopo reclamante, nemo negat. Nihil ergo interest, synodine, an Pontificis nomine, approbante concilio, sententia proferatur; cùm in utrâque formulâ, unà cum Pontifice Patres eadem que statuant, decernant, judicent, stetque sententia communibus suffragiis.

Vel particulares synodos audiamus, quæ, præsente romano Pontifice, antiquis temporibus Romæ sunt habitæ. Ubique invenies episcopos, Papâ quidem auctore, sed tamen cum ipso judicare,

[1] *Ant. Sess.* I. col. 10. — [2] *Sess.* I. col. 13, 14, 15. — [3] *Decr. Pap., ante sess.* I. *Conc. Fl.* tom. XIII. col. 22, 23. — [4] *Conc. Paris.*, tom. XI. col. 1602.

tuere, decernere, definire; idque in decretis, id in subscriptionibus positum. Cujus rei exempla plura suo loco afferemus [1]: cætera innumerabilia lectoris diligentiæ relinquemus. Adeo episcopi ubique sunt judices, etiam præsente, præsidente, præeunte Pontifice; ac si in particularibus quoque synodis, quantò magis in generalibus, quibus ipsa catholica omnium fidelium mater repræsentetur Ecclesia.

CAPUT XXXII.

Prædicta responsa de dubio Pontifice etsi valeant, non tamen adversarios expeditos esse, ac Parisiensium ex Constantiensi canone vigere sententiam.

Hæc igitur, quæ hactenus de concilii Constantiensis intelligentiâ et auctoritate diximus, vera et sancta sunt; nec nisi per manifesta ludibria eludi potuisse claruit. Addamus tamen ad cumulum: quantumlibet ea quæ adversarii congerunt valere fingantur, nec sic expeditos esse à Constantiensium canonum auctoritate summâ. Utcumque enim adversùs indubitatos Pontifices infirma habeatur conciliorum generalium auctoritas, certè valet (et hoc adhuc superest contra cavillationes omnes) auctoritas ea, quâ dubios Pontifices coercere possit. Alioqui contendentium et in schismate obstinato animo perseverantium contumacia, malum esset inextricabile, ad quod propellendum Ecclesiæ imbecillæ nullum præsidium Christus relinquere potuerit; aut, quod est absurdius, nec ipse voluerit. Redit ergo quæstio, quâ potestate instructa synodus schismaticos Pontifices cogat in ordinem.

Certè Constantiensis synodus, quam eâ potestate efficacissimè summoque Ecclesiæ bono usam esse constat, id fundamenti loco ponit: *Potestatem habere se immediatè à Christo;* quippe quæ *in ejus Spiritu legitimè congregata universalem Ecclesiam repræsentet;* alioquin qui concilio obtemperassent, non Deo, sed hominibus paruissent.

Atqui hoc semel posito, quod sine præfractâ audaciâ negari non potest, cætera omnia convalescunt. Cùm enim nulla sit à Christo propriè ad schisma tollendum Ecclesiæ catholicæ ac synodo generali eam repræsenti attributa potestas, non aliunde in schismate constare poterit, nisi ex eo quòd sit tradita, ubi necessitas requisierit, quod unum Parisienses nostri postulant.

Hic ergo adversarii oppidò conturbantur. P. Thyrsus Gonzales eò redactus est, ut contra ducentos Patris in Constantiensi concilio infandi schismatis extinctores, palam negare audeat concilium generale *eam potestatem habere immediatè à Christo:* nec aliam videt

[1] *Inf.*, lib. VIII.

apertam sibi januam, nisi id, quo solo schisma extinctum sit et extingui possit, illud Ecclesiæ detrahatur. Reverendissimi Patris verba pensanda sunt : « Concilium non habet eam potestatem immediatè à Christo, in eo sensu, in quo Papa certus immediatè à Christo jurisdictionem in totam Ecclesiam, et sacerdos habet potestatem ad consecrandum, et episcopus ad confirmandum et ordinandum [1]. » *Non eo*, inquit, *sensu habet*. Quo ergo habet sensu ? quo jure ? Nihilne per se Christus contulit Ecclesiæ laboranti, quo sese restitueret in pristinam valetudinem ? Christo auctore sacerdotes consecrant, episcopi ordinant, Papa quæ vult præcipit ; at verò, si in capite æquè ac in corpore, fœdo scissa schismate laboret Ecclesia, nihil habet quod, auctore Christo, agat aut jubeat ? Sic enim subjungit : *Non enim habet concilium eam potestatem, nisi mediante Ecclesiâ*. Hæreo equidem ad insolitam et inauditam vocem. Quid enim est concilium, nisi ipsa Ecclesia adunata, collecta, repræsentata, totâ auctoritate pollens? Non ergo concilium mediante Ecclesiâ viget, quod ipsa Ecclesia est; habetque illud per sese, quod habet mediante Ecclesiâ, cujus auctoritatem et jus repræsentat et continet. Reliqua audiamus : « Non enim habet concilium eam potestatem nisi mediante Ecclesiâ, quæ in cap. *Si duo*, Dist. XXXIX, tribuit concilio congregato tempore schismatis potestatem ad deponendos Papas dubios, et certum eligendum ; et in cap. *Si papa*, Dist. XL, tribuit concilio potestatem ad judicandum Papam, qui deprehendatur A FIDE DEVIUS. »

Qui sint tamen illi canones considerare oportet. Et caput quidem, *Si duo*, Honorii Augusti est decernentis, si duo electi sint romani Pontifices, ut neuter ordinetur ; quod est universim et indistinctè falsum, nullamque omnino facit synodi mentionem : canon verò, *Si Papa*, Bonifacii est Moguntini episcopi, nihil etiam de synodo disserentis. Utcumque est, nisi unus imperator aut unus episcopus, Ecclesiæ in schismate, aut per sui capitis hæresim laboranti subvenissent, aut nisi Gratianus duodecimo demum sæculo in suam compilationem Juris hæc duo capita contulisset, manca esset Ecclesia ; neque quidquam valeret adversùs Papam schismaticum aut hæreticum. Sic miseram Ecclesiam à Christo sapientissimo, optimo, omnipotentissimo, constitutam volunt.

Erubescunt ipsi, ac tandem subdunt : « Vel habet eam potestatem jure naturali, modo statim explicando. » Modus autem ille sequente paragrapho, ex Doctore eximio, Suare * scilicet, sic proditur : « Solum ergo habet potestatem quæ ex jure divino naturali consequitur in quolibet corpore mystico, ut possit se gubernare et tueri per

[1] *Gonzal., Disp.* XIII. sect. VI. § V. n. 2. p. 682.
* P. Gonzalez Suarem *Doctorem eximium* ubique vocat. (*Edit. Paris.*)

principes particulares unitos in unum corpus, quando deest supremum caput [1]. » Malunt ergo Deum omnibus imperiis rebusque publicis universali curâ, quàm Christum Ecclesiæ, pro quâ fudit sanguinem, singulari consilio providisse; meliusque à Deo constituta sunt humana imperia, quàm à Christo Ecclesia, quæ ut sibi provideat seseque tueatur à jure gentium aut naturæ magis, quàm ex ipso christiano jure mutuetur. Hanc illi ecclesiastici regiminis formam effingunt.

Quid quòd tam imbecillam faciunt Ecclesiam, ut ejus auctoritate concilium semel congregatum ad tollendum schisma, fidei providere, aut leges necessarias condere nequeat, præter eam causam : « Quòd ea solùm possit præcipere et ordinare quæ ad hunc finem (tollendi schismatis scilicet) necessaria sint [2]. » Undè tale concilium non habet auctoritatem ad decidendas fidei controversias, et ferendas leges perpetuas, quantumvis necessarias. Sic concilio Constantiensi defuit auctoritas ad condemnandum Viclefum, Hussum, alios perfidos; defuit auctoritas ad condendas leges quæ futuris schismatibus providerent, quas tamen leges tulit, quas tamen fidei controversias judicavit; atque ad hæc omnia tractanda, quæcumque urgeret dira necessitas, jam admotis ad incendium facibus, Papam aliquando extiturum, nondum tamen existentem, expectare debuit.

Piget commemorare quæ jam confutata sunt : nempè adversùs Viclefum et Hussum Constantiensis concilii valere decreta, eo quòd Martinus V ea repetierit bullâ *Inter cunctas;* quâ tamen nondum editâ Hussus exarsus est *, Viclefus exhumari jussus, pessimi hæretici anathemate percussi. Quæ omnia Martinus non tum cùm ea repeteret, sed ab origine valuisse definit, ut concilii legitimè in Spiritu sancto congregati vera et firma decreta : quæ nunc, si Deo placet, per sese invalida et contra canones attentata prætendunt : usque adeo, his miseris postremisque temporibus, tanti concilii totiusque adeo Ecclesiæ projecta est auctoritas.

« At enim, inquiunt, tale concilium (causâ schismatis congregatum) neque hanc jurisdictionem habet ab aliquo jure divino positivo; quia neque scriptum est, neque traditione constat : neque etiam habet a summo Pontifice, quia supponimus illum non esse, et qui præcesserunt illam non reliquerunt : solùm ergo habet potestatem, quæ ex jure divino naturali consequitur in quolibet corpore mystico, ut possit se gubernare per principes particulares unitos in

[1] *Gonzal., Disp.* XIII. sect. VI. § VI. n. 1. p. 683; *Suar.*, l. IV. *de Legib.*, c. VI. n. 4.— [2] *Ibid.*, § V. n. 3. p. 682; et § VI. n. 1. p. 683.

* Observandum est diligenter Joannem Hussum de sacerdotali gradu dejectum, et Hieronymum à Pragâ anathemate percussum, synodali sententiâ; eos verò morte damnatos et exarsos fuisse, non concilii, sed laici judicis edicto. (*Edit. Paris.*)

unum corpus, quando deest supremum caput. » At illos principes in Ecclesiæ corpore quis instituit? Nonne is qui et caput? Nonne ille Ecclesiam eo jure pollere voluit, ut *qui eam non audiret, omnibus christianis sicut ethnicus et publicanus esset?* Nonne idem confestim addidit : *Amen, amen, dico vobis, quæcumque ligaveritis super terram, ligata erunt et in cœlis ; et quæcumque solveritis super terram, soluta erunt et in cœlis* [1] ? En ergo principes illos à Christo constitutos, Quid ergo? Eâne conditione, ut nunquam ipsi colligere se possent, quæcumque urgeret necessitas? Quò ergo pertinebat istud quod Christus subdidit : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [2] ? Quantò magis ubi non duo vel tres, sed totus principum Ecclesiæ cœtus; imò tota Ecclesia congregatur? Aut non in Christi nomine colliguntur, qui ad tollendum schisma conveniunt; aut non sunt Ecclesia, nisi Papa adsit, qui ad Papam constituendum confluunt; aut si sint Ecclesia, numquid non erunt ethnicorum et publicanorum loco, qui eorum decreta contempserint? Quid his clarius? Verùm illi tacitè respondent : At nos si illa admittimus, admittere cogemur non tantùm ad tollendum schisma, aut ad hæreticum Pontificem condemnandum, quorum hic nulla mentio est, sed ad quamcumque summam Ecclesiæ necessitatem. Propterea ergo malunt in schismatis etiam aut hæreseos teterrimo atque exitiabili morbo Ecclesiam à Christo destitutam, neque ullum auxilium habere ex Evangelio.

Esto, inquient, verum sit de hæretico schismaticoque Pontifice, qui nequidem est Pontifex. Quid tum, cùm non sit Pontifex, et jure omni exciderit? Quâ de re sæpè diximus, sæpè monuimus, quanto Ecclesiæ periculo hæc asserantur. Nunc tamen valeant utcumque collibuerit. Sit tamen aliquis oportet, qui excidisse declaret, qui loco moveat contumacem, qui christianis omnibus, quæ tali in discrimine agenda sunt imperet. Quo jure? quo Christi mandato? quâ Evangelii lege? nisi eâ quam diximus, quæ ad omnem æquè valeat necessitatem, in quâ de salute periclitatur Ecclesia.

Jam ergo respondeant, non probatum illud, quod est verissimum, quod est Ecclesiæ maximè necessarium ; aut si probatum illud et ipsi fateantur, quid in eo decreto probetur intelligant.

CAPUT XXXIII.

Emmanuelis Schelstrati objecta, à codicibus manuscriptis petita, solvuntur circa sessionem IV.

Emmanuel Schelstratus, cùm aliorum objecta repetit, tum eò se maximè effert, quòd nova acta prodiderit, quæ orbis catholicus igno-

[1] *Matth.*, XVIII. 17, 18.— [2] *Ibid.*, 20.

raret. Cæterùm unde sint eruti plerique manuscripti quos jactat, codices ubi delituerint, quas temporum notas præferant, quid sint denique, an simplex gestorum series, an historiæ, quibus acta inserantur; ac si historiæ, ut ea, quæ ipse inde protulit, verba præ se ferunt, quo auctore conscriptæ sint, notone an ignoto, horum nulla mentio; omnia prætermissa, quæ auctoribus aut codicibus fidem vel asserant vel detrahant.

Et ille quidem integros codices edere debuisset, ut lector eruditus probare vera, convincere falsa, manca supplere, dubia elucidare posset. Tot profectò extant Constantiensis synodi nota monumenta, tot de ejus rebus virorum gravissimorum testimonia, ut nisi cum illis congruant, quæ Schelstratus hactenus ignota fuisse confitetur, falsa ea, et partium studio conscripta esse oporteat. Certè ex illis quoque frustulis, quæ ille, ut voluit, edidit, jam intelligimus acta ejus esse mendacia.

Primùm enim, quæ de falsatâ concilii Constantiensis IV sessione protulit, ea ex melioribus gestis falsa esse constitit : quo uno Schelstratianis codicibus omnis detracta est fides. Huc accedit illud, quod idem Schelstratus narrat ex actis suis ineditis, quatuor videlicet codicibus manuscriptis die 14 Julii, anno 1416, quando Aragonenses ad concilium venere, legatos regis dixisse, « quòd quidem vellent se unire concilio; non tamen reputare esse generale concilium, neque agi de rebus concilii generalis, donec venirent legati regis Castellæ [1]. » Apertum mendacium; nam Aragonenses quidem legati 15 octobris anni 1416, sessione XXII; legati verò regis Castellæ sessione demùm XXXV, 18 Junii anno 1417, synodo se adjunxere. At in ipsâ sessione XXII, statim atque Aragonenses admissi sunt, generalis synodi Constantiensis nomine eduntur synodica decreta, quæ vidimus [2]; eâdemque formâ res maximæ gestæ sunt per alias tredecim sessiones : adeo falsa vel mutila acta Schelstratus protulit.

Jam circa sessionem IV hæc refert [3], quæ ne ipse quidem reor, rebus certè consideratis, jam tueri vellet, si viveret. Nempè cardinalibus, tres nationes, Germanicam, Gallicanam, Anglicanam vehementissimè repugnasse circa hanc quæstionem : an concilium Papâ esset superius, etiam in reformationis negotio; ac regis Franciæ oratores cardinalium parti accessisse : quod est falsissimum. Primùm enim, hujus rei nec in Schelstratianis ulla est mentio : tum, ut omittamus regiis oratoribus nihil unquam cùm ipsâ Gallicanâ natione fuisse dissidii, certum id, regios inter oratores fuisse Gersonem,

[1] *Schelst., Diss. Antuerp.*, art. III. p. 57; *et de sens. et auct., etc., inter act. die* 14 *jul.* 1416. pag. 251. — [2] *Sup.*, cap. XXVI et seq. — [3] *Act. Schel.*, pag. 2, 3; *Diss. Antuerp.*, cap. I. art. II. pag. 42, 43.

eumque omnium cæterorum, ut pietate ac doctrinâ, ita auctoritate facilè principem. Extat ejus sermo, quo jam inde ab initio, regis nomine, synodo proposuerit, quæ agenda viderentur [1]. Dubitasse verò Gersonem, an concilium Papæ in reformationis negotio, anteponi oporteret, ne ipse quidem Schelstratus dixerit. Quod ergo ille de Francicis oratoribus jactat, apertum mendacium est.

At enim, ex actis Schelstratianis constat aliquam in quartâ quintâque sessione extitisse dissensionem. Esto. Ergo de Papæ et concilii superiore potestate litigabant? Pessima consecutio; quandoquidem post turpissimam Joannis XXIII fugam, alias fuisse multas dissensionis causas, ex ipsis etiam Schelstrati actis liquet [2]; quippe cùm Sigismundo bella in Joannem XXIII ejusque defensorem Austriæ ducem paranti, multi, atque imprimis Universitas Parisiensis obstiterit; neque minor concertatio, cùm Joannis adulatores, illo elapso, contenderent differri oportere concilium; alii sessionem ultrà protrahi nollent, neque fœdis ludificationibus in longum duci spem Ecclesiæ, ad extinguendum schisma properantis. Utcumque est, certè regios oratores, Gersone principe, de superiore conciliorum potestate dubitasse nemo sanus dixerit, pessimâque fide Schelstratus non actis quæ jactat, sed meris conjecturis, iisque vanissimis, rem tantam affirmat.

CAPUT XXXIV.

Quæ in Schelstrati manuscriptis sessionem v spectent.

Piget quidem luctari diutiùs cum ignotis, falsis, mutilisque Schelstrati codicibus; et tamen quæ de sessione v retulerit, præterire non possum. Hæc nempe sunt: quòd *cardinales, et oratores regis Franciæ*, sessioni interfuerint, « præmissâ protestatione in camerâ paramentorum secretè factâ, quòd propter scandalum evitandum ad sessionem ibant, non animo consentiendi his quæ audiverant in ipsâ statui debere; maximè quòd dominus noster Papa, et alii in concilio existentes in plenâ securitate fuerant, quorum plura statuta non sunt, sed ad aliam sessionem reservata [3]. » Verba confusa, nulliusque boni sensûs; quæ tamen satis ostendant, quæcumque illa fuerit difficultas, eam pertinere ad securitatem concilii, non ad aliud quidquam. Utcumque est, neque enim Schelstrato placuit hæc integra apparere, celebrata sessio est, factaque sunt omnia, eodem Schelstrato teste, ut in vulgatis legimus.

At enim quasdam gestorum suorum voculas, à toto avulsas textu, aspergit ad marginem *, quibus iterum, si Deo placet, inducuntur

[1] *Vid. sup.*, cap. XXX. — [2] *Act. Schel.*, 30 *mart.* 1415; *ibid.*, p. 225. — [3] *Ibid.*, p. 231, 232.

* Nempe hoc ille cavet, ne in ipso textu inserantur ea verba, quæ à se lecta dicit in qui-

oratores regis Francorum assistentes cardinalibus, nec tantùm à reliquo concilio, sed etiam à gallicanâ natione dissidentes [1]. Iterum illi oratores atque adeo ipse Gerson eorum antesignanus inducitur, contra eam doctrinam protestatus, cujus et in ipsâ synodo, et extra synodum acerrimus defensor extiterit. Quæ absurdissima, si in actis Schelstratianis haberentur, meliùs vir optimus ineptos historicos, atque acta mendacia, contempta à romanis conciliorum editoribus, contempta à Rainaldo, in sordibus bibliothecarum jacere sineret. Sed age, sint vera, sint authentica, sint integra quæ Schelstratus descripserit, sint recta quæ concluserit: quid postea? Nempe acta Constantiensia auctoritate carebunt? Quid ita? quiàne vociferati sunt Patres? Quò ergo abibunt Chalcedone acta, tot inter clamores, quos ipsi judices compescere vix poterant? An ergo Schelstratus putat, in sacris conciliis, obstinatione semper ac præcipitantiâ tumultuariisque motibus, non ipso fidei ardore, clamores editos? At enim dissenserunt multi cardinales: quid tum? An, ut Chalcedonensia aliaque vetera dissidia omittamus; an, inquam, infirma erant tot Tridentina decreta, in quibus discrepantes Patrum sententias Pallavicinus refert? At enim multis repugnantibus Patres voluerunt in crastinum haberi sessionem, ac præcipitanter actum. Imò, diligenter, ut obviam iretur pessimis adulatoribus dissoluturis synodum; omnemque pacis conficiendæ spem præcisuris. At enim *cardinales faciebant difficultatem interessendi*. Quid ad nos? cùm ex actis etiam Schelstratianis pateat interfuisse omnes; nec, si abfuissent, synodi decreta infringere potuissent. At, inquies, interfuerunt, *præmissâ in camerâ paramentorum*, sibi adjunctis regis Franciæ oratoribus, *secretâ protestatione*. Tantùmne ergo licere putabimus et cardinalibus et regum oratoribus, ut eorum protestatione, eâque secretâ, conciliorum universalium decreta, in publicâ sessione recitata, solvantur; sitque ipsa sessio coram altaribus celebrata, theatralis pompæ instar, dictasque à Patribus, talique in loco promulgatas sententias rescindat illud, quod quidam occultè, *in paramentorum camerâ* susurrarint? Non puduisse theologum hæc orbi christiano proferre ludibria, has Ecclesiæ dividendæ et conciliarium decretorum solvendorum vias!

Quin etiam, si Schelstrato credimus [2], tanta decreta concident, quòd ea cardinalis Florentinus, qui ut diaconorum ultimus legere debuisset, quia non probabat, Posnaniensi electo legenda tradiderit. Tanquam idem electus non alia multa legerit; et decreta concilii

busdam aliis manuscriptis codicibus, de quibus evulgandis non admodum curabat. (*Edit. Paris.*)

[1] *Act. Schel.*, 30 *mart*, 1415; *ibid.*, p. 225. — [2] *Ibid.*, p. 231. *ad marg.*

cassa sint, nisi ultimo quoque cardinalium diaconorum placeant!

Quid quòd Schelstratus ex gestis etiam suis id protulerit : « à cardinale Florentino, cum aliquibus deputatis, aliqualiter disputatum fuisse [1] ? » Profectò *aliqualiter*, non contumaciter, quâcumque de re disputasse finxeris. Quin ipsum postea adfuisse concilio ex actis tam editis quàm Schelstratianis æquè constat, additumque in gestis : « Constitutiones lectas à concilio uniformiter approbatas et conclusas [2] : » ut profectò constet, quâcumque de re in principiis, cardinalis Florentinus aliique nonnulli, à reliquis dissenserint, in conclusione tamen omnes consensisse. Sed quandoquidem Schelstratus cardinalis Florentini auctoritatem tanti facit, operæ pretium erit ejus doctrinam in memoriam revocare [3].

CAPUT XXXV.

Francisci Zabarellæ cardinalis Florentini doctrina de superiori etiam in reformationis negotio concilii potestate. Corollarium de dissensionibus Constantiensibus à Shelstrato memoratis.

Cum sub Innocentio VII et Benedicto XIII de papatu contendentibus, infando schismati remedia quærerentur, ac schismate flagraret Ecclesia ; Franciscus Zabarella, tum juris pontificii celeberrimus interpres *, ac postea cardinalis Florentinus, tractatu de schismate edito, hæc docuit : « Si contendentes nolint congregare concilium ; tamen quocumque modo, sive per collegium, sive per imperatorem convocandum. Quòd si prohiberent, minimè parendum ; quia Papæ non est obediendum, quando ex hoc vehementer præsumitur statum Ecclesiæ perturbari [4]. » Subdit : « Papam non posse impedire, quæ ad perpetuam utilitatem instituta sunt ; radicem omnium malorum, quæ passa est Ecclesia, surrexisse ab omissione conciliorum, neque aliud remedium ad instans schisma tollendum, aut ad Ecclesiæ reformationem [5]. »

Tum illud proponit objici posse, « Papam esse supra concilium, et concilia per Ecclesiam romanam robur accipere [6]. » Sed continuò respondet, « hic non agi de Ecclesiâ romanâ, sed de Papâ ; et quod aliud Papa, aliud Sedes apostolica, et sedem errare non posse ; quod intelligendum videatur, accipiendo sedem pro totâ Ecclesiâ, id est, congregatione fidelium ; hic autem agi de fide, quæ periclitetur in hoc schismate. » Item [7] : « Ecclesiam romanam, seu Sedem apostolicam vocari, non Papam solùm, sed Papam cum cardinalibus, quos

[1] *Act. Schel., etc., et in act. edit. Antuerp.*, p. 5. *ad marg.* — [2] *Conc. Const., Sess.* v. *ad Schel.*, p. 233. — [3] *Vid Diss. præv.*, n. XXIV.

* In Universitate Patavinensi.

[4] *Zabarel., Tract. de Schism., edit. Argent.*, pag. 543, 544. — [5] *Ibid.*, p. 548, 549. — [6] *Ibid.*, p. 556, 557. — [7] *Ibid.*, p. 558, 559.

inter et Papam si fuerit discordia, ut nunc evenit, cùm cardinales à contendentibus se subtraxerunt, congregandam totam Ecclesiam, id est, totam congregationem catholicorum, et principales ministros fidei, scilicet prælatos, qui totam congregationem repræsentent; et agendum apostolico more. Atque ut in actis scribitur, concilium convocandum; quo in concilio, licèt Petrus fuerit princeps, tamen plenitudinem potestatis non fuisse in eo solo, nec responsionem datam sub personâ Petri, sed congregationis; unde illud : *Apostoli et seniores* [1]; et infrà : *Visum est Spiritui sancto et nobis* [2]. » Notandum est id quod hìc subjicit : « Hinc mos inter antiquos obtinuit, quòd omnia difficilia per concilium terminabantur, et crebrò fiebant. Postea verò quidam summi Pontifices, qui magis admodum terrenorum principum, quàm apostolorum Ecclesiam rexerunt, non curarunt facere concilia, ex quâ omissione prodierunt multa mala. Et ex hoc apparet, quòd id quod dicitur, quòd Papa habet plenitudinem potestatis, debet intelligi non solus, sed tanquam apud universitatem. Ita quòd ipsa potestas est in ipsâ universitate, tanquam in fundamento, et in Papâ, tanquam in principali ministro, per quem hæc potestas explicatur. » Ac postea [3] : » Ex his infertur, quòd potestatis plenitudo est in Papâ, ita tamen quòd non erret; sed cùm errat, habet qui eum corrigat, concilium, apud quod, ut dixi, est potestatis plenitudo, tanquam in fundamento. » Quod ut probet, multa ex jure citat. » Quæ primùm, inquit, sunt notanda, quia malè considerata sunt per multos assentatores, qui voluerunt placere Pontificibus per multa retro tempora, et usque ad hodierna suaserunt eis, quòd omnia possent, et sic quòd quidquid liberet, etiam illicita, et sic plusquam Deus. Ex hoc enim infiniti secuti sunt errores, quia Papa occupavit omnia jura inferiorum Ecclesiarum. Ita quòd inferiores prælati sunt pro nihilo, et nisi Deus succurrat statui Ecclesiæ universalis, Ecclesia periclitatur. Sed, Deo favente, speratur de reformatione, si, ut dicitur constitutum, congregabitur in Ecclesiâ concilium, in quâ congregatione oportebit non solùm schismati præsenti, sed etiam futuris consulere, et ita determinare Papæ potestatem, ut non subvertantur inferiores potestates, et ut Papa deinceps possit non quod libet, sed quod licebit.

Sic igitur, etiam in reformationis negotio, Papam non dubium, sed certum et indubitatum, à concilio ligari posse putat, determinarique oportere, quæ ipsi insit, ut ministro principali, plenitudinem potestatis, per eam potestatis plenitudinem, quæ est in concilio; quod etiam firmat his verbis : « Universitas totius Ecclesiæ superiorem non habet, nisi Deum, et Papam cùm administrat; et de hoc

[1] *Act.*, xv. 23.— [2] *Ibid.*, 28.— [3] *Zabar.*, p. 560.

an bene vel malè, habet utique ipsa universitas decernere; neque unquam ita potuit transferre ipsam potestatem in Papam, ut desineret esse penes ipsam; quia hoc esset contra jus divinum et contra exempla apostolorum [1]. » Quo quid est clarius? Neque necesse est nos omnes hujus viri excutere rationes. Sufficiat demonstrasse, quid ille senserit, qui unus omnium maximè concilii Constantiensis decretis pro Papâ obstitisse fingitur.

Sanè, teste Schelstrato, in eam sententiam conveniebant omnes, ut in concilii Constantiensis etiam sessione IV decretum conderetur, quo Papam definirent, non modò in schismatis negotio, sed etiam in fidei causâ, quod est vel maximum, concilio esse subjectum. Dicit enim tantùm de reformationis negotio disceptasse Patres, et Papæ favisse cardinalem Florentinum. Sed hæc falsa esse constitit, posteaquam vidimus quid Doctor eximius ex apostolicis Scripturis, quid ex jure divino deprompserit, ut Papam concilio subderet, etiam in reformationis, etiam in regiminis ecclesiastici negotio.

Videtur ille quidem initio in gratiam Joannis XXIII, à quo cardinalis factus erat, aliquid cogitasse, et subdubitasse tantisper, non quidem, an concilium in reformatione quoque Papam antecederet, sed an ad reformationem, adhibitis pœnis, Papam posset cogere. Et id fuisse suspicor, de quo Florentinus *aliqualiter* disputarit. Sed postquam à Patribus communi consensu in alia omnia itum est, nullam turbam movit postea, ac Joannem XXIII, cum reliquâ synodo, non hæresis, sed depravatæ vitæ causâ deposuit: Joannem, inquam, XXIII, in se beneficentissimum et sui cardinalatûs auctorem, ac proinde tam ab ipso Florentino habitum pro certo Papâ, quàm ipse Florentinus pro certo cardinale se gereret.

Hinc ergo liquidò constat nimis oppidò inflatas exaggeratasque dissensiones illas, quas in concilio Constantiensi viguisse Schelstratus narrat. Quâ in re duplex ejus erratum est: alterum, quod de summâ doctrinæ dissensisse Patres: alterum, quod eæ dissensiones acres et immortales fuisse fingat.

Quòd ad caput primum, quis non crederet cardinalem Florentinum de concilii potestate à reliquis discrepasse? Atqui vidimus quàm perspicuis verbis supremam et absolutam potestatis plenitudinem etiam supra Papam in universitatem Ecclesiæ contulerit. Non ergo de summâ re, sed de quibusdam explicandi modis à reliquis Patribus dissidebat. Sanè idem commemorat dissensisse quosdam, sed Joannis XXIII aliorumque assentatores pessimos: egregios verò Patres, quorum in concilio valebat auctoritas, mirum in modum consensisse.

[1] *Zabar.*, p. 567.

Atque ut aliquæ dissensiones extiterint, eas tamen pacis amore facilè consopitas et omnes historiæ et acta etiam Schelstratiana demonstrant. Quid enim est illud in illis actis : « Major pars cardinalium faciebat difficultatem interessendi; omnes tamen, præter infirmos, postea venerunt ad sessionem [1] : » quid, inquam, est illud, nisi leviculus animorum motus pacis studio statim compositus? Quod, etiam si acta conticescerent, ipse tamen rerum eventus ostendit; cùm omnia in concilio, nullo schismate, summâ cum animorum consensione peracta sint, quintaque sessio in Schelstratianis etiam codicibus à vulgatis non differat, in quibus adscriptum legitur in eâ latas constitutiones *ab omnibus uniformiter approbatas* : ut profectò exasperare verbis dissensiones illas, pace Schelstrati dixerim, exigui malevolique sit animi, et sacri concilii totiusque adeo Ecclesiæ laudi ac paci invidentis.

Quin etiam si de actis tam confusis ac mutilis datur conjiciendi locus, dicam equidem quod me moveat. Circa sessionem v, gesta quippe Schelstratiana sic habent : « Die sabbati, 6 mensis aprilis, cùm perpriùs inter dominos cardinales et nationes altercatum fuisset super emendatione capitulorum in præcedenti sessione statutorum, tandem ordinatum et conclusum est, quòd suprà dicta capitula modo infrà scripto corrigerentur : » quibus adjiciuntur de supremâ in quemlibet etiam in Papam ipsum, quocumque in negotio fidei, reformationis, schismatis, conciliorum potestate decreta sessionis v, iisdem profectò verbis quæ retulimus. Quæ si æquo judicio æstimamus, ex Schelstrati quoque actis constabit concilii Patres, uti ab initio memoravimus, sessioni quartæ addidisse quintam, ut quæcumque quartæ deesse viderentur circa conciliarem potestatem, supplerent, augerent, ac luculentiùs explicarent; adeoque abfuisse Patres ut de his dissiderent, ut ea etiam majorem in modum, non solùm repetita roborataque, verùm etiam amplificata vellent. Hæc igitur ad acta Schelstratiana, quæ ad IV et V sessiones pertinent, dicenda habebamus. Pergamus porrò ad sequentia, si quæ memoratu digna videbuntur.

CAPUT XXXVI.

Alia Schelstrati ex manuscriptis codicibus objecta solvuntur : an aliquid contra nos concludatur ex eo quòd reformatio ad id tempus dilata sit, quo Papa electus esset.

Cum Patres Constantienses jam in eo essent, ut Gregorio, Joanne, atque Benedicto redactis in ordinem, Pontifex crearetur; tunc repentè subortam contentionem novam acta Schelstratiana produnt; et Sigismundum quidem cum Germanicâ natione, cui se Anglica

[1] *Act. Schel.*, p. 231. *ad marg.*

primùm adjunxerat, voluisse, ut reformatio fieret, antequam Pontificis eligendi modo decerneretur quidquam ; at Italis, Gal Hispanis placuisse ante omnia extinguendum schisma, eligendum Pontificem : denique à Germanis discessisse Anglos, Germanos et cæteris assensisse ; communique consensu factum esse decret quod est in sessione XL, ut futurus Pontifex de proximo as mendus, cum sacro concilio ejusque deputatis reformationi p videret, antequam concilium solveretur. Hæc ergo Schelstr narrat ex quatuor manuscriptis codicibus, quibus gesta Con tiensis concilii contineri dicit : quæ gesta, si causæ suæ, quan ipse jactat, favere intellexit, cur non ea prodidit ? At ille hæc tan refert à reliquis avulsa ; primum, inter ipsa dissidia protestatio factam à collegio cardinalium et tribus nationibus, Italicâ, Hispa Gallicanâ ; tum ex iisdem codicibus narrationem eorum subne quæ in hujus controversiæ compositione gesta sunt [1] : quâ qui in re multa peccat ; imprimis, quòd obscuris occultisque ac nu roboris gestis, sessionum publicarum gesta subrui posse putat. namque protestatio, qualiscumque est, non est inserta conciliar gestis, quæ dimissa quaquaversus per omnes Ecclesias, totique nota sunt. Quin eadem protestatio nulli unquam præterquam Sc strato visa, nullâ canonicâ auctoritate constat, ac designata po quàm perfecta est, statim dissensione compositâ. Neque pluris illa narratio privati cujusdam auctoris, cui et anonymo et ign quanta fides adhiberi debeat, nequidem conjicere possumus. De que tota illa qualiscumque contentio, certè mox composita, nul in actis synodi, nullum in historiis, nullum in Annalibus ecclesiast à Rainaldo continuatis, locum habet. Hæc verò sunt, quibus Em nuel Schelstratus, sessionum IV et V auctoritatem infringi à se po putat.

Jam si vel maximè constet huic narrationi fides ; quàm infirm quàm nulla sint ejus argumenta videamus.

PRIMUM ARGUMENTUM SCHELSTRATI. Italica, Hispanica, Gallica natio, imò tota synodus, sessione XL, Papam priùs elegi volu quâm de reformatione tractetur : ergo confitentur decretum se sionis V, quo Papa concilio subesse dicitur, quoad reformatione attinet, non esse intelligendum *de concilio seorsim sumpto ; sed concilio, cui verus et indubitatus Pontifex adest, qui sensus nihil superioritatem concilii facit* [2].

Imò verò multùm, quod hunc indubitatum certumque Pontifice

[1] *Act. Schel., edit. Ant.*, p. 6, 13, 14 ; *Diss.*, p. 68 et seq. ; *Vid. etiam pass. Diss. cont. Maimb. et Act. et gest.*, p. 252 et seq — [2] *Diss. Ant.*, p. 60, 62 ; *Diss.* III. *cont. Maimb.*, c. II. p. 149 et seq. ; *Act. et gest.*, p. 252, 253.

synodo præsidentem, in synodi potestate esse crederent, eique leges figerent, ut vidimus [1].

Dices : Ergo saltem intelligebant, non posse à se quidquam in reformatione tentari, nisi electo Pontifice. Nullo modo : cùm enim de fide, ante electum Pontificem, tam multa decernerent, quidni et de reformatione? Tum etiam multa decreta esse ostendimus [2], quæ ad reformationem maximè pertinerent, imprimis caput *Frequens*, aliaque capita, in sessione XXXIX, adunatis omnibus obedientiis, promulgata. Non ergo reformationem ideò differebant, quòd fieri non posse, sed quòd non ita congruè fieri posse crederent, neque schisma ulteriùs protrahi sinerent.

SECUNDA OBJECTIO SCHELSTRATI. Extat adversùs Germanicam nationem, quæ reformationem ante Pontificis creationem urgeret, Italicæ, Hispanicæ, Gallicanæ, et cardinalium protestatio, in quâ est dictum pessimam deformationem, cui primùm providendum sit, eam esse, quod acephala sit Ecclesia, acephalum concilium : ergo ante electionem Papæ, concilium erat acephalum et mancum : ergo sessionum IV et V decreta, de corpore acephalo mancoque orta sunt [3].

Respondemus : Concilium non erat acephalum et mancum ante constitutum Papam, cùm damnaret Viclefum, Hussum, propositionem Joannis Parvi de cædendis tyrannis : non erat acephalum, cùm excommunicaret eos qui dicerent communionem sub utrâque specie esse necessariam, aut eam deinceps populo ministrarent : non erat acephalum, cùm ederet caput *Frequens*, aliaque capita [4] : denique non erat acephalum, cùm tanta illa faceret, quæ constituendo capiti essent necessaria. Tum verò fuisset acephalum et mancum, si quemadmodum Germani volebant, cum ad eligendum Pontificem omnia comparata essent, rem in longum extraheret, foveretque schisma, neque ecclesiasticæ unitatis opus, propter quod maximè congregatum erat, perficiendum putaret.

TERTIA OBJECTIO. In eâdem protestatione legitur, « quòd clerus et populus nonnullorum regnorum et provinciarum nondum solidè et clarè huic sacro concilio adhæserint : quòd quorumdam qui concilio adhæserunt, propter rumores discordiarum, et quasi impressionum, quas in eodem concilio fieri audiunt, fides jam de eodem concilio dicitur vacillare; scriptumque et relatum à pluribus magnatibus, in Italiâ plurimùm dubitari, ne in urbe Romanâ aliquis pro summo Pontifice assumatur, cui forsan, præmissis attentis, tota Italia obediret [5].

[1] *Sup.*, cap. XVIII. — [2] *Vid. Sess.* VIII, XV et XXXIX : *et Sup.*, c. XVI, XVII. — [3] *Protest. in act. Schels. Ant.*, p. 10 ; *Diss.*, cap. III. p. 68 ; *Diss.* III. *cont. Maimb.*, c. II ; *Act. et gest.*, p. 261 et seq. — [4] *Vid. Sess.* VIII, XIII, XV, XXXIX. — [5] *Act. edit. Ant.*, p. 7, 8 ; *Diss.*, c. II. p. 60 ; *Diss.* III. *cont. Maimb.*, *loc. cit. Act. et gest.*, p. 257.

Quid ista ad propositum? Nempè quòd *rumores* de *impressioni* sererentur : quòd *vacillarent quidam* : quòd *magnates* multi m scriberent : quòd *dubitaretur*, ne Romæ Pontifex fieret : quòd *forsitan Italia obediret* : quòd nonnulla regna non tam solidè c cilio adhærerent, quàm futurum esset electo Pontifice, tanto opere consummato; ideo tantæ synodi auctoritas fluctuabit?

Quis autem non videat, in illâ protestatione, suspicionum timoris causas undique amplificatas inflatasque esse, ideo ut mani à proposito protrahendæ electionis promptiùs desisterent ad creandum Papam essent promptiores? Quale enim illud est, bitari ne Romæ Pontifex fieret? à quo? cùm omnes cardinales nium partium essent Constantiæ.

Quarta objectio. Scriptum in narratione est, inter nationes pace tractatum; legunturque hæc verba in codicibus manuscript « Natio Germaniæ petivit assecurationem et cautionem, per decre irritans, quòd post Papæ electionem fieret reformatio ante cor tionem Papæ et administrationem aliquam : postea fuerunt f diversæ formæ decreti ad hoc : tandem fuit dictum, quod electus legari non poterat. » Certè, eo modo, quo Germani p bant; nempe ita ut à Papâ electo, *reformatio fieret, ante cor tionem et administrationem aliquam*: quod erat reverà absurdissim ut Papa electus, tandiu ab officii administratione suspensus h retur. Adeo Schelstratus ne sua quidem acta intellexit. Tum quàm absurdum, quòd vir bonus credidit electum Papam legari posse; hoc est, nullam electo imponi posse legem; tanquam si el non posset, quod eligendo Pontifici potuisset imponi. At si id maximè dictum esset, electo Pontifici legem nec à synodo œcume figi posse; quæro à quo dictum? ab ipsâ synodo? Ne id quiden Schelstrate! tua hæc gesta continent; patetque ex eo frustulo q tu protulisti, hæc in privatâ quâdam congregatione esse acta. tu igitur explicato, à quo illud dictum sit? Ab ignoto quopiam; a uno hujus dicto, satis incerto, in congregatione privatâ, ce cognita, omni robore firmata decreta tantæ synodi collabasc Quantò meliùs has nugas orbis catholicus adhuc ignoraret.

CAPUT XXXVII.

Alia objectio Schelstrati circa sessionem XIV concilii Constantiensis.

Illud in speciem probabilius, quod Emmanuel Schelstratus sessionis XIV decreto refert [2]. Post sessionem nempe XXXVIII, vige

[1] *Act. edit. Ant.*, pag. 13; *Diss.*, cap. II. p. 63, 64; *Act. et gest.*, p. 268, 269. — [2] *Ibid.*, p. 8 *Diss.*, p. 53; *Act. et gest.*, p. 259.

adhuc illo, de reformatione ante Papæ electionem faciendâ, dissidio, cardinales protestatos, quòd sessionis XIV decretum, « quia factum erat sine prævià collegii deliberatione, haberent pro invalido et nullo : » cui cardinalium protestationi, « natio Hispanica adjunxerit; se illo decreto, licèt aliàs validum existeret, minimè teneri; quia sessione XIV nondum adfuerat concilio. » Ergo concilium ante adunatas obedientias non satis erat firmum.

Hæc Schelstratus orbi catholico pensanda proponit. Nobis ante omnia perpendendum, quodnam illud esset sessionis XIV decretum; nempe id, ne, vacante sede romanâ, ad electionem futuri Pontificis procedatur sine deliberatione et consensu concilii. Hic ego Schelstratum ejusque sectatores, si qui sunt, rogatos velim, an illud decretum XIV sessionis fuerit antiquatum, atque omninò an Papa fuerit electus sine consensu concilii? Nullo modo; imò *communi consensu cardinalium et nationum*, ex decreto concilii, electionis forma præscripta est, adjunctique cardinalibus, hâc vice, « ad eligendum Papam, sex prælati de quâlibet natione, quibus eadem synodus auctoritatem tribuit eligendi romanum Pontificem. » Hæc sessione XL decreta sunt; quæ ad executionem XIV sessionis pertinent apertè. Quid ergo cardinalium, aut etiam Hispanorum verba obstant, cùm res ipsa valuerit?

Quid quòd Schelstratus sua acta ipse corrumpit, falsoque asserit [1], cardinales protestatos esse, « quòd decretum illud sessionis XIV haberent pro invalido? » Id enim nullo loco in eâ, quam Schelstratus edidit, protestatione legitur. Neque usquam dicunt, se ad electionem Papæ, sine consensu concilii processuros, quod sessione XIV erat vetitum; sed « rogant et exhortantur tantùm, quòd ad reformationem taliter procedatur : quòd prætextu illius negotium electionis non impediatur, aut diu differatur [2]; » quod erat æquissimum, nec sessionis XIV decreto contrarium. Aliâ protestatione testantur, si Germani æqua postulata respuerent, dilatæ electionis incommoda in eos refundenda [3]; quod longè abest ab eo, ut electionem sine sacræ synodi consensu celebrarent.

Jam ut ad Hispanos veniamus : primùm quidem tanta non est eorum protestatio, ut conciliarem auctoritatem infringat. Tum, ne id quidem dixerunt, se nullis teneri decretis ante adunationem factis : his enim verbis comprehenderent etiam fidei decreta contra Viclefum aliosque edita; quod est falsissimum. Ac profectò disertè de sessionis tantùm XIV decretis : « His, inquiunt, nos Hispanica natio, etiamsi aliàs valida existerent, non ligamur [4] : » quæ profectò decreta ad

[1] *Diss. Ant.*, c. I. art. 3. p. 53; *Vid. Diss. Antuerp. et Rom. loc. cit.*—[2] *Protest. Card. Act. et gest.*, p. 254.—[3] *Ibid.*, p. 255; *et in edit. Ant.*, p. 6 et seq.—[4] *Edit. Ant.*, p. 8; *Rom.*, p. 258.

concilii œconomiam ac regimen pertinebant; neque protestationem ultra ipsa verba protendi fas est; ac si Hispani negent se ligari iis, quæ meri regiminis ac variabilis disciplinæ essent, ideò aspernantur ea, quæ ad dogma ecclesiasticum pertinerent; cùm immota ea, communiaque omnibus esse oporteat. Quare Hispani, cùm hæc dicunt, haud magis sessiones IV et V, quàm VIII et XV, aliasque cogitant, in quibus ecclesiasticum dogma firmatum est.

Quòd autem Schelstratus asserit, à reliquis nationibus Hispanorum dicta laudari et approbari; quippè quæ *protestationi sub suo nomine factæ inseri permiserint*[1], vanum est. Aliud enim est tolerare, aliud laudare, et approbare. Tolerarunt aliæ nationes Hispanos à pacificâ synodo abhorrentes, ac pertinacissimo et apertè schismatico Benedicto adhærentes; non profectò laudarunt. Atque sicut cætera quæ Hispanorum gratiâ οἰκονομικῶς, non laudando et approbando, sed tolerando et indulgendo fecisse probavimus, eâdem indulgentiâ talia protestantes tolerant; patiunturque Germanos hoc quoque metu deterreri ab incœpto protrahendæ electionis; ne in ipso concilio, inter Hispanos et reliquos novæ dissidiorum causæ sererentur. Neque tanti putant esse, negasse Hispanos sessionis XIV decretis se *ligari*, dummodo orbis reliquus, quod Hispani fatebantur, his ligari se intelligeret; denique protestatio non prohibuit quominus synodica definitio, etiam in eâ parte viguerit, Hispanis etiam assentientibus; cùm in sessione XL, communibus consiliis, ex sessionis XIV decreto, futuri Pontificis electionem ordinarent; nihilque omnino agit Schelstratus, quàm ut suo more nugas venditet, et protestationes decretis ac rebus gestis anteponat; quod est vanissimum.

CAPUT XXXVIII.

Postrema objectio Schelstrati, de sublato decimo-tertio reformationis articulo Bullæ Martini V, de non appellando ad concilium, suum in locum remittitur.

Postremo loco Schelstratus objicit, decimum tertium reformationis articulum: « *Propter quæ, et quomodo Papa possit corrigi, et deponi*, vel à nationibus non fuisse propositum post electionem Pontificis, vel à Martino V, ut novum aliquid, et hucusque inauditum fuisse rejectum[2]. » Itane inauditum, quo omnes scholæ theologorum et canonistarum à tot sæculis perstrepebant? Sed tamen attendamus quid ex suis manuscriptis Schelstratus proferat. Contendit quippe ad hunc decimum tertium articulum, hoc adscriptum esse: « Non videtur, nec visum fuit in pluribus nationibus circa hoc aliquid novum

[1] *Diss. Ant.*, c. I. art. 3. p. 53; *Diss.* II. *cont. Maimb.*, c. III. p. 124, 125.—[2] *Sess.* XL. col. 246; *Vid. Diss. Ant.*, c. III. p. 70; *Diss.* II. *cont. Maimb.*, c. III. p. 176.

statui, vel decerni[1] : » quæ verba, si intelligimus, non ipse Pontifex, hæc ut nova et inaudita, suâ auctoritate rejecit; sed *id pluribus rationibus visum fuit*. Quid autem visum fuit? hæc omitti penitus? Minimè; sed *circa hæc nihil novum statui, vel decerni;* quippe cùm, rem diligenter quærenti, sufficere intelligerent ea, quæ sacra synodus, ex sessionibus IV et V in deponendo Joanne XXIII ac Benedicto XIII gesserit : cùm Joannem deposuerit pro certo Pontifice ab ipsâ synodo habitum; Benedictum verò ad mentem Hispanorum, qui eum pro certo haberent, nunquam eorum conscientiam placaturi, nisi ex decreto sessionum IV et V Pontificem quemlibet, atque adeo certum, concilii œcumenici judicio subdidissent.

Sanè dissimulare nolumus assiduè inculcari à nostris censoribus bullam Martini V, de non appellando à Papâ ad concilium, quam in ipsâ synodo Constantiensi, si Deo placet, editam affirmare audent. Sed nos eam bullam aliasque in hunc sensum, ubi de his appellationibus agetur, commodiùs proferemus[2].

CAPUT XXXIX.

Confirmatio argumentorum pro auctoritate Constantiensis concilii : multa in eamdem rem Martini V, et Eugenii IV acta usque ad Basileense concilium.

Jam ergo, Deo dante, expedita sunt omnia, quæ adversùs sacrosancti concilii Constantiensis sessionumque IV et V auctoritatem congesserunt, à Joanne Turrecrematâ usque ad Emmanuelem Schelstratum nova gesta promentem.

Summa dictorum est : Constantiensem synodum quâcumque ratione egisse ut schisma extingueretur, et ut fons schismatis corruptela morum per veram reformationem tolleretur. Animadvertit synodus, et per eam ætatem cordatissimus quisquè, ad eas res valere hæc duo : consensionem primùm, si obtineri posset; sin minùs, concilii auctoritatem summam atque indeclinabilem. Quæ sanè auctoritas, nisi valeret in Papam etiam certum, nec valeret in dubium, qui à suis certus et indubius haberetur. Id etiam reformatio per eamdem ætatem tam necessaria postulabat, ut à quovis, etiam à Papâ certo, summâ cum auctoritate extorqueri posset. His igitur procurandis, sacra synodus jam inde ab initio firma fundamenta jecit, constitutâ concilii adversùs quemcumque, etiam Papam contumacem, summâ et ineluctabili potestate.

Neque propterea omnia, pro potestate egit : auctoritatem œconomiâ et indulgentiâ temperavit : quâcumque ratione consensionem omnium exquisivit : id sibi reservavit, ut summam potestatem ad-

[1] *Act. et gest. Schels., ed. Rom.*, p. 273.—[2] *Inf.*, lib. X. c. 23 et seq.; *Vid.* cap. XXVII.

versùs immedicabilem contumaciam exereret. Quæ quisquis expenderit, uno filo et synodi mentem assequetur, et omnia argumenta solvet, et ex mirâ rerum gestorumque cohærentiâ divinam Providentiam, Christique pro sponsâ suâ Ecclesiâ curam collaudabit.

Jam ut nostras probationes concludamus; age verò; omittamus concilii œcumenici auctoritatem : fac ducentos Patres, omnes ferè episcopos, aut episcoporum procuratores ex innumerabilibus provinciis convocatos, in his viginti cardinales magni nominis; nequè hos tantùm, sed omnes ferè religiosos ordines, ferè omnes christiani orbis universitates, ex Pisani anterioris concilii auctoritate, et auctore romano Pontifice, præsente imperatore atque omnium penè regum legatis, de summis Ecclesiæ rebus convenisse, exceptis tantùm iis, qui schismaticis et damnatis Pontificibus adhærerent; omnes in eamdem ivisse sententiam, quam edito decreto promulgarint; atque illud decretum nullâ unquam Ecclesiæ censurâ notatum fuisse; quis non revereatur? Fac totius orbis episcopos accessisse, atque omnes unâ pace conjunctos, unâ fide, unâ charitate, nedum ulla extiterit suspectæ fidei significatio; quis damnare audeat, ac non suscipere consensionem totius orbis? Fac deindè ab eo cœtu et ex eo cœtu electum Papam, qui, cum cæteris hoc decretum cardinalis condiderit, qui tanto loco positus nihil retractarit, Patresque decreti auctores complectatur; quis non id decretum, cùm et omnibus notum sit, et à nemine improbetur, imò ab omnibus supponatur, ut rerum gerendarum optimum fundamentum, intactum ac tutum manere judicet? Recurrit enim illud : *Error cui non resistitur approbatur* [1]. Et in fidei quæstionibus maximè tenet illa sententia; præsertìm ubi publicè error ille esset editus; ubi maxima auctoritate ; ubi concilii quoque generalis et Spiritûs sancti nomine, iis certè qui loqui debeant, pastoribus Ecclesiarum, cardinalibus, doctoribus, Papæ omnium capiti. Jam verò depromamus concilii œcumenici sacrosanctum nomen et summi Pontificis Sedisque apostolicæ comprobationem et confirmationem, tot tantisque argumentis demonstratam; quis non indignetur, post trecentos ferè annos, illius decreti rejectam auctoritatem?

Certè non deerant, Martini etiam V temporibus, qui synodo Constantiensi, ut aliis synodis contigerat, obtrectarent. Sed Martinus V apostolica eos auctoritate compressit, « qui scilicet vani capitis ludibria, totius Constantiensis synodi œcumenicæ Patrum sapientiæ ac probitati anteferrent, acuerentque linguas contra hujusmodi synodi decreta [2]. » Hìc rogo, quis episcoporum, quis Pontificum romanorum, quis catholicorum unquam, sine ullo discrimine Patrum Ari-

[1] *Decr.*, dist. LXXXIII. cap. *Error*.—[2] *Rain.*, an. 1422, n. 13.

minensium sapientiam, probitatem, ac decreta laudarit, ac non priora proba à posterioribus impiis et nullis secernenda putarit? Itaque Bellarminus, Binius, alii recentiores, ac privati theologi, qui concilii Constantiensis posteriora duntaxat acta probant, illud concilium partim approbatum, partim improbatum in ipso statim titulo profitentur. At non ita summi Pontifices, non ita Martinus V; sed Patres Constantienses, eorumque decreta laudat, nullo sessionum temporumque discrimine, quippe qui omnia inter se apta connexaque esse intelligeret; neque ignoraret, priores, quibus interfuisset, æquè ac posteriores, quibus electus esset, œcumenici concilii nomine honestatas; neque valere concilii œcumenici auctoritate electionem suam, nisi quæ huic certam ac necessariam muniissent viam, pari auctoritate constarent. Ac ne id semel fecisse videatur, eodem anno 1422, decrevit, ut Joannes comes Armeniaci determinationi sacri Constantiensis generalis concilii adhærere, illamque ut obedientiæ filius insequi cogeretur [1].

At anno 1423, cùm adesset tempus habendi, ex Constantiensis decreti auctoritate, Papiensis concilii, ad Othonem archiepiscopum Trevirensem hæc scripsit [2] : « Si fortè civitas Papiensis, per sacrum Constantiense concilium pro loco hujus futuri concilii deputata, aliquo casu, quod Deus avertat, impediretur, non propterea à tam sacro opere desisteremus. » Simul academia Parisiensis, sacerque in eâ theologorum cœtus, missis oratoribus, Martinum adhortatur, ut illud concilium Ticini indictum celebraret. Hos ergo Constantiensis synodi studiosissimos, quibus maximè auctoribus sessionum IV et V decreta prodierant, *de eximio in romanam Ecclesiam studio commendavit;* atque hæc rescripsit : « Non est dubitandum, quin plurimùm saluti profutura sit hæc sacra synodus, Deo auctore, de proximo celebranda, per sanctam superiorem Constantiensem synodum instituta, ad ordinandam reformationem statûs ecclesiastici [3]. » Sic laudat absolutè Constantiensem sacram synodum, nihil à prioribus posteriora secernens : sic probat reformationem in Constantiensi synodo commendatam, quæ sacræ synodo nunquam plena visa est, nisi in capite et in membris fieret.

Itaque Martinus, ut Constantiensi pareret synodo, Ticinum legatos misit, qui suo nomine sacro generali concilio præsiderent [4]. At, lue grassante, non id sibi tribuit, ut concilium solvat, aut transferat : sed ipsa synodus, decreto edito, Papâ deindè approbante, « civitatem Papiensem mutat, et loco ipsius, civitatem Senarum pro continuatione ejusdem sacri concilii eligit, atque deputat [5]. » Quod hic

[1] *Rain.*, an. 1422, n. 13.— [2] *Ibid.*, an. 1423, n. 1.— [3] *Ibid.*, n. 2.— [4] *Ibid.*, n. 3.— [5] *Vid.* t. XII. *Conc.*, col. 366.

obiter notari velim, ad elucidandas controversias Basileæ pa
suborturas.

Sanè dissimulari non potest, quod ab omnibus scriptoribus
proditum, curiales, ut reformationem, ita etiam synodos, qu
auctoribus fieret, exosas habuisse; atque ob id, apud pios, g
famâ laborasse : quâ maculâ Martinus ipse non nihil aspersu
Itaque ad synodos non satis seriò congregatas cunctanter accedeb
synodusque Senensis statim atque inchoata est, sese ipsa diss
Id tamen ex Constantiensi disciplinâ institutoque gessit, ut i
bruarii 1424, decretum ederet, in sessione primâ Basileensi re
tum : « Quo decreto, pro loco futuri concilii, juxta formam et ten
decreti Constantiensis, civitas Basileensis, » unanimi Patrum
tentiâ, nominatur [1].

Sequitur eodem anno Martini V bulla, quæ dissolutionem Sen
synodi ac designationem Basileensis civitatis, pro futuro con
post septennium celebrando, *juxta determinationem sacræ Con
tiensis synodi*, à Senensibus Patribus, seu *majore eorum parte* fac
apostolicâ auctoritate confirmat [2]. Nihil quidem promptiùs confir
bant, quàm quòd se synodi facilè dissolverent; sed interim ipsi h
levi infamiâ, nimiis corruptelis Ecclesiæ catholicæ disciplina l
rabant.

Expleto septennio, tempus aderat, quo Basileæ decretis Const
tiensibus et Senensibus, Martino comprobante, generalis syno
haberetur. Eam ergo synodum ex capite *Frequens* Constantie
concilii, et ex Senensis decreti auctoritate, Pontifex convoca
designatusque est Julianus Cæsarinus cardinalis, vir hujus ev
pietate et doctrinâ maximus, qui sacro conventui præsideret [3].

His gestis Martinus obiit, electusque est Gabriel Condulmer
jam suprà nominatus, Gregorii XII sororis filius, atque Euge
assumpto nomine in Petri cathedrâ collocatus.

Is statim atque creatus est Pontifex, anno scilicet 1431, eum
Julianum ab antecessore legatum designatum, ejusque jussu
Bohemis agentem, ac magna tractantem, misit ad synodum. Po
ficis mandata notanda sunt : « Ut expedito negotio Bohemor
cujus finis expectatur in brevi, tuos gressus dirigas in Basilea
civitatem, et ibi..... juxta tibi injuncta et ordinata in concilio C
stantiensi, optimè provideas [4]. » Adeò sancta et inconcussa sy
Constantiensis habebatur auctoritas, ex quâ tum omnia gerere

Hanc Julianus bullam accepit, Basileam venit, atque Euge

[1] *Vid.* tom. XII. *Conc.*, col. 378, 463 et 464. — [2] *Rain.*, an. 1424, n. 5. — [3] *Bull. Mart. V*
Card. Julian., *inter act. Conc. Basil.*, *Sess.* I. tom. XII. col. 468. — [4] *Eug. IV.* et
Julian., *ibid.*, col. 470; *Vid. ap. Æn. Sylv.*, *epist. Jul. ad Eug.*

petitis mandatis synodum inchoavit die 19 Julii * anno eodem 1431; ncilii Constantiensis Eugenii nomine auctoritatem agnovit, decreta ecutus est. Sed nos res Basileæ gestas alio ex principio ordiemur. quidem observabimus, Constantiensis synodi intactam et flo- em manere auctoritatem; ut ejus profectò synodi, quæ tetrum ma extinxerit, Sedis apostolicæ majestatem schismate defor- m in integrum restituerit, et contra hæreticos asseruerit, fœdas ses profligarit, reformationem ecclesiasticæ disciplinæ et neces- m declararit, et ex parte delibarit, et ut postea fieret, nisi mens inum læva obstitisset, certa fundamenta jecerit. Quæ cùm ad ndam synodi Constantiensis auctoritatem plenè sufficiant, ta- rerum subsequentium series, tot eam in rem acta, atque m ad sessionum IV et V decreta firmanda congeret, ut si quis de di Constantiensis auctoritate dubitare possit, is profectò in me- luce caligare ac cæcutire velle videatur.

LIBER SEXTUS.

LEENSI, ALIISQUE SECUTIS SYNODIS AC QESTIS, QUIBUS CONSTANTIENSIA DECRETA CONFIRMENTUR.

CAPUT PRIMUM.

Duo dissidia Basileensia distinguuntur : res in primo dissidio gestæ.

nc concilii Basileensis, et Eugenii IV recensenda gesta. Duo dem dissidia extitere inter Eugenium et Basileense concilium : o in dissidio vicit synodus, tenuere Patres, ut auctore Pontifice eta sua valerent : alterum immedicabile dissidium fuit : Euge- s, frustra renitente synodo, in cathedrâ Petri mansit. Hic con- endum tantis in dissidiis, tantoque animorum æstu, quid fixum latumque steterit. Nos Constantiensia decreta et intacta et im- perstitisse, imò expressissimè confirmata, eoque, quem dici- , sensu intellecta fuisse, ex actis docebimus.

sione I, Basileæ habitâ septimâ die decembris anni 1431, Ju- o præside, lecta sunt ea decreta, quibus synodus iniretur, impri- caput *Frequens* concilii Constantiensis, Senensis concilii decre-

Ut veritas historiæ servetur, observandum est potestatem à Papâ factam fuisse cardinali, o in Bohemiâ variis negotiis distento, deligendi eos quos ipse vellet, qui concilio interim iderent, et eum elegisse *Joannem Polmar et Joannem de Ragusio, qui applicuerunt Ba- e 19 Julii*, et 23 ejusdem mensis concilium inchoarunt. Julianus autem non venit Basileam mensem octobris; et 14 decembris primam sessionem celebravit. Re non satis perpensâ, is qui FLEURY Historiam ecclesiasticam supplevit, eos quos Julianus delegaverat mense Basileam venisse. Vid. tom. XII. Conc., col. 459, 461. (*Edit. Paris.*)

tum de Basileensi concilio celebrando, Martini approbatio de eod habita, synodi convocatio, ac designatio Juliani cardinalis præsid ad eumdem Eugenii IV eàdem de re datæ litteræ. His lectis, à syno tot tantisque firmatâ præsidiis, decretum est : sacrum generale co cilium Basileæ stabilitum, canonicè esse fundatum, quò pra omnes accedere tenerentur [1].

Sessione II, 15 februarii anno 1432, decretum est : « Sacram B leensem synodum, sacris Constantiensi et Senensi conciliis gene bus decernentibus, et auctoritate apostolicâ interveniente, fu debitè legitimèque ac ritè initiatam [2]. » Constantiensis concilii se nis V decreta repetita ea, quæ à clero gallicano laudata, atque à n sæpè relata sunt; nempè quòd omnes, etiam ipse Papa, con subsit in causis fidei, schismatis, ac rfeormationis. Ea verò dec gestis inseruntur; cùm nullum schisma esset, cùm Pontifex dubius, missis legatis, synodo præsideret : quo fixum, non schismatis, sed ad omne tempus ea decreta pertinere, eoque se ab omnibus fuisse intellecta.

Eodem anno 1432, 29 aprilis, sessione III, hæc legimus: perlat ad sacrum concilium, Eugenium, « ex sinistrâ informatione mot dissolutionem ipsius concilii attentasse [3]. » Nempè ab Eugenio e erat bulla, quâ synodum prorogabat, Basileensem dissolvebat, vam synodum Bononiam, elapso anno integro cum dimidio, a iterum post decennium, *ex ordinatione Constantiensis concilii*, A nionem convocabat. Hæc autem decreta, non statim perlata sunt synodum; et qui temporum notas pontificiis bullis et conciliar decretis adhibitas inter se contulerit, statim animadvertet, Basile sem synodum vix inchoatam, jam ab Eugenio fuisse diremptam, Juliani cardinalis operâ factum, ut decreti promulgatio aliquantul differretur.

Allatæ sunt dissolutionis causæ : *Clerus in Allemaniâ multiplic deformatus* [4] : quâ causâ synodus acceleranda potiùs quàm dis venda erat : *Clericorum in ipsâ urbe Basileensi trucidatio*, *exe Bohemorum* : quod erat Basileæ ignotum : *pericula ex bello i Burgundum et Austriacum ducem*, queis Patres minimè movebant Alia edit æquè vana, quorum Eugenium pudere videbatur; add enim postea causas occultas, suam valetudinem obtendebat; et q non ? Nempè volebat ipse adesse concilio Bononiæ celebrando : m scilicet unius anni cum dimidio spatium lucraretur. Sic Euge concilium cupiebat, aperto ludibrio. Ita Patres, ita legatus Julian

1 *Conc. Bas.*, *Sess.* I. num. 3, 4, 5, 9, 10, 11. tom. XII. col. 462 et seq. — 2 *Ibid.*, *Sess.* II. n. col. 477. — 3 *Col.* 480; *Vid. Bull. Eug. in app. Conc. Basil.*, col. 934 et seq. — 4 *Conc. Ba Sess.* II; *Ibid.*

ita christiani omnes, atque etiam, ut videbimus, ipse Eugenius judicavit. Cæterùm è re nostrâ est intelligere Eugenium IV nihil omninò conquestum de Constantiensibus sessionis v decretis, Basileæ sessione II repetitis; quippe cùm Constantiensia decreta ab omnibus inviolata sanctaque haberentur.

Et hoc ad elucidationem rerum pertinet, hanc quoque dissolvendæ synodi causam fuisse allatam, quòd Græci Ecclesiæ romanæ conjungendi, Bononiensi synodo adfuturi essent; quasi statim Basileæ non posset tot exoptata votis reformatio fieri; ac tum, si res posceret, nova synodus convocari Bononiam. Sed Eugenio Græcis quoquo modo opus erat, ut consiliis suis aliquem colorem obtenderet.

Grave visum est Patribus reformationem elusam toties, et in longum ire spem orbis, synodumque Basileensem duorum generalium conciliorum, duorum Pontificum, ipsiusque adeò Eugenii IV auctoritate, tantâ solemnitate, tantâ orbis christiani expectatione inchoatam, in ipsis initiis ab ipso Eugenio repentè dissolvi: obtendi bella, obtendi pericula, quæ Basileæ agentibus imminerent: hiemem etiam, morbos, alia incommoda exaggerari Romæ, quæ ipsi Basileæ nequidem cogitarent: tum novarum synodorum injici spem, cùm interim jam convocata, jam felicibus auspiciis inchoata solveretur, editum ergo à synodo, sessione III, caput *Considerans*, quo decernit: « Præfatam dissolutionem contra decreta Constantiensis concilii, » magno fidei periculo, magno populi christiani scandalo factam, « nullatenus fieri potuisse; quinimo ipsâ minimè obsistente ad persecutionem eorum, quæ laudabiliter sunt incœpta, esse cum sancti Spiritûs gratiâ procedendum [1]. »

Illud diligenter annotandum, Basileenses Patres concilii dissolutionem irritam declarasse, Constantiensibus decretis sessionis v nixos: iis enim niti se profitentur, eaque decreta iterum repetunt, suoque decreto inserunt; quod quàm ad rem nostram spectet, lector per sese intelligit, et sequentia demonstrabunt.

Hoc decreto edito, de dissolutione revocandâ, multa Pontificem, multa cardinales monent; ad inchoata porrò pergunt [2].

Pridem omnes suspicabantur Martinum V et Eugenium IV abhorrere à conciliis celebrandis, ac reformationis opus cunctanter et dissimulanter aggressos. Quare Patres ægrè ad concilia veniebant, quæ Pontificibus invisa, ac statim re infectâ solvenda esse crederent. Et ipse Eugenius Juliano cardinali succensebat, quòd res concilii citius optato processissent. Cùm verò solvendi concilii missa est facultas, Julianus pro eo ac debuit, ad Pontificem scripsit [3]: « In concilio orbis

[1] *Conc. Bas., Sess.* II. col. 480. — [2] *Ibid.*, col. 481. — [3] *Vid. epist. Card. Jul. ad Eug.*, *in Comm. Sylv.*, p. 823, *edit. Pinssonii*, 1666.

christiani spem unicam esse repositam : fidei extrema imminere p ricula, nec se facilè potuisse adduci, ut crederet, tantam rem à P tifice dissimulanter aut negligenter actam; sibi quidem decretum, u exercere dissimulatoris officium, cùm de correctione cleri, pra tim in Germaniâ, nulla spes superesset, futurum ut in nos irr laici more hussitarum, hoc est, more ferarum, ac praegnantes minum animos in immane aliquod facinus erupturos, atque in sacrificii putaturos, si spoliarent clericos primaevae disciplinae ac tatis oblitos, aut etiam trucidarent. » Jam enim christianum or dira fata agebant, imò adversùs effrenas cupiditates divina ul virga vigilabat : postremò vitiorum tanta colluvies, et grass Vicleff, Hussi, Bohemorum haereses, tetrum reformatorem pa debant, ac parturiebant Lutherum. De Graecis liberè respond Julianus : « absurdum videri, ut propter incertam reductionem G corum, permitti debeat, quòd Germania nunc et semper labat haeresim Bohemorum. » Denique omnia egit, quasi jam instare ob oculos versaretur infanda et horrenda illa discessio *, quam p vidimus. Alterâ epistolâ urgebat vehementiùs [1] : Patribus videri solutionem ab Eugenio factam nullam et irritam fuisse; in co enim Constantiensi, sessione XXXIX, capite *Frequens*, signanter tum, ut tempus synodi abbreviari à Pontifice, non autem prorr posset, ac multò minùs dissolvi incoepta jam synodus; tum definitum in sessione V, *cuilibet concilio generale, etiam à P* morem geri oportere : cujus concilii, si decreta vana essent et tratoria, tum Pontificum electiones, et caetera quoque conc totumque Ecclesiae statum vacillare.

Haec de concilio Constantiensi dixit vir hujus aevi maximus; lo que doctissimus atque sanctissimus, et in synodo Florentinâ, c catholicae adversùs Graecos praecipuum firmamentum. Rain multas in hunc ferè sensum, maximi cardinalis profert episto quas omnes referre nihil attinet, cùm summam teneamus.

Caeterùm ipse in concilio perstitit, neque, revocatus licèt, ab o praesidis destitit. Mansere in concilio alii cardinales : in his Domi Capranica vir maximus, Martino V primùm à secretis; ruti o unà cum caeteris Patribus, gesta ab Eugenio ad synodum dirr dam, cassa et irrita esse.

Sessione IV, synodus cardinales vocat : definit « quòd in eve vacationis Sedis apostolicae, hoc sacro generali durante conc electio Pontificis in loco concilii, non alibi, celebretur; in contra attentata, quâvis auctoritate, etiam papali, nullius roboris ipso j

* Reformatorum.
[1] *Vid. epist. Card. Jul. ad Eug., in Comm. Sylv.*, p. 836.—[2] *Rain.*, t. XVIII, an. 1431, n

esse decernit [1]. » Id decretum pro rei gravitate sessione VII repetendum censuit [2].

Exinde contra Eugenium proceditur : sessionibus VIII et IX accusatur, citatur, ac demum sessione XII, capite quod incipit *Sancta catholica, nisi intra sexaginta dies*, bullâ editâ, resipiscat, ab officio suspenditur, ut subversor Constantiensium decretorum sessionis V, et capitis *Frequens ;* quæ decreta iterum atque iterum repetuntur, inculcantur, gestis inseruntur [3].

Ex his intelligitur, quo maximè fundamento Patres Basileenses Eugeniana decreta solverent. Nempe quòd Eugenius caput *Frequens* contempsisset, quod quidem ad reformationem pertineret, imò verò quo tota, prout tunc res erant, reformatio nitebatur. Quo canone contempto, Eugenius ipsa sessionis V fundamenta quatiebat. Hæc igitur synodus Basileensis egit. At adversùs decreta Basileensia edit Eugenius bullam *Inscrutabilis*, et bullam *In arcano* [4] : atque hâc ultimâ bullâ expressè reprobat Basileense decretum *Sancta catholica*, sessionis XII, quo ipse intra sexaginta dies resipiscere jubebatur.

Interea ad synodum Basileensen Sigismundus imperator accesserat, is qui in Constantiensi quoque concilio tanta gesserat. Is ubi primùm intellexit synodum ab Eugenio dissolutam, nihil commotus iis, quæ ad ipsum Eugenius eâ de re scripserat, palam Eugenio significat, se nihil adversùs Bohemos armis profecisse ; « nec jam, inquit, aliqua speranturremedia, quàm hoc sacrum Basileense concilium, quod Deus omnipotens hoc tempore tribulationis ab alto concessit, et in quo omnis virtus contra hanc pestem hæreticam, omnisque salus et spes omnium consistit [5]. » Itaque profitetur se hanc synodum omni ope tuendam suscepisse ; in eamque synodum sessione IX, 22 Januarii anni 1433, magnâ, ut par erat, Patrum gratulatione, exceptus est. Neque alia sentiebant alii orthodoxi principes, præsertim Francorum rex, sacrosanctæ synodi defensor eximius.

Sessione XI, decernitur ut « Basileense concilium per neminem, etiam si papalis fuerit dignitatis, sine consensu duarum partium concilii, dissolvi, aut de loco ad locum mutari possit [6]. » Sic concilium suam in Pontificem potestatem, non modò explicabat decretis, sed etiam reipsâ exercebat.

Imperator ac reges agebant cum Eugenio, ut dissolutionem revocaret. Cùm ergo, sessione XIII, Papæ contumacia accusata esset, instaretque terminus præfixus à synodo, atque imperator triginta dierum dilationem impetrasset, quibus elapsis contra Eugenium jure agere-

[1] *Sess.* IV. col. 487 ; *Fid. Sess.* III. col. 481.—[2] *Ibid.*, col. 496.—[3] *Col.* 497 et seq. ; 508 et seq.—[4] *Fid. in Sess.* XVI. col. 529 et seq.—[5] *Rain.*, an. 1431. n. 26.—[6] *Num.*, IV. c. 506.

tur, nisi decretis synodi satisfaceret [1]; victus est Pontifex synodi au toritate, principum precibus, Ecclesiæ periculo, gravique sui nomi infamiâ. Quare ex præscriptâ per ipsam synodum, sessione XI adhæsionis formulâ, sessione XVI concilio se adjunxit [2].

Quæ autem sessione XIV gesta sint, cùm his maximè causa nitatu diligentiùs considerare oportet.

Prorogatur Eugenio terminus *, eâ conditione, ut nisi satisfecer « pœnæ in decretis monitorii ac prorogationis contentæ, eo ipso i flictæ sint et esse intelligantur [3]. » Tum in ipsâ synodo confecta bul quam Eugenius ederet, et ad synodum mitteret. Hujus initium: *D dum sacrum :* summa verò hæc est.

Primùm : « Concilium à die inchoationis legitimè continuatu fuisse et esse [4]. »

2. Dissolutionem ab Eugenio promulgatam, irritam et inanem.

3. Tres bullas adversùs concilium editas, nullas et irritas fui Primam, *Inscrutabilis :* secundam, *In arcano,* suprà memorat tertiam, *Deus novit.*

4. Quæcumque à se contra synodum ejusque membra, atque eti in cardinales synodo adhærentes edicta essent, æquè nulla.

5. An ejus legitima citatio et defensio fuerit, stare se ipsius syn judicio.

Hæc si Eugenius faceret; tum, « si quid culpæ commissum e attentando dissolutionem, aut in confectione et publicatione tri bullarum, sacrum concilium penitus abolet [5]. » Quæ omnia supe ris adversùs inferiorem esse, omnes intelligunt.

Hæc tamen decreta sessionis XIV Basileensis expressè ab Eug approbata et confirmata esse, et apud omnes constat, et Rainal confitetur, et acta ipsa demonstrant [6]. Nempè sessione XVI, al bulla Eugenii *Dudum sacrum :* in ea verba quæ synodus præscrip rat; quæ data 18 kalend. Jan. 1433, Basileæ in sessione XVI legit publicatur, approbatur, gestis inseritur [7].

Sic tanto molimine ab Eugenio tentata ac decreta synodi di lutio, ab eodem Eugenio revocatur; declaraturque sanctam sy dum non modò continuandam, sed ipso reclamante licèt, verò legitimè continuatam fuisse : habitæque pro nullis tanto strepi editæ, bulla *Inscrutabilis*, ac bulla *In arcano ;* bulla verò *Deus no* tametsi ab Eugenio respuatur ut falsa, neque unquam à se edita, cautelam tamen etiam ipsa revocatur.

Notatu dignissima Eugenii verba, quibus eas bullas revocat. Decl

[1] *Tom.* XII. col. 515 et seq. — [2] *Ibid.*, col. 523, 528 et seq.
* 90 dierum.
[3] *Tom.* XII. col. 523. — [4] *Ibid.*, col. 524. — [5] *Ibid.*, col. 525. — [6] *Rain.*, *loc. cit.*, n. 1, 4, 5 et seq. — [7] *Vid.* col. 528 et seq.

rat enim revocari a se eas, « ut, inquit [1], mentis nostræ integritas ac devotio, quam ad universalem Ecclesiam, et sacrum generale concilium Basileense gerimus, omnibus constet evidenter. » Sic Basileense concilium, in eoque repræsentatam universalem Ecclesiam, non tantùm honore, sed etiam devotione prosequitur, sibique anteponit: cujus quippe jussu, sua quoque decreta, totâ quantâ erant auctoritate prolata, antiquat et revocat.

His lectis, synodus hanc tulit sententiam : « Sacra synodus decernit, Eugenium per has litteras satisfecisse plenariè monitioni, citationi et requisitioni sacri concilii, prout in decreto in XIV sessione promulgato, et in schedulâ in eodem decreto insertâ continetur [2] : » paletque omnino ex actis supremam synodi œcumenicæ auctoritatem, etiam in ipsum Papam, eumque indubitatum, non modò à synodo declaratam, sed etiam à synodo exercitam; atque ab eodem Papâ fuisse agnitam, edito quoque, quo nihil solemnius esse possit, diplomate, in œcumenicâ synodo promulgato, ac Patrum sententiis roborato.

CAPUT II.

Ex antedictis Constantiensia dogmata confirmantur.

Nunc ex his quæ relata sunt, pro decretis Constantiensibus argumenta ducimus invicti roboris.

Primum. Eugenius noverat è sessionibus II, III, XII, Basileensibus, ante et post dissolutionem, Constantiensia decreta sessionis V repetita et constabilita esse, ut quæ vera certaque concilii œcumenici ubique approbati decreta essent: atqui concilio Basileensi ita prædicanti ac decernenti adhæret, et legitimè continuatum esse confirmat : ergo Constantiensia decreta valere intellexit, valere voluit, nedum suspecta, aut infirma, aut revocanda putaret.

Quòd si cum Turrecrematâ negaveris nota Eugenio fuisse, quæ publica essent ac publicè promulgata; sic agimus : Decreta Constantiensia sessionis V, decretis Basileensibus adversùs Eugenium editis, ac decreto *Sancta catholica*, sessionis XII Basileensis, inserta erant ad verbum; atqui decreta illa Basileensia Eugenio nota erant. Certè enim noverat, quæ judicatorio edicto damnaverat : damnaverat autem, ut vidimus, bullâ *Inscrutabilis*, et bullâ *In arcano*, quæcumque Basileæ post dissolutionem gesta essent; et quidem speciatim ea, *quæ statuta de se, et contra se essent*, atque expressissimè decretum Basileense *Sancta catholica*, quo nullum erat ad inculcanda, repetenda, exequenda decreta Constantiensia validius. Igitur ea Basileæ

[1] *Vid.* col. 529. — [2] *Vid.* tom. XII. col. 528.

approbata esse noverat, eorumque approbationem ipse ex certâ scientiâ approbabat.

Confirmatur : bullâ *Inscrutabilis*, decreta Basileensia ita damnaverat, ut « quæ non ad reformationem, sed ad deformationem ; non ad unitatem, sed ad scissuram Ecclesiæ; non ad hæreses tollendas, sed ad nutriendas spectare videantur [1] : » ergo Eugenio bene nota decreta, quibus tam perspicuas notas inureret; ac proinde sunt sancta, ac censuris libera, cùm inustas à se notas ipse absterserit.

Quòd si ea quoque; quæ ex Constantiensibus decretis contra ipsum gesta essent, ab omni schismatis et hæreseos suspicione liberavit, et valere judicavit; quanto magis decreta Constantiensia, quæ fundamenti loco ab ipsis Basileensibus posita, et decretis inserta esse vidimus ?

Secundum argumentum. Quæcumque à se in solvendo concilio contra ipsius decreta concilii gesta essent, ea Eugenius non modò revocavit, verùm etiam nulla fuisse declaravit : et concilii acta, se quoque contradicente gesta, valuisse sanxit. Præterea quæstionem hanc, an adversùs Pontificem ab ipsâ synodo decreta citatio, et Pontificis defensio legitima fuerit; judicio synodi permittit, ejusque decreto se stare declarat. Ergo iterum atque iterum Constantiensia decreta, et conciliorum supremam potestatem, etiam in objurgando et citando, et sub pœnis judicando summo Pontifice non modò approbando, sed etiam exequendo et obediendo firmat.

Tertium argumentum. Decreta Constantiensia usque adeo ab omnibus firma habebantur, ut nec dissidii tempore, aut ipse Eugenius, aut ejus nomine quisquam improbare sit ausus.

Non ipse, qui, bullâ *Inscrutabilis*, ea tantùm Basileensia irritasset, quæ *post dissolutionem* facta essent : non ergo quæ ante dissolutionem sessione II, ubi Constantiensia decreta repetita fuere ; ergo, ipso quoque annuente, valebant.

Non ejus fautores, vel obsequentissimi, in bullâ *Deus novit* *, ubi hæc verba legimus : « Si Papa, vel legatus ejusdem nollet disponere aliqua, et contra concilium affectaret, Papæ sententia, vel ejus legati personam summi Pontificis repræsentantis, non concilii voluntas sequenda foret, cùm super omnia concilia habet potestatem Papa; nisi fortè quæ statuenda forent, catholicam fidem respicerent, vel, si non fierent, statum universalis Ecclesiæ principaliter perturberent; quia tunc concilii sententia esset potiùs attendenda [2]. » Igitur qui Pontifici impensissimè favebant, in Ecclesiæ generalibus, ipsius-

[1] *Sess.* XVI. col. 530.
* Quam Eugenius falsò sub suo nomine editam fuisse dixit.
[2] *Vid. Sess.* XVI. col. 537.

que adeo fidei negotiis, concilii potestatem præstare fatebantur : ergo Constantiensia decreta quæ id statuerunt, probata omnibus, neque in maximis etiam controversiis, controversa unquam fuere.

Quartum argumentum. Ex his quoque certum, Constantiensia decreta, non ad schismatis, aut ad dubii Pontificis tempus, à quoquam relata, cùm sub Eugenio IV indubitato Pontifice valere, et observanda esse, Basileenses Patres, et Eugenius IV, voluerint et intellexerint.

Quintum et ultimum argumentum. Cùm Eugenius IV, bullis quoque editis, et solemnissimo ritu, in concilio scilicet generali promulgatis, Basileensia insertaque in eis, ac sæpè innovata decreta Constantiensia firmaret, ac supra se concilii generalis potestatem extolleret, vel vera, vel falsa promebat. Si vera, stant planè Constantiensia decreta atque iis certa fides : stant adversùs indubitatum Pontificem : stat suprema Basileæ agnita et exercita in indubitatum Pontificem potestas. Sin falsa prompsit Eugenius, jam Pontifex non tantùm erraverit, verùm etiam errorem decreto firmavit, eoque decreto, quo nullum ritu solemniori promulgari possit; quippe quod fuerit in œcumenicâ synodo promulgatum, ac sententiâ synodi roboratum. Sic, quidquid dixeris, Parisiensium nostrorum vicit sententia, atque omnino res nostræ utrinque in tuto sunt.

CAPUT III.

Confirmantur argumenta capitis præcedentis : insigne Eugenii IV ad universos fideles diploma refertur.

Id ut pateat clariùs, placet considerare quid ipse Eugenius dissolutione, ut quidem existimabat, vigente, quid postea edixerit. Nempe dissolutione nondum revocatâ hæc edixit, et id quidem *universis Christi fidelibus*, ne Eugenii ut privati doctoris scriptum esse respondeas. Nempe Eugenio objiciebatur à Basileensibus caput *Frequens*, à Martino papâ approbatum : id caput dissolutioni obstare contendebant. Negat Eugenius eo se teneri : « Neque enim Martinus, inquit [1], suis successoribus potuit præjudicium generare, pari post ipsum, quinimo eâdem potestate functuris; et infertur (prout est secundùm omnia jura) in hâc parte concilium inferius summo Pontifice, Papamque ipsis priorem nequeunt solvere vel ligare. Sed nos, in his concilio superiores, ipsum possumus pro libitu regulare. »

Pergit : « Nam hoc de jure notissimum est, quòd possumus quæcumque statuta, decreta, declarata, sive sancita per quoscumque prædecessores nostros, vel per quæcumque concilia, dummodo

[1] *Bull. Deus novit, in Sess.* XVI. col. 534, 535.

in ipsis fidei fundamenta non existant, sive ex hoc universalis Ec clesiæ bonum principaliter non turbetur, ut vicarius Christi, et irre prehensibiliter pro nostro amovere et corripere libitu voluntatis, e contrà sentire non esset longævum ab hæresi; velle ligare manu vicarii Jesu Christi, et in terris Dei legati, sive ipsius gesta judicare vel improbare, quod sacrilegii crimen habet. »

Illud interim observari velim quo loco Eugenius adversùs generale synodos tam magnificè se effert, eodem confiteri non ea à se poss convelli, quæ soluta, non modò fidem, sed etiam quæ universali Ecclesiæ bonum principaliter perturbarent : quod cùm dictum esse in bullâ *Deus novit*, quam Eugenius ut falsam abjecit, nunc præsta in vero sinceroque diplomate promulgari. Sed quæ in eo diplomat consequantur videamus.

Infert deinde multa in *acephalam synodum :* atque ita concludit[1] « Sacrilegum igitur à nobis postulant, et hæreticum, ut declaran velimus retroactis temporibus Basileæ continuò fuisse concilium cùm post nostram dissolutionem sine nostris præsidentibus, regulan non facerent concilium; quia eorum dicta, gesta et facta omnia contra divina jura pariter et humana, perperam sunt confecta..... quæ adeò sunt minùs bene composita, ut etiamsi ab habentibu potestatem promulgata fuissent, essent irritatione, annullatione e revocatione dignissima. »

At hæc, Eugenio teste, *annullatione et revocatione dignissima* firmavit Eugenius : hæc *ab hæresi non longæva* Eugenius sanxit *hæc sacrilega et hæretica*, nempe *retroactis temporibus Basileæ fuiss concilium*, Eugenius amplexus est, atque in œcumenicâ synodo bullâ editâ, declaravit. Sic ille nos adjuvat, providitque Deus, u qui pontificiam potestatem supra omnem modum extollere nitebatur, omnia sibi in concilia quoque licere definiens *pro suæ libit voluntatis*, is omnium maximè conciliari potestati se subderet eamque dictis et factis superiorem agnosceret.

CAPUT IV.

Turrecrematæ et Rainaldi aliorumque suffugia.

Id argumentum, quanquam obvium, neque Bellarminus, neq Lupus, neque *Disquisitor* *, neque auctor *Doctrinæ Lovaniensium*, neque ille, qui diligentissimus videri voluit, rerum quoque futilium investigator et collector anonymus, neque alii quique attigere. Un Turrecremata videre visus est[2]; sed qui ejus dicta exscribere s

[1] *Bull. Deus novit, in Sess.* XVI. col. 536.
* Lovaniensis, nempe D. Dubois.
[2] *Vid. Turr., de Eccles.*, lib. II. cap. C.

lent, eos credo referre puduit quæ huic argumento ille responderit.

Primùm ergo bullas, quibus Eugenius dissolutionem suam nullam esse judicavit, vi extortas fuisse Turrecremata significat, idque à pluribus magnæ gravitatis viris dictum esse *in curiâ*. Esto : dictum ab aulicis, sed nullis actis probatum, nullo scriptore proditum, et ab ipso Eugenio negatum, ut mox videbimus : neque ei rationi Turrecremata insistit, et nos contemnimus.

Sed enim Turrecremata Florentiæ hæc dicentem audivit ipsum Eugenium « in disputatione publicâ : Nos quidem bene progressum concilii approbavimus volentes, non tamen approbamus ejus decreta. » Tunc ergo ejusmodi colloquiis dictisque, quorum penes te fides, evertenda aut etiam interpretanda putas, ea quæ synodicè gesta, decreta, judicata et approbata sunt? Audi tamen Pontificem : *approbavimus volentes;* non ergo extortæ bullæ; atque illi viri graves, qui id in curiâ dicerent, nugabantur.

At enim, inquiunt, urgebat synodus, urgebat imperator christianique reges, totâque Ecclesiâ connitente, Eugenius metu schismatis synodum frustra dissolutam fatebatur. Ita, inquit pater Gonzalez [1], *ex Spondano* docente, bullam revocatoriam ambiguis verbis esse conscriptam. Sic Ecclesiæ, sic romano Pontifici consultum volunt, qui ab eo fatentur ambiguis verbis ludificatam Ecclesiam : nec tamen verum est. Verba relegantur : clara sunt : sua omnia irritat : conciliaria omnia valuisse declarat. Quidquid ergo Spondanus dixerit, actis conciliaribus, non posterioris ævi scriptis credimus. Quid autem? An metu schismatis facta, ad violentiam refers? Addere debuisses per vim extorqueri quæ metu peccandi fiant. Cogebat imperator, inquiunt : imò suadebat, urgebat, nihil tamen per vim. Quid si synodo regiam manum secundùm canones imploranti, ne schisma fieret, ne hæreses atque corruptelæ gliscerent, auxilium præstitisset; eane vis esset, non autem æqua, legitimaque actio advocati ac protectoris Ecclesiæ?

Quid quòd Eugenius omnibus bullis fatebatur non valere à Pontifice facta, quæ totam Ecclesiam perturbarent? Quid quod Duvallius, aliique confitentur Pontifici talia attestanti, vim inferri fas esse? Ergo qui vim comminiscuntur, omnia Ecclesiæ jura, atque etiam Eugenii decreta convellunt.

Quòd autem Turrecremata cardinalis addit à Pontifice non approbata *decreta Basileensia, quæ nunquam vidisset, neque examinasset,* fallit aut fallitur. An ergo hæc decreta non satis divulgata erant? An Pontifex non viderat, neque examinaverat, quæ in se facta ipse

[1] *Gonzal., Disp.* XIV. sect. III. n. 2, 8, p. 695, 696 : *ex Spond.*, an. 1432, n. 2, 5; 1433, n. 27; 1438, n. 23.

damnaverat? An verò valitura ea non intelligebat, post sententiam suam ab ipso revocatam? Denique an damnatis à se Basileensibus decretis, Constantiensia decreta inserta non legerat? Vana hæc et ludicra à tractationibus theologicis procul absint.

Urget : sed quod Eugenius decrevit synodum Basileensem à se licèt dissolutam, tamen ritè et ordine continuatam fuisse, id non est referendum ad defectum potestatis, quasi Eugenius synodum dissolvere non potuerit; sed quòd dissolutio non veris rationibus niteretur. Contrà, asserit synodus, nec potuisse dissolvi, quòd eâ dissolutione subverteretur caput *Frequens*, quo reformatio nitebatur. At Eugenius hæc decreta synodica, à se licèt condemnata, valere voluit. Ergo et id probavit, synodum à se nec dissolvi potuisse. Sed esto : sint vera quæ tu dicis. Ergo, te fatente, falsum illud jactatum ab Eugenio, potuisse à se dissolvi synodum *pro suæ libitu voluntatis*, nullis licèt veris causis. Denique vel ex te duo habemus : primum, dissolvendi causas ad examen venire, atque illud examen pertinere ad synodum; non ipsam à pontifice dissolutionem factam, statim ex se ipsâ stare : alterum, utcumque sit, vel remittente Pontifice certo, indubitato, nec hæretico, valere et stare semel inchoatam synodum universalem.

At enim, inquit [1], aliud est progressum concilii, aliud decreta probari. Sed qui decreta synodi sciat, nec improbet, et editâ bullâ synodo adhæreat, quid aliud quàm approbat, aut Ecclesiam ludit; quantò magis cùm ab ipso expressè damnata decreta synodica, ipso quoque auctore postea convalescunt; cùmque eas delet, quas impresserat notas ac censuras, uti jam diximus?

Asserit Turrecremata à concilio petitam aliam approbationem, nec impetratam. Gratis dicit, nullis actis probat, causæ suæ favet.

Denique hoc addit : « Non esset passura, inquit, Sedes apostolica à Papâ confirmari talia decreta, quæ ab evangelicâ veritate, et sanctorum Patrum doctrinâ aliena videbantur. » Respondemus : Ergo Sedes apostolica Pontifici obstitisset : quantò magis Ecclesia catholica adunata id facere potuit? Prosequitur : « Neque per illam revocationem voluit dominus Eugenius se et sua abnegare, quæ juxta Scripturas et sanctorum Patrum sententias apostolicæ. Sed divinitus sunt concessa, cùm hoc non posset facere; inter quæ est illud de dependentiâ conciliorum à Papâ, non è converso. » Quid audio? Papa non id facere potuit, et tamen factum est : et ipse Pontifex judicio synodi stare se declaravit, et id ex præscripto synodi egit, et quæ de conciliorum potestate, Constantiæ primùm, deindè Basileæ, toties definita erant, sibi licèt nota, non modò immota reliquit, sed

[1] *Turrecr., loc. cit. Vid. Gonzal. et alios pass.*

etiam inustas à se revocavit notas. Non ergo Scripturis, non sanctis Patribus, non sanctæ Sedi divinitus concessis privilegiis adversari intellexit.

Postremò cogitent dictum illud Eugenii sua decreta revocantis : « Ut nostræ mentis integritas et devotio, quam ad universalem Ecclesiam et sacrum generale concilium Basileense gerimus, omnibus constet evidenter, quidquid per nos, aut nostro nomine contra hujus concilii auctoritatem factum, seu attentatum, et assertum est, cassamus, irritamus [1]. » Quid illa *devotio* erga Basileense generale concilium, nisi gestorum in eo apertissima comprobatio est? Ergo comprobavit quæcumque Basileæ pro supremâ conciliorum in Papam potestate gesta, decreta, et ex Constantiensi synodo repetita erant : nisi fortè schismatica improbata, atque exosa, ipse quoque honore, imò etiam *devotione* prosequitur.

Rainaldus objicit Eugenium, cùm hæc faceret, pacis studio, jure suo cessisse, idque ab ipso ad imperatorem esse perscriptum [2]. Illud perscriptum quidem epistolâ privatâ ; sed hujusmodi epistolis negamus jura contineri. Tu mihi id respice, quid synodicè gestum sit sessione XIV concilii Basileensis. Non id à Pontifice postulatum, ut jure suo sponte decederet ; sed ut perperam incœpta jussu synodi omitteret, atque revocaret. Sessione XVI, Eugenius à synodo admissus est, ut qui synodi *monitioni* ac *citationi* satisfecisset, hoc est, procul dubio paruisset. Totam ipse causam in synodi potestate esse professus est ; sed jussus, ut vidimus ; sed præscriptâ formulâ. Non ergo jure suo sponte decessit, qui ex lege in ipsum latâ egit.

Sic quæstio nostra iterum, nec tantùm Constantiæ, sed etiam Basileæ à concilio œcumenico, Papâ approbante, judicata est. Quippe de superiori Papæ vel concilii potestate agebatur : synodum œcumenicam ritè inchoatam Papa dissolvit : decretum de dissolvendo concilio à Papâ editum synodus antiquavit : quæsitum, cujus superior sit potestas ; at, Eugenio quoque judice, superior est synodus, quæ ab Eugenio dissoluta, Eugenio renitente frustrà, ac tandem obtemperante, stetit et valuit ; quia ex dissolutione fidei periculum, Ecclesiæ scandalum, reformationis necessariæ mora. Quantò ergo magis synodus prævaleret, si, quod maximè quærimus, de fide, de schismate, aut de reformatione directè ageretur ?

Notent nunc, damnent, improbent quæ tantis in dissidiis Sedes apostolica intacta esse voluit, imò apertissimè comprobavit : evertant quæ fundamenti loco magnâ consensione utrinque sunt posita ; suo certè pondere firma erunt, ad quæ quisquis impegerit, se potiùs quàm illâ confringet.

[1] *Vid. in Spec.* XVI, col. 529. — [2] *Ann.* 1434, n. 3.

CAPUT V.

De secundo Basileensi dissidio : quid ab initio reconciliatæ gratiæ, usque ad secundi dissidii initium, à synodo gestum sit per biennium.

Jam ex altero Basileensi dissidio haud minùs valida argumenta promemus. Verùm, ut intelligantur, rerum summa, ab ipso principio reconciliatæ cum Eugenio gratiæ, ex actis recensenda est : quâ in re mihi certum de ipso dissidio non ferre sententiam ; quippe quod ad rem nostram non pertinet. Neque par est hujus disputationis, satis per se gravis, cursum, accersitis difficultatibus, impedire. Id agam, ut reseratis dissensionis causis, ipsâque quæstione inter Eugenium et Patres ex gestis constitutâ, canones Constantienses, quos tuemur, pro certis et immotis ab utrâque parte habitos esse appareat ; quod unum ad gallicanam Declarationem pertinet.

Postquam igitur Eugenius, sessione XVI, synodo satisfecit, ejus legati, in his ille qui nunquam à synodo aut officio præsidis recesserat, Julianus cardinalis, admittuntur, et synodo *incorporantur*, dato priùs sacramento, *nominibus propriis*, de defendendis decretis sessionis V Constantiensis concilii sæpè memoratis ; atque ea decreta iterum gestis inseruntur, die sabbati 24 aprilis 1434 [1].

Postea decernitur, ut legati jurisdictione coactivâ careant, utque ea quæ à sacrâ synodo decreta fuerint, ipsi, aut ipsis absentibus vel recusantibus, primus prælatorum synodi nomine concludat atque pronuntiet : quo sublato, nulla concilii libertas, imò nullum concilium ; sed omnis ejus actio in legatorum potestate esse videretur. Itaque hæc, præsente imperatore, legatis annuentibus, solemnissimo ritu confecta sunt, sessione XVII. Sessione XVIII, sessionis V Constantiensis decreta innovantur ; atque in his omnibus, Augustinus Patricius, hujus ævi auctor diligens, Eugenianarum partium, nihil hic turbæ refert, cùm accuratè soleat hujusmodi memorare casus [2].

Sessione XIX, multa de Græcis, et cum Græcis aguntur, legatique græci imperatoris audiuntur, ejusque ac patriarchæ leguntur scriptæ ad synodum litteræ [3] ; atque inita cum ipsis, de suscipiendo itinere atque habendi concilii modo, pacta firmantur ; proponuntur à Græcis loca, quibus utriusque Ecclesiæ conventus habeatur ; Patres legationem decernunt, quâ Græci inducantur, *ut in civitatem Basileensem velint assentire :* veriti ne, translationis specie, aliquid ab Eugenio novaretur. Hæc gesta 7 septembris anno eodem 1434.

Sessione XX, de reformatione multa, eaque egregia decernuntur ; continuatur reformatio [4]. Sessione XXI, de divino officio multa præ-

[1] *Sess.* XVII. col. 539, 540.— [2] *Col.* 540, 541 ; *Vid. Patric., Hist. Bas.*, etc., cap. XXXIX. l. III. *Conc.*, col. 1525.— [3] *Col.* 541 ; *Patric., loc. cit.*, cap. XL et seq.— [4] *Col.* 549 et seq.

clarè; sed quo romana curia maximè moveretur, vetitæ sunt annatæ sub pœnis *adversùs simoniacos inflictis*, cum hâc clausulâ : « Et si, quod absit, romanus Pontifex, qui præ cæteris universalium conciliorum exequi et custodire canones debet, adversùs hanc sanctionem aliquid faciendo Ecclesiam scandalizet, generali concilio deferatur [1] : » 9 Junii anno 1435. Quæ postea Ecclesiarum consensione mutata, hic tamen necessariò memoramus ad gestorum seriem, non ad contendendi libidinem.

Memorat Augustinus Senensis, archiepiscopum Tarentinum, et episcopum Paduanum legatos apostolicos, Pontificis nomine protestatos; Patres in sententiâ perstitisse; decretum à Juliano cardinale præside conclusum esse [2].

Anno 1436, 25 Martii, sessione XXIII, multa decernuntur [3], « de electione ac professione summi Pontificis, de numero et electione cardinalium, de sacris electionibus celebrandis, de tollendis reservationibus, de Clementinâ litteris * ; « quæ Sedem apostolicam maximè concernebant. Hæc Augustinus Senensis *in publicâ sessione, communi consensu, ritè decreta esse* confirmat [4].

Sequente mense aprili, die 14 mensis, sessione XXIV, multa item de Græcis et cum Græcis acta. Legati græci imperatoris ac patriarchæ, *totius Orientalis Ecclesiæ desiderium exponentes*, sacram synodum excitant, *ad tam sancti operis prosecutionem;* illud imprimis « firmiter constanterque asserentes, unionem ipsam, nisi in synodo universali, in quâ tam Ecclesia Occidentalis, quàm Orientalis conveniat, fieri nullatenùs posse [5] : » quo vel uno capite conciliaris auctoritatis summa necessitas, communi Occidentis Orientisque consensu stabilitur.

Hinc salvus conductus Græcorum imperatori ac patriarchæ totius Orientalis Ecclesiæ Græcisque, sacri concilii nomine est datus, concessaque à synodo plenissima indulgentia, in favorem subsidii pro Græcis reducendis, eâ planè formâ, quâ similis indulgentia in Senensi synodo, sub Martino V, legatis præsidentibus atque assentientibus, Martino nihil repugnante, data erat [6].

Eodem anno, nonis Maii, sessione XXV, decernitur de loco, quo in Græcorum gratiam synodus cogeretur, et designata est certis con-

[1] *Sess.* XXI. col. 552, 553.— [2] *Patric., loc. cit.*, c. XLIV. col. 1530, 1531. — [3] *Tom.* XII. *Conc.*, col. 557 et seq.

* In his litteris, *narrabatur aliquem dignitati aut beneficio renuntiasse, aut privatum esse;* et statim beneficium alteri dabatur. Cùm autem facile esset hujusmodi litteras impetrari à curiâ romanâ, hinc fiebat ut nonnunquam beneficii possessor, nihil minùs cogitans, de suo beneficio pelleretur. Jubet ergo synodus ut *hujusmodi litteræ non præjudicent, nisi per testes aut alia legitima constiterit documenta*, possessorem ritè dejectum fuisse, *aut juri suo renuntiasse.* Nunc in desuetudinem abierunt istæ litteræ. (*Edit. Paris.*)

[4] *Patr.*, cap. LI. col. 1535 et seq.— [5] *Tom.* XII. col. 567 et seq.— [6] *Ibid.*, col. 568, 573 et seq.; *Fid. Conc. Sen., ibid.*, col. 368.

ditionibus Avenionensis civitas [1]. Hinc nova cum Eugenio jurgia, et concilii Ferrariam translatio sequitur. Sic à sessione XVI, quâ Eugenius, primâ dissolutione revocatâ, synodo conjunctus est, continuatæ per biennium publicæ sessiones, tantisque de rebus decreta sunt edita. Nunc quid Eugenius egerit ex gestis recensendum.

CAPUT VI.

Quid per idem tempus ab Eugenio IV sit gestum.

Dum hæc Basileæ agebantur, misit Eugenius ad synodum peculiares legatos, qui de aliquot decretis quererentur, imprimis de annatis, quod gravissimum videbatur; « peterentque à synodo fieri provisionem Sedi apostolicæ [2], » hoc est, pecuniaria concedi subsidia. Cardinalis Julianus apostolicæ Sedis legatus et concilii præses, concilii nomine respondit [3] : de annatis, quòd à synodo decretum fuerit, nihil in diminutionem Sedis apostolicæ factum : providisse synodum juxta apostoli sententiam [4], ut *ab omni specie mali* abstinerent : « à synodo faciendam provisionem apostolicæ Sedi competentem, » si Papa, qui omnium caput esset, ut ab ipsâ synodo requisitus erat, canonum atque inchoatæ reformationis rationem habuerit. Quòd autem petebatur suspendi decretum, « nullâ ratione decere, ut tam salubre decretum, conformeque per omnia legi evangelicæ et sanctorum Patrum institutis, suspendi aut irritari debeat [5]. »

Hæc igitur synodi nomine responsa docent, invitatum Eugenium, ut eos canones admitteret, non eo tamen animo, quòd Patres putarint synodica decreta ab eo potuisse dissolvi. Quare alio quoque synodali responso declarant, vehementer mirari se, quòd Pontifex mansuetissimè requisitus ad duo tantùm capita responderit; nempe de electionibus atque annatis. Ac de annatis quidem, « decuisse magis suam Sanctitatem, decretum hoc liberè observare, ac servari facere, juxta sanctorum Patrum instituta, ac decretum sacri concilii Constantiensis, diffiniens, omnem hominem, etiam papalis dignitatis, decretis et mandatis conciliorum generalium parere debere in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, ac reformationem Ecclesiæ in capite et in membris [6] : » quibus declarabant sibi quidem inesse summam potestatem; cæterùm id agere, ut Eugenius non coactus, sed requisitus sponte assentiretur.

Quare his atque aliis commotus Eugenius, legatos misit toto orbe terrarum, suo sacrique collegii cardinalium nomine, de synodo conquesturos, cum commonitorio, sive secretis mandatis, quæ Rainaldus

[1] *Tom.* XII. col. 578 et seq. — [2] *Append. Conc. Bas.*, cap. XLII. col. 865. — [3] *Vid. Resp. Jul.*, *ib.*, col. 704 et seq. — [4] 1 *Thess.*, V. 22. — [5] *Resp. Jul.*, *ibid.*, col. 709. — [6] *Ibid.*, col. 710, 711.

exscripsit ad annum 1436, Eugenii 6[1]. Hæc occultè acta, quanquam procul abesint à decreti publici auctoritate, eorum tamen summa capita decerpere est animus, quòd multum juvent ad intelligendas veras hujus dissidii causas.

Primùm ergo Eugenius queritur de sessione XVII, admissisque legatis, sine jurisdictione coactivâ, atque eâ conditione, ut, iis recusantibus, nomine synodi prælati concluderent[2] : quæ Eugenii querela eò pertinebat, ut tota synodus sub legatorum potestate esset.

Hic Eugenius refert, totam synodum id ausam, *ut constitueret sibi præsidentem, et caput*, primæ nempe dissolutionis tempore : « quod, inquit, non tam est erroneum, quàm periculosum, et piarum aurium offensivum, necnon ab omni observatione et doctrinâ sanctorum Patrum alienum. »

Atque illud, *erroneum atque à doctrinâ Patrum alienum*, ipse Eugenius confirmavit, dum synodum à se dissolutam malè, benè continuatam esse, edito diplomate definivit.

Pergit, innovasse Patres « duo decreta Constantiensis concilii, ad alios casus, quàm fuerat constituentium intentio ; per hoc denegantes concilia generalia habere potestatem ac robur à vicario Christi, et inferentes, quòd romanus Pontifex obedire teneretur decretis concilii : quod est potestatem Christi vicarii tollere, et in manibus multitudinis ponere; quod est non tam erroneum, quàm etiam ab omni doctrinâ Patrum totaliter alienum. » Quo loco concilii Constantiensis auctoritatem toto orbe constantem sollicitare non ausus, ejus decreta perperam à Basileensibus intellecta querebatur. Utcumque est, illud *erroneum, et à Patrum doctrinâ alienum*, Patres Basileenses pridem amplexi erant, ab ipsis nempe suæ congregationis initiis sessione II, ut vidimus. Id etiam sæpè dissolutionis tempore innovarant, inculcarant, sciente Eugenio, qui hæc nedum reprehenderet, ipsam quoque synodum ritè inchoatam, ritè continuatam esse definiret, edito diplomate : ut profectò pateat, quæsitas nunc ab illo clam eas conquerendi causas, quas ipse antea publicè, totâque Sedis apostolicæ auctoritate respuisset.

Addit, « fecisse decretum de annatis auferendis, quæ annatæ invaluerint à tanto tempore*, de cujus contrario non est memo-

[1] *Rain.*, an. 1436, n. 2 et seq. — [2] *Ibid.*, n. 3.

* Hoc est à tempore Clementis V, qui decimo quarto sæculo ab Anglis, duobus vel tribus annis, ac post eum Bonifacii IX, qui ab omnibus Ecclesiis, etiam tribus annis *annatas* pendi jusserunt. Exinde Pontifices illas tanquam perpetuo jure partas exegerunt. Hoc est *tempus*, quod Eugenius vocat *tantum*. Certè quadraginta anni à Bonifacio IX nondum effluxerant. Vide librum gallicum : *Traité des Annates*, editum an. 1718; et in tom. III, part. I, collectaneorum quibus titulus est : *Mémoires de littérature et d'histoire*, libellum D. Goujet, cui titulum fecit : *Relation de l'assemblée de la nation françoise à Constance, etc.* (*Edit. Paris.*)

ria[1]. » Id verò quale sit, docti sciunt, ac nos facilè omittimus; eamque rem, ut prædiximus, non contendendi studio, sed gesta recensendi necessitate referimus.

Queritur Eugenius vehementissimè de concessis à synodo indulgentiis; et Julianum cardinalem legatum, honorificè tamen appellatum, graviter vituperat, quòd eâ in materiâ concluserit[2]. Atqui jam diximus à Senensi synodo concessas indulgentias, nemine prohibente, nemine conquerente. Neque omittit Eugenius *Bullam plumbeam à* synodo factam[3] : quæ profectò indicant ab Eugenio querelarum causas undecumque conquisitas, atque exaggeratas fuisse.

Subdit Eugenius, legatos concilii præsidentes adversùs conciliaria decreta, « aliquando publicè, aliquando ad partem in concilio, aliquando extra concilium, in eorum domibus, coram honestis personis, prout meliùs et securiùs potuerunt, sæpius protestatos, singulariter in decreto de annatis[4] : » de quibus nihil comperio in gestis aut in ullo publico monumento; imò decretum de annatis, à Juliano cardinale præside conclusum, ac vehementissimè nomine synodi assertum esse constitit[5]. Quòd autem significare videtur Eugenius, legatos à synodo vim aliquam metuisse, nullis est gestis; nullis historiis, nullo auctore proditum; imò constat ex gestis, legatos honorificentissimè habitos.

Nec illud tacet Eugenius, *concilium jam annis sex durare sine fructu* :* quòd ipsum Patres vehementissimè querebantur, ipsique Eugenio imputabant; qui synodum sine causâ jam inde ab initio dissolverit; qui toto ferè triennio exagitàverit; qui nullam postea curiæ reformationem pati posset.

Quantam autem reformationis curam gereret Eugenius, hæc commonitorii verba ostendunt[6] : « Utile præterea foret, si ii nuntii apostolici secum portarent sub bullâ ALIQUAM CURIÆ REFORMATIONEM, quam regibus et principibus præsentarent : hoc enim baculo adversarii nostri semper nos invadunt et percutiunt, quia dicunt, multa in romanâ curiâ fieri quæ egent magnâ reparatione, nec illa tamen corriguntur. Per hanc reformationem, etiamsi usquequaque plena non foret, modò esset ALIQUA, eorum ora obstruerentur, qui continuè lacerant et carpunt romanæ curiæ famam, nec haberent quid ultrà impingerent, redderenturque tunc reges et principes meliùs ædificati, et proni magis ad condescendum petitionibus domini nostri Papæ, et sacri collegii, deterrenturque qui auctoritatem apostolicæ

[1] *Rain.*, an. 1436, n. 4. — [2] *Ibid.*, n. 6 et 12. — [3] *Ibid.*, n. 8; *Vid. sup.* cap. præc. — [4] *Rain.*, an. 1436, n. 12. — [5] *Vid. sup. loc. cit.*

* In memoriam revocet lector Eugenium, primi dissidii tempore, Juliano cardinali succensuisse, quòd res concilii citiùs optato processissent. Vid. sup. hoc lib. cap. I. (*Edit. Paris.*)

[6] *Comm. Eug. apud Rainal., loc. cit.*, n. 15.

Sedis suo hoc prætextu persequuntur. » En quam reformationem vellent. Itaque Eugenius translatâ synodo Ferrariam, ac deinde Florentiam, ne unum quidem reformationis caput attigit, ut suo loco videbimus.

Hæc qui legent, ne adversùs sacrosanctam potestatem trahant, neque hominum peccata sedi imputent; sed divina judicia contremiscant, totque reformationes impias, sequente sæculo ex inferis proditurâs, neglectæ reformationis ultrices cogitent.

Neque prætermittendæ artes, quibus Sigismundum imperatorem, regem Francorum, aliosque principes delinirent: multa speciatim ad singulos principes, hæc generatim ad omnes: « Non esset etiam malum, quòd nuntii, qui habebunt ire, habeant aliquas particularitates, etiam in foro conscientiæ, ut possent gratificari regibus et principibus. »

His artibus id impetrare nitebantur, ut Papa supra omnia concilia extolleretur, neque eorum ullis legibus teneretur; sed leges omnes moderari, atque etiam tollere pro arbitrio posset. Verùm hæc omnia orbem concitatura, cùm palam edicere Eugenius vereretur, occultis tractationibus promovebat. Nunc quid publicè sanxerit exponendum, postquam res in apertam erupit dissensionem.

CAPUT VII.

Dissidii causa ex gestis: quæstio proponitur, an Constantiensia decreta revocata in publicum.

Hactenus motus animorum varios; nunc ipsum controversiæ caput exponimus. De Græcis reducendis pridem, et cum Eugenio, et cum synodo agebatur. Et Eugenius quidem rem strenuè promovebat: naves, pecuniam, omnia apparabat. Et quanquam subsidia hæc in Pontificis potiùs, quàm in concilii manu erant; Græci tamen profitebantur, ad tantæ rei firmitudinem, concilii auctoritatem esse necessariam. Locus ergo idoneus quærebatur, quem in locum Græci commodè convenirent. Basilea remotior, nec sine translatione concilii res confici posse videbatur. Hinc motus. Nam et Patres Eugenium primâ jam dissolutione suspectum, novis experimentis permoti, reformationi obstare arbitrabantur; verebanturque, ne, translationis specie, iterum synodus solveretur, aut in eum deduceretur locum, quò minùs liberè reformatio processura esset. Et aliunde Græcis Italia commodior erat, et Pontifex habendo conventui, cui ipse quoque necessariò adfutûrus esset, Ferrariam, ut sibi Græcisque commodam destinabat. Patres in alia omnia ire; neque si Basileâ commovere velle; sed si Græci recusarent, præter Basileam, Avenionem quoque, aut aliquam in Sabaudiâ urbem habendæ synodo

designabant; ubi ex propinquo præsidium à Gallis, qui et synodo faverent, et reformationem urgerent. Neque Græci primùm à Sabaudiâ abhorrebant; sed interim per Eugenii legatos de Italiâ viciniore pacti erant, resque cum eorum imperatore transacta. Cæterùm legati apostolici, Pontificis nomine, et Græcorum haberi rationem postulabant, et sumptus translationi necessarios offerebant. Quòd autem Patres obtendebant, Bohemos Basileam vocatos, prope diem adfuturos, iidem legati, ut Bohemorum negotium Basileæ tractaretur, utque ibi reformatio, quoad Græci advenirent, ritè procederet, assentiebantur. Quæ cùm multis Patribus æqua viderentur, sessione XXV, in duas itum est sententias. Patrum pars maxima locum habendæ synodi Avenionem designabant : pauciores cum legatis decretum edidere, synodi nomine, de ipsâ synodo Florentiam vel Utinam transferendâ, sive in alium locum tutum, in anterioribus decretis comprehensum, summo Pontifici, et Græcis commodum; *dummodo in manu concilii ponerentur* [1]. Hoc decretum incipit : *Hæc sacrosancta synodus;* statimque ab Eugenio, ut rectè et ordine, à saniore concilii parte editum, confirmatur, promulgatâ bullâ, quæ incipit : *Salvatoris* [2], 29 Maii 1437.

Exinde Eugenius translatam synodum intellexit : Patres obstinatè niti, atque inficiari decretum, ut illegitimè, à paucioribus factum, atque in designandâ Avenione persistere, Græcis frustra clamantibus facinus indignum [3]; cùm ipse imperator, ac totus Oriens patriam ultrò relinquerent, Basileenses iis excipiendis, ne in vicinam quidem Italiam movere se velle, Avenionem anteferre, procul à Græcis dissitam, cujus nulla mentio in pactis facta esset. Hæc Græcorum legati querebantur, ac palam Basileæ solemni contestatione editâ declararunt, non adventuros Græcos [4], eorumque imperatorem atque patriarcham, nisi postquam in Italiam appulissent, et ad vicina loca habendæ synodo deducerentur; totamque schismatis culpam in Latinos latinamque Ecclesiam conferebant.

In hâc igitur rerum necessitudine Eugenius, de Concilio Ferrariam translato decretum edidit, continuato tamen Basileæ tantisper concilio *, ad peragendum Bohemorum negotium : cætera, quæ Basileæ agerentur, irrita declaravit. Hæc continentur bullâ *Doctoris gentium* [5], 1 octob. 1437; ac deinde concilium ad diem octavam Jan. Ferrariam indicitur bullâ *Pridem ex justis* [6], 1 Jan. ejusdem anni 1437 **; nam annorum initia pro more, à Dominicâ Conceptione numerabant ***.

[1] *Vid. hoc. decr.* part. I. *Conc. Flor.*, tom. XIII. col. 831, 832. — [2] *Bull. Eug., ibid.*, col. 815 et seq. — [3] *Ibid.*, col. 838. — [4] *Ibid.*, col. 837.

* Per dies triginta.

[5] *Bull Eug.*, tom. XIII. col. 858 et seq. — [6] *Ibid.*, col. 867, 868.

** Id est 1438. — *** Octavo kalendas aprilis, seu 25 Martii.

Interea dum Basileæ de loco concilii certaretur, Græcus imperator appulit Venetias. Hic Julianus cardinalis, hactenus synodo addictissimus, Basileenses hortari, ut Græcis toties vocatis irent obviam, legatos mitterent, ac perducerent; sanè Basileam, si possent : sin persuadere non possent, de loco concilii cum ipsis convenirent; pacem Ecclesiæ loco quocumque curarent [1]. Nihil actum : Julianus abiit : synodus sine legatis mansit : Ludovicus Alamandus cardinalis, Arelatensis episcopus, conventui præfuit.

Secuta deinde illa omnibus nota, quæ nihil ad nos spectent neque enim posteriora illa Basileensia clerus gallicanus unquam tutanda suscepit; sed Constantiensia, Basileensibus prioribus gestis, consentiente Pontifice, toties repetita. Hæc immota stare, ex Ferrariensi quoque et Florentino conciliis, ex ipsius Eugenii et successorum decretis, cùm maximè damnarent Basileensia posteriora decreta, non conjecturis aut ratiocinatione dubiâ, sed actis comprobamus.

CAPUT VIII.

Ex actis ab Eugenio IV adversùs Basileenses, in Ferrariensi quoque seu Florentino concilio editis, probatur priora Basileensia, quibus Constantiensia confirmantur, integrâ auctoritate esse.

Ne quem lateat, quid ex actis monumentisque ordine recensendis probatum velimus, hæc summa est : postremâ Basileensi contentione quæsitum id tantùm : an Pontifex eâ auctoritate fuisset, ut synodum renitentem aliò transferre posset : cæterùm Constantiensia decreta sessionis v, atque his connexa priora Basileensia valuisse; neque quidquam ab Eugenio (edicto sanè publico) commotum in iis, quibus se synodus, ex decretis Constantiensibus, in fidei, schismatis, reformationisque negotio, Papæ anteponeret.

Primum ergo publicum monumentum illud sit, decretalis *Salvatoris* [2], suprà memoratâ, quâ Eugeniis IV decretum *Hæc sacrosancta synodus*, sessionis Basileensis xxv, ut legitimi concilii verum ac legitimum decretum firmat, ac Florentiam, vel Utinam, ex eodem decreto, futuræ synodo habendæ designat. Ergo Basileensibus gestis ad xxv sessionem innititur, nedum ea edicto improbarit.

Secundo loco prodeat illud ipsum Eugenii, de concilio Basileensi Ferrariam transferendo, decretum, quod incipit, *Doctoris gentium* [3], anno 1437, quo quidem decreto commemorat decretum *Hæc sacrosancta*, sessione xxv editum, quo ipsa translatio innitatur. Ad hæc de Basileensibus multa conquestus est, nihil verò de iis, quæ ad

[1] *Vid. Patr.*, cap. LXIV. tom. XII. *Conc.*, col. 1549.—[2] *Tom.* XIII. *Conc.*, col. 835; *Vid.* cap. præc.—[3] *Ibid.*, col. 858.

Constantiensia decreta spectarent. Non igitur ea sollicitari voluit.

Tertium sit decretum sessionis primæ habitæ Ferrariæ, anno 1438 ante adventum Græcorum, quo decreto statuitur, synodum Ferrariensem Basileensis continuationem ac prosecutionem esse [1]. Igitur adeo non improbat anteriora Basileensia decreta, ut iis innitatur et ea continuet.

Denique in medium adducimus Eugenii præsentis in synodo Ferrariensi decretum, *sacro approbante concilio*, editum, quo signanter declarat, gesta concilii, *à die translationis*, nullius esse roboris [2]. Ergo nec ipse Pontifex anteriora gesta rescissa esse voluit.

Cur autem Basileensia hæc posteriora rejiceret, hanc causam affert [3]: « Nos igitur attendentes excessus eorum adeo notorios, ut non possint aliquâ tergiversatione celari, quòdque error, cui non resistitur, approbari videtur, et latum pandit delinquentibus iter is qui eorum conatibus non resistit, » etc. Atqui haud minùs notoria erant, quæ pro Constantiensibus decretis Basileenses gesserant, ante dissolutionem quidem sessione II; post instauratam verò synodum sessionibus maximè XVI et XVIII. Ergo si Eugenius improbanda ea esse censuisset, et tamen conticesceret, veritatem prodidisset. Conticuit autem; non ergo improbanda censuit. Ex his omnibus liquet Basileensibus gesta detractam auctoritatem, eis quidem præcisè, quæ post translationem facta sint; anterioribus verò minimè; atque ea non infracta, sed Ferrariæ continuata esse. Quare anteriora Basileensia decreta, quibus Constantiensia confirmantur, repugnante nemine, imo totâ Ecclesiâ, iis decretis nixâ, plenâ auctoritate constant.

Quæres an igitur adhuc valeant Basileensia decreta sessionum XX et XXIII, quibus de annatis, deque electionibus, atque aliis disciplinam spectantibus, tot ac tanta statuta sunt.

Respondemus, quæ ad dogma ecclesiasticum pertinent, magno discrimine distinguenda ab iis quæ ad disciplinam. Hæc à concilii quoque œcumenicis facta, variis de causis, consentiente Ecclesiâ, mutari possunt : illa immota et perpetua esse constat. Cùm ergo decreta, quibus Basileenses sessionis V acta Constantiensia repetunt et inculcant, ad dogma pertineant, neque ea unquam Eugenius edicto edito reprehenderit, imò ut œcumenicæ veræ ac legitimæ synodi decreta agnoverit, non est cur de eorum auctoritate dubitemus.

Quid quòd in synodo Florentinâ, auctore Eugenio, Constantiensia decreta expressè approbata sunt, flagrantibus dissidiis? Id verò demonstrabit sequens monumentum.

[1] *Tom.* XIII. *Conc.*, 880, 883. — [2] *Bull. Exposcit debitum : ibid.*, col. 896 et seq. — [3] *Ibid.*, col. 898.

CAPUT IX.

Decretalis *Moyses*, in synodo Florentinâ edita, priora Basileensia et Constantiensia decreta firmat.

Posteaquam Ferrariæ cum Græcis aliquot sunt habitæ sessiones, Eugenius concilium, ipso concilio approbante, Florentiam transtulit. Ibi celeberrima Eugenii decretalis, *Moyses vir Dei, sacro* (Florentino) *approbante concilio*, edita est; quâ quidem decretali Eugenius iisdem insistens vestigiis, Basileensia posteriora convellit; ea scilicet, quæ post translationem facta sint, non autem antecedentia: tum etiam Basileensia illa posteriora sic improbat, ut firmet Constantiensia [1].

Præmittendum verò est à concilio Basileensi, sessione XXXIII, tria hæc esse decreta: ut « veritas de potestate concilii generalis supra Papam, declarata per Constantiense et hoc Basileense generalia concilia, sit veritas fidei catholicæ: ut veritas hæc, quòd Papa concilium generale, sine ejus consensu, nullatenus auctoritativè potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, sit fidei catholicæ: ut veritatibus his duabus pertinaciter repugnans, sit censendus hæreticus [2]. »

Hæ *tres veritates concilii Basileensis* ferebantur: has verò fulciebant Constantiensibus decretis sessionis V, toties Basileæ repetitis; eaque decreta primà illâ veritate apertissimis verbis iterum repetita. Quòd verò Eugenius pontifex has propositiones negaret, sessione XXXIV, hæreticus declaratus et loco motus est, anno 1439 [3].

Adversùs decreta illa Basileensia sessionis XXXIII, Eugenius in synodo Florentinâ edidit decretalem *Moyses*: ubi bis terque repetitur synodum Basileensem condemnandam, ejusque decreta esse irrita; sed ea, quæ à die translationis facta sint. Ergo cætera Basileæ, etiam post reconciliatam gratiam, per biennium acta, ut veræ, orthodoxæ, ac legitimè continuatæ synodi acta habebantur. Atqui eo tempore Constantiensia decreta sessionis V innovata. Ergo decretum de ea innovatione factum, nullâ est auctoritate rescissum, manetque integrum; ipsaque adeo Constantiensia decreta firma et inconcussa stant.

Id verò clariùs apparebit, si notas et qualificationes, quas vocant, tribus veritatibus Basileensibus adhibitas consideremus. Igitur tres illæ, quæ dicebantur Basileenses veritates, ipsi decretali insertæ, atque his verbis damnatæ sunt [4]: « Ipsas propositiones superiùs

[1] *Conc. Flor.*, *post* col. XIV; *Bull. Decet*, tom. XIII. col. 1030; *Bull. Moyses*, part. III. col. 1186.— [2] *Conc. Bas.*, tom. XII. col. 619.— [3] *Ibid.*, col. 619, 620.— [4] *Vid. Decr. Moyses, loc. c.*, col. 1190.

descriptas, juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum, q
facta demonstrant, velut sacrosanctæ Scripturæ et sanctorum
trum, et ipsius Constantiensis concilii sensui contrarium....,
approbante concilio (Florentino scilicet), damnamus, repreh
damnatas et reprobatas nuntiamus. Datum Florentiæ, in
publicâ synodali solemniter celebratâ anno 1439, pridie
tembris. »

Ubi sunt, qui nobis concilium Florentinum objiciant? in
in concilio Florentino propositiones Basileensium non absolutè
natas, sed *ad pravum eorum intellectum*. Quem autem intell
Nempe eum, *quem facta demonstrant*; id est, quòd synodum,
causâ etiam maximâ, et ad pacem Ecclesiæ maximè faciente,
ferri posse, idque ad fidem catholicam pertinere dicerent. E
tantùm respectu Basileenses propositiones damnat Eugenius.
verò notâ afficit? Nempe damnat, ut quæ essent *contrariæ Scri*
Patribus, et concilii Constantiensis sensui. En qualificatio, q
vis decreti constet ex iis rebus repetita, quæ ipsæ in Eccles
mæ sunt auctoritatis, Scripturâ, Patribus, concilii Constan
dogmatibus. Qui enim Basileensia decreta Constantiensibus a
damnat, is profectò Constantiensium investigandum sensum,
toritatem verò certam et indubitatam esse definit. Quid verò co
quàm id cui adversari certa damnatio est? Vel quid magis ad
cilii auctoritatem facit, quàm ejus decreta Scripturis et Pa
conjuncta proferri, ut certam fidei normam?

Et quidem Pontifex, de Basileensibus synodum post transla
continuantibus, hæc præmiserat [1] : « In hoc perniciosissimi,
suam malignitatem sub veritatis fuco colorant, Constantiens
cilium, in malum ac reprobum sensum, et à sanâ doctrinâ p
alienum pertrahunt; cæterorum schismaticorum et hæreticorum
sam doctrinam sequentes, qui confictos errores, et impia dog
ex divinis Scripturis, et sanctis Patribus perversè intellectis, s
sibi adstruere moliuntur. » Sunt ergo decreta Constantiensia
fectò ea, non de quibus catholici dubitent, sed quæ hæret
schismatici pervertant, ut sacram Scripturam, ut sanctos Pa
summo ergo honori ac venerationi habenda. Quæ porrò dec
nisi ea quibus Basileenses usi erant, hoc est, sessionis v dec
Sunt ergo ea decreta certa et immota, de quorum auctoritate,
jam pontificiis et consiliaribus decretis apertè approbantibus,
nisi temerè, ne quid dicam gravius, dubitari possit.

At enim objiciunt [2] : « Hic affirmat Eugenius decreta Constant
sia, vigente schismate, per unam ex tribus obedien, post re

[1] *Vid. Decr. Moyses, loc. cit.*, col. 1189.— [2] *Doct. Lovan.*, p. 75.

sum Joannis XXIII facta esse. » Verum ; et rem, ut gesta est, narrat Eugenius. An ergo propterea Constantiensibus decretis detrahit auctoritatem, cùm Basileenses eorum decretorum auctoritate damnet? Esto Constantiensia decreta sessionis V Eugenius pontifex obliquè, si ita placet, perstricta voluerit; næ tu iniquus sis, qui quod narrando obliquè et obiter dictum sit, ipsi decreto anteponas. Neque verò dixeris, laudari Constantiensia decreta, non ut certæ auctoritatis, sed ut quæ à Basileensibus allegata sint; disertè enim Pontifex pronuntiat ita perversa fuisse à Basileensibus decreta Constantiensia, eâ audaciâ, eo ritu, quo ab hæreticis et schismaticis Scriptura quoque et Patres soleant : planè eo sensu, quo Petrus doceat Pauli epistolas, ut et cæteras Scripturas, à pravis hominibus fuisse perversas [1], hoc est, eo modo quo corrumpi regula soleat : quo certè ad commendandam Constantiensium decretorum auctoritatem nihil dici potuit firmius.

Jam quod ad eorum sensum attinet, haud minùs finita res est Eugenii IV auctoritate et judicio. Nempe adversarii Constantiensium decretorum, sensum eum esse volunt, ut adversùs dubios tantùm Pontifices valeant. Atqui Eugenius, cùm et in primo et in secundo dissidio decreta Constantiensia assiduè objectarentur et inculcarentur, nunquam id respondit : imò verò id responsum in primo dissidio dictis factisque confutavit, cùm Basileenses Constantiensium decretorum auctoritate, adversùs ipsum quoque, indubitatum licèt Pontificem, usos, edito diplomate, agnovit orthodoxos ; iisque insuper ut superioribus paruit. Quare nec in secundo dissidio, rebus exasperatis, ab illo fundamento recessit; ac Basileenses multa in se gravissima ex decretis Constantiensibus molientes, definivit ille quidem ab eorum decretorum sensu deflectere; non tamen ideo quod ea decreta in Pontificem indubitatum verterent, sed quòd assererent et ad fidem catholicam pertinere dicerent, nullam omnino esse causam propter quam synodus à Papâ transferri possit. Neque quidquam aliud in Basileensibus condemnavit, quàm quòd, tantâ licèt Græcorum reducendorum necessitate translati, continuassent synodum : neque ulla synodica decreta irrita declaravit, nisi ea quæ post translationem facta essent. Quare ille est sensus, quem Constantiensibus decretis malè affingi definivit. Manent cætera, Eugenio quoque judice, immota; nempe ut Constantiensia decreta summâ et indeclinabili auctoritate constent, utque extra schismatis tempus sub indubitato quoque Pontifice, suo nativoque sensu valeant, in fidei, in schismatis, in generalis reformationis casibus, quod unum Patres gallicani, suâ Declaratione complexi, ab Eugenii quoque censuris se immunes

[1] 2 *Pet.*, III. 16.

præstiterunt; neque enim translationis à Basileensibus spretæ q stionem ullo modo attigerunt.

CAPUT X.

An decretum unionis Florentiæ editum, Constantiensia decreta antiquarit.

Jam perpendere nos oportet decretum unionis Florentiæ editu illud scilicet, quo Latini Græcique conjuncti sunt. Hoc enim dec Constantienses canones reprobatos Bellarminus asserit; cujus d alii passim exscribunt [1]. Decreti autem hæc verba sunt: « Diffini sanctam apostolicam Sedem in universum orbem tenere primat et ipsum Pontificem romanum successorem esse beati Petri princ apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ ca et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ip beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ec siam, à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem trad esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur [2]. » Ac paulò post: « Salvis p legiis patriarcharum, et juribus eorum. Datum Florentiæ 1 pridie nonas (hoc est 6) Julii. Hæc sunt, quibus Constantiensia creta abrogata esse volunt; quod est falsissimum.

1° Enim si Constantiensia displicebant; si ea ut erronea, vel s matica rejici oportebat, apertè agendum; recitanda decreta abrogarentur; sessio v Constantiensis expressè revocanda, ne pliùs œcumenici concilii nomine falleremur. Quid enim verebam An Constantiensis concili pro œcumenico habiti auctoritatem? autem veramne an falsam judicabant: si veram, ergo indeclinabil neque ullo alio decreto labefactandam: si falsam, eo rejicien apertiùs, quò tanto nomine simplices animæ, imò verò docti qu in errorem inducerentur.

2° Si doctrinam Constantiensis synodi damnatam voluissent, tem iis verbis facerent, quæ plana et perspicua essent; neque in sum Constantiensi decreto congruum intelligi possent. Atqui de unionis verba in sensum Constantiensi decreto congruum int posse, et ipsum Duvallium, antiquæ licèt Sorbonæ adversum, fitentem audivimus [3]. Ergo Florentini Patres Constantiensem trinam nullatenus à se damnatam voluere.

3° Verba decreti Florentini reverà nil habent Constantiensi dec contrarium. Nempe hæc verba objiciunt: « Papæ in beato P pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam à Do

[1] *Bell., de Conc.*, lib. I. c. 7; *Doct. Lov.*, p. 73; *Disq. init.* — [2] *Conc. Flor.*, t. XIII. col. et seq. — [3] *Vid. Diss. præv.*, n. XIX.

nam potestatem fuisse traditam. » Atqui hæc non indicant, eam tatem ita esse datam, ut adunatæ quoque Ecclesiæ consensum vinceret : quod Patres Constantienses condemnabant. Ergo entini Patres Constantiensibus non repugnant.

Sanè nemo negat archiepiscopo subjici totam provinciam, ab regi, sano quidem sensu, et certis legibus : nulla enim pro- iæ pars, quæ non ipsi subsit. Quidni potiori jure summus Pon- universam, quàcumque patet, gubernet Ecclesiam; cùm nulla Ecclesiæ sit, quæ non ei obediat? Patet ergo verus decreti entini sensus Constantiensi congruus. Eâ quippe mente Floren- dictum à Papâ regi *universalem Ecclesiam*, quâ mente Constan- Martino quoque papâ approbante, dictum, Ecclesiam romanam esse supremam, *quatenus primatum habet super alias Ecclesias ticulares*; non certè ita ut earum conjunctam vim et consen- em vincat.

Ipsa Florentina synodus disertis verbis Constantiensia decreta rmavit, approbatâ scilicet ritè et synodicè decretali *Moyses*. in decreto unionis eadem improbata noluit : neque quidquam neptius, quàm ut præcisè et speciatim dicta, generatim dictis odi possint.

Quæro, an à Græcis quisquam postularit, ut omnibus consiliis omnibus casibus, Pontificem romanum superiorem esse néces- crederent, eâque conditione tantùm Ecclesiæ romanæ conjun- entur? Malè profectò et iniquè cum ipsis comparatum esset, à ous graviora et difficiliora de primatu Pontificis, quàm à Latinis que peterentur. Erant in omnium manibus Alliacensis, Gersonis, ncisci Zabarellæ cardinalis atque archiepiscopi Florentini, sui canonistarum facilè principis, aliorumque libri, qui romano ifici synodum anteferrent. Nemo eos orthodoxos piosque esse abat. Imò hanc sententiam doctissimi quique, et omnes passim demiæ propugnabant. Quid autem absurdius aut iniquius quàm Græcis interim Florentini Patres graviora postularent? Quis verò t Græcos id fuisse laturos?

Et ultimò, reverà longè alia mens eorum fuit. Quo loco multi memorant decreti unionis verba, quæ longè aliud præ se ferre antur; nempe sic scriptum est : « Papæ in Petro datam plenam estatem regendi et gubernandi universalem Ecclesiam : » non è simpliciter, ita ut Ecclesiam pro arbitrio regat; sed *quemadmo- m etiam in gestis œcumenicorum conciliorum, et in sacris canoni- s continetur*; sive, ut ex græco de verbo ad verbum verti potest, *undùm eum modum, qui et in gestis œcumenicorum conciliorum et sacris canonibus continetur*, vel simpliciùs ac rotundiùs : *secun-*

dùm quod et in gestis œcumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur. Unde etiam addunt : salvis patriarcharum privilegiis et juribus : » quæ omnia Patres apponi voluere, ne Ecclesia voluntate magis, quàm canone regi videretur ; neve plenæ potestatis spe jura omnia miscerentur. Neque id lædebat pontificiam potestatem cùm ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio, sacris canonibus obligasse, vel ipsa professa sit : quod suo loco asseremus [1].

CAPUT XI.

De vero sensu eorum verborum decreti unionis : QUEMADMODUM ETIAM IN ŒCUMENICORUM CONCILIORUM CONTINETUR.

Neque equidem ignoro magnas moveri lites de his interpretationibus : prima, quæ sic vertit *quemadmodum etiam* : et altera, quæ *secundùm quod et in gestis*, etc. Neque minorem esse de ipso verborum sensu controversiam, cùm illimitatæ potestatis defensores asserant, postrema decreti Florentini verba proferri, non ad coercendam justis legibus pontificiam potestatem ; sed tantùm ad demonstrandum *pascendi ac regendi potestatem plenam*, à conciliis quoque generalibus, sacrisque canonibus fuisse agnitam. Quem sensum firmari contendunt primâ versione : *quemadmodum etiam* : hâc enim voce, *etiam* * hunc sensum maximè comprehendi [2]. Nos verò hanc litem facilè componemus, si cum æquioribus disceptatoribus agere liceat.

Primò enim certum illud, congruere græco textui de verbis verbum postremam interpretationem : *secundùm quod*, vel, *secundùm eum modum*, καθ' ὃν τρόπον, *qui et in gestis conciliorum œcumenicorum, et in sacris canonibus continetur*.

Secundò et illud certum, græca æquè ac latina, sacro approbato concilio, Eugenii nomine esse edita ; latinaque ab Eugenio et latina subscripta, hanc habere interpretationem : *Quemadmodum etiam*. Id verò ex authentico concilii Florentini constat, quod transversum olim ad Burgundiæ ducem Philippum II, eum qui *Bonus* dicebatur, nunc in nobili bibliothecâ Colbertinâ **, Eugenii ac Joannis imperatoris signis munitum asservatur.

Tertiò, neque illud in dubium ab æquis judicibus revocari potest, quin decreto Florentino, quo Græci Ecclesiæ conjungendi [illegible]

1 *Vid. pass.*, lib. XI.

* DE MARCA, loco citato, contendit verbulum ETIAM *incuriâ amanuensium irrepsisse verbis* : QUEMADMODUM ET IN GESTIS CONCILIORUM, pro quibus illi scripserint : *Quemadmodum etiam in gestis, etc.* Sed vix potest credi hunc errorem optimos quosque [illegible] codices invasisse, et eum etiam authenticum, de quo BOSSUET mox est dicturus. ([illegible]

2 *Vid. Pet. de Marc., de Concord.*, etc., lib. III. cap. 8. § V.

** Nunc est in Bibliothecâ Regiâ. — *** Palæologi.

...is maximè consulatur; adeoque si interpretationes conciliari ...possent, eam maximè probari oportere, quam græca verba ...re videantur. Quid enim? An Græcos dicemus fuisse delu... An subdolâ interpretatione avocatos eos ab eo sensu, in quem ...a ipsa ferrent? Absit hoc ab Ecclesiæ latinæ candore ac majes... Quare in eam potiùs iremus sententiam, quam græca verba ...rent.

...quoniam certum erit rectè considerantibus, et græca et latina ...dem facilè convenire sententiam, certam inimus viam, quâ ...demonstremus, postrema decreti verba eò fuisse prolata, ut ...potestas quam Florentini Patres Papæ asserebant, sacrorum ...orum et canonum auctoritate, non tantùm probaretur, sed ...antiquis suisque coerceretur finibus. Id verò declaramus, non ...is verbis; sed, quod theologum maximè deceat, ipsâ ver... ...gestorumque serie.

...m enim, Græci nunquam intellexerunt Papæ inesse eam ...tem, quæ nullis legibus teneretur. Ecce enim Bessarion me... ...es Nicænus, unus Græcorum omnium Latinis æquissimus, ...ctionis mutuæ et ineundæ cupidissimus, et initæ retinentis..., neque Romæ suspectus, propter egregia merita remque in ...tinâ synodo bene gestam factus cardinalis, ac sede Petri dignus ...; cùm nostri in additione vocis, *Filioque*, Ecclesiæ romanæ ...itatem urgerent: « Scimus quidem, inquit [1], quæ sunt jura ...rogativæ romanæ Ecclesiæ; nihilominus scimus etiam præro... ...ejus quos terminos habeant. » Hæc jam inde à synodi initio ...profitebantur, sessione IX. Ipse etiam Eugenius, sessione XXV, ...Græcos loquebatur [2]: « Conveniamus simul, fiatque syno... ...conficiat sacrum sacerdos jusjurandum demus Latini, pariter ...: proferatur liberè veritas per sacramentum; et quòd plu... ...videbitur, hoc amplectamur, et nos et vos: jusjurandum enim ...christianos non fallitur. »

...ergo ex suâ unius sententiâ rem decidi volebat, neque ita ...at et docebat universalem Ecclesiam, ut adunatæ consensum ...ac putaret, qui fidem quoque suam Patrum consensione fir... ...intelligebat.

...dem de re, eâdem sessione, quid Græci sentirent Bessario... ...clarè exponentem audiamus. Habuit ille ad suos orationem ...aticam, cujus hoc fundamentum: quoties necessitas ingruat, ...sis aliqua exorta sit, « debere Ecclesiam Dei in unum con... ...m, de rebus dubiis judicare, ac secundùm præcepta divinæ ..., et sanctorum Patrum, communi omnium consensu senten...

[1] ...XII. *Conc.*, *Sess.* IX. *Conc. Flor.*, col. 151. — [2] *Ibid.*, *Sess.* XXV. col. 387.

tiam ferre [1]. » Tum addit, « communiter hæc agi, et quæ co munia sunt, communi consensu terminari oportere : » ita e egisse synodos œcumenicas, primam, secundam, tertiam, et a omnes.

Cùm verò inter se Græci deliberarent, imperator sic infit : « I præsentem hanc synodum generalem nullâ ex parte inferiorem ju aliis omnibus antehac celebratis [2]. » Ac postea : « Ego imperator qui debeo sententiam synodi, majorisque illius partis, necnon fendere quod fuit sancitum à pluribus. Propterea dico, inquit, hujus sacræ synodi pluriumque ejus Patrum sequi sententiam tum quia ego censeo sanctam Ecclesiam in sacris dogmatibus n modo posse errare, communi ac synodicâ consideratione utent unus quippe, vel duo, vel tres, aut plures ex hominibus... fieri test ut errent; at universalem Dei Ecclesiam, de quâ Dominus ad Petrum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Eccl meam, et portæ inferi non prævalebant adversùs eam;* eam, inq Ecclesiam communiter errare omnino est impossibile : alioqui sermo Salvatoris evanuit, et fides nostra debili fundamento est ni Hæc Græci audiunt, hæc probant. Non ergo ad Papam solum, se universam Ecclesiam provocabant, nostrisque omnino consent prædicabant.

Jam, ne quid supersit dubii, operæ pretium erit diligenter e tere quæ dixerint, cùm de privilegiis Papæ speciatim ageretur postrema hæc, de quibus nunc agimus, decreti verba expe rentur.

Græci igitur sic loquuntur [3] : « Admisimus privilegia Papæ, terquam duo : ne convocet synodum œcumenicam, sine impe et patriarchis, si conveniant; quòd si advocentur, nec veniant, impedimento sint, quominus synodus fiat : alterum est, ut si putet se ab aliquo patriarcharum pati injuriam, et veniat qui i posuit appellationem, ne patriarchæ ipsi se sistant judicandos; Papa mittat inquisitores ad provincias κατὰ χώραν, et ibi in pari τοπίκῶς judicetur. »

Hic Papa respondit se velle « omnia Ecclesiæ suæ privilegia; leque ad se fieri appellationes; nec non regere et pascere uni sam Ecclesiam, ut ovium pastorem; et celebrare synodum œ menicam, cùm opus fuerit; et omnes patriarchas parere voluntati. »

Hæc postulata Papæ, omnia ad absoluta imperia revocantis, Gr respuere; gestaque synodi sic habent : « Imperator, his audi

[1] *Bess., orat. dog.*, cap. I; *ibid.*, col. 394.— [2] *Conc. Flor., Sess.* XXV. col. 482, 483.— [3] *Ib* col. 503.

desperavit; nec aliud respondit, nisi : Curate de nostrâ profectione. » Adeo abhorrebant ab eo, ut Ecclesia non canone, sed voluntate regeretur. Ergo conventum est, « ut Papa regeret Dei Ecclesiam, salvis patriarcharum Orientis privilegiis et juribus : » quo fixum, valerè canones, nec mero imperio regi Ecclesiam, Ecclesiisque sua jura canonico ordine fundata constare.

Cùm in eo jam essent, ut conscriberetur decretum unionis, de Papæ privilegiis sic erat scriptum : ut Papa illa habeat « juxta determinationem sacræ Scripturæ et dicta sanctorum : » obstitit his verbis imperator : « An si quis, inquit[1], sanctorum in epistolâ honoret Papam, excipiet hoc pro privilegio ? Ac Papæ significavit, ut aut hoc corrigeret, aut de reditu ejus cogitaret; cogebatque apponi : juxta TENOREM CANONUM; et non SECUNDUM DICTA SANCTORUM. »

Jam nemo negaverit, quin tunc vel maximè quæreretur, non modò de constituendâ, sed etiam de regendâ suisque coercendâ finibus pontificiâ potestate; cùm Græci vererentur, ne ambiguâ formulâ privilegia Papæ in immensum tenderent.

Quare hìc omnis unionis spes rursus penè concidit; patetque omnino intellexisse Græcos, *regendam* quidem à Papâ *universam Ecclesiam*, sed *juxta canones*; non mero imperio et absolutâ voluntate.

Quæ cùm diu multumque agitata fuissent; atque Eugenius quidem vocem illam, *secundùm dicta sanctorum*, vehementer urgeret, Græci vocis ambiguitate deterriti haud minore vehementiâ repugnarent; tandem conventum est, ut « Papa habeat sua privilegia juxta canones et dicta sanctorum, sacramque Scripturam, et acta synodorum[2] : » quæ collecta simul veram administrandæ Ecclesiæ formam exhibebant; patebatque à synodo papalis potestatis, non solùm habendæ firmamentum, sed etiam exercendæ regulam fuisse præscriptam.

Hic Eugenius, *dicta sanctorum*, toties inculcata omisit, ut quæ jam ipsi quoque ambigua viderentur; convenitque utraque Ecclesia in hanc formam, ut Papæ quidem inesset à Christo tradita regendæ ac pascendæ Ecclesiæ potestas; sed « secundùm eum modum, qui, et gestis œcumenicorum conciliorum, et sacris canonibus continetur : » quæ quidem Gersoni, Alliacensi, nostrisque concinunt, magnâ animorum consensione docentibus, « in Papâ agnoscendam plenitudinem potestatis; sed à conciliis sacrisque canonibus regulandam. » Hinc autem videre est, cur jam Eugenius hanc vocem, *dicta sanctorum*, hìc omitti ipse vellet; quippe cùm haud satis apta videretur regulandæ pontificiæ potestati, quæ canonibus quidem et conciliis œcumenicis, non autem *dictis sanctorum* generatim sumptis, parere soleat.

[1] *Conc. Flor., Sess.* XXV. col. 506, 507.—[2] *Ibid.*, col. 507.

Hæc igitur è Florentini concilii gestis expressa demonstrant, quantùm ab eo abfuerint Græci ut agnoscerent supremam illam infinitamque potestatem, quæ totam adunatam Ecclesiam supergrederetur: quantùm abfuerint Latini, ut eam à Græcis agnosci postularent; atque omnino consentire Florentina cum Constantiensibus, nedum ea abrogarent. Sic decet à catholicis conciliari quidem, non inter se committi et collidi concilia, ne, quæ in Ecclesiâ summa est, nutet auctoritas.

Florentinum decretum ab Eugenio factum est, *sacrâ approbante synodo*; sive, ut Græca habent, Συναινούντων ἐν τῇ συνόδῳ τῶν ἱερωτάτων ἀδελφῶν: *consentientibus in synodo reverendissimis fratribus*[1], hoc est, ipsâ synodo condecernente, sententiam cum ipso ferente, ac decretum suum ejus decreto addente. Neque aliter Græci intellexerunt, quàm ut eos sæpe professos esse vidimus, decernendi vim ipsâ membrorum omnium consensione atque unitate constare; tunc que Ecclesiam errare non posse, *communi* scilicet *et synodicâ consideratione utentem*, ut suprà professos legimus.

CAPUT XII.

An Constantiensibus decretis, et conciliari potestati noceat, quòd Ecclesiæ pars maxima, ac præsertim Galli, Eugenio Basileæ damnato ac deposito obedirent.

Hic quæstio exoritur, si conciliis tanta inest auctoritas, cur ergo Basileensia postrema irrita fuere, atque Eugenius IV, à synodo depositus, pro vero Pontifice, etiam à Gallis est habitus? In promptu responsio est; facta referimus; solutio ex factis.

Basileenses Patres multis videbantur duro nimis et obstinato animo neglexisse Græcorum salutem, et æquas conditiones respuisse. Ipsi etiam Græci Basileæ magnis clamoribus quærebantur de synodo, quæ tantæ rei gratiâ commovere se nollet; in easque angustias Pontifex conjici videbatur, ut omitteret Ecclesiæ conjunctionem, tantum opus, idque magno et æterno suo et Ecclesiæ latinæ dedecore, nisi synodum ipse transferret: quod tamen ne solus contra synodi auctoritatem attentaret, memoratum illud de Florentiâ et Utino decretum synodi prætendebat. His causa Pontificis nitebatur: neque, ut antea, vanæ ac frustratoriæ dirimendæ synodi causæ ferebantur, sed conjunctio prætendebatur Ecclesiarum, jam præsentibus Græcis, et synodum cum successore Petri celebrantibus. Cæterùm cùm eo loco res Eugenii essent, tamen tanta erat synodi reverentia, ut Ferrariam pauci convenirent: non Patres, non reges, non reliqui principes orthodoxi: unus Burgundiæ dux, sessione demum xiii

[1] *Conc. Flor., Decr. union.*, col. 500.

anno ferè integro postquam Eugenius Ferrariæ cum Græcis agebat, missis legatis synodo se conjunxit[1]. Et episcopi ex Italiâ convenere ferè ad sexaginta, abbates ad quadraginta, quos inter ex Galliâ antistites quinque admodum, vel sex, ex provinciâ ferè, quæ nondum gallicano imperio parebat, et duo Hispani; ex Germaniâ, ex Angliâ totoque septentrionali tractu nullus. Hæ gentes cum Galliâ et Hispaniâ, omissis Florentinis, ipseque Eugenio, Basileensibus adhærebant. Interim paulatim Basileâ dilabi Patres, postquam reformationis studium ac spes in jurgia abiisse visa: cujus rei culpam multi in Patres, multi in Eugenium, in utrosque plurimi conferebant. Ergo pauci exercere synodi auctoritatem; iique plerumque non episcopi, sed doctores theologicarum ac juris facultatum, presbyteri tantùm, imò interdum vix clerici. Jamque viris maximis, neque Eugenianæ, neque Basileensium partes planè probabantur: « Cardinalis sancti Petri*, viri sancti et gravissimi sententia placebat, qui neque hos, neque illos laudare solebat. » Hæc Æneas Sylvius[2].

In hunc locum redacti Basileenses, tamen in Eugenium cum Græcis et Armenis præclarè agentem, atque Orientales Ecclesias à tot sæculis scissas ad ovile revocantem, miris anathematibus, œcumenicæ synodi titulo, detonabant. At cùm eum etiam depositurì viderentur, sapientissimus quisque ab eâ sententiâ abhorrere; legati regum palam intercedere, novi schismatis metu; multi à synodo discedere: inter eos etiam, qui Basileæ remanerent, graves dissensiones oriri. Prorsus tanto nomini, neque conciliorum gravitas, neque ipsa cœtûs dignitas respondebat. Nihilo secius toties imminuta synodus, neque sibi satis consentiens, Eugenium mirâ confidentiâ deposuit; elegit Felicem olim Sabaudiæ ducem, qui abdicato imperio, quæsitoque secessu, quietam magis ac suavem, quàm solitariam vitam** agere videbatur.

Deponendi Eugenii causæ, translata et contempta synodus; negatæque eæ, quas catholicas ferebant, synodi veritates: *tum simoniacum, ac dilapidatorem bonorum Ecclesiæ* arguebant[3], jactatum potiùs in speciem, quàm probatum; imò nec quæsitum. Hic iterum in studia scindi christiana respublica; pars hunc, pars illum co-

[1] *Conc. Flor., Sess.* XII. col. 207.

* Joannes Cervantes Hispanus, Hispalensis archiepiscopus, ubi vidit Papam et synodum dissidentem, in Hispaniam reversus est. Vid. Ciacon. (*Edit. Paris.*)

[2] *Æn. Sylv., Epist.* XXV. p. 518. *edit. Bas.*

** Amedæus VIII, Sabaudiæ dux, ideo pacificus et sui ævi dictus Salomon, quòd, dum vicini principes armis lætar se decertabant, ipse pacem cum omnibus coluerat, abdicato ducatu communique hujus curâ filiis suis, secessit, unâ cum sex magnatibus in locum *Ripalliæ*, ubi monasterium exstruxit, sibique et sodalibus palatium, cui nomen fecit *Eremum*. His eremitis melliùs viventibus ampla erant et opportunæ ædes, lauta epulæ, multum otium. Vid. Spond. an. 1434. Sylv. Comm. lib. VII. (*Edit. Paris.*)

[3] *Conc. Bas., Sess.* XXXIV. col. 620.

lere, pars neutrum; et expectare quid copiosior ac certior synodus declararet. Hanc sententiam Germani maximè sequebantur, cùm Basileensem Galli synodum colerent, Florentinam respuerent, Constantiensia omnia confirmarent; simul pontificem Eugenium agnoscebant, depositionem non admittebant, quòd malorum Ecclesiæ recordati, schisma vererentur; neque multis satis idonea causa visa esset, cur Eugenio tam pauci, iique inter se divisi, potestatem abrogassent, reclamantibus legatis principum : in cæteris Basileensia decreta, atque iis nixam pragmaticam-sanctionem studiosissimè retinebant [1].

Id quidem Odoricus Rainaldus confitetur [2], ac probat ex Nicolao Clemangio theologo Parisiensi, hujus ævi celeberrimo, gesta publica referente; sed nos ipsa gesta, ipsamque Pragmaticam-Sanctionem legere ac referre præstat.

Ea edita est, rege præsente, et in congregatione Ecclesiæ gallicanæ apud Bituriges, 7° Julii, anno 1438, atque à magnificâ synodi Basileensis commendatione ducit initium [3].

Recipiuntur ergo ex eodem Basileensi concilio, concilii Constantiensis constitutiones, imprimis caput *Frequens*; tum ejusdem concilii Constantiensis sessionis v Basileæ toties repetita decreta, adscribiturque sic : « Acceptavit et acceptat, prout jacent, jam dictorum prælatorum cæterorumque virorum ecclesiasticorum, ipsam Ecclesiam (gallicanam) repræsentantium, congregatio sæpè dicta. » Tùm Basileensia decreta memorantur, et *acceptantur*, præsertim illud de sacris electionibus. Adhibitæ quidem decretis Basileensibus aliquot *modificationes*; sed quàm illud fieret, illæsâ concilii auctoritate, hæc verba demonstrant : « Demum conclusit prælibata congregatio, ut decreta ipsa, de quibus visum est, quòd debeant simpliciter acceptari, ex nunc simpliciter acceptentur et executionem sortiantur, atque ex nunc effectui realiter mancipentur; et similiter ea decreta circa quæ factæ fuerunt prænotatæ modificationes, ex nunc cum ipsis modificationibus acceptentur, prout etiam acceptantur, *sub ea scilicet quòd ipsæ modificationes per sacrum concilium admittentur* : pro quo regii oratores instabunt, vice regiâ, Ecclesiæ regni et Delphinatûs. »

Cùm hæc admitterent, tamen in agnoscendo Felice, Basileensibus non consentiebant, sed Eugenio obsequebantur. Id cur facerent, docet illa responsio Caroli VII, deprompta ex vetustissimo codice Victorino, quo hujus ævi acta referuntur [4] : « Protestatur rex, quòd

[1] *Vid. Conc. Bitur. pro Pragm., ibid.*, col. 1430. — [2] *Rain.*, an. 1440, n. 4. — [3] *Tom. XII. Conc.*, col. 1429 et seq.; *Vid. Pragm. in edit. Pinsonii*, an. 1666. — [4] *Hist. Universit.*, an. 1438, tom. v. p. 447.

more prædecessorum suorum paratus est audire Ecclesiam ritè ac legitimè congregatam. Verùm quòd apud multos graves et probos non modica est indubitatio, an suspensio, privatio, et subsecuta electio facta Basileæ sit legitima, dubium etiam est, an illa congregatio ILLIS DIEBUS, quibus prædicta agitata et facta sunt, sufficienter repræsentaret universalem Ecclesiam, ad tantos et tam arduos actus; rex perstat et manet in obedientiâ domini Eugenii, in quâ nunc stat: ubi verò rex plenè et sufficienter de prædictis informatus fuerit, sive per œcumenicum, aut aliud generale concilium, aut in congregatione Ecclesiæ suæ gallicanæ extensiùs congregandæ, seu in conventione principum, rex compertâ veritate stabit cum eâ, et ei adhærebit. »

Ergo rex gallicanaque Ecclesia de potestate concilii generalis, in deponendo Papâ, minimè; de hoc tantùm concilio, neque in omnibus, ambigebant; quòd licet pro generali haberetur in aliis, quibus consentiret Ecclesia; in deponendo Papâ, repugnantibus regum legatis, ac plerisque per orbem terrarum Ecclesiis, non satis repræsentare videretur eam, quæ maximâ ex parte hujusmodi consiliis repugnaret, Ecclesiam. Ea causa dubitandi fuit; quæ dubitatio Germanos adduxit, ut neutri faverent: nostros, quod erat æquius, ut in possidentis obedientiâ persisterent, neque ex dubiâ condemnatione, certâ eum dejectione mulctarent.

CAPUT XIII.

Nobilissimas Universitates, propter Constantiensium canonum auctoritatem, Basileensi synodo adhæsisse.

Interim nobilissimæ academiæ toto orbe terrarum inclinabant in synodum.

Anno 1438, cùm Bituricensis conventus haberetur, universitas Parisiensis legatos misit, qui conciliorum generalium, ac præsertim Constantiensis ac Basileensis auctoritatem tuerentur [1].

Anno 1439, jam deposito Eugenio et electo Felice, in codice Victorino optimo, hæ universitates memorantur, quæ Basileensibus adhæserint: Parisiensis, Viennensis, Erfordiensis, Coloniensis, et Cracoviensis [2].

Edita ergo est doctoris Parisiensis, pro synodo Basileensi, contra ejus translationem, ampla defensio, quâ sententia sacræ facultatis totiusque academiæ argumentis firmaretur. In hâc defensione hæc legimus [3]: « Nullus est alius inobliquabilis, nisi Ecclesia, aut concilium generale, habens specialem Christi assistentiam, ex promis-

[1] *Hist. Univers.*, *loc. cit.*, p. 444. — [2] *Ibid.*, p. 449. — [3] *Ibid.*, p. 450.

sione ejus; ergo nulli alii necesse est infallibiliter credere, nisi Ecclesiæ aut concilio generali. Concilium generale est regula inobliquabilis, ratione assistentiæ Salvatoris, supremum tribunal in terris, ad quod in dubiis salutem humanam concernentibus, haberi debet recursus; nec ad Christum à generali concilio legitimè congregato appellari potest, cùm Spiritus sanctus eorum, quæ conciliariter aguntur, principalis auctor et definitor existat. »

Tùm universitas Coloniensis à Theodorico Coloniensi archiepiscopo requisita, edidit responsionem; illa verò responsio ab hâc propositione incipit[1] : « Ecclesia synodaliter congregata habet supremam jurisdictionem in terris, cui omne membrum Ecclesiæ, cujuscumque dignitatis fuerit, etiam papalis, obedire tenetur, quam nemo sine ipsius Ecclesiæ synodalis conventu dissolvere vel transferre potest. » Ex his cætera æstimari possunt.

Universitas Erfordiensis, Theodorico archiepiscopo Moguntinensi* simile responsum dedit, quo Basileense concilium asserit; *neutralitatem* improbat[2]; quòd concilium sit supra Papam, ex Constantiensi decreto, etc.

Universitas Viennensis concilio Basileensi ac Felici favet, et neutralitatem impugnat : quòd « si duo, aut plures contenderint de papatu, est justum et licitum, si de jure eorum dubitatur, eis usque ad futurum concilium obedientiam subtrahere. At in his, quæ fidei sunt, aut quæ schismatis extirpationem, aut morum reformationem in capite et in membris Ecclesiæ respiciunt, nunquam licet christiano à sacro concilio legitimè congregato appellare[3]. »

Cracoviensis universitas, editis litteris ad Uladislaum IV Poloniæ et Hungariæ regem, decreta Basileensia adversùs Eugenium, et pro Felice firmat, his maximè conclusionibus : « 1° Quòd unam Ecclesiam agnoscere oporteat. 2° Quòd sicut unum est caput principale Christus, ita unum est caput universale Papa. 3° Quòd quodlibet concilium generale in Spiritu sancto legitimè congregatum repræsentat universalem Ecclesiam, et habet potestatem immediatè à Christo, idque Constantiensi concilio fixum, ac probatione non egere. 4° Potestas Ecclesiæ universalis, ac etiam cujuslibet concilii generalis legitimè congregati ipsam repræsentantis, superior est potestate Papæ et quâlibet aliâ potestate in terris[4]. » Reliquæ ex his facilè intelliguntur.

[1] *Hist. Univers., loc. cit.*, p. 460.

* Is Theodoricus Schenck discessit aliquâ ex parte ab universitatis Erfordiensis sententiâ, et cum cæteris Germaniæ principibus, viam hanc est secutus, quam vocabant neutralitatis. Patricius, in Historiâ Basileensi, cap. LXXXVIII et CXVII, col. 1567, 1590, narrat, Moguntinum, his convenisse nonnullos Germaniæ principes et episcopos, ibique statuisse à se approbandas esse decreta Basileensia, exceptis iis, quibus Eugenius exauctorabatur; et neutralitatem inter Eugenium et Felicem tenendam. (*Edit. Paris.*)

[2] *Hist. Univers., loc. cit.*, p. 462.— [3] *Ibid.*, p. 473, 474.—[4] *Ibid.*, p. 480 et seq.

Ex his liquet, quòd etsi de aliquâ parte Basileensium gestorum fuerit dubitatum, non proinde concilii universalis, aut Constantiensium decretorum auctoritatem in dubium fuisse revocatam; sed certam et inconcussam suoque immotam pondere constitisse. Id etiam sequentia gesta declarabunt.

CAPUT XIV.

Mors Eugenii IV : Nicolaus V succedit : pax composita, immotis decretis Constantiensibus : concilii Basileensis antesignani, abdicato tantùm Felice, nullâ doctrinæ retractatione, pro orthodoxis habiti.

Dum hæc agebantur, Græcis ad unitatem redactis, eruditis Armenis, Jacobitarum atque Æthiopum acceptâ legatione, Eugenius Florentiâ Romam concilium, *ipso concilio approbante*, transtulit, ne deesset quod Basileensibus opponeret [1]. Unâ vel alterâ sessione XIX quidquam; de reformatione certè nihil actum*. Interim Basileenses, extenuatis ac penè nullis viribus, cum Felice suo Losanam defluxere, vicinam civitatem : utrinque paucis cum episcopis synodus universalis agebatur, aut potiùs tanti nominis majestas ludibrio habebatur. Eugenius obiit, unione factâ, nobilis : utinam stabili, felix ! Cæterùm id egisse quod in ipso esset, maximæ laudi fuit. Optabant viri boni, ut pari studio reformationi animum adjecisset. Aliis occupatus partem officii vel maximam prætermisit. Successit, anno 1447, Nicolaus V, antea Thomas (Sarzanus), sanctæ Sabinæ cardinalis, vir optimus atque doctissimus; quodque inter omnes constabat, pacis amantissimus. Itaque anno sequente 1448, postquam à tempore electi Felicis annos ferè novem inter Papam et synodum, dubiæ Ecclesiæ fluctuabant, facta pax, Caroli VII Francorum regis præcipuâ operâ, his conditionibus, ut Felix papatui renuntiaret, ut concilium Basileense sive Lausanense ordinaret, « maximè propter pacem Ecclesiæ, Nicolaum pro pontifice habendum, statuendo et ordinando quod faciat et adimpleat, quæ summus Pontifex facere tenetur, mandaretque omnibus eidem Nicolao obediendum esse [2] : » ut synodus deinde se ipsa dissolveret : ut à Nicolao synodus generalis, neque revocanda, neque proroganda, neque impedienda, in Galliâ statim indiceretur; tanta apud omnes, etiam post Basileense dissidium, conciliorum non modò necessitas, sed etiam majestas et auctoritas ferebatur : ut utrinque factæ gratiæ ratæ : utrinque irrogatæ pœnæ irritæ haberentur [3].

1 Tom. XXII. *Conc.*, part. III. *Conc. Flor.*, col. 1246, 1222 et seq.; *Vid. ibid. Patr.*, c. CXXIX. col. 1599, 1600.

* Nihil omnino, nisi quòd duas bullas approbavit, quibus Eugenius Ecclesiæ gratulabatur de quibusdam Orientalibus episcopis schismati ereptis. (*Edit. Paris.*)

2 Tom. XXII. *Conc.*, part. III. *Conc. Flor. ad visum*, etc., col. 1329. — 3 *Ibid.*, *Vid. quoque* col. 1327.

Hæc igitur inter oratores Nicolai papæ, et Caroli VII Francorùm regis pacta atque conventa sunt, obsecundantibus Angliæ et Siciliæ regibus, ac Ludovico delphino. Thomas Corcellæus, insignis pietatis ac doctrinâ theologus, et concilii Basileensis Lausanensisque pars maxima, inter oratores Caroli nominatur[1].

Electores principes Carolo se *conformant*, suaque *avisamenta* proponunt, de irritandis utrinque pœnis. Hanc causam afferebant, « quòd catholica universalis Ecclesia diffusa per orbem, et communitas fidelium, ut plurimùm hujusmodi processus, sententias, censuras, privationes et pœnas hinc indè emanatas non recepit[2]. » Hæc docent, quo loco decreta pœnalia non modò Basileensia, sed etiam Eugeniana esse viderentur. Cavebant etiam ut synodi Constantiensis auctoritas sacrosancta haberetur. « Instabit Dominus rex Francorum, quòd S. D. Nicolaus papa V, concilium Constantiense, decretum *Frequens*, et alia ejus decreta, sicut cætera concilia catholicam militantem Ecclesiam repræsentantia, ipsorum potestatem, honorem et eminentiam, sicut et cæteri antecessores sui, suscipiet, amplectetur et venerabitur[3]. » Sic sancta habebatur omnium Constantiensium decretorum auctoritas : eorum verò maximè quæ ad eorum *eminentiam*, pertinerent.

Ut hæc executioni darentur, primus Felix ex pacto edidit bullam, quæ incipit, *Quas ob causas*, à Rainaldo relatam[4], cujus hæc est summa. 1° Se ab universali synodo Basileensi ad apostolicum regimen evocatum obediisse, ut concussam tueretur generalium conciliorum auctoritatem, memorem videlicet « Constantiensis concilii nullâ unquam oblivione delendæ definitionis; quod videlicet sancta synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, etc. » prout ex Constantiensis concilii sessione v sæpè recitata sunt : quam etiam veritatem Basileensis synodus confirmasset, tota catholica *suscepisset ac practicasset* Ecclesia. Exinde permotum gravi schismatis malo, « post acerrimos continuosque labores, quos solius veritatis manifestandæ, auctoritatisque sacrorum generalium conciliorum conservandæ gratiâ amplecti voluerit; » eò animum contulisse, ut pacem Ecclesiæ, quâcumque fieri posset ratione, procuraret : eâ causâ in sancta synodo Lausanensi, universalem Ecclesiam repræsentante, ultrò cessisse papatui; « sperantes, inquit, quòd in futurum reges et principes, prælati, et alii, auctoritati sacrorum conciliorum assistent, eamque tuebuntur et defendent; quòdque universalis Ecclesia, *pro cujus dignitate, supereminentiâ, et auctoritate* totis viribus pugnavimus, nos apud clementiam primi et æterni Pastoris, nostræ hujus

[1] *Tom.* XII. *Conc.*, part. III. *Conc. Flor.*, col. 1333.— [2] *Ibid.*, col. 1330.— [3] *Ibid.*, col. 1332.— [4] *Rain.*, an. 1449, n. 3, 4.

pacificæ humilitatis contemplatu, suis devotis jugibusque orationibus commendabit. Lausanæ 7 apr. 1449. »

His conditionibus Felix, hâc fide editâ, in Lausanensi concilio papatum deposuit. Paucis post diebus synodus his consentaneum decretum protulit, ab eodem Rainaldo relatum[1], cujus initium : *Multis ab annis*. Sic autem desinit : « Desiderantes, inquiunt, de unico pastore uni sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ providere, compluribus suadentibus et urgentibus causis, præsertim dilectione dandæ unionis et pacis in personam dilectissimi filii Ecclesiæ Thomæ, in suâ obedientiâ Nicolai V nominati, nostra vota contulimus, sperantes ipsum ea facturum, quæ summus Pontifex facere tenetur : fidâ quoque relatione intelligentes, eamdem credere et tenere veritatem pro conservandâ sacrorum auctoritate conciliorum in sacrosanctâ synodo Constantiensi definitam et declaratam, ac in sacro Basileensi concilio renovatam, necnon à prælatis, regibus, et principibus, universitatibusque orbis susceptam, prædicatam et dogmatizatam, videlicet quòd generalis synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, etc. » prout in duobus Constantiensibus decretis, sessione v, habentur. His positis, Nicolaum pro pontifice habendum decernunt, ipsique obediri mandant : 19 apr. 1449. Antecesserant* decreta de irritatis pœnis, et confirmatis gratiis, prout pactum erat.

Denique eadem synodus Lausanensis alia duo decreta, ab eodem Rainaldo descripta[2], edidit 25 aprilis. Altero, Felicem creat ac nominat *Sabinensem episcopum, ac per varias amplasque provincias Sedis apostolicæ legatum vicariumque perpetuum; primumque post romanum Pontificem locum* eidem attribuit, servatis aliquot pontificiæ dignitatis insignibus. Altero, post pacem constitutam, synodus seipsa dissolvit, ac dissolutam esse decernit.

Hæc agentes pro decretis Constantiensibus, hanc fidem professos Nicolaus V, tribus datis diplomatis, quæ incipiunt, *Ut pacis*; et, *Tanto nos*; et, *A pacis auctore* : non modò ut ab omni censurâ immunes, verùm etiam in suis suscepit honoribus : Felicem verò, sive Amedæum, eamdem fidem toto terrarum orbe testatum, pro Sabinensi episcopo ac primo cardinali legatoque perpetuo habet et agnoscit, 21 junii eodem anno 1449[3].

Viderat autem Nicolaus memorata Felicis et synodi Lausanensis de cessione et pace diplomata, quorum respectu bullam *Ut pacis*, et bullam *Tanto nos*, à se editas esse testatur; nihil ut sit clarius,

[1] *Rain.*, an. 1449, n. 5.
* 16 april.
[2] *Rain.*, an. 1449, n. 6.— [3] *Tom.* XII. *Conc.*, col. 663; t. XIII. col. 1347; *Vid. Rain.*, an. 1449.

quàm Felicem et Lausanenses, sessionis v Constantiensis de[...] laudantes, ac supereminentem concilii potestatem his asserent[...] Nicolao V fuisse susceptos.

Quid hic mentis fuisse Nicolao putant? Nullamne, an suspe[...] imò apostolicæ Sedi exosam habuisse sessionis v Constantiensis [...] toritatem, qui Felicem ac Lausanenses eam ad cœlum usque [...] tremis etiam decretis extollentes, amplexus sit? An fortè existi[...] ab iis Constantienses canones ita laudari, ut, quod jam adv[...] volunt, ad solum schismatis tempus revocarent? Atqui Basil[...] iis canonibus adversùs Eugenium indubitatum Pontificem us[...] dicabant. Quid ergo? Nicolaum indulgentiâ usum adversùs co[...] erroneam aut schismaticam doctrinam non modò profiterentur [...] etiam universæ Ecclesiæ commendarent? Apage insana prorsus [...] liria. Nihil ergo superest, nisi ut eos pro orthodoxis habuerit, i[...] tribus diplomatis uno die editis confirmarit.

Sic autem inter Papæ regisque oratores pactum erat, ut h[...] diplomata « de cassatione processuum, de confirmatione gesto[...] et de restitutione privatorum, secundùm minutas ab ipsis orato[...] concordatas, » à Nicolao ederentur, et Felici traderentur[1] : [...] oratorum testificatione in conciliorum voluminibus edita cons[...]

Refert quidem Rainaldus[2], ex Jannutio Manetto *, Amedæum [...] *fidiæ suæ errorem recognovisse*, quem *confitentem ac pœnit[...]* Nicolaus sponte cardinalem creaverit; at nos historicis, par[...] studio quæ libuere scribentibus, adversùs gestorum fidem ac Ni[...] diplomata, non credimus. Cæterùm in gestis ac bullis nihil retr[...] tionis aut pœnitentiæ reperimus; imò ultima Felicis gesta ac sy[...] Lausanensis, omnia præclarè ab iis atque à Basileensibus gesta [...] nisi pacis studio antiquanda confirmant. Utrinque solutæ po[...] utrinque confirmatæ gratiæ : de pœnis id notatu dignum, q[...] cumque à quocumque, etiam ab Eugenio in Felicem ac Basilee[...] sive Lausanensem synodum *emanassent*, eas à Nicolao nullas et [...] ritas declaratas; « atque etiam de registris Eugenii, Nicola[...] ipsius, et locis aliis abolitas atque deletas[3]. »

Omnes ergo utrinque pro orthodoxis habiti, quique pro tr[...] latione, quique adversùs translationem egissent. Retractati[...] fingunt[4], quas nec ipsi probant, et acta respuunt. Joannes S[...] biensis Hispanus, Thomas Corcellæus Gallus, alii innumerab[...] sanctitate ac doctrinâ conspicui, Basileensi synodo ad finem u[...] conjuncti, in pace Ecclesiæ obierunt; famâ integrâ ac virtu[...]

[1] *Tom.* XIII. *Conc.*, col. 1333.— [2] *Rain.*, *loc. cit.*, n. 6.
* Florentino in vitâ Nicol. V.
[3] *Bull.*, *Tanto nos*, tom. XIII. col. 1349. — [4] *Rain.*, *loc. cit.*, n. 8.

, inprimis verò modestiæ et contemptarum dignitatum * ...rerunt. Ludovicus verò Alamandus cardinalis, Arelatensis ...piscopus, quo duce ac præside depositus Eugenius, Felix ..., continuata synodus et ad extremum usque perducta est; ille, ..., abdicato tantùm schismate, circa doctrinam verò retracta-...ullâ; imò gestis in Lausanensi sessione ultimâ confirmatis, ... dignitati restitutus, in suâ Ecclesiâ vixit. Obiit clarus ...is, pro beato colitur, Clemente VII pontifice, ut jam me-...mus[1], edicente. Nulli imputatus error, nulli schismaticus ..., omnes bono animo, bonâ fide adversùs translationem egisse ...nt, dum reformationis student, ejusque promovendæ spem ...liorum invictâ stabilitate repositam putant.

CAPUT XV.

...de translatione, qualis habita in Basileensi et secutis synodis de Constan-...a decretis nullum superesse dubium : Joannis de Paradiso Carthusiani ...de rebus Basileensibus.

... ipsa quæstio, quâ potestate concilium transferatur, rectè ...anti pendere adhuc et in medio relicta videbitur. Sanè trans-...ileensis tria habebat insignia propter quæ probaretur : pri-... causa transferendi gravis ac necessaria propter Græcos : ..., non modò legatorum, verùm etiam præsulum ingens dis-...: tertium denique, consecutum schisma, deposito Eugenio ... electo Felice præter optimorum virorum sententiam. Hæc ...articulares causæ translationem et faciendam suadebant, et ...tuebantur. Et tamen à Felice, à Lausanensibus nihil, præter ...tum schisma; circa transferendi concilii potestatem, nihil ...tionis exigitur. Quin ipse Eugenius translationi decretum, ut ...[2], Basileense prætendit : cæterùm Ferrariensem synodum, ...am; Florentinam, Lateranum; sed ubique, concilio appro-... transtulit[3].

...slato Ferrariâ Florentiam concilio memorabile illud, quod ... in actis[4] : eâ translatione propositâ respondisse Græcos : ...ellemus Ferrariâ non excedere, quandoquidem in eâ statutum ... alibi synodum celebrari : » dixisse imperatorem græcum : ...t apud Latinos, synodum œcumenicam, non ita simpliciter ...itò dimitti, infectâ re, ac sine definitione synodicâ præter-...tibus hisce de causis : si pestis grassetur, si fame laboretur, ...estium incursio. Quapropter nos etiam justâ de causâ syno-

...cellarius à Felice cardinalis factus, hanc ultrò dignitatem abdicavit. (*Edit. Paris.*) ...*Bibl. Bibl. præv.*, n. XLIV; et lib. V. cap. 5.— [2] *Vid. sup. hoc lib.*, cap. XII.— [3] *Bull. Eug.*, ..., tom. XIII. *Conc.*, col. 1030; *et Hist. Patr.*, cap. CXXIX. col. 1599. — [4] *Conc. Flor.*, ...37. col. 214, 218, 219.

dum transferemus. Est autem causa pestis. » Quo audito « o dixerunt : Justum est translationem synodi notam fieri. Placuit convenire generalem synodum; atque ita indicta est translati Decretum translationis habetur in conciliorum voluminibus, *approbante concilio.* Quo quidem decreto duo asseruntur à Gr primum, non nisi necessariis causis concilium dimitti, ante definita sint propter quæ est congregatum : alterum, ne id q fieri, nisi assentientibus Patribus.

Neque aliter gestum in Tridentinâ synodo. Allatum Pauli I cretum, de concilio Bononiam transferendo, propter gra morbos : sessione VIII, quæsitum à Patribus, num placeret e « decernere ac declarare concilium esse transferendum, et ex transferri, donec sanctissimo domino nostro, et sacro concilio dire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, ipsum concilium possit ac debeat : responderunt : Placet[2]. » En ad translationem pontificiâ conjuncta sacrosancti concilii auctoritas, neque a atque ad ipsam synodum Tridentinam, Deo ita providente, sententia transmittitur.

Huic translationi, cùm Carolus V Augustus, ejusque reg episcopi intercederent, Galli quidem consensere; extatque man Henrici II, ut suo et Ecclesiæ gallicanæ nomine, translatio a betur; sed cum eâ clausulâ : « Quòd dictum concilium, P ibidem agentium consensu atque auctoritate, Bononiam trans sit[3]. »

Mortuo Paulo III, ex Julii III successoris bullâ, concilium Tr resumptum, ita decernente atque assentiente concilio[4], session anno 1551, kalendis Maii.

Suspensa synodus per biennium sessione XVI, 28 aprilis 155 ipsâ synodo decernente[5]. Resumpta synodus sub Pio IV, ses XVII, sed iterum ipsius synodi accedente decreto[6]. Denique dis eodem ordine sessione XXV. Quæsitum à Patribus : « Placeat huic sacræ œcumenicæ synodo finis imponatur? Respondere Placet[7] : »

Cæterùm hæc nihil ad nos, qui tantùm Constantiensia sessio decreta tutanda suscepimus. Ea verò et per se summâ aucto constare; et à Martino V iteratis vicibus approbata esse; et à sy Basileensi, dum legitimè canonicèque ageret, repetita; et ab genio IV sæpiùs, etiam in synodo Florentinâ, comprobata; et à colao V pro sanctis atque intemeratis habita fuisse demonstravi

[1] *Vid. ibid.*, col. 1030.—[2] *Conc. Trid.*, *Sess.* VIII. tom. XIV. col. 785.—[3] *Mém. pour le de Trente*, p. 19.—[4] *Conc. Trid.*, *loc. cit.*, col. 799.—[5] *Ibid.*, col. 835, 836.—[6] *Ibid.*, col. —[7] *Ibid.*, col. 919, 920.

dum Felicem ac Lausanenses ea decreta laudantes atque repetentes, et quidem quovis tempore, et adversùs quemvis Pontificem valitura, audiit, suscepit, amplexus est, edito etiam diplomate.

Quin etiam idem Nicolaus Carolum VII, pace ecclesiasticâ confectâ nobilem, miris in cœlum laudibus efferebat [1]; cùm Carolus interim, totaque Ecclesia gallicana Pragmaticam-sanctionem omni ope tuerentur; in quâ, ut vidimus, Basileæ repetiti canones Constantienses sessionum IV et V recipiebantur, laudabantur, et pro certo ac stabili rerum omnium fundamento constituebantur.

Calixti verò III, qui Nicolao proximus sedit, tempore, cardinalis Avenionensis *, anno 1456 legatus à latere, ad eumdem Carolum et Gallias missus, id etiam scripto confirmavit, nihil se acturum, quod Pragmaticæ-sanctioni adversaretur; cujus autographum in regestis regiis habetur [2] : adeò Pragmatica in nostrorum animis hærebat, necdum à Romanâ curiâ vexabatur.

Ex his concludimus motam quidem de translatione quæstionem nondum universim decisam videri; certè, quod hìc agitur, Constantiensia sessionis V toties repetita, toties approbata, certâ et indeclinabili auctoritate constare.

Hìc qui scire velit, hæ translationes ac dissolutiones conciliorum, quo loco à viris bonis doctisque haberentur, legat Jacobi de Paradiso Carthusiani, doctoris Erfordiensis, *Collectum de septem statibus Ecclesiæ in Apocalypsi.* Ibi leget, quàm necessaria reformatio; quàm neglecta; quàm exosa tunc temporis, præsertim Italis et curiæ : tum subdit mille artes, quibus concilia dissolvantur : « Quod, inquit [3], clarè probat tragœdia nostris temporibus in Basileensi concilio practicata; et ex hoc ortum est vulnus, nescio quando curabile, contra auctoritatem conciliorum generalium, ut abscedentibus Papâ, aut suis præsidentibus à loco concilii, vel differentiâ exortâ inter Patres ejusdem, censeatur concilium dissolutum, resideatque in personâ Papæ de plenitudine potestatis auctoritas dissolvendi aut transferendi concilia generalia, prout Eugenius olim papa, anno 1437, fecisse comprobatur. Hoc venenum per eum effusum est in Ecclesiam, per adversarios conciliorum : ad quod refugium habebunt, ut subterfugere valeant correctionem et reformationem; ita ut etiam modernis temporibus frontosè dogmatizare audeant : in quolibet Papâ residere plenitudinem potestatis, non solùm super quolibet membro singulari Ecclesiæ, sed et super totam Ecclesiam conciliariter congregatam, ad libitum ipsius disponendi, decretandi, dissolvendi, transferendi,

[1] *Nicol. V, Epist.* V. *ad Carol. VII.* tom. XIII. *Conc.*, col. 1343; *Vid. sup.*, cap. XII.
* Alanus de Coetivi.
[2] *Preuv. des Libert.*, tom. I. cap. 23. p. 917. — [3] *Gold. Monarch.*, tom. II. p. 1567, 1570.

corrigendi, auctorizandi; ut nullus ei audeat dicere : Cur ita facis? Et sic totaliter nituntur suffocare auctoritatem conciliorum, contra decretationem AB OMNIBUS ACCEPTAM in Constantiensi et Basileensi generalibus conciliis publicè promulgatam, et contra Pragmaticam-sanctionem super hoc editam, atque factam. » Decreta memorat in sessione v Constantiensi edita, ac Basileæ repetita, et ab omnibus accepta. Hæc igitur ad avaritiam ac pessimam adulationem refert, concluditque ita [1] : Quòd Ecclesiâ universali conciliariter congregatâ Papam inferiorem esse non dubitemus; et quòd auctoritas Ecclesiæ integrè servanda est super omnem, quàcumque præfulgeat dignitate, etiam papali, in his quæ ad finem, et ad schismatis extirpationem, et ad generalem Ecclesiæ reformationem in capite et in membris. Secundò : concilium punire potest et debet quemlibet, etiam Papam, qui contumaciter statutis ejus obedire contempserit. Ex præmissis infertur. Si universalis Ecclesia, tàm in capite quàm in membris debet reformari, oportet hoc fieri per totam Ecclesiam conciliariter congregatam, à capite incipiendo; neque enim Spiritus mendax fuisse credendus est in ore omnium illorum virorum celeberrimorum in Constantiensi synodo congregatorum, qui hoc sanxerunt per decretum *Frequens*, licèt quidam ex Italicâ natione, de collateralibus Papæ, molestè illud tulerunt; postea tamen omnes consenserunt de superioritate concilii generalis super Papam, licèt inimicus homo iterùm superseminavit zizania. »

Hæc viri boni ac fortes, adhuc subjectam oculis memorabant, de conciliari auctoritate in Constantiensi concilio consensionem omnium; affirmabant superseminata paulò post zizania, atque iis reformationem impeditam deplorabant; ad eam incipiendam atque promovendam, ad Constantiensia decreta, tanquam ad arcem, confugiebant. Hæc nos cum iis dolentes ingemiscentesque referimus; Deumque precamur, ne fœdos iterum atque Ecclesiam vastaturos reformatores immittat, et Ecclesiæ vulnera ab alto respiciat.

CAPUT XVI.

Petri Meldensis episcopi ad Eugenium IV, Caroli VII nomine, gesta legatio : an Odorico Rainaldo eam objicienti prosit.

Dum in rerum Basileensium seriem ac summam intendimus, tantisper distulimus eam, quam Odoricus Rainaldus refert [2], Petri [3] Meldensis episcopi, anno 1441 gestam, ad Eugenium IV, cùm Florentiæ ageret, Caroli VII nomine legationem.

Hujus legationis causa erat, ut Eugenius, synodo Basileensi con-

[1] *Gold. Monarch.*, tom. II. p. 1573. — [2] *Rain.* an. 1441, n. 8, 9 et seq.
[3] De Vercellis, Diniensis, postea.

damnatâ, Florentinâ verò absque ullâ Ecclesiæ reformatione factâ; novam synodum generalem, idque in Galliis indiceret, haud ita facilè dissolvendam; atque hactenus factum pii omnes ingemiscebant. Quòd ergo vir prudentissimus verba sua sensusque ad deliniendum Eugenii animum accommodat, ut eum omni arte perpellat ad synodum, totum id Odoricus Rainaldus eò refert, ut Basileenses regi horrerifuisse, pontificia verò monarchia super omnem conciliorum auctoritatem provecta et exaltata fuisse videatur.

At ille sua dicta sic temperat, ut cum cæteris theologis gallicanis, conciliarisque potestatis defensoribus, summâ ipsâ conveniant. Monarchiam commendat ecclesiasticam, pacis unitatisque conciliatricem. Nihil mirum : quippe quam catholici omnes, præsertim Parisienses, laudent. Basileenses suggillat, *qui eam nunc abolere et supprimere contendunt* [1]. At illud verbulum, *nunc*, à prudentissimo oratore interjectum, ad posteriora Basileensia adjicit animos : priora, quæ conciliarem potestatem recto ordine asserebant, sana esse significat. Quare oratione totâ quidquid improbat in Basileensibus gestis, ad Eugenii depositi * ac Felicis substituti tempora manifestè refert, quæGallia non probabat; multique viri præstantes, conciliaris etiam potestatis rectæ et ordinatæ strenui defensores, omnia Basileæ tum, ab inconditâ multitudine, per seditionem ac tumultum fieri querebantur. Hæc ergo *nunc* gesta, quæ pacem unitatemque convellant, orator memorat; interim cum supremam in romano Pontifice potestatem agnoscat, uti omnes catholicos, ac præsertim parisienses facere vidimus, hoc addit : « Patres constituisse decreta et regulas pro ipsius usu gubernando et regulando; quicumque, inquit, præter has regulas hâc potestate utitur, superbit, et potestatem exercet, sicut principes gentium, quod prohibuit Christus. »

Quo loco subdit *duas extremitates* jam in Ecclesiâ esse : alteram quidem *exacutam in concilio olim Basileensi;* quâ voce, *olim*, iterum ostendit, et viguisse olim concilium illud, et nunc concilii loco non esse : alteram in Florentino : atque in concilio quidem Basileensi unam extremitatem nimis exacui extinctâ potestate : alteram à Florentino concilio nimis exacui visam, potestate quidem agnitâ, sed nullâ re factâ *pro regulando usu hujus potestatis;* quod quid est aliud, quàm theologorum Parisiensium more, supremam ac plenam in summo Pontifice revereri potestatem; sed eam per canones et concilia regulandam, ut etiam in gallicanâ Declaratione est positum, agnoscere.

[1] *Rain.*, an. 1441, n. 9.

* Qui Meldensis episcopus eas primas sessiones improbasset, quarum ipse pars fuerat, utpote in concilio Basileensi Hierosolymitani regis orator. Vid. *Gall. Christ.* in Episc. Dinens. et Meld. (*Edit. Paris.*)

Addit noster orator [1] : « Quòd ad has extremitates evellendas non sufficit auctoritas Papæ, sine generali concilio; etsi, inquit, Eugenius in favoribus principum confidas absque generali concilio, procul dubio arundineum baculum tenes : » quibus aliisque patet, in ea legatione, rejectis sine contumeliâ Basileensibus, sed tantùm posteriorioribus gestis, pro verâ conciliorum auctoritate, summâ quidem modestiâ, ne Eugenium exasperaret; sed tamen strenuè esse certatum. Quàm autem rex christianissimus Basileensium Patrum ad finem usque honori consuluerit, acta eo auctore, sub Nicolao V jam relata [2] testantur. Quare hìc finem eâ de legatione dicendi fecimus.

CAPUT XVII.

Bulla retractationis Pii II, ad Coloniensem academiam, Constantiensia decreta confirmat, Basileensia tantùm posteriora damnat.

Æneam Sylvium, ex gente inclytâ Picolomineâ, poetam eximium, postea Pium II, pontificem maximum, concilio Basileensi, etiam post translationem adhæsisse, eique *scripto factoque* favisse, paucis sunt qui nesciant; et ipse profitetur. Jam retractationem ejus producemus, ut omnes intelligant, in ipsâ retractatione, quæ ille revocarit, quæ intacta reliquerit, quæ ultrò firmaverit.

Anno igitur 1463, ad universatem Coloniensem bullam edidit. *In minoribus* [3], ex quâ perspicuum est, Basileensium gesta ab ipso improbari; sed quæ; Ea scilicet quæ post translationem consecuta essent : posteaquàm scilicet « Eugenius concilium in Italiam transtulit, et cùm Græcis Ferrariæ convenit, et legati concilii ad Eugenium defecere. » Hæc ille semper inculcat; hæc non alia, retractat ac revocat.

Sed fortè anterioribus gestis non interfuerat, nec necesse habuit ea quoque reprobare. Atqui primo concilii anno, Christi 1431, ad concilium venisse se narrat. Quid autem ageretur, referentem audiamus [4] : « Aderant legati Parisiensis scholæ, cujus est fama percelebris; adfuerunt aliquando vestri et aliorum studiorum Germanicæ nationis oratores; et uno ore concilii generalis auctoritatem ad cœlum efferebant. » An ergo ea tuum improbata dicit? Imò, « accessit, inquit, et ipsius Eugenii consensus, cùm dissolutionem concilii à se factam revocavit, et progressum ejus approbavit : « quorum alterum ad anteriorum approbationem, alterum ad sequentium cursum pertineret. Quis autem ille sit Eugenii consensus, à Pio II memoratus, ipsa verba demonstrant; nempè consensus cum iis, qui *uno ore con-*

[1] *Rain.*, an. 1441, n. 10, 12. — [2] *Sup.*, *hoc lib.*, cap. XIV. — [3] *Bull. retract. Pii II*, tom. XIII. *Conc.*, col. 1407 et seq. — [4] *Ibid.*, col. 1410.

cilii auctoritatem ad cœlum efferrent. Cum his Eugenius, Pio teste, consensit, concilii Basileensis dissolutione revocatâ, progressu approbato, ut verba testantur. Audis ab Eugenio approbata priora gesta Basileensia, quæ nunc approbata et confirmata nolunt, simulque approbata et firmata Constantiensia decreta, quæ tum Basileæ toties repetita et inculcata sunt. Cæterùm approbato progressu, rem ipsam quæ fieret improbatam, mera ludificatio est, ut vidimus, nec ad istas distinctiunculas Pii animus deflectebat.

Quin ipse apertissimis verbis hæc Constantiensia decreta confirmat : posteaquàm enim summis laudibus supremam apostolicæ cathedræ potestatem commendavit, hæc addit [1] : « Cùm his, et generalis concilii auctoritatem et potestatem complectimur, quemadmodum et ævo nostro, Constantiæ, dum ibi fuit synodus universalis, declaratum definitumque est ; veneramur enim Constantiense concilium, et cuncta quæ præcesserunt à romanis pontificibus nostris prædecessoribus approbata. » Ergo Constantiense inter approbata numerandum ; neque audiendi illi *, qui *partim approbatum, partim improbatum* memorant, cùm Pius simpliciter approbatum pronuntiaverit, et reliquis simpliciter ex æquo approbatis accensitum velit. Neque verò quidquam est in Constantiensi concilio, quod non Pius approbet. « Concilii enim, inquit, auctoritatem et potestatem complectimur, quemadmodum et ævo nostro Constantiæ, dum ibi fuit synodus universalis, declaratum definitumque est. » En universim dictum, *dum ibi fuit synodus universalis.* At ibi fuisse universalem synodum jam inde ab initio, et in iis etiam sessionibus, quæ adunatas obedientias præcesserunt, Martinus utique V toto approbante concilio definit. His ergo verbis Pius usus est, ne fraude agere, aut aliquam concilii Constantiensis partem suspectam habuisse videretur. Quid quòd his Pii verbis sessionum IV et V Constantiensis decreta disertè probata sunt? Repetamus enim Pontificis verba : « Concilii auctoritatem et potestatem complectimur, quemadmodum ævo nostro Constantiæ declaratum definitumque est. » Quo verò loco *declaratum definitumque est*, nisi sessionibus IV et V? aut si non ista sunt quæ Pius amplectitur, edissere quo alio loco aliquid de concilii generalis auctoritate Constantiensis synodus *definitum* à se *declaratumque* voluerit. Nihil invenies, atque adeo quæ tu loca improbata putas, ea sanè sunt, quæ hic expressissimè et significantissimè approbentur.

At, inquies, licèt approbaverit, saltem non eo modo intellexit, quem nos secuti sumus ; cùm tantam Papæ inesse voluerit in synodos

[1] *Bull. retract. Pii II*, tom. XII. *Conc.*, col. 1415.
* Quales sunt Binius, Bellarminus, et quidam alii.

TAYLOR INST. OXFORD

etiam generales auctoritatem, *ut eas et congregare et dissolvere tum sit.* Esto : ergo eò, te fatente, jam deducta res est, ut Pon concilium congregare et dissolvere, non sanè eò usque, ut e congregati nec dissoluti concilii jussa in fide, in schismate, in re matione detrectare possit; quod unum ex Constantiensi conc eique conjunctâ Declaratione gallicanâ tuendum suscepimus : ca aliis tractanda relinquimus.

Interìm quærimus, an etiam Pius putaverit à Papâ dissolvi p concilia, nullâ idoneâ causâ, nullâ necessitate, atque, ut Eug ejusque adulatores ferebant, *pro suæ libitu voluntatis?* Absurd cùm ipse Eugenius nimia illa rejecerit. Ac si quæcumque dissol quo jure, quâ injuriâ, à Pontifice facta, Pio valere videretur; pertinebat ille ab eodem memoratus Eugenii consensus, cum i synodum, ab ipso licèt dissolutam, stare ac valere sentiebant.

At enim post illam concilii Constantiensis tam apertam approb nem, hæc Pius subjecit: « Inter (concilia) nullum invenimus unq fuisse ratum, quod stante romano indubitato præsule, absque i auctoritate convenerit; quia non est corpus Ecclesiæ sine capit omnis ex capite defluit in membra potestas : » sanè ut congreg quod verborum tenor indicat; non autem usque adeo *omnis*, ut P semel congregati nullam à Christo habeant potestatem. Si enim lam habent nisi à Papâ potestatem, unde illud Constantiens quoque probatum, quòd synodus generalis *immediatam à C potestatem* habeat? Unde illud ab eodem Pio memoratum, quòd leensis synodus in ipsis initiis dissoluta ab Eugenio, tamen val ipsâ dissolutione revocatâ? Concilianda certè Pii dicta, non denda sunt. Habeant ergo episcopi eam à Pontifice, capite Christum secundo, potestatem, ut congregentur, congreg maneant, ordinariè certè (neque enim vel ipse Pius aliud pos verit), ut autem congregati doceant, decernant, statuant, judi à Christo immediatè habent.

Næ illi falsi sunt, rerumque ecclesiasticarum imperitissimi, quòd concilium, ordinariè quidem, nonnisi convocante ro Pontifice, vere et legitimè congregatum habeatur, ideo ad Pon nutum pendere omnia jactant, quasi nulla sit synodi ad Pont accedentis auctoritas. Satis enim apparuit, atque ex sequ clariùs elucescet, ita esse Ecclesiam constitutam, ut postquam gregata est, ex Patrum sententiâ omnia decernantur, atque cœtui in fidei rebus, aliisque à synodo Constantiensi memoratis, etiam Papa obedire debeat. Atque ut is maximè dissolvere synodum, non tamen pro libito, non indictâ causâ, non levi cumque objectâ difficultate; sed magnâ gravique, quâ tota Ec

ritò commoveri possit; cùm ipse pudor prohibeat undique con-
rentes fratres re infectâ dimittere, aut Ecclesiæ catholicæ in Spi-
t sancto legitimè congregatæ majestatem aspernari : quod dum
nius in Basileensibus initiis fecit, læso concilio jussus satisfecit;
avitque semel initum concilium, dissolvente etiam indubitato
tifice, stare potuisse.

CAPUT XVIII.

teranensi synodo, sub Leone X, Constantiensia decreta abrogentur? quantis
toritatibus hæc firma sint : cur Patres gallicani priora Basileensia gesta in
laratione suâ exprimenda non putaverint.

teranensem synodum sub Leone X, in eâque editam constitu-
em, *Pastor æternus*, de Pragmaticâ-sanctione abolendâ [1]. Bellar-
us et alii passim objiciunt, quâ Constantiensiâ toties approbata
ta rescissa sint. Hic ergo, ut suprà de Florentino, ita nunc de
anensi concilio quærimus : an Constantiensia decreta rescissa
ut olim Ariminensia? Ne id quidem dixerint, cùm Leo X Con-
iensem synodum nullo decreto violarit. Cur ergo reticuit synodi
antiensis nomen? an reverentiâ synodi œcumenicæ? Ergo pro
enicâ habebat, cujus proinde decreta, quæ ad doctrinam
nt, si labefactaret, semetipsum potiùs, quàm Constantien-
synodum ipse convelleret. Itaque hoc illud est quod sæpè quæ-
r : collidi et committi inter se veluti dissidentes præliantesque
os, tanquam in conciliorum doctrinâ esset illud, quod aposto-
etat, *est et non* [2]; quo non modò Constantiensis, sed etiam
iliorum omnium nutet auctoritas.

si auctoritas auctoritati comparetur, vix quisquam negaverit
anensi synodo Constantiensem, ut rerum gestarum gloriâ atque
oporum magnorumque virorum numero et claritudine, sic etiam
oritate esse potiorem : primum hoc. Alterum subjungimus : Late-
nsibus decretis firmari potiùs Constantiensia, quàm rescindi.
de Lateranensis quidem synodi auctoritate omnibus notum,
pauci episcopi; quàm ex paucis provinciis convenerint [3];
justis de causis Galli se excusarint; quàm difficilis tum ad
esset aditus, flagrante Italiâ atrocibus bellis. Itaque galli
Ecclesiæ tum Lateranensis concilii auctoritas planè nulla, et,
ellarmino etiam ipsi visa est, non admodum stabilis; quippe
in asserendis pontificiis gestis confidentissimus, de Lateranensi
do hæc trepidè scripserit [4] : « Concilium Lateranense non fuisse
rale vix dici potest : » et alibi : « De concilio Lateranensi non-

nc. *Later.*, an. 1516. *Sess.* XI. tom. XIV. col. 309 et seq. — [2] 2 *Cor.*, I. 18. — [3] *Sup.*, lib. V,
— [4] *Bell.*, lib. I. *de Conc. auct.*, c. XVII; *Vid.* cap. XIII.

nulli dubitant, an fuerit verè generale; ideò usque ad hanc quæstio superest etiam inter catholicos. » Hâc igitur synod præstare contendimus numerosissimam ac patentem omnibus stantiensem synodum, tantâ rerum gestarum gloriâ nobilem, ac d que à tot synodis, totque Pontificibus approbatam; id jure n agere videbimur.

Jam quod in Lateranensi synodo dicitur : *Romanum Pont supra omnia concilia potestatem habere* [1], primum quidem vi non definiendo, sed narrando esse positum : quòd Constantien dedità operâ factis definitionibus prævalere non possit : tum ex t verborum eò referendum esse, ut Pontifex *concilia indicere, t ferre ac dissolvere valeat :* quod nec universim et sine causâ v nec ad questionem nostram, aut ad ea quæ tuemur decreta stantiensia pertinere sæpè ostendimus.

Huc accèdit, quòd Leo Eugenii, Pii, aliorumque antecess insistens vestigiis, Basileensia damnet; sed ea quæ *post translat* gesta sunt : quò etiam refertur illud, quod de superiori Pap testate dicit.

Quòd autem Pragmatica antiquata sit, nihil ad questionem no Etenim Constantiensia, iisque conjuncta Basileensia anterior conciliorum auctoritate decreta, et si inserta Pragmaticæ, non ex Pragmaticâ vim obtinebant suam, ut, prostratâ Pragmatic cere necesse sit. Denique Pragmatica abolita quidem est, non ut hæreticum quid, aut erroneum, aut suspectum in fide so sed ut *corruptela* noxia disciplinæ. Abierint ergo quæ ad discip spectant, quandoquidem Romana curia ea ferre non poterat; non tuemur : stent verò immota, quæ ante Pragmaticam extit sacrorum conciliorum dogmata, quæ neque à Leone X aut La nensi concilio tacta sunt, neque tangi sine gravissimo fidei culo potuere.

Quare Ecclesia gallicana in Tridentinâ synodo antiquam de liorum potestate professa est sententiam, constititque o neque Gallos à Constantiensis concilii decretis tuendis dest neque Pontificem aut synodum ut ab eis desisterent postula

Diximus etiam quo loco relicta sit controversia de conciliis ferendis ac dissolvendis [3], cùm Tridento Bononiam indicta tran ac postea concilii suspensio, iterataque celebratio, ac tandem lutio, non nisi synodo approbante et condecernente facta sit.

Neque prætermittendum id quod Pallavicinus refert : His sæpè multùmque questos, quòd sessione XVII, decreto de celeb

[1] *Bull. Past. ætern. in Conc. Later.*, col. 311. — [2] *Vid. Diss. præv.*, n. XIV; *et in A* lib. I. cap. I. et seq. — [3] *Sup., hoc lib.*, cap. XV.

concilio insertum illud esset : « Tractanda ea quæ proponentibus legatis ac præsidentibus apta et idonea ipsi sanctæ synodo videbuntur[1]. » Nempè verebantur ne conciliaris auctoritas ac libertas eâ clausulâ violaretur, totaque synodus in legatorum posita potestate esset. Nostros ad Hispanorum sententiam accessisse acta testantur[2]. Tandem ipsa synodus, sessione XXIV, « explicando declarat mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus conciliis ullâ ex parte immutaretur, neque novi quidquam, præter id quod à sacris canonibus, vel generalium synodorum formâ hactenus statutum est, cuiquam adderetur vel detraheretur[3] : » ne scilicet aut Patrum imminuta majestas, aut legatis addita auctoritas putaretur. Sic sapientissima synodus omnia inter catholicos controversa integra esse voluit, nedum Constantiensia semper immota subrueret.

Omnino ergo constat valere Constantiensia sessionum IV et V decreta : primùm ex sese, suâque et Spiritûs sancti auctoritate nixa : tum consequentibus in ipsâ synodo gestis : valere postea Martino V toties approbante, toties exsequente : tum convocatione conciliorum trium generalium, Papiensis, Senensis, ac Basileensis, ex Constantiensibus decretis instituta : ad hæc decretis synodi Basileensis adhuc Eugenio adhærentis : nec minùs ex Eugenii diplomatis in utròque dissidio editis, quin etiam Ferrariensis ac Florentinæ synodi expressâ auctoritate : Nicolai etiam V decretis ; atque ipsâ Pii II retractatione : denique Leonis X, et sub ipso habitæ synodi Lateranensis constituto, atque ipsâ synodi Tridentinæ sententiâ ; ut tantam nubem testium, tantam auctoritatem, tamque firma munimenta, nemo sine gravissimo suo ac rei ecclesiasticæ detrimento labefactare possit.

Ex his igitur patet, quàm verè sanctèque præsules gallicani, in eâ, quam tuemur, Declaratione affirmarint, sessionem IV et V Constantiensium decreta, « à Sede apostolicâ approbata, ipsoque romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata esse. » Quo loco, cur Basileensia priora exprimenda non putarint, nemo jam non videt, id causæ fuisse, quod nihil aliud quàm Constantiensium firmamenta essent ; atque id notari velim propter auctorem anonymum, cui ad Basileensis synodi auctoritatem, valere gallicanorum præsulum *silentium, sufficientissima responsio est*[4]. Ingeniosissimum suffugium, quo nempè declinet tot ac tanta argumenta, quæ ex Basileensibus prioribus gestis, Eugenianisque consentientibus decretis, tanquam ex invictissimis munitissimisque castris prodeunt.

[1] *Pell., Hist. Conc. Trid.*, lib. XV. cap. 16 et seq.; *Conc. Trid.*, tom. XIV. col. 840. — [2] *Mém. pour le Conc. de Trent.*, p. 209, 513, 515. — [3] *Conc. Trid., Sess.* XXIV. c. 21. col. 894. — [4] *Anon., de Libert.*, etc., lib. V. cap. 16. n. 11, 12.

CAPUT XIX.

An Constantiensibus decretis nixa sententia ad fidem catholicam pertineat?

Quæres, cùm ea doctrina, quam tuemur, à Constantiensi con definita sit; illudque decretum à Sede apostolicâ, totâque Ecc comprobatum; an igitur ad fidem catholicam pertineat : contr verò sententia an hæretica judicari debeat?

Nostri, atque imprimis pius ille doctusque Gerson apertè pro tiavit hæreticam esse, quæ synodi Constantiensis œcumenicæ nitioni adversetur [1]. Sic enim incipit decretum sessionis v de quâ mus : « Hæc sancta synodus Constantiensis, generale conci faciens, in Spiritu sancto legitimè congregata, ordinat, definit, cernit, et declarat ut sequitur. »

Porrò dubitari nequit quin res, de quâ agitur, pertineat ad i pretationem divini juris. Quæritur enim quam potestatem Pet successoribus, quam Ecclesiæ atque conciliis Christus dederit? nit synodus, eam conciliis potestatem à Christo immediatè da cui etiam Petri successorem subesse oporteat. Ergo clarè agit interpretatione divini juris, adeòque de fide, de doctrinâ catho Deo revelatâ; neque Bellarminus aut ejus asseclæ diffitentur.

Certè quod hæc verba, « quicumque, cujuscumque digni etiam papalis, hujus, et cujuscumque concilii generalis leg congregati statutis obedire contempserit, » illi interpretantur, de *quocumque*, sed de dubio tantùm Papâ; neque de *quocu* concilio generali, sed de concilio *in schismate* habito : tanqu certus Papa, non sit maximè Papa; aut concilium in pace hab non sit vel maximè *legitimè congregatum*; id ostendimus esse puramque tergiversationem et cavillationem verbis concilii a simè repugnantem; quod autem de concilii Constantiensis auctoritate dicunt, non minùs clarè ostendimus, id non nisi co catâ conciliorum generalium, romanorumque Pontificum auct dici posse : ut nihil obstare videatur, quominus ea sententia tica sit, quæ concilii œcumenici definitioni tam perspicuè adv

Unum illud obest, quod est ab adversariis non indiligenter tum [2] : his decretis pro more synodorum de fide agentium, hujus quoque synodi, Viclefum, Hussum ac Joannem Parvum nantis, non fuisse adhibitam anathematis pœnam; ac neq dictum, ita secundùm fidem catholicam esse tenendum.

Addimus synodum Basileensem in anterioribus probatissimis Constantiensia decreta repetentem, iisdem duntaxat verbis u

[1] *Sup.*, lib. v. cap. 6; *Vid. Diss. præv.*, n. XLV. — [2] *Doctr. Lovan.*, p. 14, etc.

esse [1]. Quod autem tres suas veritates ex Constantiensi synodo repetitas *ad veritatem fidei catholicæ* ita pertinere sancit, ut qui his *pertinaciter repugnet, sit censendus hæreticus*, factum id post translatum Ferrariam concilium : quæ posteriora gesta anterioribus æquiparari non posse antedicta demonstrant.

Responderi potest, non propterea videri adversarios omnis condemnationis immunes. Neque enim apostolos Hierosolymitani concilii decreto adhibuisse anathematis pœnam, sed ita conclusisse : *A quibus custodientes vos benè agetis* [2] : cæterùm postquam edixerant : *Visum est Spiritui sancto et nobis* ; satis significatum, non sine pœnâ gravi futuros esse eos, qui sancti Spiritûs judicium contempsissent : ita existimandum de Constantiensi synodo, postquam edixit : « Hæc sancta Synodus, generale concilium faciens, in Spiritu sancto legitimè congregata, ordinat, decernit, definit, et declarat ut sequitur : » pœnam enim, etiam minimè declaratam, ex decreti ac sancti Spiritûs auctoritate statim in contumaces sequi.

Huc etiam referri potest Clementis V in concilio generali Viennensi definitio, quæ incipit, *Fidei catholicæ* : ad hoc, Clementina unica, *de summâ Trinitate* [3]. Hic duæ theologorum *opiniones* referuntur, quorum quidam dicerent, *per virtutem baptismi parvulis culpam remitti, sed gratiam non conferri* : alii autem assererent, *quòd et culpa remittitur, et virtutes, et informans gratia infunduntur, quoad habitum ; etsi non illo tempore, quoad usum*. Has inter opiniones synodus sic decernit : « Nos opinionem secundam, tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum ac doctorum modernorum theologiæ magis consonam et conformem, sacro approbante concilio, duximus eligendam. »

Huic ergo decreto nullâ licet adhibitâ aut hæreseos notâ, aut anathematis pœnâ, catholici omnes ex auctoritate concilii paruere. Quantò ergo magis parere debuerunt Constantiensi concilio, non tantùm declaranti, *probabiliorem opinionem*, sed absolutè edicenti : « Hæc sancta generalis synodus, in Spiritu sancto congregata, ordinat, definit, decernit et declarat ut sequitur. »

Atque illud quidem Constantiense decretum est ejusmodi, ut ab eo cætera tanti concilii acta pendeant. Hinc Viclefi de primatu romanæ Ecclesiæ error condemnatus : hinc destituti Pontifices, etiam is qui à synodo totoque ferè christiano orbe colebatur : hinc alter substitutus, eique creando forma præscripta : hinc de conciliis generalibus convocandis canon conditus, ordinata reformationis structura, ac fundata spes orbis ; ut cum eo decreto tota Constantiensis synodus prosternatur.

[1] *Conc. Bas., Sess.* II et seq. tom. XII. col. 477 et seq.; *Vid. Sess.* XXXIII. col. 618. — [2] *Act.*, 27, 29. — [3] *Clem.*, lib. I. tit. 1. cap. unico.

An ergo satis constet ex omisso anathemate Constantiense decretum non pertinere ad fidem catholicam, id nostris censoribus cor Deo arbitro dijudicandum relinquimus. A gravi certè notâ immun esse non possent, nisi bonâ fide agentes, non satis attentâ re, cusari viderentur.

Ac si illi, qui electam à Viennensi concilio probabiliorem seu p batiorem sententiam contempserunt, à Tridentinâ synodo tand anathemate damnati sunt [1]; videant contemptores decreti Const tiensis, quanta illis immineant, qui plenam et absolutam tanti c cilii definitionem abjecerint.

Cæterùm id cogitent, à synodo Constantiensi nec prætermis pœnam. Ecce enim apertissimè decernit, « ut ipse etiam Papa, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pe tentiæ subjiciatur, ac debitè puniatur; etiam ad alia juris remedi si opus fuerit, recurrendo. » Qualia verò sint juris remedia, qu fortia, quàm gravia, nemo nescit. Quæ remedia si expedit synod in Papam quoque obedire recusantem, quantò magis in eos, qui i inobedientiæ, contempto synodi decreto, faveant ac serviant. clerus gallicanus huic sententiæ adversantes, neque perduell neque contumaces reputat; priscamque sententiam retinere et clarare contentus, ab omni non modò anathemate, verùm et censurâ temperavit, tantamque rem Ecclesiæ catholicæ judicio servat.

Quin etiam nec sollicitè quærendum ducimus erroneane an et hæretica sit ea sententia, quam adversarii bonâ fide tenere deantur. Non enim plerique perspiciunt satis, doctrina concilii C stantiensis quàm sit in certis casibus Ecclesiæ necessaria : qui c cùm infrequentes sint, non omnes facilè eorum cavendorum ne sitatem advertunt. Nos autem sat scimus, si quidem eveniant, to facilè, ac romanam omnium matrem præ cæteris evigilaturam Ec siam; rerumque humanarum conscii, summæ utilitatis esse duci ut futuris periculis, utcumque, Deo sinente, eventura sint, pr à Patribus, Spiritu sancto auctore, remedia, suâ auctoritate ac v tate constent.

CAPUT XX.

An ea, quam vocant Parisiensium sententiam, occasione schismatis exorta acta in Joannem de Montesono, anno 1387.

Petri Alliacensis Joannisque Gersonis atque aliorum Parisiensium potiore conciliorum potestate sententiam, quam postea synodus C stantiensis amplexa sit, multi eo nomine suspectam habent, qu

[1] *Conc. Trid., Sess.* VI. cap. 7. col. 759; et can. XI. col. 765.

eam non sponte ac veritate duce exortam, sed vi quâdam extortam putant; nempè occasione schismatis, seu litigationis ejus, quæ inter Gregorium XII ac Benedictum XIII extitit. His respondemus, primùm quidem remedia, quibus laboranti Ecclesiæ providetur, ex ipsâ traditione, atque ex ipsâ veritate esse deprompta : neque unquam Ecclesiæ opus est, ut novam doctrinam excogitet; malisque occurrentibus id effici potest, non ut novitates pariat, sed ut antiqua dogmata diligentiùs proponat atque explicet; quod non infirmandæ, sed potiùs asserendæ confirmandæque doctrinæ sit. Quare ex actis patuit eos, qui, occasione litigationis hujus, conciliarem potestatem extollendam putarunt, illud remedium non proposuisse ut novum, sed ut consuetum, et in illâ necessitate diligentiùs adhibendum [1]. Multa quoque suo loco suppetent, quibus constet, eam sententiam, quam tota tunc Ecclesia, et synodus Constantiensis amplexa est, ex antiquâ et certâ traditione manasse. Nunc ea commemoramus, quæ anno 1387 Facultas nostra gessit atque decrevit, schismatis quidem tempore, sed antequam illa de utroque Pontifice in ordinem cogendo dissidia orirentur.

Facultas ergo theologica Parisiensis Joannis de Montesono, ordinis prædicatorum, assertiones (XIV) condemnavit. De immaculatâ Deiparæ Virginis Conceptione imprimis agebatur [2]. Censurâ Facultatis episcopali judicio confirmatâ, Joannes de Montesono ad Clementem VII, Avenione agentem, quem Gallia venerabatur, appellavit : delecti qui causam Facultatis coram Clemente agerent : Petrus de Alliaco, tum regii et celeberrimi collegii Navarrici magister, legatorum princeps, in consistorio coram Pontifice, omnium nomine peroravit; atque imprimis : « Protestamur, inquit [3], quòd nostro proprio aut personali nomine nihil omnino in hujus causæ prosecutione dicemus; sed solùm ex parte, et illorum nomine qui nos mittunt. » In uno ergo Alliacensi Facultatem universam audiemus.

Sic autem causam ipsam aggreditur : « Joannes, inquit [4], de Montesono id ad suæ appellationis fundamentum principaliter assumit, quod solius Sedis apostolicæ est, circa fidem declarare, damnare et reprobare; et iterum, quòd eorum, quæ tangunt fidem, ad solum summum Pontificem pertinet examinatio et decisio. »

Ad illud fundamentum Joannis de Montesono, Petrus de Alliaco duo respondebat; primum : « Hoc dictum continet manifestam hæresim; » secundum : » et est dictum sibi repugnans et contrarium. »

[1] *Vide Sup.*, lib. V; *et inf.*, lib. XI; *et Coroll.*— [2] *Vid. du Boul., Hist. Univ.*, t. IV, p. 620 et seq.— [3] *Petr. All., prop. coram Clem. VII, in ap.*, t. I; *Gers.*, col. 703.— [4] *D'Argent., Collect. Judic.*, etc., t. I. part. II. p. 84.

Hoc postremum sic probat, « supponendo quid sit Sedes apostolica: nam ipsa, vel est universalis Ecclesia, vel aliquod generale concilium universalem Ecclesiam repræsentans, vel particularis Ecclesia romana in quâ scilicet Ecclesiâ sedet, id est, cui præsidet summus Pontifex et ideo ipse et Sedes apostolica non sunt idem, sicut non sunt idem sedes et sedens. Ex quibus clarè patet, si ad solam Sedem apostolicam pertinet circa fidem declarare et reprobare, quòd ad solum summum Pontificem hoc non pertinet; et è contrà, si ad solum summum Pontificem pertinet eorum quæ sunt fidei examinatio et decisio, hoc ad solam Sedem apostolicam non pertinet; et sic apparet, quomodo in illo dicto manifesta est repugnantia. »

Jam quæ sit illa hæresis, quæ in Joannis de Montesono dictis continetur, sic exponit [1] : « Quòd ad solum summum Pontificem pertinet eorum, quæ tangunt fidem, examinatio et decisio, continet manifestam hæresim, imò multas hæreses. « Tres autem commemorat primam : « Quia per illam exclusionem excluditur universalis Ecclesia et generale concilium eam repræsentans, quod est hæreticum quia in causis fidei à summo Pontifice appellari potest ad concilium sicut patet, XIX dist. cap. *Anastasius*; et manifestum est quòd ad ipsum pertinet concilium de causis fidei definire, sicut patet ex auctoritate Gregorii : XV dist. cap. *Sicut*. »

Secunda hæresis : « eo quòd per illud excluditur Sedes apostolica ut dictum est » (nempe quatenus sedenti opponitur, et manere censetur, obeunte Pontifice), « et est manifestè hæreticum. »

Tertia hæresis : « eo quòd excludantur episcopi catholici ab omnimodâ cognitione, examinatione et decisione eorum quæ sunt fidei quod est contra jus divinum et humanum. »

Unde concludit condemnandum Joannem de Montesono [2], « et propter prava asserta, et propter frivolas appellationes; quia alioquin verisimiliter formidandum erit, quod deinceps apud judices ordinarios nemo compellatur erroneas suas assertiones revocare. Dubitabunt enim per varias appellationes, per processus longos, per graves impensas vexari, vel per falsas accusationes in famâ aut aliàs læsi; quod quàm magnum et apertum esse in fide ac moribus periculum, satis notum est. »

Hæc nos ex regestis vetustissimis descripsimus; hæc in bibliothecis habentur, nostrisque omnibus nota et confessa sunt. Sic sacra Facultas Sedis apostolicæ et episcoporum jura defendit; et, quod in re nostram conducit maximè, *in causis fidei à Papâ ad concilium appellari* posse docet : tum concilii esse officium de causis fidei *definire* eâ definitione scilicet, à quâ appellare non liceat.

[1] *D'Argentré, collect. Judic.*, etc., tom. I. part. II. col. 2. — [2] *Ibid.*, p. 88.

Hæc uno ore docebant theologi Parisienses; hæc docentes Clemens VII suscepit; censuram Facultatis confirmavit : atque hinc Joannis de Montesono in Clementem odia, ac scripta permulta pro Pontificibus qui Urbano VI successissent : quæ scripta Odoricus Rainaldus sæpè laudat [1]; quo fonte profecta sint tacet.

Neque objicias nullam esse auctoritatem Clementis, utpote antipapæ pro vero enim Papâ in Galliâ ac mediâ Ecclesiæ parte colebatur, adeo probabili ratione, ut multi sanctitate ac miraculis clari ei adhærerent. Itaque ab eo ejusque successore Benedicto, cum æmulis æquo jure certatum fuisse vidimus; tum ejus sententia plenam executionem habuit, probante Galliâ, ac nemine per totam Ecclesiam reclamante, ne Urbano quidem VI, quique ipsi adhærerent.

Et illi quidem, quo erant in Clementem Clementinosque odio, exprobrassent violatam Sedis apostolicæ dignitatem; victusque Montesonus Urbanum VI ac Bonifacium IX, quos omni ope tuebatur, acribus stimulis in adversarios instigasset.

His ergo perspicuè refelluntur ii, qui Parisiensium de potiore concilii potestate sententiam Constantiæ demum emersisse memorant; aut ad extremum Pisis inter ea certamina, quibus de æmulis Pontificibus tollendis litigabant. Ecce enim triginta annis ante Constantiense concilium, cùm necdum quidquam moveretur ad ambos contendentes in ordinem conciliari auctoritate cogendos, nostri in causis fidei à Papâ appellari posse ad concilium, coram eo quem colebant Papâ, ejusque consistorio, nemine reclamante, asserebant.

Quod autem in causis fidei synodus anteponenda crederetur, hinc sequi putabant absolutam concilii supra Papam auctoritatem; quia *indeviabile*, nempe concilium, *deviabili*, nempe Papæ, anteponi necesse sit.

Quo argumento usos in ipso Constantiensi concilio Petrum de Alliaco, ejusque discipulum Joannem Gersonem, nostrorum antesignanos ac sacræ synodi duces, alibi demonstravimus [2]; ut profectò constet, ad schisma extinguendum, nihil novi à nostris; sed quæ priùs animo hæserant, adversùs ecclesiasticæ pacis ac reformationis hostes fuisse deprompta.

CAPUT XXI.

Facultatis articuli adversùs Joannem Sarrazinum prædicatorem, paulò post Constantiense concilium, ac Martino V sedente.

Jam postquam de ambobus contendentibus in ordinem cogendis finitalis est; quid nostra universitas cum aliis universitatibus, imò

[1] *Rain.*, an. 1389, n. 19 et seq.; an. 1391, n. 24 et seq. — [2] *Vid.* in *App.*, lib. I. cap. 6.

cum totâ Ecclesiâ pro conciliorum potestate egerit, decreverit, scripserit; ut quæ Pisanæ et Constantiensi synodis præluxerit, suprà exposuimus [1]. Sed quandoquidem ea ad schismatis tempus, non autem ad omnia Ecclesiæ tempora pertinere fingunt, operæ pretium erit sacræ Facultatis audire sententiam, Constantiensi jam transacto concilio, compositis rebus, ac Martino V sedente.

Anno igitur Christi 1429, Martini undecimo, Facultas, priscis nixa dogmatibus, articulos refellebat, quibus Joannes Sarrazinus, ex prædicatorum ordine licentiatus, evertebat Constantiæ stabilitam de conciliorum auctoritate doctrinam.

Hi articuli sæpè vulgati jam in omnium sunt manibus [2]. Ex his aliquot seligemus.

Primus Joannis Sarrazini articulus : « Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à papali potestate, sunt à Papâ ipso, quantùm ad institutionem et collationem. » Sic Turrecremata postea ;si e deinde Cajetanus; sic moderni Lovanienses aliique censores nostri conciliorum potestatem in ipso fonte labefactant; dum omnem potestatem ac jurisdictionem ecclesiasticam à Papâ esse contendunt. At sacra Facultas hæc reprobans jubebat à Sarrazino hunc pronuntiari articulum : « Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à papali, sunt ab ipso Christo, quantùm ad institutionem et collationem primariam ; à Papâ autem et ab Ecclesiâ, quantùm ad limitationem et dispensationem ministerialem. »

Exquisitissimis verbis institutionem et collationem primam Christo attribuebat, à quo nempe constabat apostolatum, verbi causâ, et esse institutum et certis hominibus collatum : at limitationem ad certa quædam loca, certamque diœcesim, quam à Christo immediatè non esse constabat, non Papæ quidem soli, sed *Papæ et Ecclesiæ* tribuebat.

Joannis Sarrazini secundus articulus : « Hujusmodi potestates non sunt de jure divino, nec immediatè institutæ à Christo. »

Ejusdem tertius articulus : « Non invenitur Christum tales potestates, scilicet alias à papali, expressè ordinasse, sed tantùm supremam, cui commisit Ecclesiæ fundationem. » At sacra Facultas contrarios articulos à Sarrazino defendi jubet.

Ex his tribus articulis Sarrazinus inferebat quartum ; nempè : quod « tota auctoritas, dans vigorem statutis (conciliaribus) in solo summo Pontifice resideret. » At Facultas jubebat ab eo sic pronuntiari : « Quandocumque in aliquo concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto et Ecclesiâ catholicâ. » Rectè :

[1] *Sup.*, lib. v. cap. 7, 8 et seq. — [2] *Vid. d'Argent., Collect.*, etc., t. I. part. II. p. 227 et seq.

neque enim Petrus ait : *Visum est Spiritui sancto* et mihi ; sed Ecclesia collecta et pastores adunati : *Visum est Spiritui sancto et nobis* [1].

Ludit suo more anonymus gallicanarum libertatum hostis *, dum hæc ita torquet : « Potest Ecclesia sumi repræsentativè ; hoc est pro fidelium omnium pastoribus ; atque in isto sensu, verum est Ecclesiam dare vigorem statutis ; nec enim nihil faciunt reliqui episcopi ad robur decretorum synodalium ; sed summus Pontifex, ut caput totius mystici corporis, plus cæteris confert [2]. » Quæ nihil prorsus ad rem. Neque enim quærebatur utrum episcopi ad robur decretorum facerent *nonnihil*, ut frigidè ac miserè dicit anonymus ; neque an summus Pontifex plus conferret cæteris, utique singillatim sumptis ; sed in quo supponenda foret vis principalis conjuncta Spiritui sancto : decernebatque Facultas vim illam principalem, non in uno Pontifice, sed in ipsâ Ecclesiæ collectione ac repræsentatione esse positam, quod negabat Sarrazinus.

Jam articulo VII, ex pessimis *dogmatibus*, idem Sarrazinus pessimum corollarium istud inferebat : « Sicut nullus flos et nulla pullulatio, nec etiam omnes flores et pullulationes possunt aliquid in arborem ; quia hæc sunt propter arborem instituta et ab arbore derivata ; sic omnes aliæ potestates nihil de jure possunt contra summum sacerdotium : » quæ sacra Facultas revocari jubebat his verbis : « Aliqua potestas, scilicet potestas Ecclesiæ, de jure potest aliquid, et in certis casibus contra summum Pontificem. » Sic profectò docebat, summo Pontifice præstare Ecclesiam *ipsâ potestate ;* neque in uno schismatis casu, cùm nihil de schismate ageretur, nec Facultas diceret prævalere concilii auctoritatem in uno schismatis casu ; sed *certis in casibus*, iis scilicet, qui Constantiæ expositi erant, in fide, in schismate, in reformatione ; hoc est, in constituendâ generali disciplinâ. Quare vanus est anonymus, dum Facultatis propositionem de potestate concilii in Papam, ad schismatis restringit casum : « quando erat, inquit [3], incertum apud plerosque quis esset legitimus Pontifex ; » quod effugium ipsa Facultas prævidisse et in antecessum præclusisse videtur.

CAPUT XXII.

Pergit Facultas Parisiensis cohibere mendicantes post Basileense dissidium ac pacem : Facultas in priscâ sententiâ : decreta, vigente Pragmaticâ-sanctione.

Ut erant mendicantes in pontificiæ potestatis adulationem proni, Nicolaus Quadrigarii, ex ordine eremitarum sancti Augustini, Joan-

[1] *Act.*, XV. 28. — * D. Charlas. — [2] *Tractat. de Libert.*, etc., l. IX. c. 7. n. 8. — [3] *Ibid.*, n. 9.

nem Sarrazinum prædicatorem imitatus, hæc asserebat : « Quòd sola Papæ potestas in totâ Ecclesiâ est immediatè à Christo. » Vigilantissima Facultas sua decreta repetebat; quæque articulo primo Sarrazini opposuerat; ut suprà memorantur, iterari totidem verbis jubebat, anno 1432 [1].

Quid per ea tempora, ac vigente concilio Basileensi sacra Facultas Parisiensis, eique conjunctæ Coloniensis, aliæque Germanicæ nationis academiæ crederent, testatum voluit Pius II, cujus hæc ad Coloniensem academiam verba protulimus [2] : « Aderant legati Parisiensis scholæ, cujus est fama percelebris; adfuerunt aliquando et vestri, et aliorum studiorum Germanicæ nationis oratores; et unâ ore cuncti concilii generalis auctoritatem ad cœlum efferebant; » eam scilicet, quâ Eugenius sua de dissolvendo Basileensi concilio diplomata, rescindere jubebatur.

Retulimus etiam [3] quid, post translationem concilii Basileensis, Parisiensis Facultas, eique conjunctæ Coloniensis, Erfordiensis, et Cracoviensis egerint : nempè id assiduè repetebant, *indeviabile* concilium, *deviabili* Pontifici anteponi oportere.

Neque verò, rebus sub Nicolao V pacatis, sacra Facultas, atque Ecclesia gallicana ab instituto deflexerunt; cùm relatis hujus fœderis actis demonstraverimus [4], Constantiensem de conciliorum potestate sententiam his esse firmatam.

Quare, anno Domini 1460 [5], cùm Pius II in conventu Mantuano [*] regi regnoque gravia interminatus esset, Joannes Dauvet procurator generalis ab iis appellavit ad futurum generale concilium, fultus decretis sessionis v *magni concilii Constantiensis*, eamque secutæ Basileensis synodi, quæ eadem decreta Constantiensia innovarit, præsidente legato Sedis apostolicæ. Hæc igitur decreta à romanis Pontificibus comprobata, in Ecclesiâ gallicanâ vel maximè vigere testatur, regis atque omnium ordinum nomine, inficiante nemine, nemine conquerente; neque quisquam in Galliâ aliud cogitabat.

Soli mendicantes pontificiam potestatem solam immediatè à Christo, aliorum omnium potestatem à Petro esse dicebant : hi Pontificem supra omnia concilia extollebant. At sacra Facultas Joannem Manerii, theologiæ ex prædicatorum ordine professorem, hæc docentem compescebat; atque ex priscis decretis ad palinodiam adigebat, anno 1470 [6].

[1] *Vid. Dup.*, xv. sæc. p. 497, 498.— [2] *Bull. retr. Pii II; Vid. sup.*, c. xvii.— [3] *Sup.*, *hoc lib.*, c. xiii.— [4] *Ibid.*, c. xiv.— [5] *Preuv. des Libert.*, etc. part. ii. p. 40 et seq.

[*] Pius II, in conventu Mantuano, diris devovebat Pragmaticam-sanctionem, cujus *prætextu*, inquiebat, *summa sedis apostolicæ auctoritas lœditur*. Addebat quoscumque reges Papæ subditos esse oportere; et non modò non licere, sed *ridiculum esse ad concilium provocare*, etc. Vid. Conventum Mantuanum, tom. xiii Conc. col. 1748 et seq. (*Edit. Paris.*)

[6] *Vid. Dup.*, xv sæc. p. 501.

Ne prædicatoribus, ac sancti Augustini eremitis minores deessent, Joannes Angeli hujus ordinis, Papam supra canones evehebat his verbis : « Quòd Papa posset totum jus canonicum destruere et novum construere. » At sacra Facultas, à venerabili capitulo Tornacensi consulta, respondebat : « Hæc propositio est scandalosa, blasphematoria, notoriè hæretica et erronea [1]. »

Idem Joannes Angeli asserebat hæc * : « Quicumque contradicit voluntati Papæ, paganizat et sententiam excommunicationis incurrit ipso facto ; et in nullo Papa reprehendi potest, nisi in materiâ hæresis. » Respondit sacra Facultas : Hæc propositio est falsa, scandalosa, et sapiens hæresim manifestam, » anno 1482.

Anno 1497 ** Januarii 2, sub Alexandro VI, Facultas à Carolo VIII rege de habendo concilio generali consulta, respondit, « quòd summus Pontifex, et Pater sanctissimus tenetur de decennio in decennium congregare generale concilium, universalem Ecclesiam repræsentans ; et maximè nunc, cùm tanta sit deordinatio in Ecclesiâ, tam in capite quàm in membris, quæ cunctis notoria est [2]. » Sic Papam ad concilii Constantiensis canones adigebant, iisque teneri eum affirmabant.

Anno 1501, cùm idem Alexander VI certam pecuniarum collectam imperasset ; decanus et capitulum venerabile Parisiensis Ecclesiæ hoc suæ appellationis ac justæ defensionis fundamentum ponunt [3] : « Quòd sit omnibus notissimum per plura sacrosancta generalia concilia, præcipuè PER SALUBERRIMUM ET IRREFRAGABILE CONCILIUM CONSTANTIENSE, eidem immediatè subsequens BASILEENSE ORACULUM decretum declaratumque fuisse, ad dubia piarum mentium extirpanda, noxiasque in contrarium, et adulantes summo Pontifici falsitates abolendas ; omnes cujuscumque sint statûs, dignitatis, et potestatis, etiamsi prima sit et papalis, statutis et ordinationibus dictorum sacrorum conciliorum teneri, ligari et adstringi ; ita ut, si in contrarium quisque facere audeat et attentet, etiamsi romanus sit Pontifex, nullum sit et inefficax quod agit,.... præter id quod etiam de perperam attentato, præsertim, si Ecclesiam turbet aut scandalizet, et emendationi et correctioni universalis Ecclesiæ, cùm primum haberi sacrum concilium poterit, deferri ac subjici potest. » His se fundamentis gallicana libertas tuebatur ; et canones Constantienses, adversùs certum quoque et indubitatum Pontificem, ex paternâ traditione et scholæ Parisiensis placitis, exerebat.

Anno 1512, sub Julio II, Cajetanus librum edidit, *de comparatione*

[1] *Vid. d'Argentré, Coll.*, etc., tom. I. part. II. p. 304 et seq.
* Propos. XII. — ** Id est 1498.
[2] *Vid. op. d'Arg., loc. cit.* — [3] *Preuv. des Libert.*, etc., *loc. cit.*, c. XIII. n. 10. p. 49.

Papæ et concilii : quem librum Ludovicus XII ad Facultatem misit, ut eum examinaret, ac falsa refelleret, datis litteris, 19 februarii anno 1512. Sacra ergo Facultas, qui librum confutarent, Jacobum Almainum ac Joannem majorem elegit, quos testantes legimus : « Quòd ista sit conclusio, quam tenent omnes doctores parisienses, et galli; quòd potestas Papæ subjecta est potestati concilii; quòd ista sit resolutio scholæ Parisiensis et Ecclesiæ gallicanæ; quòd in universitate Parisiensi contraria sententia non probabilis habeatur, et qui tenuerit, in campo revocare cogatur [1]. » Quæ cùm sub oculis Facultatis, imò ejus mandato scripserint, Facultatem eorum ore loquentem audimus.

Hos libros Julius II nullâ censurâ notavit, cùm infensissimus Pontifex in Gallos totius orbis arma concitaret; sed antiquam probatamque doctrinam censuris proscribere nemo cogitabat.

CAPUT XXIII.

Post abolitam Pragmaticam-sanctionem, eadem doctrina apud nostros.

Pragmaticâ-sanctione, sub Leone X, regis consensu antiquatâ, hujus sanctionis sublatam disciplinam, in doctrinâ nihil esse immutatum vidimus.

Anno 1524, 30 novembri, frater Ludovicus Combont, præsentatus fratrum prædicatorum, hæc asserebat in actu, qui Aulica dicitur : « Licèt episcopus, qualis inter apostolos solus Petrus à Christo immediatè fuit consecratus, curatus verò jure positivo institutus, quoniam nec episcopus quispiam, Petro dempto, immediatè est à Christo institutus, » etc. Adscriptum in regestis Facultatis : « Quæ assertio magistris nostris præsentibus displicuit, quia falsa : » jussumque à sacrâ Facultate est, ut « Ludovicus Combont in Sorbonicâ oppositam conclusionem teneret, hoc adjecto, quòd oppositum non est probabile [2]. »

Quo sensu Facultas, ut episcopos, ita etiam curatos, à Christo esse velit, alibi exponemus [3] : hic quidem, quæ sunt hujus loci, exsequimur.

Per ea tempora jam Lutherus exsurrexerat in Sedem apostolicam, cujus cohibendus furor, sacerque ille primatus à Christo institutus asserendus fuit. Id sacra Facultas ex priscâ doctrinâ et Constantiensibus placitis egregiè præstitit. Itaque cùm à Francisco I Philippus Melanchton, atque alii germanici theologi acciti essent, qui de rebus theologicis cum nostris theologis tractarent; sacra Facultas hæc

[1] *Vid. Diss. prœv.*, n. XIII; *Almain., de potest.*, etc.; *in App.*, t. II; *Gers.*, col. 1070; *Maj., de auct.*, etc., *ib.*, col. 1144. — [2] *Vid. d'Argent.*, t. II. p. 5. — [3] *Infr.*, lib. VIII. c. 14.

regem commonuit [1] : « Interrogandos esse eos primùm, an confiteri velint, Ecclesiam militantem divino jure fundatam, indeviabilem esse in fide ac bonis moribus; cujus Ecclesiæ, sub Christò Petrus caput esset ejusque successores. Item : an velint eidem Ecclesiæ parere, ejusque doctrinæ et determinationi assentiri, ut veri Ecclesiæ filii, eique subditi. Item : utrum admittant determinationes et decreta conciliorum generalium Ecclesiæ. Item : an fidem adhibeant canonibus ac decretis romanorum Pontificum ab Ecclesiâ receptis et approbatis. » Hic anonymus aliique respondent attributam sanè Ecclesiæ et conciliis illam *indeviabilem* potestatem; non autem Papæ negatam. Quâ cavillatione nihil est vanius. Quid enim erat nisi negare, eam non attribuere, cùm id ageretur ut Papæ quæ sua sunt assignarent? Neque enim immemores hujus privilegii hoc faciunt; quippe cùm illud ipsum Ecclesiæ concilioque tribuant; sed planè memores Ecclesiæ tantùm, eamque repræsentanti concilio esse tribuendum, Ecclesiæ conciliisque absolutum obedientiam decernebant : Papæ ita tantùm, si ejus decreta ab Ecclesiâ recepta et approbata essent, et ubique obtinerent; quo sanè supremam ecclesiasticæ potestatis arcem in ipsâ Ecclesiâ catholicâ ejusque generalibus conciliis collocabant, anno 1535, septembris 15.

His consentanea Facultas protulit, cùm eodem anno conscripsit illos adversùs Lutherum articulos, quos alibi retulimus [2]. His Ecclesiæ et conciliorum generalium potestatem præ pontificiâ apertè commendabant : in horum decreta et fidem nihil errati irrepere posse fatebantur : ad ea referebant determinationem eam, quâ nulla certior esse posset : Pontifici tantùm obedientiam deberi docebant; non tamen ut ei, qui errare non posset; ex quo consequitur illa erga omnem legitimam potestatem solemnis exceptio, quam vidimus, ut ei pareatur, si nihil divino juri adversum imperet.

Hi articuli, anno 1535, à Facultate conscripti, atque anno deinde 1543 toto regno vulgati ac recepti, quid omnis gallicana teneret Ecclesia satis docent; neque desunt per idem tempus egregia testimonia, quibus mentem suam antiquæ doctrinæ hærentem comprobavit.

Nempè habita est Lutetiæ, anno 1528, ab Antonio cardinale Pratensi, archiepiscopo Senonensi, celeberrima ac sanctissima synodus provinciæ Senonensis [3], quibus et Lutheri errores damnarentur, et sancta ecclesiasticæ disciplinæ reformatio fieret.

Annotata sunt Lutheri dogmata; in his illud : « Primatus summi Pontificis non est à Christo. » Hæc ergo synodus ad ea confutanda ribus nititur [4] : « Quòd Ecclesia universalis errare non possit, utpote

[1] *D'Argent.*, tom. I. pag. 384 et seq. — [2] *Vid. in app.*, lib. I. cap. 1. — [3] *Conc. Senon.*, t. XIV. col. 428 et seq. — [4] *Ibid.*, col. 460; *Vid. Decr. gener.*, col. 441.

quæ regatur Spiritu veritatis secum manente in æternum, et quà Christus maneat usque ad consummationem sæculi. » Ho mum omnium ac validissimum fundamentum, quod lucul exponitur decreto primo de fide, his verbis [1] : « Una igitur et infallibilis Ecclesia, quæ nec à charitate decidere potest, orthodoxâ fide deviare, cujus auctoritatem qui in fide et secutus non fuerit, quasi Deum abnegaverit, *cui gloria in et Christo Jesu in omnes generationes* [2], infideli deterior habe

Alterum secundo decreto explicatur; *quòd Ecclesia non sit bilis.* « Quisquis igitur, inquit [3], tergiversandi studio invisib incertis sedibus errantem dixerit Ecclesiam, non hæresim dixisse, sed omnium hæresum puteum fodisse judicetur. »

Tertium, decreto tertio *de auctoritate sacrorum conciliorum* stituunt his verbis [4] : « Proinde, cùm certa sit et infallibilis E regula, nec aliquando invisibilitatis prætextu tandem eludi ea profectò sacris generalibus conciliis auctoritas derog potest, quæ proximè universalem repræsentant Ecclesiam. »

His igitur tribus fundamentis ponunt hæc consentanea, ut li canonicorum auctoritas, veraque interpretatio ab Ecclesiâ re valeantque traditiones etiam non scriptæ, quæ à primis Eccl principiis ad nos propagatæ fuerint; ex quibus deinde pe Lutheri dogmata condemnentur [5].

Sic ergo nostri, cùm Ecclesia auctoritatem exponerent, tificiâ infallibilitate aut superioritate nequidem cogitabant; conticescere in eo exponendæ ecclesiasticæ auctoritatis a nihil est aliud, quàm eam à certis probatisque arcere dogma

Itaque, anno 1562 et 1563, ex eâ doctrinâ in concilio Tri ambiguam formulam respuebant; Constantiensia; iisque co Basileensia decreta laudabant; ex eorum auctoritate conc potestatem unanimi consensu potiorem profitebantur; id to testatum ad summum Pontificem perferendum curabant, approbabant : quæ omnia alibi relata [6], hic memorata ta designata volumus.

CAPUT XXIV.

Acta Pasisiis apud prædicatores, Edmundo Richerio syndico, anno 16

Quibus curæ erat occultis machinationibus absolutam pote tueri, ac pontificiam auctoritatem omnibus conciliis totique Ecclesiæ anteferre, Galliam obstare suis consiliis sentiebant;

[1] *Conc. Senon.*, tom. XIV. col. 445. — [2] *Eph.*, III. 21. — [3] *Conc. Sen.*, *loc. cit.* — [4] *Vid. gener.*, col. 446. — [5] *Ibid.*, col. 447. — [6] *Vid. Diss. prævv.*, n. XIV.

is artibus agebant, ut apud nos quoque adulatoriæ sententiæ rent. Cæso igitur per infandum parricidium Henrico Magno, sub principe reginâ matre ac tutrice Italâ atque Italis-septâ, unum tempus mutationibus nacti, spargere libellos curiali nâ plenissimos, doctoribus adblandiri, sacram Facultatem que arte poterant in partes trahere, si possent; sin minùs ciere motus, et intestinis agitare dissidiis.

tunc syndicus sacræ Facultatis Edmundus Richerius, acer , et priscorum academiæ Parisiensis decretorum tenax. Is ultramontanis conatibus vehementissimè repugnabat.

o 1611, capitulum generale prædicatorii ordinis Lutetiæ Pari- n habebatur; quibus in conventibus solent theses proponere nissimo more. His inseruerunt: « Romanum Pontificem in moribus errare non posse: in nullo casu concilium esse supra : ad Papam pertinere dubia decidenda in concilio proponere, confirmare vel infirmare, partibus silentium perpetuum im- re[1].» Multæ turbæ. Grave videbatur hæc publicè in Galliâ agitari; cherius syndicus virum clarissimum Nicolaum Coeffeteau, rem Parisiensem et prædicatorum priorem, in ipsis pergulis, eco in publicis disputationibus considere doctores solent, doctoribus compellabat: « Rem indignissimam ac minimè lam: tentari patientiam Gallorum: si prædicti articuli intacti nt, statim Gallos, atque exteros sibi persuasuros, Sorbonam entio à majorum suorum placitis desciscere: publicum errorem à satisfactione eluendum. » Hæc gravissimè questus, jamque essurus, hoc responsum à priore tulit: « Se quidem inscio acta: injunctum sibi à regiis cognitoribus, caveret diligenter, is in eos articulos disputaret: patrem generalem præsidi ac denti strictissimè præcepisse, ne de illis partibus respon- t: has si quis attingeret, palam declararent sibi minimè esse m de illis agere. » Gratum Richerio id publicè edi: ita enim iturum, non probari ut hæc in Galliâ liberè propugnentur. e ejus jussu quidam baccalaureus * argumentari cœpit; quòd in legeretur: *In nullo casu concilium esse supra Papam*, concilio menico Constantiensi et legitimo thesim esse contrariam, adeo- hæreticam. Quo argumento facto præses semel et iterum pro- tiavit, « se has conclusiones non potuisse animo offendendæ aca- e, aut Facultatis Parisiensis, quam velut academiarum omnium rem agnosceret; sed tantùm veritatis disquirendæ gratiâ: neque e partem velut de fide, sed velut problematicam posuisse; siqui-

[1] *Id. apud Rich. ante libell. de Eccles. potest.*
* Claudius Bertin.

dem constaret, multas universitates hanc conclusionem tueri co
sententiam academiæ Parisiensis. »

Aderant frequentissimo cœtu viri omnium ordinum illustris
eminebant cardinalis Perronius, ac Sedis apostolicæ nuntius : a
etiam academiæ rector. Nuntius apostolicus jubebat disputatio
procedere : baccalaureus iterum atque iterum hæresim esse inc
bat : vocatus à Perronio Richerius, synodi Constantiensis aucto
tem asserebat ; thesim publicè propositam publicè confutari
tere. Tandem Perronius sæpè professus quæstionem problema
esse, disputationi finem imposuit, alia tractari jussit ; consti
omnino coram tanto cœtu ac nuntio apostolico, etiam profe
præsidis theses proponentis, quænam sententia Facultatis
quàmque hæc innoxiè tueretur. Rei gestæ seriem actu auth
Richerius edidit, quæ narratio publici juris facta in omnium est
nibus. Subscripsere rector academiæ, ipse Richerius syndicus,
catique ab ipso testes, ac Bidellus seu notarius sacræ Facultatis.

CAPUT XXV.

Edmundi Richerii liber *de Ecclesiasticâ et Politicâ Potestate* : aulicæ artes : Facultatis : episcopales censuræ : quo fundamento nixæ : de priscâ sententi motum.

Per eam occasionem, non ita multò post, eodem scilicet anno
defensurus Richerius antiquam scholæ Parisiensis de concili
potiore potestate sententiam, tacito nomine libellum edidit, *de E
siasticâ et Potestate*, cui conjunctæ prodierunt sacræ Facultatis
ræque censuræ, quas memoravimus.

Richerius undique magnis hostibus premebatur ; magnæ illi,
cultatis ac totius academiæ nomine, cum jesuitis simultates ; m
hominum concursu ac studio lites agitabantur ; perviceratque Ri
rius, ut jesuitæ senatûs-consulto hæc profiteri juberentur[1] : »
amplecti scholæ Sorbonicæ doctrinam, maximè in iis, quæ ad
tem auctoritatemque regum, atque ab antiquo semper custodit
observatas Ecclesiæ gallicanæ libertates tuendas pertinerent ; »
rum libertatum validissimum firmamentum majores nostri in
ciliorum priori ac superiori potestate reponebant. Hæc, 22 dece
anno 1611, ab amplissimo ordine jussa, 22 februarii à jesuitis
scripta in curiæ auctoritatibus continentur[2]. Superscripsere
alios viri ornatissimi atque omni laude cumulati, Fronto-Duc
Jacobus Sirmundus, quos honoris causâ appellatos volo.

Concitabatur interim adversùs Richerium romana curia, aula

[1] *Extr. des regist. du Parlem.* 22 *févr.* 1612 ; Vid. *Pièces conc. l'hist. de Louis XIII*, t.
p. 21. — [2] *Ibid.*, p. 29.

gia, ipsa Facultas, ipse clerus. Cardinalis Perronius archiepiscopus Senonensis, vocatique comprovinciales episcopi ita decreverunt: « Libellum de ecclesiasticâ et politicâ Potestate censurâ et damnatione dignum judicavimus et declaravimus, et reipsâ notamus et damnamus, ob multas quas continet propositiones, expositiones, et allegationes falsas, erroneas, scandalosas, et ut sonant, hæreticas, juribus tamen tam regis quàm Ecclesiæ gallicanæ, ejusque immunitatibus et libertatibus per nos non tactis. Parisiis in congregatione provinciali anno 1612, Martii 9[1]. »

Similem censuram ediderunt Paulus Huraldus archiepiscopus Aquensis, et comprovinciales[2]; nisi quòd de regis juribus et Ecclesiæ gallicanæ libertatibus tacuerunt, eodem anno, Maii 24.

Nullæ notatæ sunt propositiones; quod censuræ genus anceps, multi querebantur sacræ doctrinæ nihil afferre lucis, fraudibus locum dare. Cæterùm nemo dixerit, antiquam de concilii potiore auctoritate sententiam à Perronio damnatam[3]; quam, aliasque ei conjunctas *problematicas* esse toties in egregiis scriptis, ac nuperrimè apud prædicatores in amplissimo cœtu vivâ voce pronuntiaverat.

Propositiones in Richerii libello improbatas has ad Casaubonum scripsit[4]: « Quòd presbyteri cum episcopis aristocratici regiminis more in partem ecclesiasticæ administrationis vocentur: quòd electiones jure divino nitantur, ex quo consequatur à regibus, qui antistites designent, contra jus divinum peccari: quòd regimen aristocraticum omnium sit optimum, et naturæ convenientissimum; quo directè status monarchicus oppugnetur: quòd omnis principatus à subjecti populi consensu pendeat: quòd Deus influat in supposita analoga, hoc est, in civitates ac regna, ipsamque communitatem priùs et propriùs ac principaliùs, quàm in partes, quæ non aliter agant, quàm ut instrumenta eorum suppositorum et communitatum; quo fiat, ut principes ac reges non ipsi regerent, sed communitas per ipsos tanquàm administros. » His addebat Perronius habere se præ manibus ipsam Richerii thesim anno 1591 in Sorbonâ propugnatam: « Quòd ordines regni regibus potestate antecellant: quòd Henricus III justè cæsus sit ut tyrannus, eique similes armis et insidiis insectandos: Jacobum Clementem ad eum cædendum disciplinæ ecclesiasticæ studio et amore legum ac patriæ libertatis incensum: » hæc igitur quæ nunc libello edito Richerius docuisset, ex horrendis illis, et penitus imbibitis erroribus prodiisse.

Ex his sanè patet satis multa memorata, quæ aulam, quæ clerum, quæ omnes ordines in Richerium commoverent. Certè nemo

[1] *Conc. noviss. Gall. Odesp.*, p. 623; Vid. *Ambass. de du Perr.*, lib. III. p. 693.— [2] *Odesp.*, p. 624.— [3] *Vid. Diss. præv.*, n. LXXXIX.— [4] *Vid. Ambass.*, etc., p. 695.

dixit fuisse damnatum, quòd antiquam Facultatis sententiam tueretur; quique eâ causâ maximè insectabantur eum, alia omnia obtendebant.

Imò recordemur Duvallium, cùm adversùs Richerium infensissimo animo scriberet, hæc diligentissimè docuisse: juxta sententiam academiæ Parisiensis, concilii potestatem papali anteferri: infallibilitatem ad concilium generale solùm referri: utramque sententiam ab omni censuræ notâ esse liberam: quæ suprà descripta [1], nunc tantùm à nobis commemorari oportet.

His igitur liquet, sacram Facultatem nihil antiquæ doctrinæ degagasse, cùm 1 septembris anno 1612, editâ conclusione, Richerium regio jussu syndicatu expulit; cùm ei « gratias agendas censuit, ob res præclarè in syndicatu gestas, libro excepto de Ecclesiasticâ et Politicâ Potestate [2]: » quâ exceptione nec librum censurâ notavit, quem nec examinaverat, et cætera, ac præsertim ea, quæ apud dominicanos recentissimâ memoriâ gesserat, approbavit.

Cæterùm ex regestis parlamenti constat, nuntii apostolici auditorem, clam conventis doctoribus id egisse omni ope, ut liber censurâ notaretur, improbareturque antiquorum Facultatis editio decretorum, tanquam Richerius, his editis, arcana Facultatis ejus injussu, præter fas, evulgaverit, aut sacra Facultas clam habere vellet, quæ à ducentis annis palam decreta et gesta in acta retulerit.

Quid postea egerit Richerius; quid passus sit cardinalis Richelii tempore; quid retractaverit; quid defenderit; quomodo retractationem explicaverit; quid denique scripserit; quid testamento facto orbi christiano testatum voluerit; qualia sint ejus scripta post mortem publicata, nostrâ parvi refert, qui sacræ Facultatis atque Ecclesiæ gallicanæ, non unius privati hominis, causam agimus.

Hoc certè non diffitemur, cùm plerique Richerium pessimè haberent, quòd antiqua decreta coleret; multos eo exemplo fuisse deterritos, ne ea apertè tuerentur. Sed nos aulicis artibus gesta nihil moramur; sacræ Facultatis gesta referimus.

CAPUT XXVI.

Acta Facultatis adversùs Marcum Antonium de Dominis et Theophilum Milleterium: item de Ludovico Cellotio ad Francisco Guillovio.

Anno 1617, Facultas censurâ notavit quatuor priores libros de Republicâ Christianâ Marci Antonii de Dominis *. Atque ille quidem de

[1] *Diss. præv.*, n. XVII et seq. — [2] *Vid. post Rich. Defens. libell. de Eccles. Potest.*

* Marcus Antonius de Dominis, primùm jesuita non parum doctus, et, ut ipse profitetur, *Romanæ Sedis placitis addictissimus*, deinde archiepiscopus Spalatensis, scripsit *de Republicâ Ecclesiasticâ libros* X, ut variâ eruditione plenos, de argumentis subtilioribus obsitos. Ille in Angliam profugus hos edidit libros, à quibus legendis multùm deterreri debent tirones

Ecclesiâ romanâ sic docebat : « Erat ergo, et est Ecclesia præcipua nobilitate, existimatione, nomine et dignitatis auctoritate; non regiminis et jurisdictionis principatu : » quâ de re Facultas sic censuit : « Hæc propositio est hæretica et schismatica, quatenus apertè insinuat romanam Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias Ecclesias non habere [1]. » Vigilantissimè omnino *in alias Ecclesias*, non in ipsam adunatam atque collectam universalem Ecclesiam. Provida ac docta Facultas adversùs novos hæreticos, romanum principatum sic asserit, ut antiquæ doctrinæ, et decretorum Constantiensium ubique recordetur.

Quod autem ille auctor diceret [2], « à Parisiensibus unum supponi Papam universalem, qui toti præsit Ecclesiæ universali, tanquam episcopus universalis, eadem Facultas *suppositionem, quam Parisiensibus tribuit, falsam* judicavit, « cujus falsitas in hæc verba, TANQUAM EPISCOPUS UNIVERSALIS, cadit, quasi alii episcopi sint tantùm Papæ vicarii. » Sic fœdam et adulatoriam ac postremis temporibus ortam sententiam, ex cujus decretis Papam conciliis anteponunt, priscæ traditionis memor à se amolitur. Hujus verò censuræ Duvallium ejusque asseclas, auctores extitisse constat; neque effecerunt, ut sacra Facultas à priscorum decretorum auctoritate ac sententiâ recederet.

Anno 1641, Ludovicum Cellotium * conciliorum auctoritati detrahere visum, eoque nomine censurâ notatum, sacra Facultas suscepit affirmantem et profitentem illud : nempe, « conciliorum generalium convocationem quandoque necessariam [3]. »

Cùm Milleterius de usu pœnitentiæ quæstione motâ librum edidisset sub hoc titulo : *Le Pacifique véritable*; quo libro assereret, « Sedis apostolicæ decreta de fide, eo solùm statu esse infallibilia, si in conciliis œcumenicis fierent, atque in solis conciliis œcumenicis consensum unanimem Ecclesiæ declarari; » Facultas sic censuit : « Hæ propositiones in quantum infallibilitatem Ecclesiæ universalis, in nullo alio statu quàm in solo concilio œcumenico congregatæ tribuunt, et ipsam aliquo tempore legitimi usus pœnitentiæ cognitione caruisse supponunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ, et hæreticæ [4]. » Sic cùm de conciliis generalibus ac Sede apostolicâ agere-

theologi, ne eruditionis specie plus æquo permoti, captiosâ probabilitate fallantur. Cæterùm ex his libris nonnulla excerpi possunt utilia. (*Edit. Paris.*)

[1] *Vid. Cens. Facul. post Def. Rich.*, prop. XXII. *ap. de Dom.*, t. I. l. II. c. 8. n. 13. p. 182. — [2] *Prop.* XLVII. *ap. de Dom.*, lib. IV. cap. II. n. 15. p. 484.

* Ille adversùs Petrum Aurelium scripserat librum, cui titulus est : *de Hierarchiâ Ecclesiasticâ*, in quem ad se delatum sacra Facultas delectos doctores jusserat inquirere. Censura jam parabatur, et multæ propositiones notabantur, ut *novæ, falsæ, periculosæ, temerariæ, ridiculæ*, quando cardinalis DE RICHELIEU censuram edi vetuit, pollicitus jesuitam omnia sua explanaturum et emendaturum. (*Edit. Paris.*)

[3] *Vid. apud d'Argent.*, tom. III. p. 40 et seq. — [4] *Ibid.*, p. 18 et seq.

tur, sacra Facultas antiquis decretis hærens, infallibilitatem non Sedi apostolicæ soli, sed Ecclesiæ universali tribuit, eamque constare docuit, non tantùm in conciliis generalibus, sed etiam in Ecclesiâ toto orbe diffusâ; prorsus ex eâ fide, quam professa erat adversùs Sarrazinum : « Quod in conciliis tota auctoritas, dans vigorem statutis, residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu sancto et Ecclesia catholica : » ut Spiritus sanctus toti catholicæ unitati primitus adhæreat, eaque sit radix, undè certitudo et infallibilitas in concilium quoque œcumenicum, hoc est, in ipsam christiani nominis repræsentationem influat : quæ mirum in modum cum gallicanæ Declarationis articulo IV congruunt.

Franciscus Guillovius baccalaureus, pro minore ordinaria responsurus, multa in thesi proponebat, quibus auctoritati episcoporum à Christo institutæ, eorumque in conciliis assidentium judiciariæ potestati derogaret. Anno 1656, Facultas actum distulit, atque eodem anno, 15 Januarii, suscepit baccalaureum hæc scripto professum[1] : « Agnosco et fateor episcoporum jurisdictionem esse juris divini, et esse immediate à Christo, eosque in conciliis generalibus verè esse judices, atque in iis ex eorum judiciis summum Pontificem pronuntiare. »

Hæc si intelligimus, confectam esse constabit quæstionem nostram. Profectò enim si quis est ex provisione Christi infallibilis, is non ex aliorum, sed ex suo judicio pronuntiat : alioqui sui dubius, neque satis conscius assistentis Spiritûs, aliis se permittit. Ac si media, ut vocant, humana requirere necesse sit; consilia sanè, non judicia, consiliariosque qui doceant ac suadeant, non judices qui secum assideant ac decernant, exquirere oporteat.

Ex his dogmatibus jussu Facultatis emendata thesis atque in meliorem formam reducta est; quæ res in actis Facultatis sic perscripta est : « Ex ultimâ appendice, in quâ plus inerat involutæ difficultatis circa apostolatum ipsum, et annexa apostolatui gratiarum dona et potestates; necnon jura episcoporum in convocandis synodis particularibus, et in sanciendis cum summo Pontifice conciliorum generalium definitionibus; quidquid detorqueri poterat contra veritatem, totum illud erasum fuit[2]. »

Ergo diligens lector sequentes consideret propositiones, quas Facultatis acta commemorant in thesi erasas esse, intelligatque, quænam illa sint, *quæ detorqueri possent contra veritatem*. Prima propositio erasa : « Petrus in primatu Christi consors et socius participatione factus est : » quæ profectò si starent, haud magis Pontifici, quàm Christo sacra concilia anteferri possent.

[1] *D'Argent.*, tom. III. p. 70. — [2] *Ibid.*, p. 69.

Erasum quoque illud, quod à sancto Leone depromptum videretur; sed procul ab ejus mente deflexum : « Si quid Christus cum Petro cæteris voluit commune esse apostolis, nunquam nisi per Petrum dedit, quidquid illis non negavit [1] : » ne, quod est absurdissimum, apostoli proximè à Petro, non autem à Christo ad apostolatum ordinati videantur. Neque illud Facultas in thesi reliquit : « Solus Petrus successores habet apostolos; » quo Guillovius episcopos ab apostolorum successione ac jure, contra omnem antiquitatis fidem, penitus amovebat.

Deletum etiam illud : « Solus Pontifex episcopos in concilium, vel particulare, vel generale, nonnunquam ad melius necessarium convocat. » Hoc nempè erat quò Facultatem dicentem audivimus, involvi à Guillovio *jura episcoporum in convocandis synodis particularibus*. Nec placebat illud, *ad melius necessarium*, convocatas synodos; quia illud *melius* infringebat, illud *necessarium*, quod *quandoque* agnoscendum, ad convocandas synodos etiam generales, Facultas decreverat adversùs Cellotium.

Denique erasum illud : « In conciliis Pontifex, auditis episcoporum sententiis ac judiciis, pro suâ auctoritate certoque ac infallibili charismate, verbum Dei pronuntiat; » quod si admitteretur, jam episcopi in conciliis consiliarii tantùm, nec nisi nomine tenus judices haberentur; atque in solo Pontifice auctoritas resideret; eaque evanesceret, quam Facultas agnoverat, à Christo profectam auctoritatem episcoporum, *in sanciendis cum summo Pontifice conciliorum generalium definitionibus*.

Itaque deletum illud : « Pontifex, auditis episcoporum sententiis ac judiciis, pro suâ auctoritate pronuntiat; » cujus loco repositum est : « Ex illorum sententiis ac judiciis ipse pronuntiat : » sublato etiam *certo illo atque infallibili* Pontificis *charismate*, quo quidem episcopi papali sententiæ obnoxii, non etiam ipsi judices, verique assessores essent : adeò nova hæc à Facultatis sententiâ abhorrebant.

Neque prætermittendum istud, jussu Facultatis in thesi repositum. Posteaquam nempè scriptum est : « Petrus totius Ecclesiæ fundamentalis petra, et pastor universālis, apostolorum princeps à Christo constitutus; » jussu etiam Facultatis adscriptum; « jure etiam divino cæteri episcopi singularium plebium capita; » cùm baccalaureus tantùm *optimates* scripsisset : tanquam unus tantùm romanus episcopus, non autem cæteri episcopi, veri à Christo instituti Ecclesiarum principes et capita haberentur.

Erat tum clerus gallicanus frequentissimo cœtu Parisiis congregatus. Scriptum ergo est in regestis Facultatis [2] : « Domini episcopi

[1] *Leo. Mag., Serm.* III *in anniv. assump. ejusd.* — [2] *D'Arg., loc. cit.*, p. 70.

gratias egerunt Facultati, ex parte totius cleri gallicani, pro suâ in defensione jurium hierarchici ordinis cura et sollicitudine, idque per organum D. Petri de Berthier, episcopi Montalbanensis : « quæ etiam in cleri actis habentur, ut doctrinam Facultatis ab episcopis et clero gallicano comprobatam esse constet.

Jam ergo arbitramur intellectam omnibus, sacræ Facultatis, totiusque adeò Ecclesiæ gallicanæ doctrinam, id primum, Ecclesiæ universali ejusque unitati conjunctam vim Spiritûs, radicemque infallibilitatis in ea unitate esse sitam, quæ in concilium universalem Ecclesiam repræsentans transfundatur; solum illud esse, quod à fide deviare non possit. Ergo Pontificem qui deviare possit, Ecclesiæ indeviabili meritò esse subditum, in casibus certè illis generalibus quæ Constantiensibus decretis continentur; ac proinde episcopos jure divino institutos, romanoque Pontifici, maximè in judicandis fidei quæstionibus, non consiliarios, sed assessores et conjudices datos, ex quorum judiciis ipse pronuntiet; adeòque interdum convocationem conciliorum generalium esse necessariam : quæ profectò vacant, si romanus Pontifex, vel solus, non autem cum Ecclesia conjunctus, infallibilitate, atque adeò suprema et indeclinabili potestate gaudeat.

Hinc Ecclesiæ status constitutus, atque in thesibus prædicti Francisci Guillovii jussu Facultatis scriptum : « Ecclesia jure divino monarchia est, tametsi aristocratia temperata. » Monarchia quidem, quòd habeat *principem* Petrum ejusque successorem pro tempore sedentem; temperata aristocratia, quòd Petri successori à Christo dati sunt episcopi, ut veri principes ac judices, ex quorum judicio pronuntiet.

Hinc damnatus Marcus Antonius de Dominis, ejusque propositio (XII) habita est « schismatica et hæretica, quatenus vult, Ecclesiam universalem secundùm se totam esse aristocraticam. »

Id qui adversari putant antiquæ sententiæ, quæ Papam subdit concilio, hos ego affirmavero nunquam in nostrorum libris versatos fuisse. Gerson quidem assiduè Ecclesiæ statum agnoscit monarchicum. Hunc alii sequuntur; atque omnia maximè conciliant, dum romano Pontifici tribuunt, ut Ecclesiis quidem singulis; non autem toti Ecclesiæ collectæ et adunatæ præstet, et habeat quidem *plenitudinem apostolicæ potestatis;* sed conciliorum et canonum auctoritate tanquam aristocratiæ temperamento moderandam.

CAPUT XXVII.

Articuli Facultatis ad Ludovicum Magnum allati : censuræ Vernantii et Guimenii Alexandri VII bulla propositio Strigoniensis, ejusque censura.

Ex his ergo decretis toties iteratis, ac perpetuâ traditione servatis, sacra Facultas Ludovico XIV Magno sex illos articulos, toto postea regno, edicti regii auctoritatè, vulgatos attulit, quos suprà recensitos[1] hic prætermisimus, anno 1663.

Metuebat rex maximus, metuebat sacra Facultas, atque optimus quisque, ne gliscens adulatio antiquorum decretorum robur et innatam Galliæ libertatem infringeret.

Anno 1658, excusus est Metis, quodam carmelitâ auctore, sub Jacobi Vernantii nomine liber, cum hoc ambitioso titulo : *La défense de l'autorité de notre saint père le Pape, de nosseigneurs les cardinaux, les archevêques et évêques, etc.*, quem librum sacra Facultas, à Pictaviensibus parochis consulta, multis, habitis, per duos ferè menses, publicis ac privatis congregationibus, censurâ notavit *, ac censuram confirmavit 26 Maii anno 1664.

Quòd igitur Vernantius soli summo Pontifici, infallibilitatem activam, passivam Ecclesiæ et conciliis tribueret[2], sacra Facultas sic censuit : « Hæ propositiones, quatenùs excludunt ab Ecclesiâ infallibilitatem activam seu auctoritatem emergentia circa fidem dubia, infallibilis veritatis oraculo tollendi et explicandi, falsæ sunt, temerariæ, scandalosæ et hæreticæ. »

Quod statuebat Vernantius, « Papam soli Deo subjici, nec nisi divinâ potestate papalem posse restringi potestatem, eique nullis legibus modum poni[3]; » Facultas proscribit his verbis : « Hæc propositio, intellecta de usu et exercitio potestatis papalis, falsa est, Ecclesiæ et conciliorum auctoritati derogans : » diligentissimè omninò, atque ex majorum non modò decretis, sed etiam verbis, papalem potestatem, utpote divinitus institutam, Deo soli quoad se ; *quoad usum et exercitium*[4], sacris canonibus conciliisque subjiciunt.

Vernantius, nisi Papa infallibilis haberetur, aiebat mutandam professionem eam, quâ credimus sanctam Ecclesiam catholicam et romanam[5]; quod abominata Facultas sic censuit : « Hæc propositio est falsa, temeraria, scandalosa et in fide periculosa ; » quippe quæ, ut jam diximus, catholicam fidem pendere vellet à dubiâ, ne quid dicam gravius de pontificiâ infallibilitate, sententiâ.

[1] *Vid. Sup.*, lib. I. sect. I. cap. 5 ; *et in App.*, lib. III. c. 11 ; *Sup.*, lib. I. sect. I. c. 12.
* 24 Maii.
[2] *Prop.* I et II *ap. Vern.*, pag. 254. — [3] *Prop.* III. *Vern.*, p. 110. — [4] *Gers., de Potest. Eccl., Cons.* X. — [5] *Prop.* IV. *Vern.*, p. 247.

Asserebat Vernantius, « à solis hæreticis ac schismaticis peti concilia, ut perturbandæ Ecclesiæ locus esset [1]. » At sacra Facultas : « Hæc propositio universim sumpta, est scandalosa, Ecclesiæ conciliis generalibus, ac sublimioribus potestatibus contumeliosa; » quippe quæ sæpè œcumenicis conciliis congregandis operam dederint, atque ad ea etiam provocarint.

Cùm Vernantius conciliaris potestatis ac jurisdictionis fontem in uno Pontifice collocaret [2], Facultas sit statuit : « Hæ sex propositiones, in quantum asserunt, Ecclesiam in concilio generali congregatam non habere à Deo immediatè jurisdictionem ac auctoritatem, falsæ sunt, verbo Dei et concilii Constantiensis definitioni contrariæ, et olim à sacrâ Facultate reprobatæ. »

Negabat Vernantius, unquam examinatum, aut ulli appellationi fuisse subjectum id quod romani Pontifices decrevissent [3]; Facultas è contra : « Hæ quatuor propositiones falsæ sunt, quatenùs quædam asserunt, et aliæ inuunt, in nullo casu à summo Pontifice appellari posse; sacræ conciliorum auctoritati detrahunt, ac germanis Ecclesiæ gallicanæ libertatibus sunt contrariæ. » Gallicanam libertatem, contra quod Petrus de Marca non satis consultò dixerat, in supremâ conciliorum potestate nixam profitentur.

Quòd Vernantius diceret, cujusdam doctoris de pontificià infallibilitate sententiam à Facultate esse laudatam [4], id à se Facultas amolitur his verbis : « Hæc propositio imponit sacræ Facultati, quæ mentem suam aperuit in articulis contra Lutherum, et in declaratione factâ apud regem christianissimum, » anno 1636.

Vernantius dixerat, eamdem, quam Christus à Patre acceperat potestatem, totam in romano Pontifice esse collatam [5] : quæ documento sunt, quàm hujusmodi homines cæco et interdum impio ferantur impetu. At quæ in eam sententiam congesserat, Facultas, « ut scandalosa, piarum aurium offensiva, et ut verba præ se ferunt, blasphema » rejecit.

De fidei regulâ, quod Vernantius scripserat [6], Facultas condemnavit his verbis : « Hæc propositio, quâ parte asserit summum Pontificem esse veram regulam fidei, temeraria est, et in errorem inducens; » quod nempè *in errorem inducat,* is qui pro regulâ fidei ponat Pontificem, quem infallibilem esse non constet.

Quæ Vernantius de jurisdictione episcoporum à romano Pontifice profectâ dixerat [7], Facultas sic rejicit : « Hæ propositiones, quarum duæ priores asserunt apostolos non fuisse constitutos episcopos à

[1] *Prop.* v. *Vern.*, p. 105. — [2] *Prop.* vi. et seq.; *Vern.*, p. 358, 721 et seq. — [3] *Prop.* xii et seq. *Vern.*, p. 100, 244, 279, 428. — [4] *Prop.* xvi. *Vern.*, p. 241. — [5] *Prop.* xvii. et seq. *Vern.*, p. 53, 128, 145, 243. — [6] *Prop.* xxiii. *Vern.*, p. 128. — [7] *Prop.* xxv et seq. *Vern.*, p. 44, 49, 376, 382, 384, 388, 397, 455.

Christo; cæteræ verò, potestatem jurisdictionis episcoporum non esse immediatè à Christo; falsæ sunt, verbo Dei contrariæ, et olim à sacrâ Facultate reprobatæ. » Hactenus Vernantii censuram referre placuit : cætera ad alium locum pertinent.

Amadæus Guimenius * omni recentiorum casuistarum fæce collectâ, id etiam de pontificiâ infallibilitate scripserat, *de fide eam esse*, atque ita inferebat : « Ecclesia errare non potest, et consequenter nec caput ejus : » quem sacra Facultas, damnatis opinionum portentis, hâc etiam in parte notandum censuit his verbis [1] : « Doctrina his propositionibus contenta et illata, falsa est, temeraria, scandalosa, gallicanæ Ecclesiæ libertatibus contraria, universitatibus, theologicis Facultatibus ac orthodoxis doctoribus contumeliosa, » anno 1665. Sic duæ censuræ adversùs Vernantium et Guimenium processerunt. Confutati acriter, quòd nostra damnabant; quòd autem contraria sequerentur, coerciti tantùm, sed pro innatâ Gallis, ac nostræ Facultati modestiâ, nullâ hæreseos aut etiam erroris notâ inusti sunt.

Has igitur censuras nostrâ memoriâ accuratissimas atque elaboratissimas, summâque moderatione libratas esse constat; nec tamen defuere, qui Alexandrum VII adversùs modestissimam Facultatem, antiqua et probata tuentem, instigarent.

Ille igitur ad regem adversùs Sorbonicas censuras gravem expostulationem habuit, datis litteris 6 aprilis anno 1665 [2]. At rex prudentissimus, nihil se commovit, gnarus scilicet impositum fuisse Pontifici, ac Sorbonicos priscæ sententiæ institisse.

Anno 1665 **, bulla Romæ prodiit, quâ censuras adversùs Vernantium et Guimenium, « uti præsumptuosas, temerarias, atque scandalosas, cassas et irritas declarabat, defendique et allegari sub excommunicationis pœnâ apostolicâ auctoritate prohibebat; ulterius judicium de prædictis censuris, deque opinionibus in libris Jacobi Vernantii et Amadæi Guimenii sibi et Sedi apostolicæ reservabat. » Gravis ea reservatio videbatur quâ ferre cogeremur interim, quæ adversùs hierarchiam ac mores dudum invalescerent portenta opinio-

* Amadæus Guimenius, sive potiùs Matthæus DE MOTA, jesuita Audomarensis, hunc impium juxtà et impudicum librum Lugduni edidit, *cum approbationibus Hieronymi La Chiana, è societate Jesu, Luysii à Valentiâ provincialis capucinorum*, et duorum carmelitarum; quem librum cum suis censuris configeret sacra Facultas 3 febr. 1665, verita exscribere, impudicissimas propositiones, sic censebat : « Hæ propositiones, quas sacra Facultas verbis tantùm » initialibus designandas de industriâ judicavit, ut modestiæ et pudori castarum aurium ac » mentium consuleret, sunt turpes, scandalosæ, propudiosæ, nefandæ piarum aurium offen- » sivæ, atque ab Ecclesiâ et ab omni hominum memoriâ prorsus abolendæ. » Collect. Jud. etc. D'ARGENTRÉ, tom. III, p. 114. (*Edit. Paris.*)

[1] *Cens. Guin. d'Arg.*, etc.; *et ap. Guin., de Bapt.*, prop. II. n. 4. pag. 177. — [2] *Vid. Dup.*, XVII. sæc.

** 25 Junii.

nam, neque minùs periculum quòd theologicæ Facultates, ipsique adeo episcopi tanto in Ecclesiæ discrimine elingues fierent.

Grave item illud, quod erat in bullâ de Vernantii et Guimenii opinionibus dictum, præsertim iis *quæ ad actionum moralium regulam* pertinerent; « nempè eas opiniones et gravissimorum scriptorum auctoritate et perpetuò catholicorum usu nixas; » quod Ecclesiæ catholicæ maximo dehonestamento verteret.

Hoc pontificium diploma, tametsi non erat ad nos solemni more missum; Româ tamen in privatarum epistolarum fasciculis pervenit in Galliam.

Deputati à Facultate qui rem examinarent, constitit apud omnes, diploma Pontificium inquisitionis esse opus; editum quippe, non de fratrum concilio in publico consistorio, sed « auditis suffragiis cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum : » qualia nemo unquam in Galliâ admisit, præsertim cum illâ clausulâ, *motu proprio*, quàm novam et prisco jure incognitam, maximè in fidei quæstionibus gallicana Ecclesia non admittit.

Certum erat et illud, ut etiam optimâ formulâ constaret, nequidem ad nos pertinere bullam, quæ more solemni missa non esset; neque ipsi Pontifici eam mentem inesse ut Gallos obligaret, iis ritibus prætermissis, qui antiquo Gallorum, imò totiùs Ecclesiæ jure nitantur.

Itaque Facultas quiescendum rata : rector academiæ admonitus, sacræ Facultati spopondit suam et universitatis operam minimè defuturam, more majorum, si quid gravius contingeret; senatus bullam divulgari vetuit*; neque ulteriùs processit negotium. Itaque censuræ suo apud nos loco steterunt : bulla annumerata iis, quæ ignota, nihil ad nos pertinerent.

Qui hæc perpenderit facilè intelliget, sacræ Facultati cum clero gallicano maximè convenire; clerique Declarationem, anni 1682, ex intimâ ipsius Facultatis, imò Ecclesiæ totius gallicanæ doctrinâ esse depromptam; ac si quid difficultatis obortum est**, id non ex ipso dogmate provenire, sed ex aliis rebus, quæ nihil ad rem nostram pertinent.

Quare sacra Facultas, priscis, insistens vestigiis condemnavit deductam ad examen suum jussu senatûs hanc censuræ Hungaricæ

* Edicto 29 Jul. 1665.

** Curia Parisiensis, postquam diploma regium *de Declaratione* in suos commentarios retulerat, edicto jusserat, ut ea Declaratio in scrinia sacræ Facultatis referretur, quod quidem factum est 2 Maii 1682. Sed quando relectum est decretum, quidam dixerunt delegendos esse XIV doctores, qui in Declarationem inquirerent. Quanquam enim ea *ex intimâ ipsius Facultatis doctrinâ esset deprompta*, Facultas verebatur, ne relatio facta extraordinaria modo jura curiæ, quid detrimenti ipsius juribus afferret. Facilè composita est hæc controversia, et deinceps baccalaurei Declarationis capita publicis thesibus defenderunt. (*Edit. Paris.*)

propositionem : « Ad solam Sedem apostolicam divino et immutabili privilegio spectat de controversiis fidei judicare; » quâ de re sic censuit[1] : « Hæc propositio, quatenùs excludit ab episcopis et conciliis etiam generalibus, de fidei controversiis auctoritatem, quam habent immediatè à Christo, falsa est, temeraria, erronea, praxi Ecclesiæ adversa, verbo Dei contraria, doctrinam renovans aliàs à Facultate reprobatam. » 19 Maii anno 1683.

Hæc doctrina Facultatis quàm necessariò cum universâ Declarationis gallicanæ doctrinâ sit conjuncta, ex relatis sacræ Facultatis decretis manifestum reor. Sed antequam ad alia me convertam, eximam opertet eum, qui quorumdam animis hæret scrupulus.

CAPUT XXVIII.

An sententia de potiore concilii potestate, regum juribus ac potestati noceat : Thomæ Corcellæi responsum : propositio Joannis Hussi in Constantiensi concilio condemnata.

Nempè objiciunt, regnis ac regibus periculosam esse nostram sententiam. Si enim spiritualis princeps Pontifex, Ecclesiæ et concilio subsit; subesse multò magis regno ac generalibus regnorum conventibus temporales reges : quo maximè argumento in antiquam sententiam reges incitare conati sunt. Sed Thomas Corcellæus id ab Eugenii legatis objectum, responso edito * coram regni principibus, ipsoque Carolo VII rege sic solvit[2] : « Nec ullatenus sunt audiendi, qui ad alliciendum reges et principes, in contrarium auctoritatis conciliorum dicunt quòd si concilia generalia possent corrigere et deponere summos Pontifices, pari ratione quòd populi haberent corrigere et deponere principes sæculares. Qui enim talia dicunt, manifestè auctoritatem conciliorum, et declarationem fidei super hoc factam destruunt, non plus tribuentes auctoritatis ipsi congregationi Ecclesiæ, quàm uni communitati sæculari. Clarè quoque negant, concilium habere auctoritatem à Christo immediate, cùm ipsum sic comparant communitati sæculari, quæ non habet auctoritatem à Christo corrigendi aut puniendi principem suum. Sed benè inspiciant definitiones concilii Constantiensis, reperient in hoc magnam differentiam ; nam ipsum concilium Constantiense reprobavit illum articulum XVII, inter articulos Joannis Hussi contentum, *quòd principes haberent puniri ad arbitrium populi*, et tamen alterum probavit; *quòd concilium generale habet potestatem immediatè à Christo, etc.* Et hoc etiam apparet ex sacris Scripturis, cùm Christus ipse assignans

[1] *Cens. Facult. Paris. adv. cens. Arch. Strig. int. varia script. Vind. Maj. Schol. Paris.*
* Biturigibus.
[2] *Preuv. des Libert.*, etc., part. II. cap. XII. n. 4. p. 23.

differentiam inter hoc et illud, dicat : *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*[1] : et beatus Petrus in canonicâ dicit de pastoribus : *non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis*[2]. Doctores quoque lucidè declarant, quomodo Papa non est dominus rerum Ecclesiæ, sed minister. Valde quoque extraneum est, et à veritate alienum dicere, quòd non plus spiritualitatis reperiatur in congregatione legitimâ Ecclesiæ, quàm in unâ communitate sæculari, aut non specialior assistentia Spiritûs sancti, de quo Christus ad ipsam dixit : *Mittam vobis spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in æternum*[3]. »

Quin ipse Richerius in suâ defensione sic ait* : « Ut quid ergo imponere Richerio, quòd sustineat concilium generale esse supra Papam, quia, vel, sicut comitia generalia regni sunt supra regem? Nunquam hoc venit in mentem Richerio. Adulatores curiæ romanæ, quorum etiam in Sorbonâ non exiguus est numerus, hoc effinxerunt, ut non solùm Richerium, sed fidelissimos regum servos et subditos odiosos redderent ipsismet regibus, quamvis illorum jura contra romanam curiam tueantur. »

Quòd autem quidam etiam Parisienses aliud docuerint nihil moror; suoque loco ostendemus fuisse profectò tempus, quo totus ferè orbis in summâ juris publici ignoratione versaretur; quam imperitiam postera ætas superioris ævi traditione meritò emendavit : nec mirum Parisienses quosdam in re extra fidem unà cum aliis errasse. Nego tamen omnes : nego hoc fulcimento nixos tribuisse conciliis potiorem potestatem : nego facultatem : nego Constantiense concilium pessimo argumento usum : nego hoc detracto, sententiæ veritati ac firmitudini detractum esse quidquam. Alia suppetebant, quæ Thomas Corcellæus optimè enarravit. Imò, ut idem Corcellæus demonstravit, sacrum illud concilium, à quo maximè supra Pontificem conciliorum evecta est auctoritas, damnavit insanam sententiam** quæ reges regnis subjiceret, non regna regibus : adeò constabat ratione diversissimâ constitutas humanam ac divinam civitatem. Itaque hæc, quæ creandæ invidiæ objiciuntur, omittamus. Ecclesiæ à Deo constitutæ et gubernatæ regimen, non ex mundani regni ratione, sed ex Dei revelatione, atque ipsius Ecclesiæ decretis, ex Patrum traditione æstimemus.

[1] *Luc.*, XXII. 25, 26. — [2] 1 *Pet.*, V. 3. — [3] *Joan.*, XIV. 16.

* Hæc verba, quæ nonnullam obscuritatem habent, nusquam reperimus in Richerii defensione. (*Edit. Paris.*)

** Joannis Hussi.

PARS TERTIA.

DE PARISIENSIUM SENTENTIA AB IPSA CHRISTIANITATIS ORIGINE REPETENDA.

LIBER SEPTIMUS.

CONCILIORUM GENERALIUM TRADITIO.

CAPUT PRIMUM.

Infallibilitas quibus verbis ab antiquis explicetur, ubi sita sit quæritur *.

« In fidei quoque quæstionibus, præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit [1]. »

Quosdam antiquitatis ignaros movit illa vox *irreformabilis*. Hanc sciant ab antiquitate depromptam. Notum illud Tertulliani : « Regula fidei immobilis et irreformabilis [2]. » Ergo judicium illud *irreformabile* esse dicimus, quòd *immobile*, *irretractabile*, *irrefragabile*, ab antiquis; postremo denique ævo, *infallibile* appellatum est. Quærimus igitur ubi sit collocatum illud *irreformabile* judicium.

CAPUT II.

Sententia Parisiensium res inter judicatas reponenda ex dictis de concilio Constantiensi.

Ac nostri quidem censores Parisiensium sententiam et inter schismata esse ortam dicunt, et variis dissidiis ultro citroque jactatam, Constantiensis quoque synodi temporibus fluctuasse. Nos verò procul à schismatibus, ab ipsâ christianitatis origine repetendam ostensuri, priùs præstruimus, res inter judicatas pridem, ex dictis de Constantiensi concilio esse repositam. Certè Constantiense concilium, dum eas memorat causas, quibus Papa concilio subsit, primam ponit fidem : ergo Papa concilio subest, vel maximè in fide : at infallibilem, quâ quidem in re talis est, cuiquam subesse nefas : imò infal-

* In schedulâ quâdam D. Ledieu, capitis primi titulus sic repræsentatur : *Reliqui operis institutum; hujus libri scopus*; quod ideo observamus, ne quid prætermisisse videamur, parvum licet, in Bossuet conferendis codicibus. Cæterùm ille titulus malè hic intruderetur, et meliùs præfigeretur capiti v, in quo Bossuet, postquam quædam addidit à nobis diligenter descripta, in partes hunc librum dividit. (*Edit. Paris.*)

[1] *Cap.* iv. *Gallic. Declar.*—[2] *Tertull., de Virg. veland.*, cap. i.

libili, haud magis quàm ipsi veritati totam Ecclesiam subesse ope
non ergo ullus hominum, stante quidem Constantiensi concilio
in fide infallibilis. Atqui demonstravimus Constantiense concili
nullo unquàm Ecclesiæ decreto labefactatum, imò tantâ Sedis
stolicæ, tantâ Ecclesiæ universæ veneratione susceptum, in
auctoritate stare oportere : ergo certâ et invictâ auctoritate co
unius Ecclesiæ, sive collectæ, sive dispersæ, sed tamen consenti
sententiam esse infallibilem.

Dices : consecutionem istam quidem esse à nobis deductam,
autem rem ipsam à sacro concilio definitam. Reponimus : imò
non consecutionem, sed rem ipsam; neque enim aliud est alt
potestatem alteri esse subjectam, quàm eam quæ subjecta s
recto veroque deflectere, et ab alterâ emendari ac reformari p

Quare quotquot hactenus pro pontificiâ potestate scripserunt,
stantiensi decreto nihil opponunt aliud, præter quàm illud te
nobis confutatum, de Papâ dubio, et fluxâ concilii Constanti
auctoritate, responsum : cui immorari, ac dicta repetere supe
neum est.

Non tamen omittemus, quæ nostro ævo multi commiserun
ex ipsis concilii Constantiensis confutanda verbis.

Primùm, illud toties decantatum; ex eo concilio Papam q
in fidei negotiis subesse concilio, sed ut privatum hominem,
Papam, vanum ludibrium est; cùm Constantiense concilium, ex
etiam Pontificiâ potestate, eam in fidei negotiis conciliari pot
subesse decernat [1].

CAPUT III.

Alia modernorum quorumdam cavillatio confutatur; ostenditurque, ex ipsis c
Constantiensis verbis ac gestis, Papam non modò teneri conciliaribus d
decretis jam factis, sed etiam in quærendo et tractando, in concilii potestate

His ergo concilii Constantiensis verbis statim ruit illud, quòd
dam intelligunt : nempè ut Papa quidem in formando circa f
conciliari decreto superior habeatur : cæterùm ubi res semel à
cilio definita est, non mirum esse quòd prolatæ sententiæ sub
teneatur; cùm illa sententia, non tam à concilio quàm à Papâ
cilii capite prolata sit : ut Papa non tam concilio subesse, quàm
ipsi consentire videatur.

Ruit, inquam, illud. Neque enim Constantiense concilium Pa
consentire ipsum sibi, sed planè concilio subesse decernit; et qui
subjungit, *debitè puniendum*, si obedientiam denegarit. Non s
intelligit Papam à seipso puniendum, sed à concilio supremo

[1] *Vid. decr. Sess.* IV et V.

indeclinabilem exercente potestatem; ergo etiam intelligit Papam non ipsum sibi ipsi, sed omnino concilio esse subditum.

Jam verba illa perpendant Constantiensium Patrum [1]; Papam « in fidei, in schismatis, in reformationis negotiis, omnibusque ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, » conciliari potestati subjici : ergo non tantùm *in factis* de fide decretis, sed etiam *in faciendis atque formandis*, inque ipsâ re querendâ ac tractandâ concilio subesse intelligebant.

Nempè sancta synodus in ipsis principiis professa est se quidem congregatam, non modò ut de schismate ac de reformatione, sed etiam ut de fide quæreret [2] adversùs Viclefi et Hussi grassantes hæreses : cujus rei gratiâ, vel maximè à Joanne XXIII convocatam esse constabat. Quare omnino tractatura erat adversùs illos hæreticos varias ac maximas fidei quæstiones, ac speciatim adversùs Viclefum expositura erat ipsum papalem primatum, quem ille impugnaverat, ut sæpè vidimus : ergo intellexit, atque decrevit Papam in his quæstionibus synodo pariturum.

Quid, quòd jam inde ab initio decrevit synodus ipsam synodum talia tractaturam, « nec Papæ recessu dissolutum iri, sed remanere in suâ potestate et integritate concilium [3] : » eâ scilicet potestate, cui Papa ipse subjicitur? Intellexit ergo, atque decrevit synodus, etiam recedente Papâ, de fide tractatura, ipsam se eâ potestate esse, ut decreta conderet, cui Papa ipse obedire teneretur, nedum in tractando et querendo superiorem eum agnosceret.

Id verò demonstrant, uti prædiximus [4], non modò ipsius synodi decreta, verùm etiam gesta. Revera enim tractata sunt sessione VIII, post recessum Papæ, adversus Viclefum et Hussum, ea quæ memoravimus; expositaque est, circa primatum romanum, Ecclesiæ fides. Quin etiam, Papâ ipso, sessione XII, ritè deposito, tractatæ sunt multæ adversùs Joannem Hussum, Hieronymum de Pragâ, et Joannem Petitum, fidei quæstiones; nempe sessione XIII, XIV, et deindè cæteris : ergo synodus non modò decrevit à se posse fieri, sed etiam fecit, idque absente Papâ, imò etiam deposito, decreta de fide, quibus ipse Papa parere teneretur.

Nempè intelligebat Papam absentem corpore, virtute tamen fuisse præsentem, synodoque conjunctum, qui synodum congregasset, qui post recessum quoque toties declarasset, se recedentem licèt, in synodi potestate futurum, qui sanctam synodum errare non posse profiteretur.

Quin synodus suæ conscia potestatis, intelligebat se ipsam, quippe

[1] *Conc. Const., Sess.* V. t. XII. col. 22. — [2] *Ibid., Sess.* IV et V. — [3] *Ibid., Sess.* III. — [4] *Sup.*, lib. V.

quæ Ecclesiam universalem repræsentaret, etiam papatum ip virtute complexam, summo et indeclinabili judicio, nullâque i bità morâ definire posse ea, quæ Ecclesiæ necessitas evidens p laret.

CAPUT IV.

Aliæ cavillationes, Papam subjici quidem concilio in fidei quæstionibus, sed t postquam se illi sponte submisit : tum esse quidem illum per sese infallibil non adsit concilium, sed præsente concilio, jam illi subesse.

Hunc nodum alii sic exsolvunt : Pontificem quidem per sese i libilem in edendis fidei decretis; neque eo secius etiam in quæ de fide subjectum esse concilio, postquam rem Patribus congre quærendam decernendamque permisit.

At hæc à Constantiensibus disertè refutata sunt, cùm d potestatem eam, cui Papa in fidei quoque negotiis subditur, co generali immediatè à Christo, non à Papâ esse.

Sunt qui sic sentiunt, inesse utrique, scilicet et synodo e infallibilitatem à sancto Spiritu, ita quidem ut Papa in decern fidei quæstionibus concilio semel congregato subsit; ac nihilo se si desit synodus, seorsim ac per sese sit infallibilis, et semel a dicta sententia, synodi quoque norma sit, nedum synodi ex ac judicio subsit.

Hæc opinio neque cum Constantiensi decreto, neque cum p auctoritatis ratione, neque secum ipsa convenit.

Non quidem illa opinio convenit cum Constantiensi decreto. ponit enim illa diverso respectu, in fidei quæstionibus, ut co Papam, ita Papæ concilium subjici oportere : at non ita Constanti decretum; imò absolutè, Papam concilio in fidei quæstionibus, vicissim concilium Papæ subjicit, nullâque exceptione, omnem tificiæ potestatis usum conciliari potestati, ut supremæ, soliqu eluctabili, subdit.

Neque etiam adversarii hâc opinione consulunt satis papali d tati, quam in synodo exuunt innatâ ipsi, ut quidam fingunt, d nempe ut infallibiliter de fide vel sola decernat. Atqui hoc absu simum; cùm profectò concilium nihil aliud sit, quàm ipsa cath Ecclesiæ repræsentatio, integris omnibus, quæ cuique à Christo dotibus, non profectò sublatis, ne non repræsentatio, sed ext ecclesiasticæ unitatis esse videatur.

Denique hæc opinio nec secum ipsa convenit; cùm infallibilit à Christo datam, vel perpetuam oporteat esse, vel nullam.

Ex his intelligitur id, quod Gerson, et alii nostri docuer vel maximè papalem potestatem conciliari subesse, quòd *f bilem*, atque ut vocant *deviabilem*, *indeviabili* et *infallibili* sube

oporteat : id, inquam, non ex ipsorum peculiari sententiâ, sed ex intimo totius concilii Constantiensis sensu esse depromptum.

Neque minùs liquet vanos esse eos quos commemoravimus quique non eodem loco habent nostram de superioritate, ac nostram de infallibilitate sententiam ; cùm profecto constet utrasque sententias uno fundamento nixas, unâ ratione connexas, unoque decreto concilii Constantiensis esse decisas.

Neque immerito sacrosancta synodus inter eas causas, quibus Papa concilio subsit, primam ponit fidem, cùm certo dogmate Pelagii II, ex sancti Leonis auctoritate deprompto, habendorum conciliorum *specialis causa sit fides* [1] ; valereque oporteat conciliorum potestatem in eâ maximè causâ, quæ propria ipsis specialisque sit.

Nostra ergo sententia Constantiensibus canonibus stabilitur iis, quos tantâ sequentis ævi consensione firmavimus. Verùm, ut veritas clariùs elucescat, lubet recurrere ad fontes, et Constantiensem doctrinam ex anteactis sæculis affirmare.

CAPUT V.

An concilii Constantiensis judicium antiquâ traditione nitatur : præmittimus quædam, ex Vincentio Lirinensi, de Ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusæ auctoritate hinc valere concilia œcumenica : duplex ratio agnoscendæ ecclesiasticæ consensionis, ac finiendarum fidei quæstionum ; altera per concilia œcumenica ; altera sine conciliis œcumenicis : utraque suo ordine tractanda suscipitur : à primâ ordimur, atque octo primorum conciliorum generalium traditionem ac praxim explicare incipimus.

Præstruimus illud immotum, quod est ab omnibus catholicis, Vincentio Lirinensi exponente, susceptum ; valere omnino *id quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est* [2]. Cujus rei radix est apostolicum illud ; *fidem annuntiari in universo mundo* [3] : et de apostolis dictum : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* [4] ; atque iterum ad Colossenses : *In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut in universo mundo est, et fructificat et crescit* [5]. Neque hæc tantùm apostolicis temporibus inchoata, sed in ævum duratura, dicente Domino : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* [6] ; et : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* [7], utique Ecclesiam ; quo factum est ut Ecclesia, non hæc aut illa, sed tota et universa ab apostolo appelletur, *columna et firmamentum veritatis* [8].

Hæc igitur non ab hoc aut ab illo doctore, sed ab omnibus catholicis uno ore sic intelliguntur, ut sit certissima, invictissima ; eminentissima Ecclesiæ catholicæ consentientis auctoritas. Eâ consen-

[1] *Epist. Pel. II.* tom. v *Conc. post Conc.* v. col. 617 et seq. — [2] *Vincent. Lirin., Commonit.* I. cap. III. tom. VII ; *Bibl. Patr.*, p. 250. — [3] *Rom.*, I. 8. — [4] *Ibid.*, X. 18 ; *Ps.* XVIII. 5. — [5] *Coloss.*, I. 5, 6. — [6] *Matth.*, XXVIII. 20. — [7] *Ibid.*, XVI. 18. — [8] 1 *Tim.*, III. 15

sione, ut firmissimo ac divinissimo fundamento, niti christi[illegible] oportet; à quibus, non aliud quid, sed illud in Symbolo apost[illegible] postulatur, ut in *Spiritum sanctum* credentes credant simul sanc[illegible] *Ecclesiam catholicam*; eique vindicent certissimum, quo in obedi[illegible]tiam captivantur, Spiritûs sancti magisterium et judicium.

Quæ omnino efficiunt, ut in ipsâ consentione vis illa indeclin[illegible] et sit et esse credatur, existitque omnino, ex Ecclesiarum con[illegible]sione, clara et manifesta vox, quâ non partes ecclesiastica[illegible] ipsam universalitatem audiri, eodem Vincentio Lirinensi [illegible] perspicimus : « Sequemur autem, inquit [1], universitatem hoc [illegible] si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per o[illegible] terrarum confitetur Ecclesia. » Et paulò post [2] : « Quid faciet chri[illegible]nus catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis [illegible] communione præciderit? quid utique, nisi ut pestifero corrupt[illegible] membro sanitatem universi corporis anteponat? »

Hinc illa in concilia generalia manat, quam in eis agnoscimus, [illegible] et ineluctabilis auctoritas. Neque enim aliâ ratione in conciliis, [illegible] in Ecclesiâ congregatâ valet unitas atque consensus, quàm quò[illegible] Ecclesiâ toto orbe diffusâ æquè valeat. Ipsa enim synodus eo v[illegible] quòd universalem repræsentet Ecclesiam : neque ideo Ecclesia [illegible]gregatur, ut valeat unitas atque consensio; sed ideo congreg[illegible] ut quæ in Ecclesiâ ubique diffusâ per se valet, in eâdem con[illegible]gatâ, ab episcopis Ecclesiarum doctoribus, tanquam idoneis tes[illegible] clariùs demonstretur.

Ex his igitur duplex intelligitur ratio agnoscendæ catholicæ [illegible]tatis : prima ex consensione Ecclesiæ ubique diffusæ; secunda [illegible] consensione Ecclesiæ in synodis œcumenicis, sive generalibus, [illegible]natæ : quam utramque rationem à nobis sigillatim exponi oport[illegible] ut vim illam infallibilem et ineluctabilem in toto Ecclesiæ cor[illegible] repositam esse clariùs demonstremus.

Inchoamus autem à synodis œcumenicis, in quibus consensio[illegible] luculentiùs expressam agnovimus : quâ in tractatione statim [illegible] memorabimus octo illas primas novem primis sæculis celebr[illegible] non modò quòd cæteris ipsâ antiquitate præluxerint, sed [illegible] eorum gesta diligentiùs descripta habeamus.

Id ergo primùm probare aggredimur, ex eorum concilio[illegible] gestis, illatas à romanis Pontificibus etiam de fide sententias [illegible] omnem quidem Ecclesiam pertinere; at nihilo secius à conc[illegible] œcumenicis examinatas, retractatas, interdum rejectas, nunq[illegible] nisi facto examine et quæstione habitâ comprobatas; atque omn[illegible] nihil habitum esse pro infallibili atque irrefragabili, nisi id [illegible]

[1] *Vinc. Lirin., loc. jam cit.* — [2] *Ibid.*, cap. IV.

universalis Ecclesiæ consensione confirmatum esset. Id cùm probaverimus, veniemus deinde ad secuta sæcula, nihilque prætermittemus quo antiqua traditio explicari possit.

CAPUT VI.

Concilium apostolicum Hierosolymis habitum de legalibus, ut omnium conciliorum generalium forma proponitur : perpenditur illud; VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS : vis Spiritûs in ipsâ consensione posita : in eam rem egregiæ concilii V, ac sancti Cœlestini papæ in concilio III, auctoritates.

Sacris Ecclesiæ catholicæ œcumenicis, sive generalibus conciliis, concilii apostolici Hierosolymis habiti, de legalibus [1], prælucet auctoritas. Prima ea questio turbavit Ecclesiam. Ergo ibi quàm maximè futuris quæstionibus decidendis, formam dari oportebat. Quæcumque igitur ad futura concilia pertinerent, jam ibi perspicuè præstruuntur, quæ nos ordine recensemus.

Primùm, ac statim occurrit habendi concilii causa, magna videlicet dissensio, ut habemus ex Actis apostolorum : *Factâ autem seditione non minimâ.* Levior contentio non tantum remedium postulasset. Atque id in secuta concilia manaturum diligentissimè notari volumus. Exortâ ergo hâc contentione tam gravi, subdit Lucas in Actis : *Statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas... ad apostolos et presbiteros in Jerusalem, super hâc quæstione* [2]; nempe ut communi sententiâ finiretur.

2° Erat tum in Jerusalem Ecclesia principalis, in quâ sedebat Petrus apostolorum princeps *. Hinc proditum in sequentia sæcula, ne sine Petro et successoribus, atque Ecclesiâ principali, in quâ ipse sederet, concilia regulariter haberentur.

3° Facta est quanta fieri potuit, illis quidem temporibus, cùm adhuc Ecclesiæ formarentur, apostolorum et pastorum Ecclesiæ congregatio, ac perfectissima, pro statu Ecclesiæ, nominis christiani repræsentatio.

4° Fit conventus omnium in unum locum : *Convenerunique apostoli et seniores videre de verbo hoc* [3].

5° In ipso conventu tria hæc habentur : tractatus primùm, sive conquisitio; deindè deliberatio sive uniuscujusque prolata sententia; postremo ex communi sententiâ, concilii decisio : atque ea omnia in sequentia concilia deinde manarunt.

6° Et quidem tractatus his verbis Actuum designatur : *cùm magna conquisitio fieret* [4].

[1] *Act.*, XV. — [2] *Ibid.*, XV. 2.

* Sedebat Petrus Hierosolymis non ut in propriâ sede, nam Jerusalem sedes erat Jacobi. Significat itaque Bossuet Petrum, qui tunc nulli Ecclesiæ peculiari præsidebat, potuisse dici aliquo modo Hierosolymis sedisse; quia ibi ordinariè commorabatur, et eam Ecclesiam pascebat verbo doctrinæ. (*Edit. Paris.*)

[3] *Act.*, XV. 6. — [4] *Ibid.*, 7.

7° Deliberatio à Petro inchoatur : qui mos deinde invaluit, sacri cœtûs principes primi sententiam dicerent, iisque auctor decretum sanciretur. Petrus ergo ubique rectæ prædicationis re agendarum auctor, primus sententiam dicit : Dei arcana pandit; sibi primò de vocandis gentibus revelata essent fundamenti ponit; ex his quæstionem solvit : *Deus in nobis elegit per os audire gentes verbum :* et cætera quæ ad Corneli ejusque famili cationem pertinerent.

8° Quæ deinde ex illâ vocatione secuta sint, quantaque post nelium gentium multitudo confluxerit, Paulus et Barnabas e runt : quæ firmandæ Petri sententiæ essent [1]. Tum Jacobus dic sententiam expressè à Petri dictis incipit : *Viri fratres, Simon ravit* [2]. etc. Quo ritu in secutis conciliis, dicente cœtûs prim cæteri deinde placere demonstrant.

9° Nec tamen sic agunt quasi usquequaque primæ sententiæ toritate constricti; sed ipsi judicant; et Jacobus : *Ego*, inq *judico.* Tum ad ipsam quæstionem principalem, quæ addenda rentur, proponit, et de iis quoque judicat; nempe ut fratr gentibus conversi, *abstineant à contaminationibus simulacrorum fornicatione, et suffocatis, et sanguine* [4].

10° Decretum deinde conditum communi nomine, ac Spiritûs s auctoritate adscitâ : *Placuit nobis collectis in unum* [5]; et : *Visum Spiritui sancto et nobis* [6]. Ibi ergo vis : *Spiritui sancto et nobis;* quòd Petro præcisè, sed quòd *nobis;* et à Spiritu acti, non Petrus, sed ipsa sacri cœtûs unitas. Unde et Christus de Spi quem erat missurus, id dixit : *Cùm autem venerit ille Spiritus tatis, docebit vos omnem veritatem* [7] : Vos, inquit, scilicet Eccl rum pastores, ac cæterorum magistros. Hinc semper additus Ecc sacræque congregationi Spiritus. *Credo in Spiritum sanctum, sa Ecclesiam catholicam.* Et meritò proinde diligenterque à nostris toribus quondam dictum id quod memoravimus [8], vim concilio *non in solo Pontifice romano, sed maximè in Spiritu sancto, Ecclesiâ catholicâ* esse positam.

11° Re judicatâ per commune judicium, nihil postea retr tum, aut nova cuique relicta discussio est : sed perlatum d tum ad Ecclesias, docenturque plebes *custodire dogmata, quæ decreta* (græcè *judicata*) *ab apostolis et senioribus qui erant H solymis* [9].

Hæc nos catholicis urgemus, communi consensu, adversùs h ticos conciliorum jussa et auctoritatem detrectantes : quæ sanè

[1] *Act.*, XV. 12. — [2] *Ibid.*, 13, 14. — [3] *Ibid.*, 19. — [4] *Ibid.*, 20. — [5] *Ibid.*, 25. — [6] *Ibid.*, [7] *Joan.*, XVI. 13. — [8] *Vid. Diss. præv. et in App.*, lib. I. — [9] *Act.*, XVI. 4.

valeant, nisi cum auctoritate, etiam formam probamus; vimque ipsam decreti, non in *Petro* solo, sed in unitate, et in apostolorum ac pastorum Ecclesiæ consensione ponimus.

Ait quidem Bellarminus, id nullâ necessitate factum, cùm non modò Petrus, verùm etiam apostoli, ex sese ac singulares quoque quæstionem determinare potuissent [1]. Quod quidem aliis è Bellarmini societate, imprimis Joanni Bagotio, non probatur : nec placet sic *lusisse apostolos, aut simulatè* ab iis *institutam quæstionem de re, quam exploratissimam habebant* [2]. Utcumque est, in eo vis erit maxima, si nullo concilio ac deliberatione indigentes, tamen ut formam darent sæculis secuturis, hanc inierint viam, et *communi sententiâ rem definierint*, ut idem Bellarminus confitetur [3].

Et quidem omnia, quæ in hâc apostolicâ synodo acta sunt, in sequentes manasse gesta prodent. Ergo id vel maximè manarit oportet, quod maximè agebatur, et in quo apostoli robur esse positum voluerunt : nempe ut *Spiritûs sancti* efficacia et vis conjungeretur cum illo, *nobis*, inque ipsâ unitate se exereret.

Neque hanc interpretationem à nobismetipsis promimus, sed à sanctis Patribus, totoque adeo universali concilio quinto, à Pontificibus romanis toties comprobato.

Nempe Vigilius papa Constantinopoli agens, ubi concilium habebatur, sacro cœtui certis de causis suam præsentiam denegabat; pollicitus per seipsum se daturum sententiam. At Patres, iisque auctoribus et probantibus, Justinianus imperator sic hortatur : « Inter nos placuit, tam ipsum (Vigilium scilicet papam) quàm nos communiter convenire, eo quòd sacerdotes decet communibus quæstionibus finem communem imponere [4]. » Et paulò post : « Pro his ad memoriam ejus (Vigilii) produximus magna illa apostolorum exempla et Patrum traditiones. Licèt enim sancti Spiritûs gratia et circa singulos apostolos abundaret, ut non indigerint alieno consilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt, de eo quod movebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam *communiter congregati* divinarum Scripturarum testimoniis unusquisque sua dicta confirmaverunt. Unde COMMUNITER de eo sententiam protulerunt : *Visum est Spiritui sancto et nobis.* »

Ut autem pateat eam formam futuris sæculis præluxisse, addunt : « Sed et sancti Patres, qui per tempora in sanctis quatuor conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, COMMUNITER de exortis hæresibus et quæstionibus disposuerunt. » Rationem hujus rei afferunt duplicem : alteram, quòd ex discussione et collatione veritas

[1] *Bell., de R. P.*, l. IV. c. 7. — [2] *Bagot., Apol. fidei*, l. IV. disp. III. c. 2. sect. III. — [3] *Bell., de Conc. auct.*, l. II. c. 8. — [4] *Conc. C. P.*, II. gen. V. coll. VIII. t. V. col. 562, 563

emicaret; alteram, eamque vel maximam, quòd communita
tentia proferenda, scilicet sancti Spiritûs nomine : quibus sanc
bus, concilia generalia maximè valent : veritatis elucidatio
collationem, ac Spiritûs sancti judicio per communem senten

Idem antea, in concilio generali tertio (Ephesino scilicet), d
Cœlestinus papa professus erat, cùm suam ad synodum epi
his verbis incipit : « Spiritûs sancti testatur præsentiam cong
sacerdotum : » et paulò post : « Sanctum igitur est pro deb
veneratione concilium in quo utique nunc, frequentissimum
quam legimus (Actorum xv scilicet) apostolorum congreg
aspicienda reverentia est [1]. «

Ex his confutantur quæ quidam, ac imprimis novissimus
anonymus, objiciunt : eam, quæ synodo Hierosolymitanæ
Spiritûs sancti assistentiam, « apostolorum gratiæ, non com
neralitati tribuendam, cùm concilium illud generale non fu
Quos miramur detracta velle catholicis ea præsidia, quibus
pro conciliis œcumenicis adversùs hæreticos, certant; tum ver
pendere, sancti Cœlestini, tertiæque et quintæ synodorum
tatem. Nos verò eam secuti, rectè à nobis putamus intelligi sy
rum generalium auctoritatem et formam, si primam illam in
veneremur, et ad ejus normam omnia exigimus. Jam hoc fund
apostolico posito, quid secutæ synodi gesserint audiamus.

CAPUT VII.

Concilii Nicæni primi decreta adversùs arianos, ipsâ Patrum consensione va
nullo ante gestam, nullo post gestam synodum Sedis apostolicæ speciali d
in eo concilio ipsius consensionis auctoritate tres præcipuæ finitæ quæstio
Sedem apostolicam communis decreti executio pertinet.

De primis duobus conciliis universalibus, Nicæno primo, et
stantinopolitano primo, pauca dicemus.

Atque in Nicæno quidem concilio definitionem *communiter* f
et sancta quinta synodus mox exposuit nobis, et ipsa Nicænæ s
decreta clamant : « Qui dicunt, erat, quando non erat, etc.
tales anathematizat catholica et apostolica Ecclesia [3]. » En in
licæ et apostolicæ Ecclesiæ consensione robur.

Aderant sanè sacro conventui presbyteri romanæ Ecclesiæ, di
præ cæteris patriarchis, uti decebat, loco; et Osium Cordub
Sylvestri nomine adfuisse *, Gelasio Cyziceno auctori græco

[1] *Epist. Cœlest. X, ad Conc. Ephes., int. act. Conc.*, act. II. tom. III. col. 614. — [2] *Libert. Eccl. Gall.*, l. v. c. 10. n. 4. — [3] *Conc. Nicæn., Symbol.* tom. II. *Conc.*, col.

* Osium Sylvestri nomine adfuisse concilio Nicæno firmis rationibus probant viri
simi Joannes Morinus, et Petrus de Marca. Nam quod quidam, ex Eusebio, Socrate
meno negabant Sylvestrum per suos legatos synodo præsedisse docet Morinus multis

actis referenti [1], facilè assentimur; cùm et nemo contradicat, et secutis conciliis congruat et sexta synodus in Nicænâ synodo Sylvestrum principem Constantino adjungat [2], ut Cœlestinum Theodosio, Marciano Leonem. Cæterùm neque ante neque post concilium Nicænum, adversùs arianos quidquam decretum esse legimus à Sylvestro papâ, quod synodi sententiam vel præcederet, vel firmaret; constatque falsa esse, quæ de Nicæno concilio confirmato acta referuntur, ut suo dicemus loco: atque omnino in ipsâ consensione vim omnem fuisse repositam, historiæ clamant. Notum illud Rufini [3]: « Defertur ad Constantinum sacerdotalis concilii sententia: ille tanquam à Deo prolatam veneratur, cui si quis tentasset obniti, veluti contra divina statuta venientem, in exilium se protestatur acturum. » Attestatur Eusebius [4]: congruunt ipsius Constantini verba hæc ad Alexandrinam Ecclesiam scripta, statim absolutâ synodo: « Quod trecentis episcopis visum est, non est aliud putandum quàm Dei sententia:... quapropter nemo vestrûm hæsitet, nemo moram interponat [5]. » En in quo reponerent divinam illam vim, et indeclinabilem. Noster Sulpitius paucis et perspicuè, uti solet: « Synodus apud Nicæam toto orbe contrahitur: trecentis et duodeviginti episcopis congregatis, fides plena conscribitur: hæresis ariana damnatur: imperator decretum episcopale complectitur: ariani nihil contra sanam fidem retractare ausi, se quoque tanquam acquiescentes, nec aliud sentientes, ecclesiis miscuerunt [6]. » Ita decreti robur in episcopalis collegii consensione est positum. Sequens adstipulatur ætas: et sanctus Leo ubique Nicænorum canonum decreta collaudat: « quæ sint à totius mundi sacerdotibus constituta [7]. » Eo nomine tantam auctoritatem illa obtinuisse certum est.

In primo illo concilio tres maximæ quæstiones, quæ Ecclesiam conturbarent, communi decreto terminatæ. Prima arianorum de consubstantiali Filio: secunda paschatis: tertia rebaptizationis: quæ duæ postremæ jam à romanis Pontificibus, Victore et Stephano,

nunc habentur, Eusebii codices, et eos etiam quibus utebantur Socrates et Sozomenus, atque ipse Theodoretus; sed Gelasium Cyzicenum nactum codicem integrum ea verba ex Eusebio, ut ipse profitetur, descripsisse: *Ostus obtinuit locum magnæ Romæ episcopi Sylvestri.* Et reverà planum erit conferenti Eusebii textum cum verbis quæ Gelasius dicit à se ex Eusebio descripta, omissam esse in vulgatis Eusebii editionibus, sive hoc sit ex amanuensium incuriâ, sive ex quâlibet aliâ causâ, integram pericopam. Certè id quod legimus in Athanasio (*de Fug. suâ*, et *Ep. ad Solit.*) lectionem à Gelasio prolatam veram esse confirmat. Ipse Photius, quantumvis amaro esset in romanos Pontifices animo, Cyziceno adstipulatur, cùm dicit, « legationem à Sylvestro injunctam fuisse Cordubensi Osio, et duobus presbyteris romanis. » Vid. Joan. Mor. lib. I, exerc. XX. De Marc. de Concord. etc., lib V. cap. III, n. 4. Hic observandum à nobis est D. de Plessis Praslin, aliquâ ambiguitate deceptum epistolæ synodi Nicænæ ad Ecclesiam Alexandrinam, dicere in suâ ad cœlum gallicanum an. 1682 relatione, Alexandrum Alexandrinum huic synodo præsedisse. (*Edit. Paris.*)

[1] *Hist. Gelas. Cyzic.*, l. II. c. 5; *Ibid.*, col. 125. — [2] *Vid. Act. Conc.* VI, act. XVIII. tom. VI. col. 1490. — [3] *Ruf., Hist. Eccles.*, l. I. c. 5. — [4] *Euseb., de Vitâ Constant.*, l. III. c. 14. — [5] *Ep. Constant. ad Alex. ap. Socr.*, l. I. c. 9; et t. II. *Conc.*, col. 61. — [6] *Sulp. Sev.*, l. II. t. VI *Bib. Pat.*, p. 345. — [7] *Leo Mag., epist.* LXXX, *edit. Quesnel.*, al. LXIII.

judicatæ, non tamen obtinebant plenam auctoritatem, donec Nicænâ synodo penitus finirentur. Et quidem in exequendis adversùs arianos Nicænæ synodi decretis, Sedis apostolicæ præcelsa singularis auctoritas enituit. Id Athanasius aliique fidei defensores sancto Julio papâ restituti, et Ariminensis synodi à sancto Damaso soluta decreta, et episcoporum orthodoxorum, maximè Orientalium, ad Ecclesiam romanam scripta clamant. Atque hæc in exequendis valuerunt: in decernendo verò consensio Ecclesiarum obtinuit; ita toque Patrum decreto, adeo res transacta putabatur, ut nullâ mora interpositâ, nullo expectato Sedis apostolicæ speciali decreto, omnes ubique terrarum episcopi, christiani omnes, atque ipse imperator ipsi etiam ariani, tanquam divino judicio cederent. Ex quibus et hæc habemus: et fidei decreta *communiter* fieri, et ad exequendum commune decretum, Sedis apostolicæ sufficere auctoritatem. Atque hæcde primâ generali synodo. Jam ad secundam ordine veniamus.

CAPUT VIII.

Constantinopolitana prima synodus, secunda generalis, in medium adducitur et eâ demonstratur quæstiones fidei solâ Ecclesiarum consensione finitas.

Certum quidem est apud omnes ad Constantinopolitanam primam synodum, quæ secunda generalis est, pro Spiritûs sancti tuendâ divinitate, centum quinquaginta Patres, ex Orientalibus tantùm provinciis confluxisse. Certum item est, Orientalem synodum, non nisi consensu Occidentis, et maximè apostolicæ Sedis, pro œcumenica haberi potuisse. Jam quæ ex eâ synodo in rem nostram conducunt, hæc sunt: primùm apertè falsum, quod nonnulli, illi quidem assertatores immodici, jactant: haberi synodum ad Pontificis animum consilio tantùm, et rei elucidatione adjuvandum; cùm Orientalis synodus nec ipsi præstò fuerit, et Constantinopoli in alterâ orbis parte sederit. Quare omnino constat Patres eo maximè in synodum œcumenicam congregari, quòd in consensione et unitate robur auctoritatis invictum sit positum.

Id confirmant Constantinopolitani Patres in eâ epistolâ, quam Theodoretus refert, ac Bellarminus laudat [1]: cùm relatis iis quæ circa fidem de Spiritu sancto, quæque circa disciplinam à se decreta essent, id tantùm postulant, ut Damasus et qui cum ipso erant episcopi, « secum collætentur, intercedente spirituali charitate; » atque ita futurum aiunt, ut, « cùm verbum Dei communi sensu stabilitum et christiana inter nos charitas confirmata fuerit, dicere desinamus: *Ego quidem sum Apollo, ego autem Cephæ* [2]. » Videt eruditus lector

[1] *Ep. Conc. C. P.* I, *apud Theod.*, l. v. c. 9; et t. II. *Conc.*, col. 960; *Vid. Bell.*, l. I. de *Conc.*, c. v.— [2] *Vid. ibid., ap. Theod.*; et tom. II. *Conc.*, col. 965.

ut in *communi consensu* verbi interpretationem ac fidei stabilitatem collocent. Neque tamen arbitremur omnia ex æquo Sedem inter apostolicam atque Orientales episcopos esse comparata : nam cùm primùm exorta illa est de Spiritûs sancti divinitate contentio, vexati Macedoniani * ad Liberium papam, ut catholicæ communionis principem, tres ex suo cœtu episcopos destinarunt, ac rectam de Spiritu sancto professi sunt fidem : quo facto, à Liberio cum litteris communicatoriis dimissi, à synodo Tyranensi statim suscepti sunt, Valente imperatore. Refert Sozomenus, atque Basilius hoc tantùm [1]. Sed postea, « motâ de Spiritu sancto quæstione, an ejusdem cum Patre et Filio substantiæ esset, et crescente contentione, episcopus urbis Romæ (Liberius) scripsit, re compertâ, ad Orientis episcopos, ut Trinitatem consubstantialem, et coæqualis gloriæ unà cum Occidentalibus confiterentur : quo facto, utpote controversiâ judicio romanæ Ecclesiæ terminatâ, quievere, et quæstio finem accepisse videbatur [2]. » Videbatur illud quidem ; verùm ubi quies illa non fuit stabilis, eòque res devenere, ut synodi generalis auctoritate, orbisque adunati consensione opus esset ; in eâ consensione finis quæstionis ponitur à Constantinopolitanis Patribus, uti mox vidimus, atque ab omnibus Ecclesiis.

CAPUT IX.

Ad Ephesinam synodum devenimus : referuntur ea quæ synodum præcesserunt, demonstraturque à sancto Cœlestino papâ totâ Sedis apostolicæ auctoritate in Nestorii hæresim ac personam pronuntiatum fuisse : an tale judicium pro irreformabili sit habitum : quæstio ex actis postea dissolvenda.

In Ephesinâ generali tertiâ, ac secutis synodis, omnia clariùs elucescent : cùm gesta sint præ manibus, extentque plurima circa fidem romanorum Pontificum, totâ cathedræ auctoritate prolata judicia, in synodis postea generalibus retractata, nec nisi facto examine comprobata : quo nihil est ab infallibilitatis opinione magis alienum.

Ac de Ephesinâ quidem synodo manifesta res est. Notum quid Nestorius Constantinopolitanus episcopus innovarit, utque Christi personam unam diviserit in duas. Sanctus Cœlestinus papa, pro suo officio Ecclesiæ rebus intentus, beato Cyrillo Alexandrino episcopo præceperat, ut de Nestorii, jam malè audientis doctrinâ, certa nuntiaret. Cyrillus id testatur epistolâ ad Nestorium [3]. Itaque ad Cœlestinum omnia scribit, Nestorii dogmata suaque exponit ; binas à se ad Nestorium datas litteras mittit : Nestorius quoque datis litteris,

* In Oriente ab Eudoxio et puris arianis. (*Edit. Paris.*)

[1] *Sozom.*, l. VI. c. 10, 11 ; *Socr.*, l. IV. c. 12 ; *Bas.*, *Ep* CCLIV. al. LXXXII. — [2] *Sozom.*, *ibid.*, c. 22. — [3] *Ep.* I *Cyrill. Alex. ad Nest.*, part. I. *Conc. Ephes.*, c. VI. t. III *Conc*, col 313.

et missis expositionibus suis Cœlestinum in partes suas trahere conabatur. Sic sanctus Pontifex, acceptis utriusque partis litteris, plenissimè instructus, à Cyrillo interrogatur in hanc formam : « Non priùs ab illius (Nestorii) communicatione confidenter abstinuimus, quàm hæc tibi indicaremus. Dignare proindè aperire quid sentias, quo liquidò nobis constet, an communicare cum illo opporteat, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet [1]. » Addit ejus sententiam ad alios quoque episcopos præscribendam; « ut omnes, inquit, uno animo, in eâdem sententiâ persistant [2]. » En clarè à tanto viro, secundæ vel certè tertiæ Sedis patriarchalis antistite, consulta apostolica Sedes, ejusque judicium expectatum : nihilque supererat, nisi ut Cœlestinus ritè consultus apostolicum exequeretur officium. Id verò ut præstiterit, acta alibi relata docuerunt [3].

[In iis actis] Cyrilli litteras et doctrinam non modò probat; sed etiam Nestorii dogma perversum improbat; et quidem distinctè, quòd beatam Virginem *Deiparam* dici nollet [4]; decernitque eum episcopatûs et communionis exsortem, nisi intra decem dies, à die denuntiatæ sententiæ numerandos, apertè rejiciat « hanc perfidam novitatem, quæ hoc quod Scriptura conjungit, nititur separare, » personam Christi scilicet. En Nestorii dogma præcisè improbatum, et clarè omninò romani Pontificis, sub depositionis et excommunicationis interminatione, de fide pronuntiata sententia. Tum, ne quid desit, sanctus Papa Cyrillo *vices committit* suas, ut eam sententiam exequatur : « Nostræ, inquit, Sedis auctoritate adscitâ, nostrâque vice et loco, cum potestate usus [5]. » Id ad Cyrillum; id ad ipsum Nestorium; id ad clerum Constantinopolitanum; id ad Joannem Antiochenum, tertiæ seu quartæ tum patriarchalis sedis episcopum; id ad Juvenalem sanctæ civitatis episcopum, quem præcipuè honorari synodus Nicæna præceperat; id ad alios quoque episcopos scribit [6], ut data sententia ritè et ordine omnibus innotescat.

Jam suas partes Cyrillus exequitur, atque omnia, uti jussa erant, peragit. Cœlestini decreta promulgat, exequitur, Nestorio denuntiat, post decem illos dies à Cœlestino « præscriptos definitosque, nullam ei cum sacerdotibus sortem, nullum sermonem, nullum locum futurum. » Nihil planè deest, quo apostolica auctoritas plenissimè exeratur. An verò sententia, tantâ auctoritate prolata, postquam ingens dissensio exorta est, ac synodi œcumenicæ injecta mentio, pro irreformabili sit habita, gesta sequentia demonstrabunt.

[1] *Ep. Cyrill. ad Cœlest., ibid.*, c. 14. col. 344. — [2] *Ibid.*, col. 345. — [3] *Diss. præv.*, n. LIX. — [4] *Ep. Cœlest. ad Nest.*, c. XVIII. col. 353. — [5] *Ibid., ad Cyrill.*, c. XV. col. 349 — [6] *Ep. ad Nest., ibid.*, c. XVIII. col. 364 : *ad Cler. C. P.*, c XIX. col. 373 : *ad Joan. Antioch.*, cap. XX. col. 377; *Vid. nov. collect. Baluz*, p. 489; *Ep. Cyrill. ad Nest.*, c. XXVI. p. 397.

CAPUT X.

Dicta à Cœlestino papâ de fide, totâ Sedis apostolicæ auctoritate, sententia concilii universalis mentione et convocatione suspenditur : id canonicè et ordine factum omnes episcopi et Papa ipse confitetur.

Sæpè diximus, sæpè dicemus, ita esse Ecclesiam constitutam, ut ad œcumenicam synodum necessariò, non nisi extraordinariis casibus ac dissensionibus recurratur : cæterùm consueto ordine ita finiri subortas etiam gravissimas de fide quæstiones, si romano Pontifici decernenti, Ecclesiæ consensus accesserit. Id in Nestorii causâ manifestissimè liquet.

Planè confitemur Cœlestini sententiam, ita ut Cyrillus speraverat, valituram fuisse ad novam hæresim comprimendam, nisi graves suborti motus, resque ea visa esset, quæ ad universalem synodum deferretur.

Verùm Nestorius, regiæ civitatis episcopus, eâ auctoritate pollebat, eâ specie pietatis hominum animis illuserat, eos sibi conciliaverat episcopos, eâ denique gratiâ apud Theodosium Juniorem imperatorem et proceres erat, ut facilè omnia commoveret. Itaque opus erat œcumenicâ synodo, quòd de re maximâ ac de personâ in maximam dignitatem evectâ ageretur : quòd multi episcopi, in his Orientales ferè omnes, hoc est Antiocheni tractûs, atque ipse patriarcha Joannes, à Cyrillo abhorrebant, et Nestorio favere videbantur : quòd scissa hominum studia, totumque Orientis imperium, Cyrillum inter atque Nestorium fluctuare videbatur. Hæc universalem synodum postulabant.

Accedebant piorum atque orthodoxorum preces. Ecce enim religiosissimi monachi, pro fide orthodoxâ ac *Deiparæ* voce à Nestorio multa perpessi, imperatori supplicabant « ut sacra et œcumenica synodus coeat, quâ præsente Christus sanctissimam Ecclesiam uniat, populum in unum reducat, ac sacerdotes sinceræ fidei prædicatores, priusquam impia illa doctrina (Nestorii) latiùs serpat, loco suo restituat [1]. » Et iterum : « Nos enim vos de œcumenicâ synodo cogendâ rogavimus, quæ aptissimè posset constabilire et erigere titubantia, sive etiam fracta [2]. » En post romani Pontificis judicium, expetita à piis, per universalem synodum, rerum titubantium invicta et ultima firmitudo.

His aliisque motus imperator, hæc ad Cyrillum scripsit : « Pietatis doctrinam in sacrâ synodo discuti et examinari volumus, et ratum esse quod rectæ fidei consonum videbitur : sive illi, qui victi discedent, veniam impetraturi essent à Patribus, sive non [3]. »

[1] *Suppl. Basil. et Monac. Imp.; Vid. Conc. Ephes.*, part. 1. c. 25. n. 4. col. 429. — [2] *Ibid.*, n. 6 col. 432. — [3] *Ep. Theod. ad Cyrill.*, *Ibid.*, c. 31. col. 436.

Hic tria videmus : primùm illud ; post sancti Cœlestini judicium, aliud adhuc requiri, synodale scilicet : alterum, hæc duo in Patrum potestate futura, ut de doctrinâ, deque personis judicent : tertium, ratum id futurum, neque ampliùs retractandum, quod synodus judicarit.

Addit : « Judices hujus rei esse oportere eos, qui sacerdotiis ubique præsunt, et per quos ipsi in veritatis sententiâ sumus et erimus. » En quorum fide nitimur. En in quorum judicio ultima et indeclinabilis sit auctoritas.

Id secundùm *ecclesiasticos canones* fieri et imperator affirmabat, et episcopi fatebantur. Itaque omnes et ipse Cœlestinus ad synodum se accingunt. Nihil ultrà Cyrillus egit, pontificii licèt decreti executor à Cœlestino dictus. Nestorius pristino loco mansit ; universalis synodi sententia expectatur ; et disertè rescripserat imperator, « ut ante sanctissimam coactam synodum, CUMMUNEMQUE ejus sententiam, nihil quidquam à quoquam, in ullâ prorsùs re, privatim innovetur [1]. » Rectè et ordine : id enim universalis synodi majestas postulabat. Quare et Cyrillus paruit, et episcopi quievere : fixumque id, dictâ licèt ac promulgatâ romani Pontificis sententiâ, de fide ac personis violatæ fidei causâ judicatis, omnia in suspenso esse, postquam universalis synodi expectatur auctoritas. Id ab imperatore actum ; id episcopis, ac Papæ ipsi placitum vidimus ; id jam in ipsâ synodo œcumenicâ comprobatum gesta sequentia declarabunt.

CAPUT XI.

Acta synodi Ephesinæ recensentur : ejus actio prima probat synodus omnia quæ à Cœlestino decreta essent in suspenso manere, usque ad synodi sententiam : quæ de fide gesta sunt referuntur, ostenditurque prolatum à Papâ judicium ad examen legitimum fuisse revocatum.

Lectis iis, quæ synodum præcessere, ipsius synodi gesta recensemus, atque incipimus ab actione primâ.

Postea quàm ergo episcopi, atque ipse Nestorius Ephesum convenere, inchoata est synodus universalis, Cyrillo præside, ac Cœlestini vices gerente ; quippè qui pontificiæ sententiæ ab ipso Pontifice constitutus executor esset. In primâ actione hæc gesta sunt.

Primùm lectæ imperatoris litteræ eæ quas memoravimus, nempè ut œcumenica synodus haberetur, utque omnia interim in suspenso essent [2] : lectæ, inquam, hæ litteræ, atque in gesta relatæ, probatumque à Patribus, omnia circa Nestorium à Cœlestino decreta, suspensa fuisse, donec sacra synodus ferret sententiam.

[1] *Ep.* II *Theod. ad Cyrill. Conc. Ephes.*, part. I. c. XXXII. col. 437. — [2] *Conc. Ephes.*, act. I. col. 452, 453 et seq.

Quæres an synodus tantùm imperatori licere voluerit, ut Sedis apostolicæ sententiam ad effectum deduci interim prohiberet. Non ita ex gestis : sed potiùs interpositâ synodi generalis auctoritate, cujus quidem convocatio, pro eorum temporum disciplinâ, imperatori permitteretur : ipsa synodus intellexit, omnia ipso jure in suspenso esse, atque à synodi pendere sententiâ. Quare pontificio decreto promulgato ac denuntiato, decemque illis diebus jamdiù evolutis, Nestorius ab ipsâ synodo pro episcopo est habitus, et religiosissimi episcopi nomine appellatus, et eo quoque nomine ter vocatus et citatus ut in sacrâ synodo cum aliis episcopis consederet [1] : id enim disertè scriptum, συνεδρεύσαι; additum, ut ad objecta responderet. Omninò enim volebant, ut quocumque modo agnosceret universalem synodum, in ejus postea procul dubio potestate futurus. Sed venire renuit, et ne ipse adiri posset, fores suas armato milite obsideri voluit.

II. Hinc de fide quæsitum, quòd et id imperator jussisset, et canones postularent : lectaque Nicæna fides, ad quam omnia exigerentur, ac postea de epistolis Cyrilli ac Nestorii ordine inquisitum.

III. Epistola Cyrilli prima deducta est ad synodi judicium : illa, inquam, de fide ad Nestorium epistola, à papâ Cœlestino tam expressè probata, de quâ id edixerat ad Cyrillum : « Omnia quæcumque sentimus ac tenemus, te itidem sentire ac tenere perspicimus [2] ; » quam decreto in Nestorium per omnes Ecclesias promulgato, comprobaverat, atque adversùs Nestorium *canonicæ monitionis* instar haberi voluerat. De illâ, inquam, epistolâ quæsitum, Cyrillo auctore ac præeunte, in hæc verba : « Persuasum habeo, nihil me ab orthodoxâ fide aut symbolo Nicæno discessisse; quare vestram Sanctitatem rogo, ut coram exponat, rectène, et inculpatè, sanctoque illi concilio convenienter hæc scripserim, an secus [3]. »

Et erunt, qui dicant quæstiones de fide semel à romano Pontifice auctoritate apostolicâ judicatas, in synodis generalibus examinari ad dictorum intelligentiam, non ad rei, quasi adhuc in quæstione positæ, definitionem. Audiant Cyrillum synodi principem : quid synodo quærendum proponat attendant. Et quidem nullius errati sibi conscius; ne tamen sibi crederet, synodi, sententiam rogabat, in hæc verba : « Rectène et inculpatè, an secus scripserim. » Hæc Cyrillus synodi princeps proponit in medium.

Quis vel fando audiit, post ultimum et irreformabile Ecclesiæ de fide judicium, ità unquam quæsitum interrogatumque esse? Nunquam factum : id enim esset de ipsâ fide declaratâ et exploratâ du-

[1] *Conc. Ephes.*, act. I. col. 452, 453 et seq. — [2] *Ep. Cœl. ad Cyrill.*, part. I. *Conc. Ephes.*, cap. XV. col. 348.— [3] *Conc. Ephes.*, act. I. col. 461.

bitare. At id post papæ Cœlestini judicium factum est : neque Cy[illegible] aut quisquam aliud cogitabant : non ergo illud erat ultimum, [illegible] irreformabile judicium.

Ex eâ interrogandi formâ Patres ordine censent, « Nicænum [illegible] bolum, et epistolam Cyrilli per omnia consentaneam et consona[illegible] esse [1]. » En quæstio ; en examen ; en deinde judicium. Cæter[illegible] loquantur : nos hic ne verbum quidem.

Producta deindè est Nestorii epistola illa, quam Cœlestinus [illegible] phemam atque impiam pronuntiaverat. Ea verò legitur. Tum [illegible] quæritur, auctore Cyrillo : « Numquid hæc ipsa quoque fidei à [illegible] Nicænorum Patrum synodo expositæ consentanea esse videretur [illegible] non [2] ? » Eâdem planè formâ quâ de epistolâ Cyrilli quæsitum [illegible] Patres ordine censent « à Symbolo Niceno dissentaneam, atq[illegible] improbatam [3]. » Quo ritu, quâ regulâ, probata Cyrilli est ; eo[illegible] eâ regulâ, Nestorii epistola improbatur. En bis eâdem Ephe[illegible] synodi actione, romani Pontificis dictum ac promulgatum de c[illegible] licâ fide judicium retractatur. Quæ approbaverat, quæque [illegible] baverat, æquè in examen revocantur, nec nisi quæstione h[illegible] confirmantur.

CAPUT XII.

Continuatio actionis primæ concilii Ephesini ; quæ circa Nestorii pa[illegible] Cœlestino papâ decreta essent, ad synodale examen et ipsa revocantur, ne[illegible] quæstione habitâ comprobantur.

Hæc quidem de fide gesta sunt actione primâ synodi Ephesi[illegible] jam quæ ad Nestorii personam eâdem in actione pertineant re[illegible] semus.

Primùm Cœlestini ad Nestorium epistola legitur, et in acta [illegible] fertur, ea scilicet quâ de Nestorio ferebat sententiam [4] : de quâ [illegible] sententiâ cùm postea, perpensis omnibus, Patres judicaturi ess[illegible] interim tantùm in acta referri oportebat. In Cœlestini epistolâ [illegible] erat peculiaris doctrinæ : tantùm in eo versabatur, ut Cyrilli [illegible] haret doctrinam et epistolam ; Nestorii improbaret ; de quibus Cy[illegible] ac Nestorii epistolis jam prolatum erat sanctæ synodi judicium, [illegible] aliquid iis addere supervacaneum esset.

II. Eâdem verò causâ, cùm Cyrilli epistola lecta esset, ea scili[illegible] quâ Cœlestini exequebatur sententiam, de eâ epistolâ nihil spec[illegible] actum, sed jussum duntaxat, ut in acta referretur.

III. His gestis, de Nestorii personâ pronuntiandum fuit. Q[illegible] situm, ecquid ea quæ Cœlestinus ad Nestorium scripserat, qua[illegible]

[1] *Conc. Eph.*, act. I. col. 461 et seq. — [2] *Ibid.*, col. 492, 493. — [3] *Ibid.*, et col. seq. — [4] [illegible] col. 501.

quando Cyrillus egerat, ad Nestorium perlata essent [1]. Perlata compertum est, et eum usque adhuc in sententiâ persistisse, ac ex elluxisse diem à sancto Cœlestino primùm, tum postea ab eadem synodum convocante prælatos. Hinc ad probationis cumulum, Patrum testimonia cum Nestorii exegesibus componuntur [2]: quis discrepantia prodit Nestorium novatorem, adeòque hæreticum : fit decretum in hæc verba [3] « Sancta synodus dixit : Cùm autem Nestorius, neque nostræ citationi parere, neque episcopos à nobis destinatos admittere voluerit; necessariò venimus ad condemnationem eorum quæ impiè docuisset. Deprehendentes itaque eum ex litteris commentariisque ipsius, partim è sermonibus, quæ impiè sentire et prædicare, coacti per sacros canones, et litteras sanctissimi Patris nostri et comministri Cœlestini romanæ sedis episcopi ad hanc sententiam venimus : Dominus noster Jesus Christi, per hanc sanctissimam synodum Nestorium episcopali sede privatum esse definit. » Vides canones conjunctos cum Pontificis litteris; magnificè sanè, et ad commendandam Sedis apostolicæ majestatem. Vides synodum executam quæ Cœlestinus decreverat, atque his coactam, ad tristem sententiam devenisse; sed illam et suâ definitione editâ in Christi nomine : sed postquam legitimâ cognitione constitit omnia rectè et ordine gesta esse.

Denique sententia synodi pronuntiata ad impiissimum Nestorium tribuitur : « Sancta synodus Nestorio novo Judæ : scias te à sacrâ synodo esse depositum [4]. » Sic qui ante sacræ synodi disquisitionem, *religiosissimus episcopus* vocabatur, eâ disquisitione factâ, *impiissimus*, jam *novus Judas*, et ab episcopali sede dejectus vocabiliter, et sententia promulgatur.

Et maxima res, maximâ consensione perfecta est, quâ nempè illa in Ecclesiâ stare diximus; et ordo judicii ex se perspicuus : ipsè à Cœlestino sententia profertur *, concilii generalis convocatione suspenditur, cognitione examinatur, novo et irretractabili illo roboratur, totius Ecclesiæ auctoritate conjunctâ.

Patres profitentur relatione ad imperatorem : « Nestorium à nostrâ submovimus, et canonicè exauctoravimus; Cœlestinum urbis Romæ episcopum præconiis extollentes, qui ante nostram sententiam, Nestorii hæretica dogma condemnaverat, nosque in eadem contra eum sententiâ anteverterat [5]. » Hæc illa unitas, hæc

[1] Conc. Eph., act. I. col. 504.— [2] *Ibid.*, col. 508 et seq.— [3] *Ibid.*, col. 533.— [4] *Ibid.*, col. 549. Bentendit Alph. Muzarellus S. Cœlestinum concedere voluisse Nestorio inducias pœnitentiæ et correctionis in proximo concilio : ideoque ejus sententiam adversùs Nestorium non fuisse absolutam, sed conditionatam. Vide ejus opus posthumum, quod Gandavi prodiit, anno 1768 : *De auctoritate Rom. Pontificis in conciliis generalibus*; tom. II. pag. 42 et seq. (*Edit. Bened.*)

[5] Conc. Eph., act. I. col. 571.

illa consensio, quæ invictum jam et ineluctabile robur ecclesia judiciis præstat.

Ità congruunt omnia, ac nostra sententia stabilitur : dum Sedis apostolicæ de fide, deque personâ judicium, sancta sy comprobat et exequitur, ejusdem sanè Sedis legitimam potest privatum agnoscit. Dum autem illius judicium non probat, ni legitimam cognitionem et iteratum examen, romanum Pont omnibus quidem episcopis superiorem; uno tamen concilio ge etiam in causâ fidei, inferiorem esse docet : quod erat demon dum.

CAPUT XIII.

Gesta actionis secundæ, quibus præcedentia comprobantur : quid sit con decreta, stylo ecclesiastico, ex gestis demonstratur : in synodi examine, judicio quæstionis finem non modò sacra synodus, sed etiam legati ap atque ipse etiam papa Cœlestinus agnoscunt.

Dum hæc agebantur, Arcadius et Projectus episcopi, et Phi presbyter, delecti à Cœlestino erant, qui speciali mandato apostolicæ totiusque Occidentalis synodi, Ephesinæ synodo essent. Hi ergo Ephesum ab Urbe adveniunt, ac sacro conv adsunt, atque hìc actio secunda inchoatur [1].

Lupus Lovaniensis, inter alia antiquitatis acta, Cœlestini ad le commonitorium instructionesque, ut ipse Cœlestinus vocat, pro His præcipiebatur, « ut Sedis apostolicæ tuerentur dignitate se episcoporum dissidiis immiscerent, quorum quippè judices (synodo utique) esse deberent [2]; » cum Cyrillo, utpote fido, a conferrent. Jam quid his mandatis nixi præstiterint, ordine rec mus; atque his nostra firmari facilè ostendimus.

Primùm quidem proferunt sancti Cœlestini epistolam ad s dum [3], quâ legatis injunctum officium explicatur his verbis : « Di mus sanctos fratres et consacerdotes nostros,... qui iis quæ ag intersint, et quæ à nobis anteà statuta sunt exequantur [4]. » constat synodi Ephesinæ actionem in apostolici judicii exec versari. Cujusmodi autem sit illa executio, an merâ, ut aiunt, dientiâ, an verò ipsius synodi cognitione legitimâ, certoque j indeclinabili judicio, sequentia demonstrabunt.

II. Lectis Cœlestini litteris, legati consequenter ad epis aut quæ *Cœlestinus* anteà definire, et nunc in memoriam re dignatus est, juxta communis fidei regulam, AD FINEM NU OMNIBUS ABSOLUTUM deduci jubeatis; ςεὶς περασπληρεστατον, AD PLENISSIMUM : » qui concilii fructus est, post cujus sententiam

[1] *Conc. Eph.*, act. I. col. 610. — [2] *Christ., Lup. var. Patr. epist.*, cap. CCXXVI; *Vid. novam coll. Baluz.*, pag. 382. — [3] *Conc. Eph.*, act. II. col. 611. — [4] *Ibid.*, col. 618.

nova discussio, novumque judicium, sed mera executio. Atque id legati postulant juberi à synodo, in quâ summam illam auctoritatem recognoscant.

III. Firmus, episcopus Cæsareæ Cappadociæ, pro synodo respondet : « Apostolica et sancta Sedes Cœlestini episcopi præsenti negotio sententiam regulamque præscripsit [1]. » Græca habent : *sententiam priùs postulit ac regulam*, seu τύπον, quam vocem paulò post *formam* vertit interpres. Nos de vocibus non litigamus : quid autem ipsa res sit audiamus eumdem Firmum accuratè explicantem : « Nos, inquit, de Nestorio hanc formam executioni mandavimus, canonicum apostolicumque judicium in illum proferentes : » actione primâ scilicet, quâ, facto examine, et quæstione habitâ, Cœlestini decretum firmatum vidimus. Sic exequitur synodus generalis primæ Sedis sententiam, legitimâ cognitione et inquisitione, nec simplicis mandatarii vice, *sed canonico et apostolico dato judicio*. Papale sanè decretum pro tantæ Sedis auctoritate sit forma, sit regula ; sed quæ synodo convocatâ, non nisi ex communi judicio, plenam auctoritatem obtineat.

IV. Legatos quoque ad synodum mandato speciali missos, quæ adversùs Nestorium gesta essent, an satis ex canonum præscripto, et Sedis apostolicæ reverentiâ intelligere oportebat : id sæpè jam diximus. Quare meritò petunt acta communicari, *ut nos quoque*, inquiunt [2], *confirmemus*. Illud *confirmare* quid sit, ipsa gesta eloquentur.

V. Postquam, legatis petentibus, data sunt quæ in Nestorium acta essent, de iis actione tertiâ sic referunt : « Intelleximus omnia canonicè et ex ecclesiasticâ disciplinâ judicata esse [3]. » Ergo canonicè et ex ecclesiasticâ disciplinâ Sedis apostolicæ judicia in synodo generali, quæstione habitâ, retractantur, ac de iis judicatur.

VI. Cùm legati probassent acta in Nestorium sibi communicata, jam relegi petunt in publico concessu cætera, quæcumque Ephesi ab initio lecta gestaque essent : nempè, inquiunt, « ut obtemperantes formulæ sanctissimi papæ Cœlestini, qui hanc curam nobis commisit, vestræ etiam Sanctitatis judicia confirmare possimus [4]. »

Postea quàm ergo relecta sunt omnia, ac legati assensere, proponit Cyrillus sacræ synodo, ut legati obsignatione, ut moris est, planam ac manifestam faciant canonicam cum synodo assensionem suam [5]. » Ad eam Cyrilli interrogationem, synodus sic respondet, decernitque : ut legati *subscribendo acta confirment* : quo loco perspicue ipsum *confirmare* à synodo dictum, nihil aliud est *quàm*

[1] *Conc. Eph.*, act. II. col. 618.—[2] *Ibid.*, col. 619.—[3] *Ibid.*, act. III. col. 622, 623.—[4] *Ibid.*—[5] *Ibid.*, col. 630.

planam et manifestam suam assensionem facere, ut à Cyrillo propositum.

Hunc verum, genuinumque confirmationis sensum sæpè pro mus, sæpè proferemus; et nunc à sanctâ Ephesinâ synodo tam proponi nobis gratulamur.

VII. Jam verò quanti esset, *auctoritate legationis apostolicæ* ut ait Projectus [1], legatorum unus decreta Ephesina confirmari, intelligitur; quòd etsi Cyrillus papalis sententiæ executor eam in synodo executus esset; non tamen ad synodum delegatus: de quâ synodo Cœlestinus nondum cogitabat cùm vices committeret suas. At Arcadius, Projectus et Philippus, à Cœlestino ad synodum missi, mandati specialis auctoritate, dalia gesta firmabant, Ecclesiarumque omnium cum Ecclesiâ cipali, romanâ scilicet, claram omnibus modis ac testimoniis sensionem manifestabant.

VIII. Huc accedit quòd legati ad synodum Ephesinam speciali dato missi, non modò apostolicæ Sedis, sed etiam totius Occid ferebant sententiam. Undè Philippus presbyter, unus legatorum postea quàm relecta omnia et communi consensu probata sunt, concludit: « Firmum ergo est, juxta omnium Ecclesiarum decr (*nam* Orientalis et Occidentalis Ecclesiæ sacerdotes, vel per certè per legatos, sacerdotali huic consessui intersunt), quæ (Nestorium) est pronuntiatum [2]. »

IX. Hinc elucet ut sese mutuò ipsa Ecclesiarum decreta confir ea enim omnia vim habent confirmandi, quæ Ecclesiarum omn consensionem unitatemque declarant; cùm ipsâ unitate et con sione mutuâ, decretorum ecclesiasticorum firmitudo constet. in edendâ fidei expositione, Oriens et Occidens, Sedesque apost et synodici conventus se mutuò firmant. Unde et illud legitur Ephesinâ synodo Cœlestino acclamatum: « Cœlestino custodi Cœlestino cum synodo concordi: unus Cœlestinus, unus Cyrill una fides synodi, una fides orbis terrarum [3]. »

His ergo auditis catholicæ unitatis acclamationibus, Philippus tus sic respondet: « Gratias agimus sanctæ venerandæque quod sancta membra, sanctis vestris vocibus, sancto capiti adjunxeritis: non enim ignorat vestra Beatitudo totius fidei, vel apostolorum caput esse beatum Petrum [4]. » Hæc ergo summa toritas, summa vis: quòd membra et inter se, et romano Pe ut capiti conjungantur: quod ex consensione invictum ecclesiæ judicii robur.

X. Postremò Cœlestinus ipse, re totâ peractâ, ad sanctam Ephe

[1] *Conc. Eph.*, act. III. col. 627.—[2] *Ibid.*, col. 626.—[3] *Ibid.*, act II. col. 618.—[4] *Ibid.*, col.

n synodum mittit epistolam, quam sic auspicatur : « Tandem bonum finem gaudendum est [1]. » Ubi *finem* agnoscat lector eruditus dicit : post damnatum scilicet, œcumenici concilii, hoc est totius Ecclesiæ catholicæ indeclinabili auctoritate, Nestorium. Pergit : ipsa ei tam fidelitas peracta, vos executores videmus nobiscum ... » Omnes desernunt, omnes exequuntur, dato scilicet communi judicio. Undè addit Cœlestinus : « Dejectionem justam et exaltationem dilecimus justiorem : « dejectionem Nestorii à romanâ Sede inchoatam, sed synodi sententiâ ad finem usque perductam, ab ipsis ... », ut suprà vidimus : exaltationem Maximiani, in Nestorii locum post Ephesina decreta continuò substituti, quæstionis finis : hunc finem non in suo, sed in synodi universitatis nomine atque judicio, ipse etiam Cœlestinus agnoscit.

Atque id gestum in illâ synodo, in quâ post Christum natum Sedis apostolicæ auctoritatem laudantissimè commendatam esse constat ; non tantùm verbis, sed etiam factis. Certè sancta synodus Philippi legatum audit hæc verâ et magnifica prædicantem de Sedis apostolicæ dignitate, dicens : « Petro capite et fidei columnâ, et Ecclesiæ catholicæ fundamento, et Christi auctoritate clavium administro ; qui hoc usque tempus semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet [2]. » Hæc dicit, vinis ipsius concilii actis omnibus, quæ recensimus : ut profectò intelligamus hæc omnia Petri Sedisque apostolicæ privilegia, cum synodi decretis et iterato judicio, et hactenus fide post Sedem apostolicam quæstionem, egregiè consentire.

CAPUT XIV.

Totius synodi praxis quâ doctrinâ nitatur : episcoporum auctoritas in apostolis institutis : in omnibus fidei depositum in commune traditum, et communi curâ custodiendum : apostolici in Hierosolymis concilii auctoritas in secutis conciliis : ac ut Cœlestini epistolâ Ephesi lectâ, quâ confutantur iis, qui docendi auctoritatem à Petri in episcopos manare contendunt.

Post gesta relata, nostramque sententiam ex illis affirmatam, juvat jam exponere sancti Cœlestini Papæ doctrinam egregiam, unde ista manarint ; nempe ea epistola, quam ad sacram Synodum Legati attulerunt, hæc antè omnia præferebat : « Spiritûs sancti testatur præsentiam congregatio Sacerdotum. » Ac paulò post : « Sanctum namque et pro debitâ sibi veneratione Concilium, in quo utique nunc Apostolorum frequentissimæ illius, quam legimus, congregationis, aspicienda reverentia est. Nunquam defuit his Magister, quem receperant docendum : adfuit his semper Dominus et Magister ; sed nec docentes à suo Doctore deserti sunt unquam. Docebat ille qui miserat ;

[1] *Conc. Eph.*, part. III. cap. XX. col. 1069. — [2] *Ibid.*, act. III. col. 626.

docebat qui dixerat quid docerent; docebat qui in Apostolis suis confirmabat audiri [1]. » Hæc de Apostolis, ac primo illo apostolico Concilio dicta : mox ad omnes Episcopos, atque ad secutas Synodos conferuntur. « Hæc, inquit, ad omnes in commune Domini suis dotes mandatæ prædicationis cura pervenit : hæreditario in hanc solicitudinem jure constringimur, quicumque per diversa terrarum eorum vice nomen Domini prædicamus. Dum illis dicitur : *Ite, docete omnes gentes* [2] : advertere debet vestra Fraternitas, quia accepimus generale mandatum : omnes etiam nos id agere voluit, qui illos omnibus commune mandavit officium : necesse est ut competentes nostros sequamur auctores; subeamus omnes eorum labores, quibus omnes successimus in honore. » Hæc denique sic concludit : « Agendum est labore communi ut credita, et per apostolorum traditionem detenta, servemus [3]. »

Ex hâc sancti Cœlestini doctrinâ multa deducimus; primùm illos episcopos in apostolicis doctores constitutos ab ipso Christo, non utique à Petro, aut Petri successoribus. Nec indignum putat tanto loco positus Pontifex admiscere se reliquis episcopis : « Omnes, inquit, apostolorum vice nomen Domini prædicamus :... omnes illi successimus in honore. » Quò magis constet docendi auctoritatem tam in ipsum Cœlestinum, quàm in cæteros episcopos à Christo esse transfusam. Hinc omnibus traditum sacræ doctrinæ depositum, cujus custodia penes omnes sit, communique adeo curâ et consensu constituendam fidem : neque defuturum Ecclesiarum magistris Christi veri magistri præsidium. Hæc Cœlestinus in commune statuit de se et omnibus Episcopis Apostolorum successoribus : tum illi consectaneum, ut quæstione de legalibus collecti Apostoli simul pronuntiarent eamdem Spiritûs sancti, suamque sententiam, ita porrò futurum in aliis summis controversiis, Apostolorumque Conciliis Episcoporum Conciliis revicturum. Quæ profecto docent, non in Petri solius aut successorum Petri sententiâ, sed in omnium consensione Conciliorum vim, et quæstionis finem esse repositam.

Neque propterea Cœlestinus primatum infringit suum, dum se annumerat reliquis apostolorum successoribus. Ut enim reliqui episcopi reliquis apostolis, ita ipse Petro principi successor à Christo datus, ubique omnes præit Petri auctoritate, ut in eâdem synodo prædicatum gestumque legimus.

Sic in sanctâ synodo generali tertio, ac primis illis sæculis, et contra hæreticos evincimus ubique præeuntem, atque omnium ducem Sedis apostolicæ potestatem; quodque est maximum, Petri nomine, atque

[1] *Epist. Cœlest. ad Synod. Eph.*, act. II. col. 614. — [2] *Matth.*, XXVIII. 19. — [3] *Act. II. Conc. Eph.*, col. 675.

adeò à Christo institutam : nec minùs catholicis ostendimus in eo collocatam ultimam et irrefragabilem ecclesiastici judicii vim, cùm ad Petri, id est, ad Papæ auctoritatem episcoporum quoque toto orbe terrarum, apostolorum vice, accedit auctoritas atque consensio; quod unum Ecclesia gallicana postulat.

CAPUT XV.

Chalcedonensis concilii quarti generalis acta proponuntur : referuntur ea quæ antecesserint : ex his demonstratur, etiam in fidei causis, post romani Pontificis judicium, à totâ Ecclesiâ ipsoque romano Pontifice plenius ac majus, jamque irrefragabile judicium expectari.

Jam acta concilii Chalcedonensis generalis pervolvantur. Hæc antecessere. Duas in Christo naturas confundebat Eutyches, archimandrita Constantinopolitanus, ac monachorum pater, haud minùs pervicax quàm delirus senex. Is ergo damnatus à sancto Flaviano suo et Constantinopolitanæ sedis antistite, patriarchas quidem omnes, sed romanum maximè Pontificem appellavit. Leo scribit ad Flavianum, ac jubet *ad se cuncta deferri*[1]. Flavianus respondet, atque à Leone petit, ut nempè « propriam faciens communem causam, et sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decerneret damnationem adversùs eum (Eutychem) regulariter factam esse, et per propria dicta confortaret imperatoris fidem[2]. » Addebat : « Causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, quâ debeatis consensu proprio ad pacem cuncta perducere : » hoc est, aperta causa et plana est; pauci adhuc sectatores, iique obscuri, nec magni nominis. Concludebat : « Sic enim hæresis quæ surrexit..... facillimè destruetur, Deo cooperante, per vestras litteras; removebitur autem et concilium, quod fieri divulgatur, quatenùs nusquam sanctæ turbentur Ecclesiæ[3]. » Et id ex disciplinâ, ut statim hæreses comprimantur, episcopali primùm, tum deindè Sedis apostolicæ providentiâ : neque statim necesse sit, synodo universali convocatâ, sollicitari omnium Ecclesiarum pacem.

Ubi ad Leonem acta perlata sunt, ad Flavianum scribit[4] : sacramentum Dominicæ incarnationis exponit *plenissimè, lucidissimè*, ut et ipse dicit[5], et omnes Ecclesiæ attestantur; Flaviani fidem et acta laudat; Eutychem ita damnat, ut ei indulgeri possit, si satisfecerit.

Hæc illa est nobilis ac planè cœlestis epistola, quæ per totam Ecclesiam tanto postea studio celebratur; quàm nos ideo intellectam

[1] *Conc. Chalc.*, part. I. *Ep.* II. *Leon. Mag. ad Flav.*, t. IV *Conc.*, col. 11; *Vid. int. ep. Leon. edit. Quesn.*, *ep.* XX. al. VIII. — [2] *Ep. Flav. ad Leon.*, tom. IV. col. 15; *Inter Leon.*, *ep. post epist.* XXI. — [3] *Ibid.*, col. 16; *ibid.* — [4] *Epist. Leon. ad Flav.*, *inter act. Conc. Chalc.*, act. II. col. 344 et seq.; *Inter Leon. epist.* XXIV. al. X. — [5] *Vid. Ep. Leon. ad Synod. Chalc.*, part. I. *Conc.*, *Ep.* XL. col. 71; *Int. Leon. ep.* LXXII. al. XLVII.

volumus quoties simpliciter Leonis epistolam appellare contigerit.

His quidem quæstio finiri potuit, nisi ea incidissent, quæ synodum Ephesi convocandam imperatorem Theodosium Junior impulerunt; eum qui Ephesi jam primam illam sub Cœlestino et Cyrillo indixerat.

De hâc synodo sanctus Leo ad Theodosium hæc scripsit, primùm quidem « tam evidentem causam esse, ut rationabilibus causis ad indicendâ synodo fuisset abstinendum[1] : » quod etiam Flavianus cavisse videbatur*.

Cæterùm, cùm imperator bono animo synodum convocasset, Leo assentitur, atque eas ad synodum dat litteras, quibus imperatorem laudat, quòd habere voluerit episcopale concilium, « ut pleniori judicio omnis error posset aboleri. » Memorat legatos à se dirigi « qui vice, inquit[2], meâ sancto conventui vestræ Fraternitatis intersint, et communi vobiscum sententiâ, quæ Domino sunt placitura constituant. »

Ex his tria habemus : primùm quidem in fidei quæstionibus, non semper necesse esse synodum œcumenicam convocari : tum illud post rem à se judicatam non refugi à Leone tanto Pontifice synodale judicium, si causa idonea sit : denique si synodus habeatur, pleniore *judicio* errorem aboleri, et quæstionem à Sede apostolicâ communi cum episcopis *sententiâ* finiri oportere : quo quidem plenum illud à nobis sæpè memoratum consensionis robur agnoscit.

At postquàm Dioscorus Alexandrinus episcopus, Eutychetis et fautor, omnia per vim et nefas egit, factumque est Ephesi, non concilium, sed apertum latrocinium; jam scisso episcopali collegio totâque Ecclesiâ perturbatâ, synodi secundæ œcumenicæ Ephesinæ nomine, ipse Leo agnoscit, novam synodum generalem haberi oportere, quæ « omnes offensiones, ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultrà sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum[3]. » Ergo intelligebat schismata et tantam de ipsâ fide fluctuationem animorum, non satis tolli posse per suum judicium; et plenius, firmius, auctoritate majus synodi generalis judicium, quo scilicet judicio omne jam dubium tolleretur, haud minùs sapiens ac bonus quàm fortis Pontifex postulabat.

Cæterùm, Theodosius imperator quamdiu existimavit Ephesi rem ordine fuisse tractatas, de novâ synodo habendâ nihil audire voluit. « Rem enim transactam Ephesi depositione eorum qui mererentur; et nihil ulteriùs post hæc definiri possibile est, cùm ista jam semel

[1] *Conc. Chalc.*, part. I. ep. XVII. col. 33; *Int. Leon.*, ep. XXXIII. al. XVII.
* In suâ ad Leonem epistolâ.
[2] *Conc. Chalc.*, part. I. ep. XIII. col. 34; *Int. Leon.* ep. XXIX. art. XV. — *Epist. Leo ad Theod*, *ib.*, ep. XX. col. 46; *Int. Leo.* XXXIX. al. XXXIV.

dicio sint[1]. » Ex his liquet quo discrimine essent romani Pontificis in synodorum generalium judicia : cùm judicium quidem romani Pontificis in synodo retractetur : post synodum verò, quamdiu ea legitima habetur, nihil retractari, nihil audiri liceat.

Verùm Theodosio paulò post mortuo, Marcianus imperator, ubi intellexit Ephesine conventui, propter vim et alia contra canones peccata, synodi œcumenicæ nomen atque auctoritatem à plerisque episcopis, maximè verò à romano Pontifice denegari; novæ synodi convocationem petenti Leoni negare non potuit. Factum est igitur Chalcedonense concilium, atque apud omnes constitit quædam esse circa fidem dissensiones ita graves, quæ non nisi concilii œcumenici auctoritate definiri possint.

CAPUT XVI.

In Chalcedonensi concilio duo ad rem faciunt, alterum, Dioscori patriarchæ Alexandrini; alterum, examen epistolæ Leonis : hic de Dioscoro : demonstratur in causis, quæ universalem Ecclesiam spectant, in ipsâ consensione vim summam et indeclinabilem esse repositam.

Notum est omnibus Chalcedonem sexcentos atque ampliùs episcopos convenisse. Paschasinus et Lucentius episcopi, Leonis vice, sanctæ synodo præsidebant : dati ab imperatore judices qui actionem regerent, turbas compescerent, quæstionem de fide, et ecclesiastica omnia, in synodi potestate ac judicio relinquerent.

In eâ verò synodo, quæ ad rem nostram faciant, duo sunt : primùm, Dioscori depositio; alterum, sententia synodi de Leonis epistolâ comprobandâ.

De Dioscoro, cùm vocatus judicio se non sisteret, ejusque scelera omnibus innotescerent, sic transactum. Paschasinus Sedis apostolicæ legatus Patres rogat[2] : « Quid placet vestræ Sanctitati volumus discere. Sancta synodus dixit : Quod placet canonibus. Lucianus episcopus dixit : A beatissimo patre nostro Cyrillo in sanctâ Ephesinâ synodo quædam acta sunt : ipsam inspicientes formam quæ placuerit dete. Paschasinus episcopus dixit : Jubet Pietas vestra, ut ultione ecclesiasticâ utamur? Consentitis? Sancta synodus dixit : Omnes consentimus.... Paschasinus episcopus dixit. Iterùm dico, quid placet Beatitudini vestræ? Maximus episcopus magnæ Antiochenæ civitatis dixit : Quod videtur Sanctitati vestræ, et nos conformes efficimur. » Ita primam sententiam à Sede apostolicâ, et formam quam vocabant, dari oportebat. Itaque legati, Dioscori sceleribus enarratis, ita pronuntiaverunt[3] : « Unde sanctus Leo per nos et præsentem sanctam

[1] *Vid.* 1. part. *Conc. Chalc., epist.* XXIX, XXX, XXXI. — [2] *Conc. Chalc.*, act. XI. tom. 25. *Conc.*, col. 421, 424. — [3] *Ibid.*, col. 425.

synodum, unà cum beatissimo Petro apostolo, qui est petra et crepido Ecclesiæ, et rectæ fidei fundamentum, ab omni sacerdotali potestate alienum declaravit *. » Anatolius Constantinopolitanus episcopus : « Concors efficior. « Maximus Antiochenus episcopus : « Sicut beatissimus archiepiscopus et pater noster Leo et Anatolius. » Cæteri eodem sensu : « Consentio, concors efficior, consensio damnationi à synodo factæ, hæc eadem definio, decerno [1]. » Et subscriptum : « Paschasinus definiens subscripsit : Anatolius definiens subscripsit [2] : » cæteri idem.

Sic à Petro capite, atque unitatis fonte orta sententia in summam vim porrò deducitur consensione communi episcoporum : sic ut apostolorum prima illa synodus ubique repræsentetur.

Ex his intelliguntur ea quæ ad Theodosium Augustum Valentinianus Augustus scripsit : « Debemus cum omni devotione defendere, et dignitatem propriæ venerationis beato apostolo Petro intemeratam et in nostris temporibus conservare : quatenus beatissimus romanæ civitatis episcopus.... locum habeat de fide et sacerdotibus judicare [3]. » Neque tamen solus, sed eâ conditione quàm idem imperator addit : *ut prædictus sacerdos* in his certè causis, quæ fidem et universalem Ecclesiæ statum tangunt, « congregatis ex omni orbe sacerdotibus sententiam ferat [4] ; » communi quidem decreto, ut et ipse Leo postulaverat, et in ipsâ synodo factum fuisse vidimus.

Eodem animo Pulcheria Augusta ad Leonem sic scribit de episcopis convocandis : qui, inquit, « facto concilio, de catholicâ confessione et de episcopis, te auctore, decernant [5]. »

Idem quoque scribunt Valentinianus et Marcianus Augusti ad eumdem Leonem : *Ut per celebrandam synodum* omnia, *eo auctore*, fierent : hoc præstructo fundamento, quòd ipse *principatum in episcopatu... possideret* [6].

Hinc liquidò constat, consueto ordine, et Papam auctorem esse debere, et episcopos assidentes cum ipso esse judices, et ipsum irrevocabilis decreti robur in consensione esse positum ; quod ipsum Pulcheria Augusta testatur, datâ epistolâ ad Strategum consularem *, qui omnem à synodo vim prohibere jubebatur : « ut cum omni disci-

* Textus concil. Chalcedon. sic habet. NUDAVIT *eum tam episcopatûs dignitate, quàm etiam et ab omni sacerdotali* ALIENAVIT *ministerio*. Suspicatur Muzzarellus « hanc variationem refundi potiùs debere in editoribus quàm in ipsum Bossuetium. Absit enim, inquit, ut malis fidei tantum virum incusem, quamvis ex textu integro, et integrè relato, non parvum sibi et suis negotium obviare. » Vide ejus opus suprà memoratum, tom. II. pag. 31. Conjiciemus autem ipsum episcopum Meldensem, hic ut in nonnullis aliis locis, verba concilii, brevitatis causâ, contraxisse. (*Edit. Versal.*)

[1] *Conc. Chal.*, act. XIL. tom. IV. *Conc.*, col. 425 et seq. — [2] *Ibid.*, col. 449 et seq. — [3] *Part. Conc. Chalc.*, *epist.* XXV. col. 51 ; *Int. Leo. post ep.* XLVII. al. XXVIII. — [4] *Ibid.*, col. 54. — [5] *Ibid.*, *epist.* XXXV. col. 66 ; *Int Leon. post epist.* LVIII. al. XXXVIII. — [6] *Ibid.*, *ep.* XXXVIII. col. 62 ; *Int. Leon. post epist.* LVII. al. XCVIII.

* Bithyniæ.

plinâ considente sanctâ synodo, sine aliquâ commotione atque contentione, quæ à Domino Christo revelata fuerint COMMUNITER AB OMNIBUS confirmentur[1]. »

Interim sic Pontificem auctorem esse liquet, ut decreti vis, non solâ Pontificis auctoritate, quòd tum nemo cogitabat; sed ipsâ concilii consensione et approbatione constet; Patresque ac synodus condecernant, conjudicent, synodique sententia Papæ sententia sit; quæ, Ecclesiarum accedente consensu, jam irreformabilis irretractabilisque habeatur; quod unum postulamus.

CAPUT XVII.

Alterum caput in synodo Chalcedonensi tractatum, de expositâ fide : sancti Leonis epistola non nisi facto examine comprobata : Gallorum et Italorum ante Chalcedonense concilium, de recipiendâ Leonis epistolâ, litteræ ejusdem spiritûs referuntur : decretum apostolicæ Sedis, non nisi consensione Ecclesiarum, irretractabile fieri, christiani omnes et ipse Leo confitentur.

Alterum caput in Chalcedonensi synodo tractatum, nempè firmata fides, et probata Leonis epistola, sic habet. Jam eam epistolam, ante gestam synodum, totus ferè Occidens et Orientales plerique, et ipse Anatolius Constantinopolitanæ sedis episcopus, etiam subscriptione firmaverant, et in ipsâ synodo Patres sæpè clamaverant : « Sicut Leo, ita credimus, Petrus per Leonem locutus est, epistolæ omnes subscripsimus; sufficiunt ad fidem quæ exposita sunt; alteram expositionem non licet fieri[2]. » Eòque res processerat ut definitionem à synodo fieri ægrè paterentur. Sed in tantis Ecclesiæ turbis, ad animos tranquillandos, neque privatim ante synodum factæ subscriptiones, neque tanti in synodo Patrum clamores sufficere visi; ne clamoribus magis tanta res, quàm æquâ et legitimâ disceptatione transacta videretur. Et clerici Constantinopolitani dicebant : « Pauci clamant, non tota dicit synodus*. » Placuit ergo Leonis epistolam ad legitimum concilii examen revocari, et ab ipsâ synodo de fide conscribi definitionem. Itaque, lectis antecedentium synodorum gestis, de Leonis epistolâ judices ita proposuerunt : « Quoniam Evangelia posita sunt, singuli reverendissimi episcopi doceant, si expositio CCCXVIII Patrum ** et post hæc CL Patrum *** consonat epistolæ sancti Leonis. »

Postquam de examinandâ Leonis epistolâ interrogatio in eam formam facta est, operæ pretium erit Patrum sententias, et, ut aiunt, vota pensare, ut intelligamus, ab ipsâ origine, cur epistola placuerit;

[1] *I part. Conc. Chalced., ep.* XXXIX. col. 70. — [2] *Conc. Chalc.*, act. II. col. 337, 344, 368, 369.

* Hic agebatur non de receptione epistolæ S. Leonis, sed unicè de restitutione episcoporum, in Latrocinio Ephesio prævaricatorum, ad synodum et ad Ecclesias. Huc referri clericorum Constantinopolitanorum clamores, rectè notat Muzzarellus, *ubi suprà*, p. 96. Vide tom. IV. Conc. col. 369. (*Edit. Versal.*)

** Nicænorum.— *** Constantinopolitanorum.

cur postea tanto studio defenderetur; cur denique tam exacto syn[illegible] examine probaretur. Primus Anatolius sic dicit sententiam : « Epi[illegible]stola sanctissimi Leonis consonat symbolo CCCXVIII Patrum et [illegible] Patrum, sed et his quæ in Ephoso sub sanctissimo Cyrillo : quapropt[illegible] consensi, et libenter subscripsi. » Id erat apertè deliberantis, [illegible] autem cæco, ut aiunt, impetu, ex merâ obedientiâ subscribent[illegible] Cæteri in eumdem sensum : « Concordat, et subscripsi. » Multi di[illegible] et expressè : « Concordat, et ideo subscripsi. » Additum à quib[illegible]dam [1] : « Concordat, et subscripsi, cùm rectè habeat. » Alii : « Co[illegible]cordare certò scio. » Alii : « Cùm esset consona et eumdem habe[illegible]scopum, amplexi sumus et subscripsimus. » Alii : « Hanc jam o[illegible]tenuimus fidem : hanc tenemus; in hâc baptizati sumus, in [illegible] baptizamus. » Alii et magna pars : « Cùm viderem, cùm sentire[illegible] cùm deprehenderem, cùm invenirem consentire, subscripsi. » Al[illegible] « Persuasus, instructus, certior factus quòd omnia consentire[illegible] subscripsi. » Multi exponunt difficultates suas, plerasque ex lin[illegible] peregrinâ ortas, alias ex rebus ipsis, et audisse quidem epistolam, [illegible] in plurimis rectè habentem comperisse : aliqua verba obstitisse, [illegible] partitionem aliquam in Christi personâ demonstrare viderentur [2]. Addunt à Paschasino et legatis doctos esse, « quòd nulla parti[illegible] esset, sed unus Christus : ideo, inquiunt, consensimus et subsc[illegible]psimus. » Alii, enarratis iis quæ Paschasinus et Lucentius dixera[illegible] sic concludunt : « Per hoc nobis satisfactum est, et per omnia co[illegible]sonare æstimantes sanctis Patribus, consensimus et subscripsimus. Quo loco Illyriciani episcopi et alii, qui ante illud examen epist[illegible] acclamaverant, iterum clamant : « Eadem omnes dicimus et his co[illegible]sentimus, » ut profectò, et in ipsâ synodo, et ante synodum, [illegible] consensisse constet; quòd, re consideratâ, convenire omnia cu[illegible] Patribus æstimarent, judicarent, persuasi essent, et commun[illegible] omnium ac singulorum fidem à Leone expositam esse intelligere[illegible]

Hæc quidem Chalcedone gesta sunt; sed et ante Chalcedonens[illegible] synodum, Galli nostri, habitâ in Galliis synodo *, de recipio[illegible] Leonis epistolâ, sic ad ipsum Leonem scripserunt [3] : « Multi in [illegible] (Leonis ad Flavianum epistolâ scilicet) gaudentes pariter et ex[illegible]tantes, recognoverunt fidei suæ sensum, et ita se semper ex pate[illegible] traditione tenuisse, ut vester apostolatus exposuit, jure lætantur. Nonnulli sollicitiores facti Beatitudinis vestræ admonitione percep[illegible] modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasio[illegible]nem gaudent, quâ liberè et fiducialiter, suffragante etiam apostolic[illegible]

[1] *Conc. Chalc.*, act. II. col. 369 et seq. — [2] *Ibid.*, col. 401.

* XLIV episcoporum.

[3] *Ep. Episc. Gallor. ad Leon.*, tom. I. *Conc. Gall.*, p. 93; tom. III. *Conc. Labb.*, col. 1[illegible] et int. *Leon. epist. post epist.* LXXVI. al. XCVIII.

illa auctoritate, eloquantur, et asserat unusquisque quod credit. »
Congruunt Itali*, auctore Eusebio, Mediolanensi episcopo : « Cla-
rum (Leonis ad Flavianum epistolam) plenâ fidei simplicitate
ligere, prophetarum etiam assertionibus, evangelicis auctoritatibus,
apostolicæ doctrinæ testimoniis radiare, omnibusque sensibus
ibere, quos sanctus Ambrosius de incarnationis Dominicæ
ioio, suis libris, Spiritu sancto excitatus inseruit. Et quia om-
ium majorum fidei nobis antiquitus traditæ, conveniunt, placuit
ibus, qui impiè de incarnationis Dominicæ sacramento sentiant,
etiam consensu, auctoritatis vestræ sententiâ**, damnatione
agrui persequendos[1]. » En auctoritatis sententia in romano Pon-
tice; en episcoporum cum romano Pontifice auctore consensus,
ue exploratâ veritate præstitus. Sic probabant, sic subscribebant,
epistolam communis fidei sensibus congruentem, talemque à se
partum atque judicatam ubique valere conjunctis cum apostolicâ
de sententiis decernebant : quæ mirificè consentiunt iis, quæ modò
Patrum Chalcedonensium sententiis legimus.

Hoc est illud examen epistolæ Leonis Chalcedone synodicè fac-
m, et in gesta relatum ; quo demum facto, epistola jam ut certis-
ma ac perfectissima, nec ampliùs retractanda fidei regula propo-
tur. En quod irretractabile, seu mavis, irreformabile Leo censuit;
ed quidem cum illo et cum Chalcedonensibus Patribus censuisse
mini fraudi esse potest. Ab apostolicâ Sede forma perfertur, sed
æ judicio, eoque libero, recipi debeat : et episcopi singuli, ita
mmo inferiores, ut de ejus quoque *decreto* universi judicent[2].

Neque aliter intelligebant dubitationem omnem tolli potuisse. Ecce
im imperator, peractâ demum synodo, sic edicit : « Cesset igitur
m profana contentio : nam verè impius atque sacrilegus est, qui
st tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum
liquit[3]. »

Exinde omnem de religione prohibet disputationem. « Nam, in-
it, injuriam facit judicio religiosissimæ synodi, si quis semel
dicata ac rectè disposita revolvere, et publicè disputare contendit. »
En in Eutychetis condemnatione ordo ecclesiasticorum judicio-
m circa fidei quæstiones. Nempe is à proprio episcopo Flaviano

* Numero XII.

** Observat Muzzarellus hic omissum esse vocem *præcedente*, ex oscitatione, ut putat, edi-
tum; nam in textu legitur, *auctoritatis vestræ præcedente sententiâ*. Insuper plura citat
epistolarum quorumdam Galliæ antistitum, necnon Eusebii Mediolanensis fragmenta, « quæ
(ipsius verba sunt) cum diligentiam Bossuetii fortè effugerint, à nobis solerter collecta,
aliquid exhibent, quod ejus etiam admirationem excitasset. » Adi opus jam laudatum, t. II,
pag. 18; vel tom. III. Conc. col. 1334, 1335, 1435. (*Edit. Versal.*)

[1] *Epist. Synod. Euseb. Mediol. Episcop. et Episcop. Ital.*; tom. III. *Conc.*, col. 1334; *et int.*
Leon. epist. post. epist. LXXII. al. LII. — [2] *Vid. Diss. præv.*, n. LXI; *Leon. ep. ad Theod.* XCIX,
al. LXIII. — [3] *Concil. Chalc.*, part. III. c. III. col. 840.

judicatur, à sancto Leone papâ causa recognoscitur, retractatur, Sedis apostolicæ definitione deciditur; post eam definitionem, Patrum seu episcoporum in concilio generali examen, inquisitio, judicium sequitur; post approbatam Patrum judicio definitionem, jam nullus dubitationi aut disputationi locus.

Neque aliter Leo : « Nullum jam excusationis refugium de ignorantiâ, vel de intelligentiæ difficultate conceditur; cùm sexcentorum ferè fratrum, coepiscoporumque nostrorum synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium disserendi contra fundamentum fidei divinitus inspiratæ permiserit : quoniam adnitentibus per auxilium Dei fratribus et vicariis nostris,..... non solùm sacerdotibus Christi, sed etiam principibus et potestatibus christianis, cunctisque clericis, plebibus, ordinibus, plenè atque evidenter apparuit, hanc esse verè apostolicam fidem,..... quam sinceram et ab omni fæce totius erroris alienam, sicut accepimus, prædicamus, et, universo jam mundo consentiente, defendimus [1]. »

Sic summum jam et indeclinabile decreto apostolico robur accedit, postea quàm universali inquisitione, examinatione, discussione, atque exinde consensu ac testimonio roboratur.

CAPUT XVIII.

Adversariorum effugia : Bellarminus et Baronius diversa sectantur : aliorum cavillationes de Theodoreto in sedem restituto agitur, ex eoque facto nostra sententia confirmatur.

Jam quidem pernoscimus Bellarminum hâc decreti pontificii examinatione permotum, sic respondisse : « Leo epistolam suam miserat ad concilium, non ut continentem ultimam et definitivam sententiam, sed ut instructionem, quâ adjuti episcopi meliùs judicarent [2]. » Nempe hoc unum effugium superest : ad hæc misera et inepta, viri, quamvis egregii, rediguntur. Nempe nisi omnia quæ huc usque lecta sunt, aut contemnimus, aut obliviscimur, hanc epistolam Leo, non ad synodum instruendam misit, de quâ cùm scriberet nemo cogitabat. Non ergo instruit synodum, sed delatam ad se quæstionem suæ Sedis auctoritate judicat. Hanc exponit fidem; hanc ad omnes ecclesias mittit; his damnat Eutychen; probat Flavianum : quæ nisi plenâ Sedis apostolicæ auctoritate fiunt, jam nescio, quomodo et ubi ea sese auctoritas exeruerit unquam. Quid autem causæ esset cur ultimam sententiam non proferret Leo, appellante Eutyche, rogante Flaviano, ut de se actisque suis tantus Pontifex pro potestate decerneret? Scilicet homo imbecillis atque cunctabundus, nec satis agnos-

[1] *Epist. Leon. ad Episc. Gall.*, LXXVII. al. LII. — [2] *Bell.*, lib. II. *de Conc. auctor.*, cap. XIX; *Vid. Dissert. præv.*, n. LX.

cens sibi à Deo creditam potestatem, Eutychen cum aliquot monachis metuebat. Hæc enim initia erant : hoc temporum articulo scripsit epistolam. An expectabat ut suborta hæresis glisceret, totumque orbem flamma corriperet? Aut fortè quæstionis obscuritate turbatus hærebat, expectabatque concilii œcumenici sententiam : qui omnia à se *plenissimè* et *lucidissimè* enucleata esse profitetur [1]. Quid quòd ad imperatorem scribit : « Tam evidentem causam esse, ut ab indicendâ synodo fuisset abstinendum [2]? » Hæc scribens tantus pontifex, tamen, si Bellarmino credimus, non de judicandâ quæstione, sed de instruendâ synodo cogitabat. Miserum verò est tam absurda sectari, atque insuper adversarios perniciosi contra ipsam fidei erroris arguere. At hic videre est, ut prædiximus [3], Bellarminum ac Baronium, dum nihil solidi succurrit, æstuantes, atque in diversa pertractos. Nempe Baronius epistolam videns totâ Sedis apostolicæ auctoritate scriptam, contendit à Leone scriptam, *ut fidei regulam :* Bellarminus videns à synodo examinatam, non eam, *ut fidei regulam*, sed tantum ut synodi instructionem agnoscit. Quo conflictu, ac rerum perspicuâ serie eò deducimur, ut eam et pro cathedræ apostolicæ auctoritate perscriptam, et tamen ab Ecclesiâ catholicâ, ac synodo universali adhuc examinandam ex Patrum traditione agnoscamus : quæ Parisiensium et Ecclesiæ gallicanæ ipsissima sententia est.

Novi qui Bellarmini responsa erubescunt; hæc verò haud meliora proferunt. Certa res, inquiunt [4], Leoni erat; *plenissimè, lucidissimè* à se exposita omnia noverat, et ad synodum Chalcedonensem scripserat, neque in dubium revocari sinebat à legatis : « Fidem, inquit [5], non patiamini in dubium revocari. » Examen igitur illud, non ex dubitatione, sed ad ampliorem jam notæ et creditæ veritatis elucidationem pertinebat. Hæc illi. At si res ita est, quid vetabat examinari conciliaria quoque decreta? Quid ipsas etiam Scripturas? Non autem id factum unquam. Ergo cum Chalcedone examinaretur Leonis epistola, aliud agebatur, quàm id quod isti fingunt. Neque verò Chalcedonenses luculentiorem ipso Leone, qui omnia *lucidissimè explanaverat*, sed auctoritate firmiorem protulere sententiam. Neque audiendum illud : sancto Pontifici explorata erant omnia : ergo in tantâ certitudine, nullum quæstioni, nullum examini, quale nos dicimus, permittebat locum. Nempe id qui objiciunt, ne mihi quidem intellexisse videntur, quid sit examen in negotio fidei; cùm præsertim de summis ac præcipuis christianæ religionis dogmatibus agitur. Neque enim aut Patres Nicæni, cùm de arianis quærerent,

[1] *Epist. Leo. ad Synod. Chal.*, I. part. *ep.* XL. col. 71; *Int Leo. ep.* LXXII. al. XLVII. — [2] *Ibid.*, *ep.* XIII. col. 34; *Int. Leo. ep.* XXIX. al. XV. — [3] *Diss. præv.*, n. LX; *Bellarm.*, *loc. jam cit.*, *Baron.*, an. 449, tom. VI. p. 80. — [4] *Vid. Duv. et alios.* — [5] *Leon.*, *ep.* LXXIII. al. XLIII. *ad Marc.*, cap. II.

de Filii divinitate ambigebant : sed quàm ab eâ fide ariani abe
quibusque sententiis ac verbis insanus error confutandus esset
que Ephesini, cùm de Nestorii et Cyrilli, atque adeo de Co
fide inquisitio fieret, ipsi de fide dubitabant : sed rectène an
illi fidem exposuissent. Neque item Chalcedonenses ullo modo
tabant, quis esset Christus, Deusne an homo verus, an co
naturis quid tertium, sive aliud portentum, Eutychiani cogita
non id sanè quærebant ; sed verène et ex communi Patrum et
siæ sententiâ tantum sacramentum Leo exponeret. Ac certum
erat, à se *plenissimè* expositam fidem : rectè. An et id omnibus
certum exploratumque esset quærebatur. Episcopi ergo, ad
perlata erat Leonis epistola, ejus sensum quisque cum eâ fide
ponebat, quam ipsi à Patribus accepissent. Neque cæcâ, ut
obedientia, sed ex certa et expressa inquisitione parebant.

Certè multos vidimus optima fide dubitasse, neque subscri
nisi postquam ipsis satisfactum fuit. Ergo verè et proprié re
minabant, ut nondum exploratam ; ac Leoni quidem Petri lo
denti id certum fuisse visum, præjudicii cujusdam instar,
que ac validæ præsumptionis loco erat : sed postquam idem
omnibus visum est, non tantùm præsumptio, sed omnibus
fixa sententia et irretractabile judicium.

At enim, inquiunt, plerique ex Patribus jam ipsam epistola
scriptione firmaverant, et omnes clamabant hanc esse suam
Sanè ; sed jam ordine et legitimè declarandum restabat, unde
sensus : nempe quòd rectè examinantibus constitisset Leonis
tiam, cum antiquâ fide quam hauserant, consentire. Id ergo
in synodo faciunt, quod singulatim ante synodum quique fe
et prolato communi judicio, quæ senserant firmant.

Ergone singulis quoque episcopis examen relinquimus ? Cert
examen juridicum, quo singuli decretum superioris judicis
et irritare possint ; sed examen hujus generis, quo cuique co
nihil sibi imperatum, atque propositum, quod divinæ legi ac
traditæ repugnaret. Præmisimus enim, ex Innocentio quoque
non tantùm egregio pontifice, sed etiam optimo pontificii ju
terprete, episcopos inferiores capiti suo romano Pontifici dic
dientes esse debere, sub hâc tamen exceptione : « nisi mand
hæresim contineret, vel nisi ex præcepto injusto vehemente
sumeretur statum Ecclesiæ turbari, vel etiam fortè alia mal
tura[1]. » Hæc Innocentius, cujus doctrinam amplectuntur o

[1] *Sup. Dissert. præv.*, num. LXXIII, LXXIX ; *Inn. IV*, cap. *Quanto* ; *de commun.*
Decret. tit. IV. fol. 34 ; *Ibid.*, cap. *Inquisit. de sententiâ excommunicationis*, l. V.
col. 595.

Quo ex fonte illud prodiit, alio loco memoratum[1], quod ad Paschalem II à sanctissimis episcopis, ex concilio provinciali Viennensi perscriptum est, ipso etiam Paschali probante: « Si nostræ Paternitatis assertiones prædictas roborare noluerities, propitius sit nobis Deus, quia nos à vestrâ subjectione et obedientiâ repellistis. » Ex quibus aliisque constat, hoc episcopis docturis utique gregem ex auctoritate, non autem simpliciter credituris, examen competere; hoc ab illis fieri, sive in synodo, sive extra synodum, Chalcedonensia et alia à nobis recensita gesta declarant.

Aut verò dicant velim, quâ ratione, non jam de romanorum Pontificum decretis, sed de aliorum scriptorum litteris et tractatibus judicatum putent? Vero certè examine, tanquàm de re dubiâ. Ita enim Cyrilli; ita Nestorii expositiones in Ephesinâ synodo: ita aliorum in aliis synodis scripta explorata sunt, et ad certam exacta regulam; fidem Patrum scilicet. Atqui de Leonis epistolâ non aliud gestum: quòd cùm concesserint, atque ex actis viderint, fateantur necesse est, quâ ratione, quove jure atque ordine, de scriptis aliorum, in synodis œcumenicis inquiri sit solitum, eâdem ratione, atque ordine ac jure, in Chalcedonensi quoque œcumenicâ synodo, de Magni Leonis epistolâ inquisitum esse: quod et per se clarum, et à synodo quintâ expressè declaratum, ut ejus synodi acta, sequenti capite recensenda, demonstrant.

Sic duo illa expedivimus, quæ ab initio sunt commemorata: nempe Dioscori condemnationem, et approbationem epistolæ ad Flavianum. Tertium addimus quod ad rem nostram pertineat, de Theodoreto in suam sedem restituto *. Is igitur cùm, jubentibus episcopis, Nestorium apertè anathematizasset, « gloriosissimi judices dixerunt: Omnis jam dubitatio de Theodoreto est soluta; quippe et Nestorium coram vobis anathematizavit; et à sanctissimo archiepiscopo senioris Romæ Leone susceptus est, et definitionem fidei à Religiositate vestrâ prolatam libenter suscepit: et insuper epistolæ memorati sanctissimi archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur ut sententia proferatur à Deo amabili Sanctitate vestrâ, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut et sanctissimus Leo archiepiscopus judicavit. Omnes reverendissimi episcopi clamaverunt: Theodoretus dignus est sede:..... post Deum Leo judicavit[2]. » Nihil ergo Theodoreto profuturum erat prolatum à

[1] *Bibl. præv. loc. jam cit.; Vid. ep. Conc. Vienn.*, anni 1112, tom. x. *Conc.*, col. 795.

* De Theodoreto nonnulla hic omissa sunt, quæ probant ipsum jam in primâ concilii actione, auctoritate sancti Leonis, concilio inter accusatores adfuisse, ac sedi suæ restitutum esse. Pari enim jure cum cæteris subscripsit epistolæ sancti Leonis, actione quartâ; et definitioni synodi Chalcedonensis, actione sextâ. In actione VIII, cùm rursus accusaretur Theodoretus, concilium satisfieri voluit iis qui de ejus fide adhuc dubitabant. Vide tom. IV. Concil. col. 102, 103, 482, 589: et Muzzarel. tom. II, pag. 111 et seq. (*Edit. Versal.*)

[2] *Conc. Chalc.*, act. VIII. col. 621.

Leone de eo in sedem restituendo judicium ; nisi postquam ad [illegible] dum perlata res est, et fidem suam synodo approbasset, et ab [illegible] synodo Leonis judicium firmaretur. Hæc gesta sunt legatis [illegible] apostolicæ præsentibus, ac postea pronuntiantibus eam de [illegible] Leonis judicio sententiam, quam tota synodus comprobavit [1].

CAPUT XIX.

Concilium quintum generale, seu Constantinopolitanum II, in medium adduc[illegible] in eo referuntur tertiæ et quartæ synodi acta, jam à nobis recensita; et [illegible] docetur romanorum Pontificum, ut et aliorum scripta, nonnisi inquisitione [illegible] à synodis comprobari : unde trium simul synodorum œcumenicarum auc[illegible] nostram sententiam firmat.

Acta Constantinopolitanæ secundæ synodi, quæ quinta est g[illegible] ralis, sub Vigilio papâ, ac Justiniano principe, demonstrabunt, ut tertiæ et quartæ synodi decreta intelleximus, ita à quintâ sy[illegible] fuisse intellecta : quæ eam traditionem ex proximo sumpseri[illegible] nobis reliquerit.

De tribus capitulis agebatur ; hoc est, de Theodoro Mopsuest[illegible] de Theodoreti scriptis adversùs Cyrillum, deque Ibæ Edesseni [illegible] stola ad Marim Persam. Quærebatur eane epistola probata esset [illegible] Chalcedonensi synodo. Atque eam quidem epistolam Chalcedone [illegible] tam esse constabat, ac susceptum Ibam à sancta synodo, cùm [illegible] torium anathematizasset. Quidam personæ veniam datam tant[illegible] alii epistolam quoque probatam contendebant : quæsitum ergo, [illegible] synodo quinta, quo ritu probari scripta de fide consuessent in syn[illegible] anterioribus tertia et quarta. Synodi acta replicantur, eaque [illegible] suprà memoravimus, de epistola sanctorum Cyrilli et Leonis. [illegible] sancta synodus dixit : « Ex his quæ recitata sunt, manifestum [illegible] quomodo sanctæ synodi ea, quæ apud eas proferuntur, probare [illegible] lent. Cùm enim illi sancti viri, qui recitatas epistolas scripserunt, [illegible] splenduerint, tamen epistolarum earum comprobationem NON [illegible] PLICITER, NEC SINE INQUISITIONE fecerunt, nisi per omnia COGNOV[illegible] SENT consonare eas expositioni et doctrinæ sanctorum Patrum, [illegible] quam collatio facta est [2]. » De Ibæ autem epistolâ non esse ita gest[illegible] constabat ex actis. Eam ergo epistolam non esse probatam opt[illegible] concludebant. Sic igitur certum ex tertiâ et quartâ synodis, ita de[illegible] niente et intelligente quintâ, epistolas à Sede apostolicâ comprob[illegible] tas, qualis Cyrilli fuit, aut etiam ab eâ profectas, qualis Leonis fuit, NON SIMPLICITER, NEC SINE INQUISITIONE à sanctis conciliis recep[illegible] fuisse.

Rursus in eâdem quintâ synodo contra Nestorii epistolam acta le[illegible]

[1] *Conc. Chalc.*, act. VIII. col. 624. — [2] *Conc. Constantinop.* II. gen. V. coll. VI. t. V. col. 141.

guntur, quibus Ephesini Patres disertè pronuntiant : « nullo modo consonam esse Nestorii epistolam fidei, quæ Niceæ exposita fuit [1]. » Sic et illa epistola non simpliciter quoque, sed factâ, ut par erat, inquisitione rejecta est; damnatusque Ibas, « qui diceret Nestorium ab Ephesinâ synodo sine examinatione et quæstione esse rejectum [2]. »

Pergunt sancti Patres, et quod Chalcedonenses episcopi facturi fuissent, si epistolam Ibæ examinandam suscepissent, id ipsi faciunt. Epistolam conferunt cum gestis Ephesinis et Chalcedonensibus. Quo facto, « sancta synodus dixit : Ostendit manifestè facta collatio, quòd contraria per omnia est epistola, quam Ibas scripsisse dicitur, definitioni, quam pro rectâ fide Chalcedonensis synodus pronuntiavit..... Omnes episcopi clamaverunt : Hæc omnes dicimus; epistola hæretica est [3]. » Sic ergo ex quintâ synodo sancti Patres nostri in synodis œcumenicis, quas legunt epistolas sive catholicorum, sive hæreticorum, sive etiam romanorum Pontificum, etiam de fide scriptas, eodem ritu orthodoxas, vel hæreticas pronuntiant, legitimâ cognitione veritate inquisitâ, ac deinde perspectâ, tum ex his dato judicio.

Nullone, inquies, prorsus discrimine, atque animis æquè in utrosque propensis? Sanè diximus, et sæpe dicemus, præsumptum fuisse pro Pontificum orthodoxorum decretis : cæterùm in synodis œcumenicis, ubi judicandum in materia fidei, non jam præsumptionibus agi oportere, sed omnino ad liquidum veritate perspecta.

Hæc quinta synodus fecit, hæc ex tertia et quarta synodo didicit et probavit; unoque hoc argumento trium œcumenicorum conciliorum, Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani II, pro nostra sententia decreta retulimus.

CAPUT XX.

Synodus V, invitato ac repugnante Vigilio papâ, habetur : ejusdem Vigilii CONSTITUTUM solvit : Ibæ epistolam ipsius sententiâ ab hæresi absolutam, impiam et hæreticam judicat : à romanis Pontificibus comprobatur.

In eadem quinta synodo hæc gesta sunt quæ ad causam nostram facere videantur.

De tribus capitulis suprà memoratis Justinianus imperator quæstionem in Ecclesiâ haberi petiit : ejus rei gratiâ Vigilium papam Constantinopolim accivit : ibique, non ita multò post, synodum congregavit. Ipse, et Orientales adversùs nestorianos sub eorum capitulorum defensione resurgentes, magni momenti esse putabant, ut ea damnarentur; Vigilius cum Occidentalibus metuebat, ne per

[1] *Conc. Constantinop.* II. gen. V. coll. VI. t. V. col. 541.—[2] *Ibid.*, coll. VIII. can. XIV. col. 578. —[3] *Ibid.*, coll. VI. col. 548.

eam occasionem Chalcedonensis synodus solveretur; quòd in eâ synodo Theodoretum et Ibam fuisse susceptos, Theodorum verò nominatum, sine ullâ censuræ notâ dimissum esse constaret.

Quanquam ergo pars utraque de summâ fidei facilè consentiebant, tamen omnino ad fidei causam quæstio pertinebat, cùm ab his timeretur, ne nestoriani; ab illis, ne eutychiani synodi Chalcedonensis inimici vincerent.

Ex eâ contentione multæ in Vigilium criminationes extiterunt, quæ nihil ad nos attinent. Mihi persuasum est, omnia à Vigilio optimo consilio esse gesta, cùm Occidentales capitula condemnari non ferrent, resque ad schisma vergeret. Utcumque est, hoc liquet, Vigilium etiam invitatum synodo adesse noluisse: absque eo synodum nihilo secius celebratam: editum ab eo CONSTITUTUM, quo improbaret ea, quæ Theodorus, Theodoretus et Ibas adversùs fidem scripsisse dicerentur; eorum nomini parcendum esse decerneret; quòd vel à synodo quartâ suscepti, vel in Ecclesiæ communione mortui, Deique judicio reservati haberentur [1]: de Ibæ epistola hæc edebat; ipsam *rectissimo ac piissimo sensu intellectam*, irreprehensam manere [2]: ac de tribus capitulis universim jubebat, *post præsentem definitionem*, ecclesiasticos nullam postea *movere quæstionem* [3].

Hæc quidem Vigilius pro potestate decrevit. At synodus post ejus CONSTITUTUM quæstionem habuit de tribus capitulis; et judicavit meritò quæstionem haberi de mortuis, et Ibæ epistolam manifestè hæreticam et nestorianam, fideique Chalcedonensi per omnia contrariam; atque omnino anathema esse, quique impium Theodorum Mopsuestenum, quique Theodoreti adversùs Cyrillum scripta, quique Ibæ *impiam* et nestoriana dogmata tuentem epistolam defenderent, neque anathematizarent eam, sed rectam esse dicerent [4].

His igitur, nec Vigilio parcere videbantur, presso quamvis nomine; quorum decretum à Pelagio II, Gregorio Magno, aliisque romanis Pontificibus confirmatum esse constat; atque etiam à Vigilio, siquidem vera est ea, quam Petrus de Marca, vir illustrissimus, ex M. S. codice Bibliothecæ regiæ edidit epistolam [5].

Hæc docent in re maxima, quæ totam conturbet Ecclesiam, atque ad causam fidei pertinere videatur, Pontificiis decretis sacrorum conciliorum decreta prævalere, romanique Pontificis judicio defensam Ibæ epistolam, haud minùs pro hæretica proscribi potuisse.

Nempè et hoc in ea legebatur, Cyrillum *lubricasse*, atque ad Apollinarii dogma deflexisse, quia scripserat *similiter illi, quòd Deus*

[1] *Vid.* collat. I et II *Conc.* V. tom. V. col. 419 et seq; *Constit. Vigil., ibid.*, col. 377 et seq. — [2] *Ibid.*, col. 372. — [3] *Ibid.*, col. 376. — [4] *Vid.* collat. V. *Conc.* V: col. 479 et seq.; *Vid. etiam* coll. VI. col. 545 et seq.; *ibid.*, coll. VIII. can XII, XIII, XIV. col. 575 et seq. — [5] *Vid. Ep. Vigil. attrib., ibid.*, col. 595, *et dissert. Petr. de Mar. de hâc Ep.*, col. 691 et seq.

Verbum factus est homo[1]. Hæc igitur Vigilius non satis cautè tolerat, synodus verò quinta non tulit, ac Nestorii hæresim, sub novâ formâ revivescentem extinxit : quodque vel maximè synodorum est, ab omni errore diligentissimè fidem catholicam eliquavit.

CAPUT XXI.

In synodo VI generali, quæ Constantinopolitana est III, causa Honorii papæ per synodum condemnati : tria effugia proponuntur : quæstiones aliquot ex actis suo ordine resolvendæ : brevis monothelitarum historia præmittitur.

Ut tertia, quarta et quinta synodi de romanorum Pontificum judiciis judicarunt, eaque non nisi quæstione habitâ comprobarunt; ita à sextâ synodo factum esse constat, eommunemque illud est omnibus synodis. Sed quoniam Honorius papa cum suis epistolis in eâ synodo condemnatus, nostræ causæ peculiare præsidium præbet; Bellarminus ac Baronius nullum non movent lapidem, ut acta sextæ synodi latata à Græcis librorum corruptoribus videantur : falsatæ quoque, seu potiùs confictæ, Leonis II epistolæ duæ, quibus synodus confirmetur, Honorius condemnetur; tum ut ipse Honorius de Ecclesiâ bene-merittissimus habeatur. Addunt, si vel maximè Honorius erraverit, ut privatum hominem, non ut Papam et Ecclesiæ magistrum errasse. Hæc illi, quorum conjecturæ, non nostris ratiociniis, sed actorum lectione concident.

Hæc igitur erunt, quæ ex actis elucescent : primum, quas epistolas Honorius, quibusve de causis, et an eas pro privato doctore scripserit : alterum, cur necesse habuerit sexta synodus eas condemnare epistolas, quas romani Pontifices Honorii successores excusasse videantur : tertium, an acta sextæ synodi, aut Leonis II epistolæ, aliquâ saltem verisimili conjecturâ, falsi argui possint. Hæc ita pandentur actis, ut nulla dubitatio superesse possit. Sed res ab origine repetenda.

Meminerimus monothelitas hæreticos, in duabus licèt Christi naturis, unam voluntatem, unam operationem, non duas admisisse : cùm Ecclesiam hæc novitas commoveret, Sergium patriarcham Constantinopolitanum errori quæsisse latibula, et ab utroque vocabulo, sive unius, sive duarum operationum abstineri voluisse : eorum planè eutychianorum more, qui cùm Christum Deum perfectum, hominemque perfectum faterentur, tamen unam æquè ac duas naturas vehementissimè refutabant; simili ferè modo insanisse Sergium : tum ab eo compositam ECTHESIM seu Expositionem : Heraclii imperatoris fautoris sui nomine esse editam, quæ utraque vocabula æquè supprimeret : Pyrrhum Constantinopolitanum hæc sectatum fuisse :

1 *Ep. Ibæ ad Mar.*, tom. IV. *Conc.*, col. 561 et seq.; et tom. V. col. 509 et seq.

mortuo Heraclio, in eumdem sensum fuisse promulgatum à Constante Heraclii filio edictum, qui TYPUS diceretur, à Paulo Constantinopolitano patriarchâ Pyrrhi successore compositum : Honorium papam, jam inde à Sergii tempore, in eam dissimulationem fraudis pertractum. Postremum hoc, cùm in eâ re versetur difficultas, paulò enucleatiùs enarrare oportet.

CAPUT XXII.

Honorius, Cyri Alexandrini et Sergii Constantinopolitani scripta dogmatica, in sextâ synodo condemnata, directè probat : Sophronii Hierosolymitani ab eâdem sextâ synodo, atque ab omnibus orthodoxis comprobata, improbat : ejus legatos à veritate deterret : consultus à tribus patriarchis prava rescribit : ejus litteræ totâ Oriente vulgatæ : his monothelitæ præcipuè nitebantur : an hæc pro privato doctore scripserit? eæ epistolæ dogmaticæ habentur, hoc est, decretales : dogmatis nomen explicatur : confutantur effugia.

Anno igitur 633, primus omnium Cyrus patriarcha Alexandrinus, edito decreto, *unam in Christo operationem Dei virilem* prædicavit. Sic sub ipso habita synodus Alexandrina, anathematismo VII [1]. Hæc Cyrus edidit specie pacis, tanquam eo dogmate Eutychianos ecclesiæ conciliaturus esset. Hanc doctrinam Sergius Constantinopolitanus patriarcha statim suscipit, nec mirum; quippe qui occultus instigator esset. At Sophronius, vir sanctissimus ac doctissimus, tum monachus, sed paulò post ad sedem Hierosolymitanam erectus, hæc ut nova et impia detestatur. Neque Sergium Cyro opitulantem audit, aut ullam in fidei negotio compositionem admittit; petitque planè à Sergio unius operationis vocem in synodi Alexandrinæ decretis aboleri. Tum Hierosolymitanus patriarcha factus, editâ synodicâ epistolâ, hanc vocem eò pertinere docet, ut duæ Christi naturæ confundantur, cùm unicuique naturæ suam operationem adesse necesse sit.

At Sergius, cùm intellexisset arrectos catholicos, neque pacis licèt nomine obtrusam unam operationem admissuros, ad fraudem hæreticorum more se contulit; et ad Cyrum scripsit : ut neque unam, neque duas operationes dici permitteret; cùm una operatio aliquos conturbaret; duæ à Patrum sententiis abhorrerent. Hæc igitur omnia cum Sophronio et Cyro à se gesta perscribit ad Honorium, extatque epistola actione XII synodi sextæ [1].

Ea Sergii epistola, ut hæretica, à sanctâ synodo sextâ condemnatur; neque quisquam excusat. Videamus ergo, an ejus epistolæ vehementissimus approbator excusari possit Honorius.

Eâdem actione XII, refertur Honorii prima ad Sergium epistola, quâ Sergio respondet, hoc initio : « Scripta Fraternitatis vestræ sus-

[1] *Conciliab. Alex. relat. in Conc.* VI act. XIII. tom. VI. *Conc.*, col. 956 — [2] *Vid. ep. Maxim. ad Pet.*, tom. II. *oper. Max. ex edit. Pat. Comb.*, pag. 75; *Vid. etiam epist. Serg. ad Honor.*, act. XII. *Conc.* VI. col. 917 et seq.; *Vid. etiam Ep. Sophr. ad Serg.*, act. XI. col. 852 et seq.

cepimus, per quæ contentiones quasdam, et novas vocum quæstiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam, adversùs fratrem nostrum Cyrum Alexandriæ antistitem, unam operationem Domini nostri Jesu Christi conversis ex hæresi prædicantem [1]. » Ibi commemorat à se visas, quas Sergius ad Sophronium, *satis providè** *circumspectèque* scripsisset epistolas, (*satis*, hoc est *valde*, stylo eâ ætate ac superioribus quoque sæculis noto), collaudatque Sergium refutantem *novas voces, quæ scandalum noscuntur Ecclesiis generare.* Scriptum est in fine: « Hæc nobiscum vestra Fraternitas prædicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter prædicamus. » Hæc prædicatio quid sit, adversarii edicant: nos ex totius antiquitatis more, ipsum dogma, fidem ipsam totâ firmitate constantem contineri eâ voce contendimus. Honorium verò eadem cum Sergio hæretico, atque hæresiarchâ *unanimiter* prædicare, ipse jactat Honorius; ut vel absolvi Sergii, vel condemnari Honorii epistolam omnino necesse sit.

Alteram Honorii ad Sergium epistolam insertam habemus actis sextæ synodi, actione XIII [2]. Primùm se testatur scripsisse, « ad Cyrum Alexandrinæ civitatis præsulem, quatenus novæ adinventionis, unius vel duarum operationum vocabulum refutaret. » Et iterum: « Ut unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione fidei eximatur. » Et infrà: « Unius autem operationis, vel duarum, esse vel fuisse Dominum mediatorem, sentire vel promere, satis ineptum est: » hoc est *valde ineptum* **, ut suprà monuimus.

Pergit Honorius [3]: « Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quæ tenere vel prædicare debemus, propter simplicitatem hominum, et amputandas inextricabiles quæstionum ambages, sicut suprà diximus: non unam vel duas operationes, sed utrasque naturas, cum alterius communione operantes atque operatrices, confiteri debemus: et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem, et humanam, quæ carnis sunt exequentem. » Et infrà: « Duas naturas, inconfusè, indivisè et inconvertibiliter propria operantes. » Quæ ut ut orthodoxa esse maximè videantur, haud tamen facilè est ea secernere à monothelitarum simillimis dictis; tantæ ambages, tantus in verbis perniciosissimæ hæreseos dolus fuit. Paria enim Honorio proferebat Sergius in epistolâ ad Cyrum, et in ECTHESI Heraclius, et in TYPO Constans, et alii monothelitæ passim [4]. Verùm hæc ad fastidium us-

[1] *Epist.* I. *Honor. ad Serg., ibid.*, col. 928 et seq.

* In græco legimus *multùm providè.* (Edit. Paris.)

[2] *Epist.* II *Honor. ad Serg., ibid.*, act. XIII. col. 968.

** Sic in græco, πάνυ ματαίον. (*Edit. Paris.*)

[3] *Epist.* II. *Honor. ad Serg., ibid.*, act. XIII. *et* col. 969.— [4] *Vid. Ep. Serg. ad Cyr. in Conc. Later.*, an. 649, secret. III. tom. VI. col. 175 et seq.; *Typ.*, secret. IV.

que disputantur in scholis : nos quæ certa sint figere labor

Ac primùm ; illud certum est, Honorium, à tribus patriarch sultum, hoc rescriptum edidisse. Quo enim sensu ad Sergium stantinopolitanum, eodem ad Cyrum Alexandrinum se scr testatur. His duobus patriarchis addamus tertium Sophroniu rosolymitanum, rectè de duabus operationibus sentientem, à sextâ œcumenicâ synodo comprobatum, de quo hæc Ho epistolâ II ad Sergium : « Hos quos prædictus frater et coep noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operation cabulum, deinceps prædicare nitatur : quod instantissimè p runt prædictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater ab unius operationis vocabulo discesserit[1]. »

Hæc quidem legati Sophronii promittebant : at Sophronium sententiâ perseverasse, ejusque tantùm legatos ab Honorio, ritè consulturi venerant, pessimè *instructos*, prava ac fidei promisisse constat.

Objiciunt in Honorii epistolis, nullam synodi à se habit mentionem, nullum anathematismum fuisse interpositum.

At synodi quidem habitæ nulla mentio ; sicut neque in Co ad Cyrillum ; neque in Leonis ad Flavianum ; neque in Innoce synodos Africanas respondentis, epistolis ; neque in aliis multis, nihilo seciùs pro veris apostolicæ Sedis decretis habeamus.

Nullus certè anathematismus : quid tùm ? Nullus in apostolic rosolymitano decreto, *Act.* XV : nullus in Sophronii epistolâ, tamen ipse synodicam vocat[2] : nullus in permultis Sedis apo decretalibus, etiam de fide editis : neque enim in Gregorii II epistolis ad Leonem Isaurum, aut in aliis bene multis, statim guntur anathemata. Doctrina præcedit simplici veritate nixa : thematismi sequuntur adversùs contumaces. Neque tantùm er cùm damnantur vera ; sed cùm falsa comprobantur : quòd fe Honorium, cùm Sergium ac Cyrum, eorumque perversas su epistolas, procul omni dubio est. Atque omninò certum hæc r psisse Honorium de fide consultum à tribus patriarchis, Sergio, et Sophronio ad hoc legatos mittente, ut *instrueretur* : nec min tum, hæc Honorii dogmata perlata ad Ecclesias, totoque O vulgata. Hinc editas ECTHESES, hinc TYPOS, quæ unam vel dua rationes ex æquo prohiberent : hinc Macarium patriarcham chenum monothelitarum obstinatissimum in sextâ synodo in verba confessum : « Consentimus tam quinque synodis, quàm H rio à Deo erudito, Sergio, Paulo, atque Petro ; » atque iter « Rejicio et Maximum et impium divisionis ejus dogma : quo

[1] *Vid. Epist. Honor., loc. jam cit.* — [2] *Vid. Epist. Sophr.*, act. X. *Conc.* VI. col. 852 et

nostri Patres respuerunt, id est, Honorius, Sergius, Cyrus, et Ecclesiarum antistites [1]; » præmisso semper Honorii nomine. autem illud est Honorii ad Sergium : « Hæc prædicet nobis-vestra Fraternitas; » nisi declaratio fidei per Sergium populis candæ? Quid illud ejusdem Honorii suscipientis Cyrum ; « unam ionem Domini nostri Jesu Christi conversis ab hæresi prædi-m [2]? » Quid, inquam, illud est, nisi hæreseos quam Cyrus bat, hæreticæque professionis, quam tradebat, comprobatio? rum confirmat, non quidem in fide, quemadmodum jubeba-d in ipsâ hæresi, quam Cyrus animis instillabat.

verò scripta Sergii, Honorii, Sophronii, quæ memoravimus, à synodo, *dogmatica*, seu *synodica* appellantur ; eoque nomine à synodo, prævio examine, collandantur, vel condemnantur [3]. int autem hic *dogmatica scripta* facilè intelligit, qui adverterit, d nos *decretum* dicimus, à Græcis appellari *dogma*. Hinc passim uctores ecclesiasticos, decreta fidei ecclesiasticâ auctoritate edita tur *dogmata*. Quæ locutio ab ipsis apostolorum Actis deprompta r [4]; ubi ea, quæ in apostolici concilii litteris statuuntur, vo-*dogmata* quæ ab apostolis judicata essent, δόγματα τά κεχριμένα. ipsa Nicæna fides, seu symbolum Nicænum, plerumque apud enum et alios vocatur *dogma Nicænum* [5]. Ac ne ab hoc negotio mus, sancti Agathonis authenticæ, litteræ, apostolicæ Sedis, us synodi Occidentalis conscriptæ nomine, à totâ sextâ synodo, [6], et à Leone II, hujus synodi acta ad Hispanos probanda mit-; *tomus dogmaticus* appellantur [7]. Eodem nomine appellat Theo-missam à Gregorio II ad Leonem Isaurum de fide *decretalem*, *dogmaticam epistolam* : ut has Honorii à patriarchis consulti las pro responso apostolicæ Sedis fuisse habitas, dubitari non

CAPUT XXIII.

ini ac Baronii effugium, quòd hæc Honorius dispensatoriè pacis gratiâ ecerit, quoad rem exactiùs definiret : id ipsius Honorii verbis confutatur, arque Honorium cum monothelitis, à romanis Pontificibus, ac præsertim à o Martino, presso licèt nomine, condemnatum.

c cùm intelligerent Bellarminus atque Baronius [8], in excusando rio, ejusque epistolis defendendis, præcipuam operam colloca-: contenduntque ab Honorio consultissimè factum, quod utram-et unius et duarum operationum vocem pacis gratiâ ex æquo

d. *epist. Sophr.*, act.. VIII. col. 741; *et in exp. Macar.*, *ibid.*, col. 749. — 2 *Ep.* I *Honor* ng., act. XII. col. 926. — 3 *Ibid.*, col. 933; et act. XIII. col. 944, 945. — 4 *Act.*, XVI. 4. — m. *passim*. — 6 *Conc.* VI. act. XVIII. *Serm. acclam. ad Imper.*, col. 1053. — 7 *Epist.* II. *l.* tom. VI. *Conc.*, col. 1246. — 8 *Bell., de R. P.*, lib. IV. cap. XI; *Bar.*, tom. VIII. an. 633, et seq.; et an. 681, p. 547 et seq.

sustulerit : ac deinde multis agunt, ut Honorius à monothelit
hæresi alienissimus fuisse videatur. Quod quidem haud est impr
bile; neque propterea minùs intolerabile illud, quòd malè p
chas consulentes *instruxerit*; redemeritque pacem, pacto sile
orthodoxâ fide.

At enim, inquiunt, ita egit, quoad rem diligentiùs definiret;
ritu multi Pontifices et nostris temporibus Clemens VIII et
nus VIII, in quæstione *de Auxiliis*, quoad rem definierint, u
parti silentium indixere. Id enim exemplum, ut maximè ad
multi proferunt. Sed ego nihil simile video apud Honorium :
recta sentiens, veritatem dispensatoriè et ad tempus premi ju
primùm non tam absolutè pronuntiasset. Significasset alicubi
obscuram, atque aliàs exactiùs explicandam; non rectam
fidem, æquè ac hæreticum dogma, communi, *novæ adinventi*
novi introducti vocabuli, nomine involvisset. Falsum enim era
rum operationum, *novam adinventionem*, *novum esse vocab*
quod ex antiquâ Patrum traditione profectum tota Ecclesia
gnovit. Ablegari autem voces, rectam spirantes fidem, ad eas n
vocum, quæ, teste apostolo [1], non nisi *profanæ* esse possint,
æquo animo ferat? Jam verò quale est utrumque *ineptum*, et
ineptum dicere, et unam operationem, quod sit hæreticum; et
quod ad fidem catholicam pertinere constat? Quid quòd Ho
docet, non tantùm *ineptum* duas operationes dicere, verùm
sentire : quo non tantùm illa vox, sed etiam res ipsa, sensus
proscribitur? Quid quòd utramque sententiam, velut novit
æquè à prædicatione fidei eximendam putat? Quis unquam catho
Pontifex ita paci, ita veritati; ante expromptam definitionem c
luit, ut utramque sententiam ineptam esse decerneret? Quo
ἀσύστατον, sibique ipsi repugnans; ut non immeritò post sextam s
dum in imperatorio decreto dicatur Honorius, non modò h
confirmator, sed etiam *sui ipsius oppugnator* [2]. Profectò nimis
mus Honorii nomini, si hæc defendimus, quæ non nisi p
exemplo defendi possint. Denique ubi illa, quæ definitioni su
dere cogat, obscuritas quæstionis, duæne, an una in duabus C
naturis sit operatio? Pari jure Leo Magnus duæne, an una in C
natura esset, dissimulare, aut utrumque *ineptum* pronuntiare p
set; ac tam fœdâ pactione pacem cum Eutyche et Dioscoro fo
Hæc verò procul aberant à Patrum sententiâ. Quare romani Pon
Honorii proximi successores, Severinus, Joannes IV, Theod
sanctus Martinus [3], et alii, ac sanctus Agatho, pari sententiâ pr

[1] 1 *Tim.*, VI. 20. — [2] *Conc.* VI. act. XVIII. *ed. Imp.*, p. 1086. — [3] *Conc. Later. sub*
secret. I. tom. VI. *Conc.*, col. 82 et seq.

runt, quique unam operationem dicerent, quique duas æquè ac
m tacendam esse indicerent.

Martinus quidem martyr fortissimus, habitâ Lateranensi synodo,
ne hæreseos arcana revelavit : quemadmodum monothelitæ pri-
s unam voluntatem, unamque operationem prædicassent : mox
damnationem effugerent, unius æquè ac duarum vocabulum
essissent. His expositis ipse et sancta synodus ECTHESIM Heraclii
nstantis TYPUM damnant : duas voluntates, duasque operationes
ètè asserunt, percussique uno anathemate quique falsa dicerent,
e vera supprimerent.

m synodum audiamus. Sancta synodus dixit[1] : « TYPUS omnino
inconveniens catholicæ Ecclesiæ regulæ, in quâ utique adversa
tantùm jubetur silentio sepeliri ; non verò orthodoxa cum con-
s denegari aut admitti : pessimumque cum rectâ fide impietatem
pere, neque discernere recta à malis. » Quod peccatum omnino
vit Honorius, qui unius duarumque operationum voces æquè
s, æquè ineptas, æquè à rectâ prædicatione alienas esse asserit.
c in secretario IV synodi Lateranensis à sancto Martino papâ
e, in V secretario, canone XVIII, Sergius, Pyrrhus, Paulus
ntinopolitani patriarchæ, Cyrus Alexandrinus et Theodorus
n eo nomine damnati sunt, quod vel unam operationem dice-
, vel duas æquè ac unam dici prohiberent[2] : quo canone quis
videat, Honorium, presso scilicet nomine, condemnatum ? Sed
ad synodi sextæ acta veniamus.

CAPUT XXIV.

ynodo VI generali : ea post romanorum Pontificum, atque imprimis sancti
rtini, exquisitissimas definitiones est habita, in eâ de sancti Agathonis, totiusque
cidentalis synodi litteris ritè deliberatur : quo sensu synodus suscipiat, quæ à
ncto Agathone de Sede apostolicâ prædicantur.

ancti Martini Lateranense concilium celeberrimum fuit legatione
icanarum multarumque Orientalium Ecclesiarum, in eamdem
m consentientium : accesserunt ducentorum ferè episcoporum *,
cum ipso judicantium, subscriptiones : denique missa sanctæ
odi ad omnes Christi fideles toto orbe terrarum *encyclica epistola*[3] :
illud maximum à sancto Pontifice pro eâ definitione multa per-
o, fidem orthodoxam etiam martyrio consignatam **.

[1] *Conc. Later. sub Mart. I, secr.* IV, col. 238.— [2] *Ibid., secr.* V. can. XVIII. col. 336, 337.
[3] Levis error in Bossuet textum irrepsit. Acta enim habemus hujus synodi à quinque om-
b et centum episcopis subscripta, quem numerum exhibent omnes historici præter Theo-
nem, qui memorat CX episcopos huic concilio adfuisse. Vid. Theoph. an. 19 Heraclii. (*Edit.*
ris.)

[1] *Vid. Ep. encycl., Synod. Later.*, tom. VI. col. 367 et seq.

** Sanctus papa Martinus, Constantis imperatoris jussu, *abstractus à palatio Lateranensi.*

Post eam tamen definitionem, toto Oriente commoto per im-
tores, atque patriarchis Constantinopolitanis hæresim prædic
Macario quoque Antiocheno patriarchâ in partes transeunte;
visum est, sub sancto Dono papâ, eoque mortuo, sub sanc
thone synodum œcumenicam sextam haberi Constantinopoli
stantino Pogonato imperatore convocatam.

Hic primùm occurrunt scriptæ ad imperatorem duæ A
papæ litteræ, quæ in synodo generali legerentur : altera ips
thonis, Sedisque apostolicæ; altera Occidentalis synodi, qu
tho Romam vocaverat, nomine. Lectæ igitur sunt in ipsis
principiis, actione IV [1]. Hic videre est firmam et ubique co
in deliberandi ordine ac ritu sanctarum synodorum traditio
enim ritu atque ordine sancti Cyrilli et sancti Leonis epistolæ
et quartâ synodis, eodem ordine rituque sancti Agathonis in
sextâ probantur epistolæ. « Paulus magnificus à secretis dixi
Georgius archiepiscopus hujus regiæ urbis, et qui cum eo
convenit eis sensus suggestionum directarum ab Agathone
simo papâ, et suâ synodo. Georgius dixit : Inspiciens omne
tem (id est significationem ac vim) earum litterarum, et
libros sanctorum probabilium Patrum, cuncta quæ contine
consonantia eis, et sic profiteor, et credo [2]. » Alii : « Inveni i
eas à sanctis Patribus discrepare, et consentio. » In eum
omnes sigillatim dicunt; nec nisi eo examine, probatæ
sancti Agathonis et synodi totius Occidentalis *.

et in navim conjectus, adsportatus est Constantinopolim. Quanquam in eum sic sæv
ejus per viam satellites constituti fuerant, ut vix à paganis persecutoribus talia p
unquam christiani martyres : eum nec illi, nec etiam aulici imperatoris multis
vexatum, dimovere potuerunt ab eâ constantiâ, quæ virum apostolicum decebat.
sonam transvectus, in exilio, fame, aliisque calamitatibus consumptus, diem [illegible]
Vid. ejus vit. tom. VI Conc. col. 4, et etiam col. 63. et seq. Ep. XIV, XV, etc. hujus
tificis, in quibus suas calamitates eo modo narrat, ut pietatis sensa instillet,
primorum martyrum adeo laudatorum se non esse fortitudine dissimilem. (*Edit.* [illegible]

[1] *Ep. Agat. ad. Imper.*, act. IV. *Conc.* VI. col. 630 et seq.; et 677 et seq.— [2] *Conc.* [illegible]
col. 729 et seq.

* Retractationem epistolarum sancti Agathonis ab universalii concilio factam non
tantùm à Georgio C. P. Macario Antiocheno, eisque subjacentibus episcopis, pro
cipit Muzzarellus. Addit ipsos summi Pontificis legatos huic examini occasionem de
ter suspectam illorum episcoporum fidem : suasque assertiones ut munirent, re
concilii textum, quem *decurtatum* citavit Bossuetius. Quòd autem tomus XXXI c
isteque XXXII magnâ ex parte jam prelo confectus, cùm Muzzarelli liber nobis
otium est diluendis quas congessit accusationibus diutius immorari, nec animos
ribus fastidium lectori movere. Igitur sufficiat, erudito Lector, tibi librum indic
perlege, si libuerit, ac ponderatis rationum momentis, judex esto.

Cæterùm, ne credas Muzzarellum parvipendere Bossuetium nostrum, aut ejus
scuratum voluisse, placuit ipsius verba exscribere, ubi mentem suam de hâc [illegible]
rit. « Ne aliquis existimet, inquit, quòd quasi de artificiosâ reticentiâ Bossuetium,
» quidem virum, hic incusare voluerim, dicam ingenuè meam sententiam, quæ
» loca pariter referri debet. Igitur potiùs existimo, quòd Bossuetio non licuerit per
» genter omnia acta conciliorum explorare, quum infinitis penè occupationibus
» neretur; et quòd abreptus à suâ opinione, ibi solùm oculos defixerit, ubi
» decurrendo aliquid suspicabatur suæ causæ propitium invenisse; id quod non

quidem Agatho, et Occidentales ita sua dogmata proferebant, qui vellent de iis, non tanquam de incertis contendere; sed ut atque immutabilia compendiosâ definitione proferre[1]. » Pro- ergo, quantum in ipsis erat, rem definiebant. Quærebatur an per orbem terrarum Ecclesiæ consentirent; nec nisi episco- examine res tanta constitit.

verò de sede suâ sanctus Agatho præclarè ac magnificè et scripserat, quòd nempe, Domini pollicitatione subnixa, nunquam veritatis *deflexerit*[2], quòdque ejus Pontifices Agathonis ante- in Petro jussi confirmare fratres suos, id semper præstiterint, concilii Patres audiunt atque suscipiunt. Neque eo secius rem nant; de romanorum Pontificum decretis quæstionem habent; tione habitâ, Agathonis dogmata probant, Honorii damnant: documento, non ita intellexisse ea, quæ Agatho scripserat, singula romanorum Pontificum decreta, etiam de fide, ssas suscipi necesse sit, cùm ea concilii generalis supremo ultimo examini subderentur; sed ita ut hæc dicta universim , summâ ipsâ, in totâ et integrâ Petri successione valeant, ut ximus, et suo loco dicemus uberiùs[3].

CAPUT XXV.

ynodi in Honorium dicta sententia, ejus sententiæ frequens repetitio: cur dus eum damnatum voluerit, quem romani Pontifices excusare videantur.

n an sexta synodus tantâ severitate damnarit Honorium, acta loquentur.

quidem romanos Pontifices Honorii successores, hujus nomini sse constat. Quin etiam Joannes IV, post Honorium tertius, cusavit ut potuit, editâ ad Constantinum imperatorem apo- , quam laudat Maximus[5], hujus ævi adversùs monothelitas sor egregius.

cusabat autem Joannes Honorium, quòd is *unam voluntatem* *sensu dixisse* videretur: quòd autem unam et duas æquè reje- , ne attingit quidem.

ter accidit, ut aliqui putare possent, etiam scriptoribus cæteroquin eruditis, qui à ligiis studiis distrahuntur: sed etiam probabilius puto, quòd Bossuetius suam con- defloratione alicui minùs perito, et fortasse minùs ingenuo, delegaverit; de cujus et fide non dubitans, hæc vitia in suam *Defensionem* inconsultò derivaverit. Sic gloriæ consultum volo, postea quàm voluerunt ab Italis, quibus curæ est inteme- existimationem ex omni parte tueri, non vulgarem inter eruditos opinionem, *Defensio declarationis* sit adulterinus fœtus, celeberrimi Bossueti nomine, ad captan , pravo consilio insignitus. » *De Auctor. Rom. Pont.* tom. II, pag. 208 et seq. , 478. (*Edit. Versal.*)

Episc. ibid., act. IV. col. 688.—2 *Ibid.*, *Epist. Agath.*, col. 636.—3 *Inf.*, toto lib. X. *IV. apol. pro Honor.*, tom. XII *Bibl. Pat.*, pag. 635 et seq. — 5 *Disp. Maxim. cum* , tom. V. *Conc.*, col. 1784 et seq.; *Vid. Impr.*, col. 1813 et seq.

Agatho verò hoc quoque emollire nititur; sic enim loquitur epistolâ quam in sacrâ synodo legendam imperatori misit : « Ex novitates in Christi Ecclesiam Constantinopolitani præsules in cere conati sunt, mei prædecessores nunquam neglexerunt tari, ut à pravis dogmatibus, saltem tacendo desisterent, ne exordium dissidii in unitate Ecclesiæ facerent, unam volu unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno nostro Jesu Christo [1]. » Indictum ab Honorio silentium exte potest, neque tamen aut Honorium apertè defendit, aut synodo audet, duarum voluntatum æquè ac unius suppre eo vocem.

Cur autem Honorii successores ante sextam synodum, moriæ pepercerint, hæ causæ extitere : primùm, quòd in clarè pontificatum gessisset, et in Ecclesiæ pace obiisset, malo animo egisse, neque contumax futurus fuisse videbat Honorium excusantes, catholicæ fidei favere se putabant, reticis tale patrocinium denegarent : denique nihil cogere vid ut Honorii epistolas in Occidente damnarent, quòd eæ ad Ori scriptæ, inter Occidentales vix, aut certè tenui admodum vulgatæ essent, ubi monothelitæ tum vel pauci vel nulli erant.

At Orientales, et sexta synodus, postquam iis constitit Hono stolas et in Oriente longè latèque fuisse diffusas, et à mon miro studio jactatas, ac multos seductos majestate pontificii auditusque Macarius Antiochenus, qui, in actione VIII, *Hono Deo eruditum*, antesignanum ac ducem ubique nominaret [2]; norio ejusque epistolis minimè tacendum esse decreverunt. actione XII ac XIII, epistolæ lectæ sunt, itumque est in eam tiam, actione XIII, ut epistolæ Honorii æquè ac Sergii Pyr aliorum declararentur « alienæ ab apostolicis dogmatibus, et nitionibus sanctorum conciliorum et cunctorum probabil trum; sequi verò falsas doctrinas hæreticorum [3]. » Itaque cùm cæteris anathemati subjicitur, eo quòd compertus sit, omnia mentem Sergii secutus, et impia dogmata confirmarit : omnia gesta sunt, nihil contradicentibus Sedis apostolicæ legati consentientibus ac subscribentibus.

Neque attenderunt Patres, si quæ Honorius recta dixisset plena et tota in dogmaticis scriptis requiratur fides : neque ditos, sed obvios sensus sanos esse oporteat; neque subt popularitèr intelligi debeant, quæ communi fidei exponendæ tificibus conscribantur.

[1] *Ep. Agath.*, *Conc.* VI. act. IV. col. 637. — [2] *Conc.* VI. act. VIII. col. 741, 742. — [3] XIII. col. 944.

Dictâ sententiâ, Patres, pro more synodorum, quid gestum sit ad Agathonem referunt, atque « ex ejus litteris Sergium, Pyrrhum, cæteros, Honorium quoque damnatum » profitentur [1]. Atqui, inquies, Agatho nihil de Honorio scripserat : imò defensare velle utcumque videbatur. Certè; sed cùm alios exemplo Martini antecessoris sui condemnasset, ac disertè proscripsisset, non tantùm qui unam voluntatem dicerent, sed qui nec unam, nec duas, horum assectatorem Honorium, ac fautorem, in parem sententiam incurrisse, Patres intelligebant; datumque honori Agathonis, ut quæ ipsi supplevissent, eo quoque auctore facta esse viderentur.

Honorius item in Prosphonetico ad imperatorem cum aliis hæreticis memoratur [2].

Idem in imperatoris edicto Honorius notatur his verbis : « hæreseos fautor, concursor, confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator [3]. » Quippe qui, ut vidimus, pugnantia dixerit. En quoties in acta relatum sit damnati Honorii nomen.

CAPUT XXVI.

Ratio falsi intentata synodalibus gestis, ac duabus Leonis II epistolis, temeraria, et absurda; repugnantibus omnibus scriptoribus, actisque publicis.

Tot acta adulterari et corrumpi à Græcis potuisse, Bellarminus et Baronius [4], aliique jactant * : neque tantùm hæc, sed alia multa, quæ ex his secuta sunt.

Hàc enim synodi œcumenicæ semel prolatâ sententiâ, romani Pontifices non jam licere sibi putarunt Honorio parcere; sed synodi auctoritatem secutus Leo II, successor Agathonis, ad quem, antecessore mortuo, acta sextæ synodi firmanda transmissa sunt, damnat monothelitas, et inter eos « Honorium, qui hanc, inquit, apostolicam Sedem, non apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit; sed profanâ proditione immaculatam fidem subvertere conatus est [5]. » Quam sanè epistolam bene latinam habemus, et ita nativis scriptam sententiis, ut vel ipso gustu, Græcis intactam sentias.

Hinc Anastasius bibliothecarius, qui ex scriniis apostolicæ Sedis,

[1] *Lit. Conc.* VI. *ad Agath; ibid.*, act. XVIII. col. 1073; *Vid. Bar.*, ann. 681, tom. VIII. p. 549. — [2] *Act.* XVIII. *Serm. acclam.*, col. 1053. — [3] *Ibid., edict. Imper.*, col. 1065. — [4] *Vid. Bell. et Bar., loc. cit.*, cap. XXIII.

* Quàm cassa sit, de actis sextæ synodi à Græcis adulteratis, Bellarmini et aliorum accusatio, ipse Muzzarellus testis erit. « Hujusmodi conjectura, inquit, jam adeo improbabilis evasit, » ut quamvis cum pluribus eruditis et sensatis scriptoribus aliàs id suspicari potuerim, tamen » nunc per otium omnibus originalibus documentis diligenter ad examen revocatis, puderet » me, si hanc sententiam omnino non abjicerem. Imò intelligo quòd condemnatio epistolæ » Honorii ita est connexa cum damnatione epistolæ Sergii, et Typi Constantis, ut non solùm » non potuerit sexta synodus ab eâ abstinere, sed debuerint consequenter agendo Apocrisarii » Papæ, et ipse summus Pontifex Agatho, et ejus successor Leo in eam consentire. » *De Rom. Pont. Auctor., etc.* tom. II, pag. 223. (*Edit. Versal.*)

[5] *Ep. Leo. II, ad Const. Imp.*, tom. VI *Conc.*, col. 1117.

romanorum Pontificum scripsit historiam, in Leone II hæc habet : « Hic suscepit sanctam sextam synodum, quæ per Dei providentiam nuper in regiâ urbe celebrata est, in quâ condemnati sunt, Cyrus, Sergius, Honorius ac Pyrrhus [1]. » Hæc ille, ab his temporibus haud multum remotus, ex scriniis scripsit : quæ si omnia falsa et adulterata sunt, nihil est in omni antiquitate quod integrum esse constet.

Neque ita multò post, idem Leo II, datâ epistolâ, *dilectissimis fratribus universis, Ecclesiarum Christi præsulibus per Hispaniam constitutis* [2]; acta sextæ synodi recipienda transmittit ad Hispanos, qui Occidentali sub Agathone synodo non adfuerant. De gestis autem sextæ synodi sic habet : « Quâ in synodo, inquit, æternâ damnationi mulctati sunt Theodorus *, Cyrus **, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæreticæ dogmatis, non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit. » Quæ nec nota Græcis, nec falsata fuerint.

Quare sequens ætas, et septima synodus et octava, et synodi deinde omnes, et omnes Pontifices acta sextæ synodi, et condemnationem Honorii suscepere. Hanc iterat Tarasius patriarcha Constantinopolitanus, synodi septimæ tempore, ad Adrianum papam I scribens [3]; hanc septima et octava synodus, dum anteriorum synodorum, pro more, anathemata repetunt [4]; idque romanis Pontificibus nihil repugnantibus; imò ultro accinentibus. Nam ipse Adrianus II, nonnihil ab Honorii exemplo metuens, Sedis suæ auctoritati, damnatum quidem eum confitetur à sextâ sydono, sed *post mortem*; sed propter hæresim, sed consentiente romano Pontifice [5]. Hæc multis et sollicitè exequitur; cæterùm de falsitate nulla suspicio. Anastasius verò bibliothecarius, non modò in Leonis II vitâ scripsit, quæ statim memorata sunt; sed etiam libris pro Honorio editis, cùm eum vel maximè tuendum susciperet, immeritò quidem, sed à sextâ synodo verè damnatum fatebatur [6] : adeò nihil de fraude suboluit. Quin etiam extat in Diurno libro romanorum Pontificum ea, quam electi edere consueverant, fidei professio : eâ in professione inter cæteros anathemate condemnatos Honorius recensetur. Quem Diurnum librum doctis viris visum pridem et agnitum, Petrus Garnerius vir doctissimus atque optimus, è Societate Jesu, theologiæ professor, ex optimis manuscriptis vulgavit. Idem etiam in vetustis romanis Breviariis, usque ad nostrum sæculum, in sancti Leonis II vitâ legebat-

[1] *Vit. Leo. II, per Anast., ibid.*, col. 1242. — [2] *Epist.* II. *Leo. II ad Hisp., ib.*, col. [illegible]
* Pharanitanus. — ** Alexandrinus.
[3] *Conc. Nic.* II. *gen.* VII. act. III. tom. VII. col. 167. — [4] *Ibid.*, act. VII. in defin. col. [illegible]; *Conc. C. P.*, IV. *gen.* VIII. in defin. t. VIII. col. [illegible]. — [5] *Ibid.*, VIII. act. VII. col. [illegible]. — [6] *Anast. Biblioth. ad Joan. Diac.*; tom. XII. *Bibl. Pat.*, p. [illegible].

tur[1]. At enim Diurnum, ut possunt, premunt; in Breviaro romano hæc eraserunt. An ideo occultarunt? Undique erumpit veritas; tantòque hæc magis comparent, quantò studiosiùs eraduntur.

Quid ergo, tot romani Pontifices, tot synodi, adulteratis codicibus in errorem abrepti sunt? Adeone pronum fuit tantâ in re, toti Ecclesiæ, ipsisque adeò romanis Pontificibus illudere?

Atqui in eam rem vel maximè intentos fuisse constat : nam et Joannes IV pontifex, Honorium, quoàd poterat, excusabat; et Martinum et Agathonem antecessori suo, occultiùs licet, patrocinatos esse, etiam adversarii volunt. Nullus interim falsitatem suspicatur : ac post mille annos primus Bellarminus flagitium detegit; hunc sequitur Baronius. Quâ tam dignâ ratione? Nullâ, nisi quòd ad tuendum eam quam romanis Pontificibus tribuunt infallibilitatem, illis falsatâ sextâ synodo, quoque modo, opus erat.

Quod enim objiciunt hæc acta falsa esse ideo, quia alioquin Patres iniquè, inconsultò, ac præcipitanter de Honorio statuissent[2]; quis non videat ad falsi actionem, quàm lata sit janua, si hæc admittantur?

Quid autem iniqui est in decreto synodali? Nempè, inquiunt, Honorius non erat monothelita. Quid tum postea? Quasi hæretici tantùm, ac non etiam hæreticorum fautores defensoresque damnentur.

At patres Honorium excusare potuissent[3] : debuissent quærere bonone animo, an malo scripserit : denique an non hæc qualiacumque recantarit.

Quid autem? An ut illi parcerent, ejus epistolas intactas relinquerent, quarum auctoritate novas subinde fraudes hæretici molirentur? Nempè Patres sextæ synodi tenebant epistolas toto Oriente vulgatas, quibus se hæretici maximè tuerentur : videbant rectam fidem, unà cum errore proscriptam; de palinodiâ autem quid cogitarent, de quâ nihil audierant; nihil ad provincias commeaverat; nihil Romani etiam memorabant; et erat quod adhuc de Honorio quæreretur.

Nempe sexti concilii Patres, Bellarmini ac Baronii more, in Honorii epistolis reconditos sensus quærerent : faventem Sergio, ac veritati per Sophronium prædicatæ obstrepentem, exquisitis distinctiunculis excusarent, si infallibilem cogitassent.

Jam ut strictiùs de falsitate agamus, Græcos hujus auctores esse volunt; scilicet, ut tot inter à synodo damnatos patriarchas suos, vel unum Papam cernerent, id fuisse solatio; atque hujus rei gratiâ, non tantùm eos, qui in Oriente erant, sed omnes quotquot per orbem

[1] *Vid. Brev. Rom. ante recog. Pii V et Clem. VIII*, die 28 Junii. — [2] *Bar.*, an. 681, t. VIII. — [3] *Ibid.*, p. 550.

vulgati, libros corrupere, atque Honorii infarsere nomen. Hæc quidem probari, non autem jactari oportebat. Sed esto; admittamus fabulam. Leonis II duas epistolas latinè conscriptas, totoque Occidente vulgatas, quis confinxit Græcus? quis Honorii nomen inseruit? quis ad hoc flagitium perpetrandum, Italiam atque Hispaniam ex ultimâ Græciâ penetravit? An Latini quoque ad eam falsitatem cum Græcis consensere? Ludibria quidem, non responsa ista sunt: prorsusque conclamata causa est, quam talibus figmentis defensam oporteat.

An fortè Leo II ipse deceptus est, falsaque ad eum synodi sextæ acta perlata sunt; neque à legatis didicit quid rerum in tantâ synodo super Honorii nomine gestum esset? Quis insulsa commenta, ac malè cohærentem fabulam ferre possit?

Jam rogo falsane omnia in sextâ synodo, quæ de Honorio memorantur; neque Macarius Antiochenus monothelitarum princeps, patrocinantem sibi jactavit Honorium actione VIII; neque Honorii lectæ sunt epistolæ actione XII et XIII; neque de his quæsitum aut judicatum quidquam, actione XIII et XVIII. Cui autem falsario adversùs œcumenicam synodum in totius orbis conspectu tanta licuere? Si autem Honorii epistolæ, verè ab hæreticis laudatæ, in sanctâ synodo verè lectæ, verè examinatæ sunt, et in gesta relatæ, quid egisse finges synodum? Tacuisse, neque quidquam decrevisse post tantos apparatus? Absurdum. Probavisse? Absurdius. Quis enim id unquam somniavit? Condemnavit ergo eas synodus, neque ullum effugium est.

Vide autem adultera manus quid potuisse visa sit Baronio. Nempè si ei credimus [1], Theodorus ille Constantinopolitanus in sextâ synodo est condemnatus; cùm hujus in actis synodi nulla sit mentio. Damnatione Honorii oppleta omnis pagina est: at Baronius eum condemnatum negat. Theodorus ille et contra se gesta erasit, et contra Honorium gesta inseruit: quidquid libuit, sustulit; quidquid libuit, infarsit: Leonis quoque II credo corrupit epistolas: omnia successere; fraudis vestigium nullum. Et quidem Baronius tanquam scelere deprehenso, annum falsationis assignat eum, qui post synodum consequatur [2]: pertractum in sceleris consortium imperatorem ipsum, catholicum licèt, ut synodum, se auctore ac defensore gestam, ipse corruperit. Idem Baronius (mirum) de falsandâ synodo ad imperatorem habitam artificis orationem refert integram, quæ duas impleat paginas: quasi Theodorus res in tantæ synodi luce gestas, recente memoriâ, post annum vix expletum, obstupefactis Patribus et legatis, atque emortuo orbe, æterno silentio sepelire se posse confi-

1 *Baron.*, an. 681, tom. VIII. p. 551, 552.—2 *Ibid.*, an. 682, p. 665, 666.

deret? Hæc Baronius : quo teste, quo indice? Nullo : nisi quòd non aliis suffulta machinis, concepta sententia stare possit.

Grave quidem nobis est, hæc de Baronio, viro maximo, memorare; sed potior veritas : atque Annales ecclesiasticos, tantùm opus, ab ipso auctore, dum partium studiis abripitur, his figmentis dehonestatos esse nemo non doleat. Neque nos hæc primi memoramus : alii viri doctissimi præiverunt, ac nuperrimè christianus Lupus [1], totam falsi suspicionem tot argumentis elisit, ut nullus dubitationi supersit locus. Verùm alibi memorata [2] hic prætermittimus.

At enim ex synodo sextâ constat corruptam fuisse à monothelitis synodum quintam et acta Vigilii et Patrum libros [3]. Factum : at constat etiam falsitatem statim fuisse convictam; Patresque orthodoxos adversùs impostores omninò vigilasse. At post tantam falsitatem, quantam comminisceris, novem sæcula dormierunt.

Quid autem Bellarmino prodest [4], Leonis Magni epistolas et alia multa à Græcis quibusdam fuisse corrupta; cùm ea acta ad nos haud minùs integra pervenerint? Aliud enim est à Græcis quibusdam, codices aliquot; aliud, omnes codices, quotquot per orbem terrarum erant, communi consensu fuisse corruptos. At enim, inquit ille, teste Gregorio, « Latinorum codices veraciores sunt, quàm Græcorum : quoniam Romani, sicut non acumina, ita nec imposturas habent [5]. » Esto : quid tandem respondebunt, cùm ad latinos codices provocabimus? Nempè in latinis codicibus, latinas Leonis II epistolas legimus, quæ græcis quoque codicibus fidem præstent. Tantine igitur est, non errasse Honorium, ut eâ gratiâ Latinorum æquè ac Græcorum etiam fidem suspectam habeamus?

Cæterùm vir doctissimus ac religiosissimus Franciscus Combefis, à prædicatorum ordine, sacræ theologiæ professor, cùm omnia Baronii argumenta invictis argumentis confutavit [6], tum verò ea gesta protulit, quæ si Baronio videre contigisset, haud equidem puto hanc falsi actionem tantâ confidentiâ suscepturum fuisse.

Is igitur edidit Agathonis diaconi orationem scriptam triginta ferè annis post sextam synodum, Philippici Bardanis tyranni temporibus : cujus actionis hoc initium est [7] : « Peccator ego, et omnium minimus Agatho, indignus diaconus ac sanctissimæ hujus magnæ Ecclesiæ scriniorum custos, venerabilisque patriarchalis secreti protonotarius, et secundus cancellarius, ante duos et triginta plus minùs annos juvenili adhuc ætate lectorum ordini accensus ac inutilis notarius

[1] *Christ. Lup., Diss. in* VI. *Syn.*, cap. VI. tom. II. p. 858. — [2] *Vid. Dissert. prœv.*, n. LVI. — [3] *Vid. Baron.*, an. 681; *et Conc.* VI, act. VIII. col. 753; et act. XII. col. 917. — [4] *Bell. de R. P.*, lib. IV. cap. 11. — [5] *Greg. Mag.*, lib. VI. *ep.* XIV. *ad Nars. Comit.* tom. II. col. 803. — [6] *Vid. Hist. Monoth. P. Comb., edit. Paris*, sub hoc tit. *Auctuarium Bibl. Patrum*, tom. II. — [7] *Ibid.*, pag. 199.

agens, sanctæ huic et universali sextæ synodo operam commodavi, universa in eâ mota quæsitaque ordine assectatus.... Omnes porrò tomos actorum præfatæ synodi mundo codice propriâ ipse manu, ecclesiasticis litteris * consignavi, qui et sub signaculis, unà cum fidei definitione, quam sancta eadem synodus palam edidisset, Patrum subscriptione munitâ, in imperatoris palatio fuerunt repositi, ac tutò servati : quin et quinque patriarchalibus sedibus traditæ definitionis ejusdem, eâdem Patrum subscriptione munita exemplaria, eodem conscripsi modo, jubente piæ recordationis imperatore Constantino, ac sic fieri præcipiente ; quò fidei orthodoxæ sinceritas, atque veritas nullis pateret insidiis. »

Cùm postea memorasset, quid Philippicus Bardanes tyrannus pro monothelitis molitus esset, addit : nec voluisse eum ingredi regiam, quoad sextæ synodi imago indè dejecta est ; subditque : « Id, inquit, suâ auctoritate decernens, ut Sergii, Honoriique, ac cæterorum pariter ab eâdem sanctâ œcumenicâ synodo ejectorum, ac anathemati subjectorum nomina, in sacra sanctissimarum Ecclesiarum dyptycis præconio publico rursùs referrentur, eorumque per loca imagines restituerentur. »

En pro Honorio quid hæretici faciant, quid catholici attestentur : en qui acta conscripserit testis adducitur. Quid plura desideramus ? An adhuc Græcos omnes, etiam pios et orthodoxos, et sextæ synodi studiosissimos, sextæ synodi falsatæ argui placet ? Nimiùm profectò hæc prava sunt ; sed tamen audiamus in quo Bellarminus et Baronius vim faciant.

CAPUT XXVII.

Potissimum argumentum falsitatis ex Agathonis epistolâ ductum : quàm vanum illud sit : Agatho et Leo II inter se componuntur : etsi Honorius de fide pravâ docuerit, haud minùs Ecclesiæ romanæ permanere inconcussam fidem.

Nempe ex Agathonis ad Constantinum Pogonatum epistolâ, hæc proferunt, quæ palmaria esse putant [2] : « Apostolica Petri Ecclesia nunquam à viâ veritatis in quâlibet erroris parte deflexa est... Nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianæ percepit ab auctoribus suis apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet, secundùm ipsius Domini salvatoris divinam pollicitationem : *Petre*, inquiens [3], *ecce Satanas*, etc. Consideret, itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam

* Hic Agatho significare videtur scriptionis genus quoddam, elegantius et nitidius illo, quo in actis vulgaribus uti solebant descriptores. (*Edit. Paris.*)

[1] *Vid. Hist. Monoth. P. Comb., edit Paris*, 1648, sub hoc tit. *Auctuarium Bibl. Patrum*, t. II, p. 203.—[2] *Ep. Agath., ad Const. Imp. in act.* IV. *Conc.* VI. col. 636.—[3] *Luc.*, XXII. 31, 32.

promisit, confirmare eum suos fratres admonuit : quod apostolicos Pontifices ; meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum. »

Hæc verò epistola, ut ait Bellarminus[1], à toto concilio probata est, actione VIII et XVIII, ubi dicunt Patres, non tam Agathonem quàm Petrum per Agathonem locutum. Ergo ex eâ epistolâ Honorius quoque confirmavit fratres in verâ fide. Non ergo hæreticus, neque ei anathema dictum à sanctâ synodo, quæ Agathonis epistolam recepisset; atque omnino synodum falsatam esse oportet.

Tantam vim inesse putat in illis verbis, quibus apostolici Pontifices *semper* fratres suos confirmasse memorantur. Omnesne ad unum? Atque ut hic alios omittamus, etiamne Liberius, quo tempore Nicænam infirmabat fidem, Athanasium fidei pugilem communione repellebat, arianos omnes habebat pro orthodoxis, et cùm Constantio persequebatur Ecclesiam? Prorsùs nec illa tempora excipienda sunt, si *semper* illud strictè valeat. Sed ut in Honorio jam figamus gradum, rogo, tantisper sextam synodum omittamus, rem ipsam attendamus. Falsata sanè sit synodus; non credo, non sentio, non fero : falsata tamen sit, quàm maximè eâ parte quâ litteras Honorii damnat. Certè ipsæ litteræ verè ab Honorio scriptæ, quas ut ab eo scriptas et Joannes IV Honorii successor[2], et sanctus Maximus[3], et sancto Maximo teste, ipse Honorii secretarius * defensabant : neque Baronius aut Bellarminus negant; imò ex earum fide maximè tuentur Honorium. Damnatæ ergo non fuerint, neque earum auctor, non eo profectò meliores, si judicium effugissent. At si id ad extremos apices verum est, quod Agatho prædicat, à suis *prædecessoribus*, etiam ab Honorio, ut vis, *fratres episcopos in verâ fide semper fuisse confirmatos;* ergo Honorius fratres in verâ fide confirmabat, tum cùm duas voluntates et operationes à *prædicatione fidei* eximebat : confirmabat in fide Sergium patriarcham, tum cùm scriberet, *ut unius vel duarum operationum novæ adinventionis vocabulum refutaret*, atque unà cùm hæresi orthodoxæ quoque fidei confessionem novitatibus accenseret : confirmabat in fide, tum cùm *unam vel duas voluntates sentire vel promere ineptum* pronuntiabat : quasi vel utrumque adversari, vel saltem de utroque dubitare vera ratio cogeret : confirmabat in fide Sophronium Hierosolymitanum, tum cùm duas operationes ex Patrum regulâ vel maximè asserentem, ita deterrebat, ut ab eâ voce discessurum eum, illius quoque legati *instantissimè pollicerentur*[4] : adeò rem urgebat Honorius. *Pacis causâ*, inquies : falsæ quidem pa-

[1] *Bell., de R. P.*, lib. IV. c. II.— [2] *Joan. IV Apol. ad Const. pro Honor.*, t. XII. *Bibl. Patr.*, p. 835 et seq.— [3] *Disp. Max. cum Pyrr.*, tom. V. *Conc.*, col. 1814, 1815.

* Joannes abbas nuncupatus.

[4] *Vid. sup.*, cap. XXII, XXIII.

cis, et meritò à Patribus detestatæ, ut suprà docuimus. An verò par id quoque cogebat, ut *ineptum* et *novum* diceret, quod sapientissimum, quod antiquissimum, quod semper in Ecclesiâ prædicatum esse constaret? Sed alio sensu, inquies, et ipsâ quæstione nondum intellectâ; et tamen interrogatus à tribus patriarchis, et utrâque auditâ parte. Nam et Sergium ac Cyrum hæreticos, et Sophronium maximè orthodoxum audiebat; quos tamen interrogantes adeò non confirmabat in verâ fide, ut et à veræ fidei, quæ utique certa nequit ambigua est, professione averteret. At nullo dato anathemate: quod in damnando solùm, non etiam in probando, ecclesiastica vigeat auctoritas. Quid autem juvat nullum anathema pronuntiatum ab eo esse, qui vel hinc maximè in culpâ erat, et officio deerat, quòd eos in discrimine positus, anathema suspendisset, remque certam et firmam in dubio reliquisset? At ut privatus homo; verum utcumque est, quamcumque Honorius personam induerit, certè interrogatus à tribus patriarchis, tot ac tantarum Ecclesiarum Patribus atque doctoribus, in eo articulo versabatur, ut vel eos in fide confirmaret, vel officio deesse cogeretur: non autem confirmavit, quos in ruinam impulit, vel certè fluctuare fecit: ergo officio defuit.

At enim Agatho, cujus epistolam suscepit sacra synodus, eum defensare voluisse videbatur. Obliquè certè, ut vidimus, non clarè et apertè. Suscepit autem sacra synodus fidem Agathonis, non quæcumque de Honorio obliquè et occultè ingerebat. Ac ne qui Agathoni Patres derogasse viderentur, id etiam scripsere ex ejus sententiâ damnatum Honorium, quem in Sergio ac similibus proscripsisset.

At qui tantùm Agathoni deferri velit, Honorium obscurè et obliquè excusanti, audiat Leonem II, clarè et apertè ex sacræ synodi prescripto condemnantem: « Anathematizamus, inquit[1], etiam Honorium, qui hanc apostolicam Sedem, non apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit, sed profanâ proditione immaculatam fidem subvertere conatus est. » Et ad Hispanos quidem mitiùs, sed tamen tremenda voce[2]: « Æternâ damnatione mulctati sunt, Sergius, Pyrrhus, etc. cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit. »

Nempè his epistolis victus Baronius, optat falsas, non probat. Nunc Agatho et Leo stent simul: ille ante synodum habita Honorium utcumque purgare conatus: hic post synodi sententiam, non modò abstinendum ratus ab excusando eo, verùm etiam arbitratus, debito anathemate percellendum. Ac si tantos Pontifices etiam super Honorio

[1] *Epist. Leon. II ad Imp.*, tom. VI *Conc.*, col. 1117. — [2] *Ejusd. epist. ad Hisp.*, *ibid.*, col. 1246, 1247.

nomine conciliare nos oportet, Agathonem, quo præside synodus inchoata est, et Leonem, quo probante firmata; tu sanè, quisquis es, qui Bellarminum sequeris, conciliare non potes Agathonem dicentem, ut quidem interpretaris, ab Honorio quoque prædicatam esse et confirmatam fidem, cum Leone dicente, ab eodem Honorio non fuisse *lustratam*, sed fuisse *proditam*. Nos facilè componimus omnia. Petro enim imperatum, ut confirmaret fratres, et Agatho dicit, et Leo fatebitur : id ergo ad pontificium munus pertinere, uterque prædicabit; et nos sanè cum iis maximè prædicamus. An verò certum sit eo semper officio functos, Agatho quidem id asseruisse videtur; Leo verò Honorium vehementissimè officio defuisse. At illius generale, cum hujus peculiari dicto, facilè cohærebit. Dictum enim Agathonis non ad strictos apices exigendum, sed civiliter intelligendum esse dicimus : et *semper* ideò dictum, quòd plerumque id factum sit; quòd unius culpa Pontificis, aliorum statim operâ sarciatur, nihilque detrimenti patiatur fides. Solemus enim homines magna et illustria et consueta sectari, quod rarum fuerit et statim mutatum, nullâ rerum conversione memorabili, nec factum cogitamus. Ita quidquid ab Honorio peccatum est; id sanctus Severinus Honorio proximus; id sanctus Joannes IV, sanctusque Theodorus, Martinus, Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Donus, Agatho, Honorii successores cumulatissimè rependerunt; ut officio defuisse Honorium Ecclesia romana vix senserit. Hinc « Ecclesiam romanam non fuisse depravatam, neque errori succubuisse, sed in fide mansisse » Agatho prædicavit, et nos confitemur; neque in Petri sede visos esse Sergios, Pyrrhos, Paulos, Petros, Theodoros, sibi mutuò errorem quasi hæreditarium cum sede tradentes, neque romanos Pontifices sibi invicem succedentes, à fidei unitate abruptos fuisse. Quòd si Honorius vel pejora ausus esset, non romana propterea succubuisset fides, sed eum ut mortuum Ecclesia projecisset, et ex Ecclesiâ romanâ Pontifex catholicus surrexisset. Quæ si consideremus, et Agathonem cum Leone componamus, tum demum intelligemus, quid sit illud immotum, quod in Sede Petri omnes catholici veneremur. Quare ut hanc disputationem aliquando concludamus, hæc certa comperimus.

Honorium de fide à tribus patriarchis ritè interrogatum pessima respondisse;

A sextâ synodo anathemate condemnatum :

A romanis Pontificibus ante supremam synodi sententiam excusatum, post eam sententiam eodem anathemate esse damnatum :

Bellarminum ac Baronium conversos ad fabulas, quòd Honorius defensuris nihil aliud auxilii suppetebat.

CAPUT XXVIII.

Quæstio de Honorio concluditur; atque, utcumque illius res se habent, in manet ex his petitum argumentum.

Addimus et id frustrà esse, quod Bellarminus ac Baronius molimine adstruere pergunt. Esto enim falsata sint omnia; te te fatente, à secutis Pontificibus, à septimà deindè et octavà sy vera sunt credita. Credita ergo à Pontificibus; credita à co credita ab omnibus; credita, inquam, de Pontifice, quæ tanto limine ne credantur caves.

Sagacissimus Bellarminus id vidit[1], nec negavit : creditum quit, de Pontifice, ut homine privato. Quin tu igitur eo grad sistebas? Quid actorum fidem tam inani operà sollicitatam opo Nempe responsio de Papà, ut homine privato non satisfaciebat cùm certum illud maneret, à synodo sextà generali fuisse j tum, Papam, ab Ecclesiis de fide interrogatum, apostolico defuisse; neque confirmasse, sed impulisse fratres, seseque in præcipitium conjecisse.

Hæc mente complexi synodos ac Pontifices Bellarmino ac B summis licèt viris, facilè anteponemus. Quòd verò Anastasius thecarius sextæ synodi decreta improbat[2], eaque pro Honorio quæ nec romani Pontifices ausi erant; contemnemus quide interim intelligemus, nullam aliam viam tuendo Honorio p Neque enim cogitabat illud, aut romanum Pontificem pro p egisse, qui tot patriarchis de fide quærentibus responderet; a epistolas non fuisse dogmaticas, qui sciret plerasque alias, n ritu modoque esse scriptas : neque levia illa aut minuta profer in quæ nunc se conjiciunt, sed perfrictà fronte Honorium tue quem si quis auctorem sequi malit, nec sic effugiet; manetque per illud : fuisse creditum romanum Pontificem, ritè de fide in gatum, docendo patriarchas, respondendo Ecclesiis, pes meritò damnanda respondisse, eamque sententiam ab œcu synodo promulgatam; secutos Pontifices, secuta concilia æquè menica consensisse.

Jam si Anastasius, ac post eum Bellarminus, ne quid inta relinquerent, de litteris Honorii subdubitare voluisse visi quid nostrà? Cùm eas Joanne IV defensas, atque in sextà sy græcè et latinè lectas, et cum authentico diligenter collatas, veris agnitas, ac damnatas esse constet[4]; idque præsentibus et contradicentibus, imò consentientibus, ac subscribentibus

[1] *Bell., loc. jam sæpè cit.*—[2] *Anast., Bibl. epist. ad Joan. Diac.*, tom. XII *Bibl. Pa.* — [3] *Anast., et Bell., loc. cit.*—[4] *Vid. Conc.* VI. act. XII et XIII.

[illegible]liæ legatis. Et ii quidem, cùm Vigilio papæ falsa decreta im-[illegible]ntur, falsum arguerunt, calumniam propulsarunt; pro Hono-[illegible]i hiscunt. Quin ipse Anastasius, ipse Bellarminus, non modò [illegible]unt epistolas, verùm etiam asserunt, vindicant, ex iis maximè [illegible]r Honorium, quod item Baronius factitavit [1]. Nec mirum va-[illegible]iste ac trepidos, qui tot undique coarctati argumentis, quo [illegible]dem figerent, non haberent. Sed eorum commenta dudum [illegible]s æquo distinent.

CAPUT XXIX.

[illegible]oletani concilii XIV, synodum VI pro œcumenicâ non habent, eò quòd [illegible]ad eam vocati non essent; neque eam probant nisi facto examine, tametsi [illegible] II probatam constitisset.

[illegible] jam superest de sextâ synodo memorandum, imò memora-[illegible]et jam perstringendum paucis. Hispani Occidentali concilio, [illegible]thone collecto, nulli interfuerant, neque synodum sextam [illegible]t, neque etiam ad eam vocati erant. Itaque Leo II ad eos [illegible]epistolam eam quam sæpe memoravimus; *simul definitionem [illegible]nodi, et acclamationes* mittit; *acta quoque totius concilii di-[illegible], si ipsis delectarentur* [3]. Quæ cùm omnia recepissent, sub [illegible]o II, Leonis successore, et Ervigio rege, placuit Toleti con-[illegible]totius Hispaniæ *generale concilium* *, ut ea gesta ab omnibus [illegible]nciliis et provinciis probarentur. Decretum fit in hæc verba [4]: [illegible]synodalia, et cum gestis quoque Leonis antiquæ Romæ Pon-[illegible]nvitatoria epistolaris gratiæ consulta suscepimus, per quæ [illegible]ordo gestorum gestaque ordinum dilucidè patuerunt. Quâ [illegible] præsules Hispaniæ invitati erant, ut prædicta synodalia in-[illegible], nostri vigoris manerent auctoritate suffulta. » En perspicuis [illegible]Hispaniensium præsulum requisita auctoritas. Postea : « Pla-[illegible]indè satisfacientes romano Pontifici, ea ipsa gesta firmare. » [illegible]ò post : « Ut utraque operum gesta *, et synodica dirigantur [illegible]e, et discretâ conciliorum ** fulciantur auctoritate. » Idque

[illegible], *et Bell., loc. cit.; Bar.*, an. 633, t. VIII. p. 317 et alib. pass. — 2 *Vid. Diss. præv.*, [illegible]VIII; *et sup. hoc lib.*, c. XXVI. — 3 *Ep.* II. *Leon. II*, t. VI. *Conc.*, col. 1246, 1247.

[illegible]ngregavit Ervigius generale concilium, sed in unâquâque provinciâ particulares. Placet hic exscribere ipsa verba concilii Toletani XIV. cap. I, col. 1729. « Princeps [illegible]..... hoc dedit speciale edictum, ut quia..... sicut oportebat..... generale concilium [illegible]ria adversitatum incursio non sineret, saltem adunata per provincias concilia fie-[illegible]t si quidem hic primùm à nobis in urbe regiâ synodus ageretur, deindè in singulis [illegible]que provinciis singulare haberetur concilium, quo, quidquid hic actum per Toleta-[illegible]nodum, reliqui primarum sedium præsules... per discreta provinciarum suarum con-[illegible]servarent. » (*Edit. Paris.*)

[illegible] *Tolet.* XIV, c. I et II. tom. VI. *Conc.*, col 1279, 1280; *Ibid.*, c. IV. col. 1281.

[illegible]nis Pontifex primùm miserat sextæ synodi definitionem fidei et prosphoneticon, deinde [illegible]gra; et hoc est, ut videtur, quod dicunt Patres Toletani. (*Edit. Paris.*)

[illegible]panorum.

fieri volunt, « postquam, ut aiunt[1], synodicâ iterum examina decocta, vel communi conciliorum omnium judicio fuerint co bata. » Denique : « Dicta gesta cum antiquis conciliis confer ea ipsa gesta probavimus :,.. et ideò supradicti acta concilii in tùm à nobis veneranda sunt, et recipienda constabunt, in qu à præmissis conciliis (Nicæno et aliis) non discedunt[2]. » En ratio, en examen exactum ad certam regulam, ad Patrum et antiquorum conciliorum fidem; et post illud examen, ne ter, gesta *firmata*. Quid ampliùs?

Nimis probas, inquiunt; neque enim Pontificis tantùm, se dorum universalium decreta, particularibus synodis exam subjicis. Facilis solutio. Universalium conciliorum, quæ ut t agnita, doctrinam ac fidem, nemo unquam examini aut retra submisit : Hispani autem Patres minimè agnoscebant ut univ hanc synodum, quam nec audierant, ad quam nec vocati Unde nunquam vocant universalem synodum, sed aiunt : « perlata gesta synodalia, quibus Constantinopoli, Constant principe mediante, magna et sublimis copia aggregata Pontifi et consideranti, tota gestorum series indicabit, graviter tuli panos, quòd vocati non essent. Quin etiam toties iteratâ c mentione, cavisse videntur, ne quis existimaret concilii tali universalis auctoritate teneri Hispaniam, tantam Ecclesiæ etiam non vocatam. Cùm autem synodum ut œcumenica agnoscere, tamen de Sedis apostolicæ sententiâ nulli dub quam et Agathonis et Leonis epistolis expressam legerent. enim Leo concilium sextum, uti alia quinque, *universale* v et lata in synodo sextâ anathemata iterabat, ut suprà vidimus agnitum quoque Pontificis romani de fide decretum examin dunt, et legitimâ cognitione comprobant; nec verentur dicere quoque *firmari* : tantùm auctoritatis ipsi unitati, et commun sensioni inesse intelligebant.

Eâdem ratione Franci nostri, et Carolus Magnus ac Lud verè christianissimi imperatores, septimam synodum de sacri ginibus, recipere ut œcumenicam diutissimè recusarunt; q eam nullo modo vocati essent. Sed jam operæ pretium est, synodi acta referamus.

[1] *Conc. Tolet.* XIV. cap. V. — [2] *Ibid.*, c. VI. — [3] *Ibid.*, cap. II. col. 280.

CAPUT XXX.

Synodus Nicæna II, seu generalis VII, more antecedentium synodorum, de Adriani I litteris quæstionem habet : locus egregius, quo eadem synodus docet vim illam ineluctabilem, in Ecclesiæ catholicæ consensione esse positam.

Cùm Adrianus I veram de colendis κατὰ σχέσιν, seu relativo cultu, Christi et sanctorum imaginibus doctrinam, septimæ synodo per litteras, more priorum Pontificum, exposuisset; Patres quoque, more majorum, eas litteras synodicè examinarunt. Lectis enim epistolis duabus [1] sancti Pontificis, alterâ ad imperatorem, alterâ ad synodum *, quæsitum ita est per legatos apostolicæ Sedis : « Dicat nobis sanctissimus patriarcha Tarasius Constantinopolitanæ urbis episcopus, si consentiat litteris sanctissimi Papæ, senioris Romæ? » Rogatus in eam formam Tarasius, consentire se profitetur : « Nam et ipsi nos, inquit [2], scrutando Scripturas et syllogisticè approbando rimati sumus : sic quòd confessi sumus, confitemur et confitebimur; consonamus et vim lectarum litterarum confirmamus. » Supplendum ex græco post illud, *Scripturas rimati :* hoc quoque ; *et patriis doctrinis docti*, quod etiam vulgata et antiqua versio retinebat.

Patet ergo à Tarasio ita approbatas Adriani epistolas, quòd rem ipse perpendens, eas Scripturis, traditioni, eique, quam ipse ab antiquo hauserat, fidei conformes esse senserit, factâque inquisitione intellexerit : post quæ Tarasii verba, « sancta synodus dixit : Tota sacratissima synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat. » Quibus verbis tota synodus se Adriano auctori, ac Tarasio ex intellectâ ac perpensâ ratione approbanti, consentire declarat. Atque, ut res constaret clariùs, à legatis apostolicis synodus interrogata est, in hanc formam : « Dicat nobis sancta synodus, si admittat litteras sanctissimi Papæ senioris Romæ, an non [3]? » Quòd de re exploratâ, deque irreformabili judicio quæri, neque recta ratio, neque fides sinit. Ad eam rogationem sancta synodus dixit : « Sequimur et suscipimus, et admittimus. »

Undè, rèbus summâ attentione perpensis, fit definitio synodalis, non unius romani Pontificis, sed totius Ecclesiæ catholicæ consensu et auctoritate nixa : cujus definitionis initium (*alibi relatum* [4], *hic retexere non est necesse ; quo docet sancta synodus in eo vim esse*) ecclesiastici judicii; ut nihil innovetur; ut quæ communi traditione perlata sint ad nos, communi consensione ac decreto firmentur : undè

[1] *Epist. Adr. I ad Imp. et ad Taras.*, act. II *Conc.* VII. tom. VII *Conc.*, col. 99 et seq.; 122 et seq.

* Sive potiùs ad Tarasium C. P.

[2] *Epist. Adr. I ad Imp et ad Taras.*, act. II *Conc.* VII. tom. VII *Conc.*, col. 127. — [3] *Ibid.*, col. 130. — [4] *Vid. Diss. præv.*, n. LXII.

addunt : « Nihil adimimus, nihil addimus, (communi et universali traditioni scilicet) sed omnia quæ catholicæ sunt Ecclesiæ immutilata servamus [1]. » Quibus positis sic concludunt : « Quæ cùm ita sint, regiæ viæ semitis inhærentes, sequentesque divinitus inspiratorum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et Ecclesiæ catholicæ traditionem, quippe quam esse noverimus Spiritûs sancti, qui ipsam inhabitat; definimus in omni certitudine ac diligentiâ, etc. » Ut profectò appareat summam illam et ineluctabilem certitudinem in Ecclesiæ catholicæ consensione, imò in Spiritûs sancti universam Ecclesiam docentis magisterio esse positam ; quod habebamus demonstrandum. Igitur sanctæ septimæ synodi post, romani Pontificis lectam definitionem, inquisitio, confirmatio, judicium sic se habet.

CAPUT XXXI.

Gallisynodum VII seu Nicænam II, Adriano præside habitam, pro œcumenicâ non habent, eo quòd ad illam nec ipsi, nec alii Occidentales vocati essent : egregia eâ de re Jacobi Sirmundi locus : romanorum Pontificum de Gallis sententia.

Cur autem Patres nostri Ecclesiæ gallicanæ præsules ejus synodi decretis repugnarent, causa erat, non quòd de synodi œcumenicæ auctoritate dubitarent; sed quòd Nicænam secundam, ad quam vocati non essent, pro œcumenicâ non agnoscebant; imò in Francofordiensi synodo, ex Galliæ ac Germaniæ Ecclesiis congregatâ, præsentibus etiam romanæ Ecclesiæ legatis; respuebant [2] : quòd, quod maximè ad rem nostram spectat, diligentissimè considerare non oportet.

Sanè quòd ad rem ipsam spectat, hoc est imaginum cultum, non est animus majorum nostrorum sententiam tueri ; quippe quos intelligamus, cum ipsis Nicænis Patribus, facile convenire potuisse; si, quod postea factum est, sua ipsorum dogmata satis attendissent. De synodi autem Nicænæ auctoritate, quod hujus loci est, placet adscribere verba egregii viri Jacobi Sirmundi, in admonitione ad canonem II concilii Francofordiensis. « Quod, inquit [3], ad synodi nomen attinet : in promptu habent Galli quo invidiam depellant. Constat enim sic in hâc quæstione versatos esse, tum synodi Francofordiensis, tum Carolini voluminis auctores, ut sibi, non cum œcumenico concilio, sed cum peculiari Græcorum synodo, rem esse contenderent. Ita enim passim in libris illis profitentur, quæruntur que propterea, illam sibi aut universalis, aut septimæ synodi nomen arrogare, cùm œcumenicam dici posse negarent, ad quam

[1] *Act.* VIII. col. 654.—[2] *Conc. Franc.*, can. II. t. VII. col. 1057.—[3] *Sirmund.*, *admon. ad can.* II. *Conc. Francof.*, *ibid.*, col. 1055.

soli Græci convenissent, reliquarumque provinciarum Ecclesiæ convocatæ, aut sententiam per epistolas, morè ecclesiastico, rogatæ non fuissent. Et quidem si rem suis momentis expendamus satis, omnino causæ videbatur, cur synodum, cui tot adhuc provinciarum, ac totiùs penè Occidentis suffragia deessent, pro œcumenicâ nondum haberent. Nec Adrianus ipse aliter se sentire ostendebat, qui allatam è Græciâ synodum (ut Hincmarus eodem loco docet) [1] in Galliam misit; conciliumque ejus causâ convocari à Carolo jussit, et libris Carolinis, quibus oppugnata est, ita respondit, ut œcumenicæ synodi nomen illis auctoritatemque nusquam objiciat. » Hæc Sirmundus, vir maximus, pro Gallis nostris, de synodi Nicænæ secundæ auctoritate respondet.

Neque tantùm concilii Francofordiensis tempore Nicænam secundam synodum respuebant, cùm ejus acta ignorarent ferè; sed etiam toto Caroli Magni regno, ac diutissimè postea.

Constabat interim romanos Pontifices in eamdem cum Nicænâ secundâ synodo ivisse sententiam, atque ab Adriano editam eâ de re, ac missam ad synodum epistolam decretalem, cui synodus consensisset.

Agitata postea res est, missis ultrò citròque scriptis; editique libri adversùs Nicænam synodum, qui, ex Caroli nomine, *Carolini* appellantur. His responsum est ab ipso Adriano pro Nicænis dogmatibus : neque eo secius nostri cum Carolo Magno in sententiâ perstitere.

Neque interea pro hæreticis aut schismaticis habebantur, qui de re maximâ, nempè de interpretandis primæ tabulæ præceptis dissentirent; quia bono animo rem quærere; non pertinaci studio contendere videbantur. Et Carolus Magnus cum Adriano I, non tantùm religionis obsequio, sed etiam singulari atque intimo amicitiæ vinculo conjunctissimus vixit; et interim à Leone III sæpè ad auxilium invocatus, et imperiali coronâ fuit insignitus : adeò quæ ad fidem spectare viderentur, non in unius romani Pontificis auctoritate, sed in Ecclesiæ universæ consensione posita esse constabat.

Quin etiam imbibita nostrorum animis sub Carolo Magno rege sententia, sub Ludovico Pio hæsit.

Nempè sub eo principe de imaginibus conventus habitus est Parisiis, cujus conventûs historiam, ex gestis, vir diligentissimus Sirmundus sic exponit [2] : Venisse ad Ludovicum Pium, Michaelis ac Theophili græcorum imperatorum legatos, atque inter cætera dissidium exposuisse, quòd in Ecclesiâ Orientali propter imagines ver-

[1] *Hincm., epist. ad Hinc. Laud.*, c. XX.— [2] *Sirm., Præf. ad Conc. Paris.*, an. 824, tom. VII. *Conc.*, col. 1548.

sabatur ; quas alii adorandas, alii non adorandas esse contenderent, eosdem imperatorum legatos significasse, se hâc de causâ Romam etiam ad Pontificem ituros : Ludovicum pacis componendæ studio à Pontifice poposcisse, ut ejus rei gratiâ Parisiis episcopi convenirent.

Ex hujus conventûs sententiâ, Ludovicus Pius scripsit epistolam ad Eugenium II, et commonitorium ad Hieremiam Senonensem, et Jonam Aurelianensem, suos ad Eugenium II legatos [1], ex quibus hæc habemus.

Primò : ab episcopis *collectiones* factas *de libris sanctorum Patrum*, easque ad Ludovicum perlatas : sic enim scriptum est in ipso commonitorii initio [2].

Secundò : petitam fuisse licentiam ab Eugenio, hujus nominis II, ut episcopi eas collectiones facerent, quæ Papæ ad Græcorum consulta responsuro adjumento futuræ viderentur. Quâ de re sic scribit Ludovicus ad Eugenium II : « A vestrâ Sanctitate petivimus, ut sacerdotibus nostris liceret, de libris sanctorum Patrum sententias quærere, atque colligere quæ ad eamdem rem, pro quâ iidem legati (Græci scilicet) vos consulturi erant, veraciter definiendam convenire potuissent. »

Tertiò : res igitur ita tractabatur, etiam Eugenii II consensu : ut quæ nondùm ultimo atque irretractabili judicio definita esset.

Quartò : hæc quidem ad Papam scripta sunt. At in commonitorio episcopi jubebantur, ut rem quàm minimâ pontificii animi offensione tractarent. Verba commonitorii sic habent [3] : « Ut summoperè cavetis, ne nimis resistendo Domnum apostolicum in aliquam irrevocabilem pertinaciam incidere compellatis : sed obsequendo magis quàm apertè resistendo, ad mensuram deducere valeatis. » Sic Sedis apostolicæ dignitatem colebant, et cum Pontifice reverenter tractabant, et ab eo interim in quæstione fidei, *irrevocabilem pertinaciam* metuebant.

Atque hæc acta sunt anno 824, post triginta annos quàm secunda Nicæna synodus habita esset. Ac postea Franci diutissimè suam sententiam tuebantur. Interim cùm à tot romanorum Pontificum decretis recederent, haud minùs se in Ecclesiæ romanæ communione ac fide permanere gloriabantur : adeò dubia, necdum recepta communi consensu dogmata, à certis exploratisque secernebant. Neque romanam Ecclesiam, suis licèt Pontificibus cohærentem, errasse jactabant ; quòd abesse putarent eam, quam ad extremum ab Eugenio metuebant, *irrevocabilem pertinaciam*. Nec illis palam dissentientibus

[1] *Sirm.*, *Præf. ad Conc. Paris.*, an. 824, tom. VII. *Conc.*, col. 1548 et seq.—[2] *Common. Lud. Pii*, *ibid.*, col. 1549. —[3] *Common.*, *loc. sup. cit.*

concilii Nicæni secundi, aut romanorum Pontificum, qui idem decrevissent, aut etiam concilium Nicænum comprobassent, tanquam indeclinabilis objecta est auctoritas : quòd satis constaret, nec vocatos eos, et pro lege esset illud, à Nicænâ quoque synodo positum fundamentum : « Communem fidem, communi consensu stabiliendam [1]. » Quare concilii septimi apud Orientales, re penitùs inquisitâ, inter se consentientes statim auctoritas valuit; apud nostros, rebus paulatim patefactis, et consentientibus Ecclesiis, obtinuit : adeò et nostrorum animis inhærebat, et ipsi romani Pontifices fatebantur, illud à majoribus acceptum : fidei definitiones Ecclesiæ catholicæ consensu valere.

CAPUT XXXII.

Synodus VIII generalis, Constantinopolitana IV, æquè ac cæteræ, de romanorum Pontificum judiciis judicat; traditam sibi à Christo, ut et romanæ Ecclesiæ ligandi ac solvendi potestatem agnoscit et exercet : post synodi judicium, nulla jam appellatio, nulla alia spes est.

Non est hic prætermittenda generalis synodus octava, Constantinopolitana quarta, sub Adriano II summo pontifice, et Orientis imperatore Basilio. Etsi enim non de fide propriè, tamen agit de re maximâ, quæ fidem proximè attineat; de initio scilicet Photiani schismatis, totam conturbantis Ecclesiam, et in ingens incendium erupturi.

Quis Photius fuerit, quâ violentiâ Ignatium Constantinopolitanum episcopum, virum sanctissimum, oppresserit, et ejus locum invaserit, ut deindè à romanis Pontificibus compressus, condemnatus, anathematizatus fuerit : quâ audaciâ adversus Ecclesiam romanam caput erexerit, omnes sciunt. De eo ejusque sectatoribus penitus amovendis quæstio habebatur, totaque adeò synodus in commendandâ Sedis apostolicæ auctoritate versatur.

Post lectam, actione III, et approbatam Adriani II epistolam, actione IV et V, leguntur Nicolai papæ, Adriani antecessoris epistolæ duæ; et legati meritò contendebant, rem *ex multo tempore esse judicatam*, neque *à paternis definitionibus posse discedi*. Cæterùm, ad tollendam dubitationem omnem, lectis epistolis, synodum rogant : « Placetne vobis sensus iste, an non? Et si quidem placet, talia sunt nostra et nostræ Sedis : quòd si apud vos non fuerint acceptabilia, nos tamen super montem excelsum synodi ascendemus, et exaltabimus in fortitudine vocem nostram, exangelizantes vobis, et consequentiam quæ facta est (id est, rei gestæ seriem, processumque juridicum), et ore promulgata est sanctorum Patrum nostrorum à

[1] *Vid. Conc.* VII. act. VIII. de fin.

gratiâ Spiritûs sancti..... Ad hæc quid dicit sancta synodus? [illegible] et universalis synodus exclamavit : Recipimus omnia ; valde [illegible] sunt discreta et congrua, et consona ecclesiasticis regulis [illegible] sanctæ synodi accipiunt, et sanctæ Sedis decreta, et monita [illegible] rum, facto examine, ratione perspectâ.

Aderat sacro cœtui Basilius imperator, ad quem romani [illegible] memoratis Nicolai I et Adriani II judiciis canonicis, hæc loqu[illegible] Sanctissimus Adrianus nos famulos suos direxit in hanc [illegible] manifestationem veri et justi judicii, in conspectu imperii [illegible] sanctæ universalis synodi : ita ut non habeant vocem repe[illegible] vel appellationis : sed quemadmodum jam judicati sunt, et [illegible] in sæculum maneant [2]. »

En tantùm per synodum universalem appellationis sublat[illegible] omnis; neque à decreto resilire datur, sed fixa et æterna [illegible] tentia. Quid amplius? Sic se habet ecclesiasticorum judiciorum [illegible] non tantùm in fidei quæstionibus, sed etiam in iis, quæ [illegible] pacem omnium Ecclesiarum spectant.

CAPUT XXXIII.

Concluditur argumentum ab octo primorum conciliorum auctoritate re[illegible] eorum acta adversarii nec considerasse videntur : sancti Gelasii et sancti [illegible] locus de irretractabili ecclesiasticorum judiciorum auctoritate.

Eam traditionem deductam ab octo prima generalia concili[illegible] nasse vidimus. Quæ quidem octo generalia concilia totius chri[illegible] doctrinæ ac disciplinæ fundamenta sunt; quorum prima q[illegible] haud secus ac quatuor Evangelia, post sanctum Gregorium [3] [illegible] catholica venerata est. Neque minor cæteris cultus, cùm [illegible] spiritu acta, parem auctoritatem obtineant. Quæ octo concilia, [illegible] unanimique consensu, definiendi vim irrefragabilem, non [illegible] re, quam in Patrum consensione posuerunt. Inter quæ sex [illegible] romani Pontificis prolatam etiam de fide sententiam, ad [illegible] legitimum, Sede apostolicâ probante, revocarunt, quæstione [illegible] stitutâ in hanc formulam : *Eane decreta rectè habeant, nec*[illegible] in actis legimus.

Conticescant igitur Stapletonus, et auctores in libello *Do*[illegible] *Lovaniensium* relati, atque eos secutus auctor anonymus de [illegible] tatibus Gallicanis [4], qui hæc pronuntiant contra gestorum [illegible] « In istis conciliis omnibus, præjudicatam romani Pontificis [illegible] tentiam, pro normâ et regulâ fidei habitam : » quodque idem [illegible]

[1] *Conc.* VIII. act. III. tom. VIII. col. 1011; act. IV. col. 1021; et act. V. col. 1029, [illegible] *ibid.*, act. V. col. 1042; *Ibid*, col 1043; *Vid. Diss. præv.*, num. LXIII. — [2] *Ibid.*, col. [illegible] [3] *Greg. Mag.*, lib. I. ep. XXV. al. XXIV. *ad Joan. C. P.*, tom. II. op. col. 515; et lib. [illegible] col. 632 et alib. pass.— [4] *Vid. Doct. Lov. et Tract. de Libert.*, etc., lib. VII. c. 1 et 5.

...stolicæ Sedis dogmaticam ad synodum epistolam locum ha... plenæ atque irretractabilis definitionis. » Quo uno testantur ...dalia gesta nunquam à se attento animo, sanove judicio esse ...ta : quippe quæ dogmaticarum epistolarum legitimam retracta...em examenque contineant.

...n ita unquam synodi generalis judicium retractatum vidimus, ...mnes statim in obedientiam pronos : neque unquam cuiquam, ...illud examen, inquisitionem novam fuisse concessam, sed ...tatam pœnam. Sic Constantinus ; sic Marcianus ; sic Cœlesti...ic Leo ; sic alii omnes, quos in gestis vidimus. Hæc certa et ...cussa orbis christianus agnovit.

...c accedit illud sancti Gelasii egregii Pontificis [1]. « Bona synodus ...que christiana semel acta, nullâ nec potest, nec debet novæ ...di iteratione convelli. » Atque iterum : Bona synodus, nulla ...est, cur aliâ debeat synodo retractari ne ipsa retractatio ejus ...tutis detrahat firmitatem. » Sic stant irretractabilia, quæ ultimo ...rto Ecclesiæ judicio constant. Convellitur enim illud Spiritûs ...i judicium, quoties iterato judicio retractatur. Tale autem est ...ium à romano pontifice prolatum, ut novo judicio retractatum ... Non ergo est illud ultimum et certum Ecclesiæ judicium.

...que verò obscurior est illa sententia Gregorii Magni, quatuor ...dos generales Evangeliis quatuor comparantis ; additaque ratio ; ...a cum universali sunt consensu constituta, se et non illa de... quisquis præsumit, aut solvere quos ligant, aut religare quos ...nt [2]. »

...n igitur nostra quæstio antiquorum conciliorum ac Patrum tra...ne finita est. Placere debet omnibus romani Pontificis secundùm ...ilii Florentini decretum explicata potestas, ex conciliorum gene...m praxi. Patet discrimen ingens inter conciliare et pontificium ...ium, cùm post conciliare nulla quæstio, sed sola supersit cap...ti intellectûs obedientia ; pontificium verò ita comprobetur facto ...mine, ut si detur locus, improbari possit : quod erat demon...ndum.

CAPUT XXXIV.

...concilia generalia memorantur : in iis perstitit antiqua traditio, ut summæ ...stiones ad concilia generalia referrentur, nec Pontifex decerneret, nisi SACRO ...ROBANTE CONCILIO : referuntur quatuor prima Lateranensia œcumenica con...lia sub Calixto II, sub Innocentio II, Alexandro III, Innocentio III ; et Lugdu...nse primum sub Innocentio IV.

...ost primas octo synodos generales summâ diligentiâ pervolutas, ...promptu est judicare de aliis ex earum sententiâ, quas et actis

[1] Gelas., ep. XIII. *ad Episc. Dard.*, tom. IV. *Conc.*, col. 1204, 1205. — [2] *Greg. Mag.*, lib. I, ...XV. al. XXIV. ubi sup.

luculentioribus notas esse, et apostolorum ævo propiores, fa
cæteris prætulisse constat. Et tamen ex ipsis posterioris ævi sc
conciliis demonstramus perstitisse in Ecclesiâ catholicâ antiquam
ditionem, ut summæ quæstiones, summisque animorum discr
nibus agitatæ, ad concilia generalia referrentur.

Id singulare habent pleræque ex his posterioribus synodi
eas romanus Pontifex præsens habuerit, ejusque nomine dicta
tentia sit; non aliter tamen, quàm *sacro approbante concilio*,
formulâ declaratur, definitiones editas et canones conditos, n
consentiente et approbante concilio, pro pleno Ecclesiæ cath
judicio valituras.

Jam ergo illas synodos ordine recensemus, enarramusque g
quantùm quæstioni nostræ erit necessarium; quod erit facilim
cùm pauca habeamus.

Quæstio de investituris ingens toto orbe incendium concitav
multisque ad fidem pertinere videbatur; quod aliquatenus v
est. De pace sæpè actum inter Calixtum II et Henricum V impe
rem, eamque summus Pontifex in concilio Rhemensi, plus tre
episcopis congregatis, eorum *judicio atque sententiâ confirmat*
luerat, ut ipse in eâdem synodo profitetur. Verba notanda
ex eorum sententiâ atque judicio [1]; prorsus ex antiquæ disci
ratione. Sed quod Rhemis inchoatum, in Lateranensi primo ge
concilio consummavit anno 1122.

Sub Innocentio II, non solùm infando Petri Leonis schi
Ecclesia laborabat, sed etiam auctore Petro de Brueis ha
ubique pullulabant eæ quæ postea per Albigenses in majus i
dium eruperunt. Arnaldus Brixiensis in ipsâ Urbe, non solùm
tiones agitabat, sed etiam hæreses seminabat. Igitur ad schi
reliquias extinguendas, totque hæresum nascentium dira
comprimenda, atque instaurandam tot turbis collapsam discipli
summus Pontifex concilium generale Lateranense secundum ha
anno 1139 [2].

Alexander III, cùm hæreses et schismata succrescere cern
ipse Octaviani apostatici Pontificis schismate diu agitatus, eam
schismatibus occurreret, romani Pontificis eligendi formam,
cilii generalis approbatione sancivit: damnavit hæreses quæ al
gensi tractu inauditis fraudibus diffundere se cœperant; ac hab
magis magisque disciplinam munire voluit. Harum rerum g
concilium generale Lateranense tertium convocavit, anno 1179

[1] *Conc. Rhem. sub Calixto II*, tom. x. *Conc.*, col. 875; *et Conc. Later.* I. *ibid.*, col. 1
seq.—[2] *Conc. Later.* II, *sub Innoc. II*: *ibid.*, col. 999 et seq.—[3] *Conc. Later.* III. *sub A*
III: *ibid.*, col. 1503 et seq.

convocationis litteris hæc habentur : in Ecclesiâ *pullulare germina vitiorum, zizania crescere, quæ germen bonum suffocare* nitantur, horum evellendorum curam episcopis quidem omnibus; multò tamen fortiùs imminere romanæ Urbis antistiti, qui à Domino Jesu Christo, ut caput esset Ecclesiæ in beato Petro accepit, pascendis Dominicis ovibus et fratribus confirmandis expressum mandatum noscitur habuisse mandatum [1]. » Unde ipse *de diversis ordinibus personas ecclesiasticas* evocavit, « quarum præsentiâ et consilio, quæ fuerint salubria statuantur, et quod bonum, secundùm consuetudinem antiquorum Patrum, provideatur et firmetur à multis; quod si particulariter fieret, non facilè posset PLENUM ROBUR habere. » Sic ad officium confirmandi fratres id pertinere intelligit, quòd concilio generali habito decreta *firmentur à multis, ac facilè plenum robur habeant*, cùm statim elucescat illa consensio, in quâ firmitudinem Christus collocavit.

In concilio generali Lateranensi quarto, sub Innocentio III, primùm explicatur catholica fides, de unitate sanctissimæ Trinitatis, adversùs Joachimum abbatem : Almarici etiam doctrina condemnatur, non tam hæretica quàm insana : Eucharistiæ mysterium ac mira ab omni ævo credita panis vinique conversio, significantissimo *transubstantiationis* vocabulo explicatur: conduntur canones quibus ecclesiastica disciplina reformetur [2] : christiani denique omnes ad sacrum bellum et ad Hierosolymam recuperandam incenduntur : quas ob postremas concilii convocandi causas Innocentius commemorat. Nullique canones labentibus sæculis magis invaluere, quàm ii, quos tanta synodus constituit, anno 1215.

Innocentius IV, ad Fridericum imperatorem deponendum, concilium generale Lugdunense primum convocavit, quo in negotio quàm gravem personam episcopi egerint, suo loco retulimus. Cætera verò, quæ verè et liquidò ecclesiastica essent, synodo approbante facta, anno 1245 [3].

CAPUT XXXV.

Concilium generale Lugdunense II, sub Gregorio X, de reconciliandis Græcis : hujus acta præcipua referuntur.

Anno 1274, Gregorius X, cùm Græcos in Ecclesiæ romanæ unitatem reducturus esset, concilium generale Lugdunense secundum convocavit. Huc accedebat Terræ Sanctæ vastitas, ac morum subversio in clero et in populo tanta, ut non cerni, sed palpari videretur. His con-

[1] *Conc. Later.* III, *sub Alex. III : ibid.*, col. 1508. — [2] *Conc. Later.* IV. *sub Innoc. III*, can. I. col. 142; *Vid. etiam* can. II et IV. — [3] *Serm.* I. *Innoc. III*, *ibid.*, col. 131 et seq. — *Conc. Lugd.* I. *sub Innoc. IV : ibid.*, col. 633 et seq.

vocationis causis expositis, hæc addit[1] : « Et quia salutare in his [illegible] hiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum fratr[illegible] nostris tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia [illegible] bat, generale concilium, sicut imitatione dignâ sanctorum P[illegible] consuetudo laudabilis, longæque observationis exemplum [illegible] struit, opportuno tempore decrevimus congregandum, ut in [illegible] circa præmissa, quam circa cætera, quæ salutem respiciunt [illegible] rum, illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provi[illegible] ejusdem concilii APPROBATIONE ROBORETUR : » et hoc ex antiqu[illegible] ciplinâ, ut *quod interest omnium*, id est, causæ generales, [illegible] concilio procuretur, auctoritate et approbatione roboretur; [illegible] interdum *necessitas*, ut non alio remedio succurratur.

Jam quod erat maximum, quid in reconciliandis Græcis actum [illegible] compendio memoramus. Ac primùm allatæ sunt litteræ [illegible] Palæologi imperatoris, totius Ecclesiæ Orientalis scriptæ [illegible] his repetitur Symbolum, cum additione *Filioque*[2] : cætera [illegible] inter et Græcos controversa, eo modò finiuntur, *quod decet et [illegible] cut sacrosancta romana Ecclesia*[3].

Rogat deinde imperator, ut Orientalis Ecclesia dicat Symbolu[illegible] more, quo ante schisma dicebat; non additâ scilicet particul[illegible] *que*; permaneatque in ritibus, quibus antè schisma utebatur, q[illegible] *sunt contra fidem*.

Hâc fide Græci recipiuntur : fit canon, quo, « sacro appr[illegible] concilio, reprobantur, qui Spiritum sanctum à Patre Filioque, [illegible] quam ex uno principio, æternaliter procedere negaverint[4]. »

Hæc igitur erant, quæ concilii generalis auctoritatem requi[illegible] fides nondùm hactenus ab Ecclesiâ declarata de Spiritu sanct[illegible] *à Patre Filioque procederet, tanquàm ab uno principio* : utque [illegible] minus Græci Symbolum recitarent quo more solebant, atque [illegible] ritibus permanerent : quæ Græci sine concilii generalis [illegible] auctoritate satis firma esse futura non crederent.

CAPUT XXXVI.

Decretum concilii Lugdunensis II de Papæ auctoritate producitur : [illegible] favere adversariis.

Paulò diutius immorandum in eo loco quo Græci romani P[illegible] primatum confitentur : quo loco adversarii nostram sententi[illegible] futari vehementissimè asserunt. Quare locum integrum p[illegible] mus.

De hoc ergo primatu hæc imperator, hæc episcopi græci pr[illegible]

[1] *Epist. Greg. X, ante Conc. Lugd.* tt. t. XI. *Conc.*, col. 949.— [2] *Ep. Mich. imp.*, [illegible] et seq.— [3] *Ibid.*, col. 967.— [4] *Ibid., const. I*, col. 975.

...nuntios * profitentur [1] : « Ipsa quoque sancta romana Ecclesia ...um et plenum primatum et principatum super universam Eccle... catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro ...lorum principe, sive vertice, cujus romanus Pontifex est suc..., cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter ...scit, et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ...de fide, si quæ subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio ...i. » Addunt de appellationibus in quibuscumque causis atque ...is. Subdunt : « Ad hanc autem (romanam scilicet Ecclesiam) ...testatis plenitudo consistit, quòd Ecclesias cæteras ad sollicitu... partem admittit : quarum multas, et patriarchales præcipuè ...is privilegiis honoravit; suâ tamen observatâ prærogativâ, tum ...eralibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salvâ. » His ...i græci, datâ speciali epistolâ, consentiunt [2].

...fusè retulimus, quibus adversarii maximè gloriantur : quàm ...itò vidimus, cùm de Florentino concilio ageremus [3], in quo ..., quod ad rerum summam attinet, repetuntur.

...è docebimus à nostris in summo Pontifice agnosci plenitudi... ...testatis, neque id prohibere quominus ea potestas ab univer... ...cilio dirigatur, et secundùm canones exerceatur [4]; quod etiam ...cilio Florentino sæpè probavimus [5].

...m vero aptoque sensu romanus Pontifex super universam ...am primatum ac principatum obtineat ex concilii Constan... ...certo atque à Martino V expressè approbato dogmate, et ex ...ii Florentini doctrinâ, et ex adversariorum consensu osten... [6].

...d autem ad pontificiam infallibilitatem trahant illud : *Subortæ ...ones suo debent judicio definiri*; nec id quidem advertunt, ...antecesserit, nempe id ; « sicut PRÆ CÆTERIS tenetur fidei ve... ...m defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, ...debent judicio definiri. » Ergo ut non solus, sed *præ cæteris* ...ur defendere fidei veritates, sic profectò non solus, sed *præ* ...*ris* quæstiones definire debet : sic scilicet, ut præcipua illius auc... ...se sit, ut habitâ synodo ipse præeat, communemque senten..., suo quoque nomine edat, pronuntiet, exequatur : quod clerus ...mus cum omnibus catholicis confitetur.

...d fortè vim facient in illo verbo, *definire*, quod est in concilio

...erant græcus imperator et græci episcopi, qui seorsim suas litteras *juramento confir...*; simul pollicerentur se earum *observantiam servaturos*. Vid. Sacr. Imper. col. 967, ...Episc. 971. (*Edit. Paris.*)

...Sup., *Ibid.*, col. 966. — 2 *Epist. Episc. Græc.*, *ibid.*, col. 968 et seq. — 3 *Sup.*, l. VI. ...*Vid. Bacr. Hulan. Conc. Flor.*, tom. XIII *Conc.*, col. 540 et seq. — 4 *Vid. inf.*, lib. X. — ...lib. VI. — 6 *Sup.*, lib. V et VI passim.

Lugdunensi positum : cùm profectò definire nihil aliud sit, qu definitivam, ut aiunt, ferre sententiam : quod non modò supr atque ultimo judici, sed etiam aliis competit, superioris auctori salvâ. Certè definire ac determinare pro eodem habentur. Quis theologus non audiit determinationes sacræ Facultatis, aut qu propterea infallibiles cogitavit ? Definit, determinat, qui totâ auc liscumque est auctoritate judicat : quantum ea definitio ac minatio valeat, non ex iis præcisè verbis, sed ex aliis rebus, sæpè memoravimus repetendum.

Quem ergo his concilii Lugdunensis verbis sensum affing Pontifex *solus* ut *infallibili judicio* definiat ; primùm id de suo dunt : tum ab ipso Gregorio, ab ipso Lugdunensi concilio, ip Græcorum sententiâ refelluntur.

Et Gregorius quidem non id sibi trjbuit, ut solus definiat quæstiones, qui ad eas definiendas concilium generale congre fidemque non nisi *sacro approbante concilio* exposuit ; statimque fessus est in ipsâ convocatione concilii, quæ essent decern etiam circa fidem et schisma Græcorum, ejusmodi fore, ut *batione concilii roborentur*. Cur verò tantus in ciendis tot Patribus labor, si unius Pontificis auctoritate hæc robur obt Id ergo voluit à se quidem, *præ cæteris*, sed etiam *approbante co* quæstiones definiri.

Tum nec Græci tulissent, ut pro certo fidei articulo fig Papam vel solum esse infallibilem, quod hactenus nullo in Sy nullâ in definitione fidei scriptum haberetur.

Et quidem mens Græcorum fuit, ut ea omnia Papæ tribu quæ ante schisma tribuissent. Disertè enim scriptum legimus stolâ episcoporum ad Gregorium X : « Nihil denegamus eorum ante schisma præstabant Patres nostri [1]. » Neque quidquam Latini, aut ipse Pontifex postulabat ; neque profectò prom sed disturbarent concordiam, si Græcis concordiæ maximè tantibus, eum articulum proponerent, qui et ante schisma fuisset, et gravissimus omnium videretur.

Habemus apud Georgium Pachymerem graves, sub Michae leologo, patriarchæ et antistitum Græcorum contentiones conditionibus : habemus sub Andronico graviores pacis jam minationes patriarchæ. Qui paci obsisterent, sub Michaele depo

[1] *Ep. Episc. Græc. Conc. Lugd.* II. tom. XI. col. 971.

[a] Sub Michaele depositus est patriarcha Constantinopolitanus Josephus, *qui pap* Michael pacem fieri peroptabat, non tam fidei studio, quàm armorum metu Carol sis. Græci autem ægrè consenserant suo imperatori, qui consilia sua perficere non p multorum exilio, carceribus et tormentis. Eo mortuo, filius ejus Andronicus, qui pa sequeretur, pacem suo chirographo firmaverat, hanc statim fregit, et ejus exemplo

depositus sub Andronico patriarcha Joannes Vecchus, qui pacem approbasset : sub Michaele non ferebant Papæ nomen inter sacra recitandum : gravissimi flagitii loco objectabant fuisse recitatum, quòd hæresis auctor Papa videretur. Quantò graviùs vociferarentur in pacis conciliatores, et Michaelis asseclas, si, quod inauditum erat, Papam infallibilem prædicassent? Non id autem queruntur, non id in Palæologo, non id in Andronico Pachymeres harum rerum scriptor diligentissimus attigit; non id habent tam multa per eam ætatem pro pace et contra pacem divulgata scripta, ab eodem Pachymere aliisque recitata : non ergo id quisquam in animum induxerat.

CAPUT XXXVII.

Idem ex Græcorum in Basileensi et Florentinâ synodis doctrinâ, Eugeniique papæ ac Latinorum consensu ostenditur.

Libet hic reminisci ea, quæ de Græcorum sententiâ ex actis Basileensibus et Florentinis ostendimus [1] : « Non posse unionem fieri, nisi in synodo universali, in quâ Occidentalis Orientalisque Ecclesia conveniant, Ecclesiam in unum congregatam de rebus dubiis judicare, communi consensu sententiam ferre, communiter hæc agi, et quæ communia sunt communi consensu terminari oportere, plurimorum sententiam prævalere, sanctam Ecclesiam in sacris dogmatibus nullo modo posse errare communi quidem ac synodicâ consideratione utentem. »

Hæc Græci profitentur, quæ usque adeo ipsi Eugenio IV probata erant; ut hæc ad Græcos loqueretur : « Proferatur liberè veritas per sacramentum, et quod pluribus videbitur, hoc amplectamur et nos et vos [2]. » Quæ neque Græci, neque Eugenius dicerent, si Papam vel solum infallibili judicio quæstiones definiri, jam inde à Lugdunensis concilii tempore constitisset.

Quid hic adversarii respondebunt? An Græcos fidem Lugduni professos, tribuisse Papæ, vel soli, infallibile judicium : Florentiæ congregatos ab eâ sententiâ recessisse : aut ab eis plura Lugduni quàm Florentiæ fuisse postulata? Quò quid absurdius?

Quid quòd Constantiensia decreta, quæ tuemur, in concilio Florentino confirmata fuisse ostendimus [3]? Revolvantur ea quæ de decretali *Moyses*, in eo concilio comprobata, deque decreto unionis

Græci sua quoque chirographa vi extorta rescideruut, ac Joannem Vecchum patriarcham, qui pacem eò studiosiùs provexerat, quòd causam habebat magis cognitam et exploratam, de suâ sede dejecerunt. Adi Pachimeri Historiam. Vid. etiam Fleury, tom. xviii, et in eo multâ præclara ex Pachymeri Historiâ excerpta. (*Edit. Paris.*)

[1] *Sup.*, lib. vi. cap. v et seq.; *Conc. Bas.*, *Sess.* xxiv. n. 2. t. xii. col. 567 et seq.; *Conc. Flor.*, *Sess.* xxv. t. xiii. col. 382 et seq.; *Aug. Patr. Hist. ibid.*, cap. liv et seq. col. 1542 et seq. — [2] *Sup.*, lib. vi. c. 11; *Conc. Flor.*, *Sess.* xxv. col. 387. — [3] *Sup.*, *ibid.*, cap. 9 et 10.

ibidem condito, suo loco dicta sunt : et quandoquidem Florentinæ concilii mentio semel incidit, attexamus ea quæ ad illud spectant. Etsi enim nondum huc nos temporum series, rerum tamen ratio nexusque deducit. In eâ ergo synodo Georgius Scholarius vir doctissimus, atque unus Græcorum omnium ad pacem propensissimus, ad eam ita assectandam, suos adhortatur [1] : « Si effeceritis ut verò œcumenica synodus habeatur, ex quo etiam fiet, ut firma sint quæ à vobis fuerint decreta, nemo quidquam de rebus definitis in dubium vocans, fieri unquam auctor schismatis voluerit, et Ecclesiam aciens id animadversuram, et pœnas ab œcumenicâ synodo constitutas reformidans, toto terrarum orbe idem sentiente. » Et aliâ oratione ad eosdem habitâ, dum adhuc de pace ageretur ait, peractâ œcumenicâ synodo, fore omnino ut qui sapiant hæc dicant dissidentibus [2] : « Omnis christianorum Ecclesia de rebus antea controversis consentit, et præter vos, hujus œcumenicæ synodi decreta omnes honorant, existimantes impossibile illam errasse : » ac paulò post : « Universam verò simul errare Ecclesiam et veritatis lumine defici impossibile est. » En in quo rerum robur et invictam firmitudinem collocarent ; in Ecclesiâ nempe catholicâ, et ejus concilio œcumenico ; non profectò in solo romano Pontifice : quos talia sentientes Eugenius IV et Latini suscipiunt.

At enim objiciunt duos viros præstantissimos in eâdem synodo disserentes, Rhodium archiepiscopum *, et Julianum cardinalem. Et Rhodius quidem pro additamento, *Filioque*, certans ait [3] : « Latinorum Patres id multâ cum reverentiâ suscepisse, quod explanavit romana Ecclesia.... Sedem Petri solam esse in quâ potestas sit explicandi fidem :.... ab hâc ipsâ Ecclesiâ cujus est explicare omnes fidei veritates, susceptam esse hanc (de Spiritûs sancti processione) veritatem. » Quæ omnia eò pertinent, ut Sedi apostolicæ id incumbat officii, neque sine ejus auctoritate fidei veritates definiri possint. Quod tamen officium, si sola præstare posset, seclusâ Ecclesiæ catholicæ consensione et auctoritate, non erat cur Eugenius Florentinam synodum convocaret, in eâque testaretur valituram eam fidem, ipso etiam præsente, quæ frequentis synodi sententiâ ac testimonio vinceret.

Quod autem etiam Julianum cardinalem objiciunt, hinc factum, quòd Binianæ editionis interpretationem secuti pessimam **, græca

[1] *Georgii Scholar. Orat.* I : *in app. Conc. Flor.*, tom. XIII. col. 575. — [2] *Ibid.*, *Orat.* II. col. 614, 615.

* Andream.

[3] *Conc. Florent.*, *Sess.* VII. *Ibid.*, col. 128, 129.

** Hunc locum, quantâ potui diligentiâ contuli in utraque editione, neque epicam unam immutatam vidi. Sed cum mea Biniana editio sit an. 1606, cùm Romanæ aliâ anum Injuse.

ne consulueriat. At si sequamur eam, quam in editione romanâ, ex
ratis expressam habemus interpretationem, quid erit quod objiciant?
ampe hæc Juliani verba sunt: « Subortâ fidei quæstione, romanum
ontificem debere ac teneri eam declarare. » Quis enim hoc nesciat?
Si error emerserit, Papæ necessitatem incumbere docendi populos
atholicam veritatem. » Quis non amplectatur? « Illo docente, omnes
astores et Ecclesiam universam debere hujusmodi veritatem sequi: »
eritatem certè, quam in ejus definitionibus recognoscant, ut in
onis Magni epistolâ factum vidimus. Quo quid est certius? Summa
ipse doctrinæ, quam Julianus tradidit, hæc est: officium esse romani
ontificis docere veritatem; conciliorum officium, eo maximè præ-
ente, veritatem sequi, eumque in Ecclesiâ consuetum esse ordinem
secundæ veritatis; quod et Parisienses ubique, et Ecclesia gallicana
aximè prædicant.

Nihil agit, inquies, si id tantùm velit. Imò verò id agit, ut constet
atinos nihil novi molitos, qui romanum Pontificem ritè officio
unctum, ac de Spiritus sancti processione vera et antiquitus tradita
edicantem, pro ecclesiastico more, auctorem secuti sint. Quid si
Ilio non fungatur, nec veritatem doceat? Etiamne aberrantem
qui tenerentur? Id fieri nequit, inquies? Jam id tu quidem dicis,
on ipse Julianus.

At enim Julianus, inquis, sancti Agathonis verba refert asserentis,
nec synodos (romanorum Pontificum) *doctrinam secutas* [1]. Indis-
tanamne, an examinatam, et factâ demum discussione firmatam?
xaminatam certè, ut vidimus; atque hinc in ipsâ sextâ synodo,
ceptum Agathonem, damnatum Honorium [2]. Quæ si ab Juliano
nlempta aut ignorata fingis, id sanè efficis, ut ne audiendus quidem
ne videatur.

Meminerimus sanè Julianum cardinalem esse eum, quo præside,
nstantiensis canones, Basileæ toties innoventur; qui eorum auc-
ritate Eugenium perpulerit ad revocandam Basileensis synodi dis-
olutionem; qui proinde crederet ac vehementissimè asseveret, Papam
iam in fidei cautis subesse concilio: non ergo per se infallibilem.
Atque à posterioribus qui dem Basileensibus gestis post translationem,
b anterioribus verò, ipso auctore, gestis recessisse unanimem, non
ne, non alius alius testis memoravit.

Atque ut jam omittamus doctissimum quidem, sed tamen unum
ominem Julianum; non aliter sensit Græcorum ac Latinorum Pa-

[illegible] cardinalem Julianum aliqua verba ab Arisso, ut ea corrigeret et ex-
[illegible] quæ non satis diligenter à Rhodio archiepiscopo dicta fuisse nos vidimus. (*Edit. Ven.*)

[1] *Vid. ibid. et epist. Agath. in Conc.* VI. act. IV. tom. VI. col. 636. — [2] *Vid. sup.* cap. XXI et [illegible]; *Diss. præv.*, n. LIV et seq.

trum multitudo, à quibus quippe vidimus, definiendæ catholicæ veritatis auctoritatem et vim, in communi deliberatione et consensione collocatam.

Et Marcus quidem Ephesius, aliique in synodo Florentinâ incunabula initæque pacis inimici, de Papâ quidem multa, illud verò nunquam objecerunt; quòd eum infallibilem conciliisque omnibus superiorem fecissent; aut in ipso solo vim omnem reponerent; adeo hæc non cogitabat.

Ergo fixum illud, Græcorum Latinorumque, simulque Lugdunensis atque Florentini concilii collatis sententiis, à Papâ veritatem defeni et quæstiones definiri oportere, *præ cæteris* quidem, ut est in Lugdunensi concilio positum; ita ut ipse præeat, etiam in conciliis œcumenicis: cæterùm stare omnia invicto robore, si Patrum condecernentium et conjudicantium consensus accesserit. Quò et gallicana Ecclesia et omnis nostra disputatio collimavit.

CAPUT XXXVIII.

Viennense concilium sub Clemente V: ejus ævi scriptor nobilis Guillelmus Mimatensis episcopus, speculator dictus, à Papâ jussus de habendo concilio scripsit quid senserit.

Anno 1311, à Clemente V Viennense generale concilium celebratum est; anno verò 1307, in tanti operis apparatu Guillelmus Durandus episcopus Mimatensis, juris pontificii interpres nobilis, ab eodem Pontifice jussus, tractatum edidit, alio loco memoratum [1], de celebrando concilio, cujus hæc summa est [2]: « In concilio œcumenico tractandum imprimis, de reformandâ et corrigendâ Ecclesiâ; tam capite quàm in membris: quòd episcopi potestatem et honorem receperunt à Deo, à quo episcopi, loco apostolorum, constituti sunt in singulis civitatibus: quòd regenda sit Ecclesia secundùm generalem ordinationem universalis Ecclesiæ à Deo procedentem et ab ejus apostolis, sanctis Patribus, generalibus et specialibus conciliis et romanis Pontificibus approbatam: ut Ecclesia romana nulla jura generalia deinceps conderet, nisi vocato concilio generali, quod de decennio in decennium vocaretur; cùm illud quod omnes tangit ab omnibus approbari debeat: itaque vocandum esse concilium, quandocumque aliquid ordinandum esset de tangentibus communem statum Ecclesiæ, vel jus novum condendum; sic fore ut Ec-

* Labitur hic levi errore Bossuet. Non enim *Speculator*, qui anno 1296 è vivis excessit, hunc tractatum scripsit, sed fratris ejus filius alter Guillelmus Durandus, vir quoque plurimæ doctrinæ, qui proximè post *Speculatorem* in Mimatensi cathedrâ sedit. Cæterùm in eo errore multi versati sunt, et ille etiam qui anno 1671 hunc tractatum edidit, in vitâ *Speculatoris* operi præfixâ. Vid. Gall. Christ. de Episc. Mimat. (*Edit. Paris.*)

[1] *Vid. Diss. præv.*, n. L. — [2] *Durand., Tract. de celeb. Conc. passim.*

clesia romana floreat vigeatque : si omnia sibi vindicet, omnia perdituram. » Quæ fusiùs alibi recensita, nunc in pauca concludimus, ut fixum maneat in iis quæ universam Ecclesiam spectant, quorum numero prima est fides, summam auctoritatem ipsâ consensione constare, neque aliter per ea tempora fuisse creditum.

Ex his patet sensus Clementinæ unicæ, in concilio Viennensi editæ, *de summâ Trinitate ac fide catholicâ*, quæ incipit, *Fidei catholicæ :* ubi Pontifex de Christi latere post mortem percusso quæstionem tractans, sit docet [1] : « Nos igitur ad tam præclarum testimonium *, ac sanctorum Patrum et doctorum communem sententiam, apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet), aciem convertentes, sacro approbante concilio, declaramus, etc. »

Hanc igitur auctoritatem nobis objiciunt, cùm clarum sit, per illud *duntaxat*, intelligi, hæc sine Sede apostolicâ tractari non posse : alioquin excluderetur etiam concilium, quo approbante ista definiuntur atque roborantur. Nec valerent ea quæ semper, atque illo præsertim tempore valebant, ut quæ universalem Ecclesiam tangerent ab universali Ecclesiâ communi consensu decernerentur; quibus vel maximè contineri fidem consentiunt omnes. Nam et in hujus concilii, ut etiam in Lugdunensis convocatione, scriptum erat circa ea quæ « tangerent statum fidei catholicæ, faciendam provisionem, quæ approbatione concilii roboretur [2]. » Horum ergo declaratio etiam ad concilium pertinet, cujus est eam roborare et approbare; adeoque in omnibus sacri concilii auctoritas, cum auctoritate pontificiâ conjungitur, atque in eâdem convocatione, à Clemente V decernitur : « Omnia quæ correctionis et reformationis limam exposcunt, ad ipsius concilii notitiam deferenda, UT IN EXAMEN DEDUCTA, concilii correctionem et directionem recipiant opportunam [3]. » Et alio diplomate prorogat concilium, quia quæ in eo tractanda sint, non sunt præparata satis, *quòd in examen concilii valeant introduci* [4]. Certum igitur etiam ea, quæ ad fidem pertinent, eoque nomine Sedis apostolicæ considerationem poscerent, romano Pontifice auctore, vel concilii quoque non tantùm in considerationem, verùm etiam in examen deduci oportere.

[1] *Lib.* I. *Clem.*, tit. I. cap. unic.

* Scilicet Joannis XIX, 34, 35.

[2] *Bull. convoc. Conc. Vien. per Clem. V. Regnans in cœlis*, tom. XI. col. 1543. — [3] *Ibid.*, col. 1544. — [4] *Ibid.*, *ep. arch. Nicos. Alma mater*, col. 1550.

CAPUT XXXIX.

Lateranensis synodus sub Julio II e ex eâ conciliorum necessitas et auctoritas.

Sequuntur concilia quatuor, Pisanum, Constantiense, Basileense, Florentinum; in quibus eam quam tuemur sententiam, non modò ex antiquâ traditione susceptam, sed etiam expressè judicatum fuisse satis ostendimus [1], ut jam ne verbum quidem hîc addere libeat.

De concilio Lateranensi sub Julio II et Leone X multa jam diximus [2], quibus hoc etiam addi placet.

Primùm quidem ad reformandam ecclesiasticam disciplinam, adeò visam esse necessariam concilii generalis auctoritatem, ut cardinales * Julium II ad illud, post biennium à creatione suâ, celebrandum, juramento adigerent.

Et ille quidem quominus id faceret, legitimo impedimento tenebat se causabatur [3]. At Maximilianus imperator, et Ludovicus XII Francorum rex, qui cum eo bellum gererent, quosdam cardinales instigarunt, qui quidem fœdis ludificationibus irrideri christianum orbem questi, concilium indixerunt; Pisis inchoarunt; paucissimis cum episcopis pulsi, fatigatique omnibus locis, ac Maximiliano ad pontificias partes transeunte, laceram ac miserabilem synodum Lugdunum transtulerunt; atque improspero eventu agitarunt; quo tempore Julius II concilium Lateranense convocavit, « ad Ecclesiæ exaltationem, unitatem et reformationem, schismatum verò et hæresum totalem extirpationem [4] : » invitavitque omnes ut *ad tam laudabile ac necessarium opus* accederent. Itaque concilio convocato viri totâ Italiâ celeberrimi coram ipso Julio orationes habuere, quibus conciliorum generalium utilitatem ac necessitatem mirificè commendarent.

Ægidius Viterbiensis Augustiniani ordinis generalis, in ipsis concilii initiis dicturum se profitetur « de synodo, et quàm Ecclesiæ commoda semper sit, et quàm nostris temporibus necessaria [5] : » tum mirâ eloquentiâ prædicat : SANCTI SPIRITUS LUCEM synodis omissis EXTINGUI, habitis ACCENDI ET RECUPERARI. » MOX : « absque fide Deo placere non possumus, atqui SINE SYNODIS stare non potest fides; absque synodis igitur salvi esse non possumus. » Falsum et

[1] *Sup.*, lib. v et vi.— [2] *Sup.*, lib. vi. c. 18.

* Cardinales in eo conclavi in quo electus fuit Julius II, adhibito juramento, promiserant, eum qui crearetur Pontifex, post biennium concilium generale celebraturum; atque ea causa hinc cur cardinales, qui tum Pisis concilium indixerant, imperator et rex Galliæ, Julium de violatâ religione juramenti accusarent. (*Edit. Paris.*)

[3] *Bull. Jul. II, convoc. Conc. Later., Sess.* I. tom. XIV. col. 33. — [4] *Ibid.*, col. 38. — [5] *Ibid.*, col. 20, 21.

nimium, si, absque synodis et consensione Ecclesiæ, fides valeat. Addit exempla, cum tribus maximis coortis hæresibus *, quæ *tres rerum credendarum radices* evellere conarentur; *nulla*, inquit, *effugiendi, nulla evadendi inventa est via, nisi Nicæna synodus*. Deinde: « Jam de fide dixi, quæ utique nulla esset, si synodi institutio non fuisset [1]. » Tum illud : « Per synodos, inquit, redit ad mortales Deus. Nam si dixerat, ubi duo vel tres meo nomine convenerint, ad eos venio, interque eos sum : quantò huc lubentiùs se conferet, quò non duo tantùm vel tres, sed tot Ecclesiæ capita proficiscuntur [2] ! » Denique moribus in deterrima quæque prolapsis, tot infaustos eventus, ipsamque Ravennatem cladem voces esse, « monentis Dei, ac præcipientis, ut, inquit, ad Pontificem sermone converso, synodum habeas, ut Ecclesiam emendes, etc., ut denique post tot mala, tot incommoda, totque calamitates, principem Christum audias, Petro posterisque synodum ostendentem, ut UNICAM omnium malorum medicinam, singularem periclitantis naviculæ portum, solam reipublicæ confirmandæ rationem.

Cæteri qui in eâdem synodo perorarunt, dispari eloquentiâ, eodem ferè sensu, concilia necessaria demonstrarunt. Alexius episcopus Melphitanus : « De rebus ponderosis et dubiis summum caput (romanus scilicet Pontifex) ut communis omnium magister et doctor consulebatur : quo fiebat, ut si quando hæresis, vel alia res gravis et perniciosi exempli alicubi oriretur, præsertim quæ religionem et publicè leges offenderet, ad illam è vestigio reprimendam Patres undique, præcipuè tamen probatissimi, eruditissimi, ac integerrimi quique accersebantur, et ad locum tempusque aptum à capite delectum, et ab ipsis approbatum conveniebant [3] : » adeo etiam in loco designando Patrum approbationem requirebat. In quo autem vis esset exponit his verbis : « Omnia simul prospicientes, et singula sedulò scrutantes et ponderantes, ut quæ ad omnes pertinerent, ab omnibus reciperentur vel eliminarentur. » Hâc igitur ratione, hâc consentientis Ecclesiæ auctoritate extinctas hæreses, canones conditos, « quibus non minor fides et auctoritas, quàm ipsis Evangeliis attributa est; et quorum si quæ à nobis ratio curave haberetur, ad has sordes fœditatemque morum, ad quas per eorum contemptum, et conciliorum intermissionem devenimus, non utique deventum fuisset. »

Unus Cajetanus ita peroravit ut nihil de conciliorum necessitate diceret [4]; quippe qui unus, ut videtur, in unâ romani Pontificis potestate, et fidem et mores et omnia collocaret.

* Arii, Sabellii, Photini.

[1] *Conc. Later., Sess.* I. tom. XIV. col. 22, 23, 24. — [2] *Ibid.*, 26. — [3] *Ibid., Sess.* III. col. 87. — [4] *Vid. orat. Caj., ibid., Sess.* II. col. 68 et seq.

CAPUT XL.

Post Lutheranam pestem, concilii generalis habendi necessitas ab omnibus adeoque à romanis Pontificibus agnoscitur : eâ re concilium Tridentinum convocatur.

Cæterùm, postquam Lateranensis synodus reformationem tam diu expetitam vix attigit, exorta est illa per Lutheranam pestem misera necessitas, quæ ab invitis quoque synodum extorqueret.

Inclamabant omnes ubique nationes, ad tot errores exscindendos atque ad reformandos, errorum omnium fontem, mores pessimos, concilii opem esse necessariam.

Quid Gallia, quid Germania egerint, quàmque professæ sint unâ concilii generalis remedio tot Ecclesiæ vulnera curari posse, nemo latet. Sed quoniam eamdem in rem concors cum cæteris Hungarici regni sententia haud æquè omnibus nota est, placet referre acta Posonii 1548, art. XIII[1] : « Supplicant ordines et status regiæ majestati, domino eorum clementissimo ; ut tam suâ, quàm sacræ majestatis Cæsareæ auctoritate agat, apud sanctissimum Dominum nostrum, quo Sanctitas sua generale concilium, pro complanandis omnibus differentiis, variisque opinionibus de religione, sine diuturniori morâ celebrare dignetur. Quòd si Sanctitas sua id differre, majestas Cæsarea dignetur modum adhibere, ne celebratio concilii diutius protrahatur. » Perstant in eâdem sententiâ anno 1550, quæ hæc ordinant[2] : « Si quid deliberatione egere, aut in disputationem vocari posse ipsis, vel eorum alicui fortè videretur, relinquant totum generali concilio dirimendum. »

Viderint jam Hungari, viderit orbis universus, postremus Strigoniensis archiepiscopus * quantum ab antecessorum suorum sententiâ deflexerit, qui nova hæc cuderit : « Ad solam Sedem apostolicam, divino immutabili privilegio, spectat de controversiis fidei judicare[3]. »

Neque tantùm omnes Ecclesiæ, concilii generalis adversùs errores invalescentes remedium, tanquam necessarium votis omnibus flagitabant ; sed ipsi etiam romani Pontifices fatebantur : undè Clemens VII ad Franciscum I hæc scribit[4] : « Superiore biennio, sicut tua Majestas recordari potest, cùm serenissimum Cæsarem, quamquam pro suâ inclytâ pietate omnia conatum, in conventu Augustano nihil remedii ad hæresim Lutheranam in Germaniâ tollendam, pro illorum obstinatione, afferre potuisse audiremus, solumque concilium generalis remedium à nostris prædecessoribus, in casu simili usita-

[1] *Decret. Ferd. Reg. mox Imper., edit. Poson.*, an. 1548, art. XIII.— [2] *Decr. ed. Poson.*, an. 1550, art. XVI.

* Georgius Zelepechimi.

[3] *Cens. Archiepisc. Strig. Vid. Vindic. major. Schol. Paris.* — [4] *Mém. pour le Conc. de Trente*, 1533, p. 3.

, et ab ipsis lutheranis postulatum superesse videretur : habitâ hoc cum veneralibus fratribus nostris, sacræ romanæ Ecclesiæ alibus, maturâ deliberatione, ad ipsius concili generalis indic-, in Italiâ et loco ad hoc commodiore celebrandi devenire entes, id tuæ Majestati, sicut Cæsari, et cæteris principibus candum esse duximus, eamque nostris litteris fuimus hortati, sancto et necessario operi favere velles. » Adeò post Lutherum à Leone X antecessore damnatum, synodus necessaria vide-, ut majore luce ac certiore auctoritate firmaretur fides. Con- Paulus III, in ipsâ convocatione Tridentini concilii, anno 1544, catûs XI, ubi hæ tres concilii habendi causæ memorantur : « ad tollenda in religione dissidia, ad reformandos mores, ad iendam contra infideles expeditionem. Quorum, inquit [1], trium m causa, concilium maximè esse necessarium semper duxi- » His deventum est ad sanctam Tridentinam synodum, quâ on putamus unquam futurum fuisse, ut doctrinæ catholicæ tanti articuli copiosâ expositione explicari, intricatissimæ ones, tantisque hæreticorum fraudibus involutæ, dissolvi et i; vera certaque Patrum fides atque traditio tot inter scho- rum inter se dissidentium sententias internosci, totque ana- ismis fœdorum errorum vulnera ad vivum persecari; occul- e virus tantâ rerum luce, tanto delectu verborum, tantâ itate, tamque temperato firmoque decreto, retegi ac pro- i posset. Hæc perpendant, qui concilia nec necessaria asserunt, nque Ecclesiæ vim in decretis pontificiis collocant.

LIBER OCTAVUS.

ITUR OBJECTIONES QUÆDAM, AC PRÆSERTIM ILLA QUÆ EX CONCILIORUM CONFIR- ATIONE PETITUR : AD IDEM CAPUT QUARTUM GALLICANÆ DECLARATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

lio de confirmatis à romano Pontifice synodis generalibus proponitur : hujus dissolvendæ ratio atque ordo explicatur.

m verò evolutis omnium conciliorum generalium gestis, certâ- ex his traditione constitutâ, quæ inde repetuntur objecta sol- la sunt : atque illud imprimis de confirmatione generalium dorum, primis etiam illis sæculis usitatâ.

quidem adversarii illud longè validissimum, pro romani Pon-

[1] *Dict. Conc. Trident. per Paul. III*, tom. XIV. col. 725 et seq.; *Vid. etiam Onuph. vit. III; et Hist. Conc. Trid. Fra Paolo et Pallav.*, an. 1544.

tificis potiore potestate esse constituunt, quòd non tantùm p
riores synodi, sed etiam primæ illæ, quas memoravimus, c
mationem à Papâ et peterent, et acciperent, tantâ quidem
ritate apostolicæ Sedis, ut eæ tantùm synodi universales
habeantur, quas illa comprobarit atque confirmarit. Hinc
nensem synodum; hinc Ephesinam secundum sub Dioscoro,
repudiatas, quòd eas Sedes apostolica irritas pronuntiasset.
tantùm repudiatas illegitimas synodos, sed etiam legitimas
auctoritatis habuisse, quantum Sedes apostolica judicarit.
factum sit ut Chalcedonenses canones, maximè ille XXVIII,
stantinopolitani præsulis augendâ dignitate, unanimi Patru
sensu factus, solâ Sedis apostolicæ et Leonis papæ repu
atque sententiâ irritus habeatur. Ex quibus constare volui
num Pontificem vel maximè infallibilem esse, cùm ejus auc
generalium conciliorum decreta, etiam de fide, constent; et
bus synodis etiam generalibus superiorem esse, qui et de
dicet, et ipsis tribuat firmitatem. Nec mirum, cùm omnis
porum, adeoque etiam conciliorum auctoritas à Petro
successoribus, tanquàm à fonte profluat: quo fit ut episcop
tumvis adunati, non modò adversùs auctoritatis suæ rad
fontem nihil possint; verùm etiam ut tantum habeant
quantum ab ipsâ radice mutuentur. Atque id demonstratum
multis sancti Leonis, multis sancti Gelasii, aliorumque sa
Pontificum decretis atque sententiis, summâ omnium Eccl
veneratione susceptis.

Hæc ut ordine dissolvamus, primum omnium exponim
ecclesiastico stylo, ipsam confirmandi vocem; tum verò refer
peractis conciliis, quid gestum sit, circa confirmationem concil
decretorum. Quæ cùm perfecerimus, omnium consensu facil
cemus, ut ea confirmatio nihil omnino ad pontificiam infa
tatem aut superioritatem pertineat; eoque responso, illud ab
episcopalis auctoritatis origine petitum argumentum ultro
ruat.

CAPUT II.

Quid sit CONFIRMARI, ecclesiastico stylo, et quid auctoritatis invehat: con
decreta non modò ab æqualibus, sed etiam ab inferioribus passim: tum sp
explicatum non modò à romanis Pontificibus conciliaria decreta, sed et à co
etiam particularibus romanorum Pontificum decreta CONFIRMARI.

Miror autem imprimis in confirmandi voce tantam reponi
cùm à romanis Pontificibus, non modò conciliorum, sed e
antecessorum decreta passim confirmentur. Quâ confirmatione

manorum Pontificum summæ auctoritati detractum esse quidquam, nec ipsi adversarii dicent.

Quid quòd passim legimus ea decreta, quæ omnium consensu valeant, confirmari tamen; idque interdum etiam ab inferioribus. Sic enim apud Socratem; sic in actis Chalcedonensibus; sic in aliis innumerabilibus ecclesiasticis monumentis legimus à Siciliensi et *Tarsensi* *, à Sardicensi, ab Hierosolymitanâ, à Constantinopolitanâ, ab Ephesinâ, ab ipsâ Chalcedonensi synodis, Nicænam fidem, Nicæna decreta confirmata fuisse [1]; hoc est, procul dubio, inculcata, asserta, defensa, pro firmis, suâque auctoritate constantibus habita, atque adversùs hæreticos magis magisque vindicata; non tanquam à superiore dijudicata et expensa, quò firmitudinem obtinerent; ut profectò nihil sit vanius, quàm confirmationis vocem ad argumentum superioris potestatis trahere voluisse.

Hæc quidem sufficerent, nisi nobis constitutum esset operæ non parcere, ut tanta res in manifestissimam lucem veniat. Placet ergo referre non modò synodorum decreta per Sedem apostolicam, sed etiam Sedis apostolicæ decreta confirmata per synodos. Cujus rei exempla vel nunc nova proferimus, vel suprà jam aliis de causis annotata paucis recolimus.

Medio ferè quarto sæculo **, Meletius Antiochenus, aliique CXLVI Orientales episcopi, factâ Antiochiæ synodo, in fidem à sancto Damaso papâ eique conjunctâ romanâ synodo *** expositam, consenserunt : eam consensionem ex vetere romanæ Ecclesiæ archivo authentico Lucas Holstenius depromit, atque hæc adscripta refert : *Omnes ita consentientes eidem superexpositæ fidei*, à sancto Damaso et synodo romanâ missæ, *singuli suâ subscriptione confirmant* [2].

In conciliorum Africanorum collectione, sub Cœlestino factâ, refertur illud, anno Christi 401, decretum ab Africanis [3] : « Recitatæ sunt litteræ Innocentii papæ, ut episcopi ad transmarina pergere facilè non debeant, quod hoc ipsum episcoporum sententiis confirmatur; » id est, recipitur, ipsâ consensione roboratur. »

* Nisi nobis statutum esset textum Bossuet, ne immutato quidem apice integrum proferre, hoc vocabulum, *Tarsensi*, deleremus. Nam nusquam reperimus in tomis conciliorum neque in historicis, fuisse Tarsi ullam synodum. Socrates quidem dicit, synodum ibi convocatam fuisse, celebratam verò nullibi dicit : quinimo quid causæ fuerit ne celebraretur, narrat his verbis : « Legatos miserunt, hortantes ut Tarsum convenirent;.... atque id perfectum fuisset, nisi Eudoxius arianæ religionis episcopus, qui tum apud imperatorem plurimum poterat, obstitisset. » Lib. IV, cap. XII. (*Edit. Paris.*)

[1] *Socrat.*, *edit. Vales.*, lib. II. cap 20, 21; lib. IV. c. 12; *Conc. Eph. et Chal.*, et al. pass.; *Vid. ep. Theod. Imp. ad Synod. Eph.* II. in act. I. *Conc. Chalc.*, tom. IV. col. 110; *et in Conc. Chalc. pass.*; *Ep. Egyp. ad Leon. Imp.*, part. III. *Conc. Chalc.*, cap XXII. col. 892; *ep. Episc. Europ.*, *ibid.*, c. XXVII col. 907; *Ep. Mæs.* CXXXII. col. 912; *ep. Phæn.*, c. XXXVII. col. 920, etc.

** Anno 373. — *** IV, habitâ anno 366.

[2] *Collect. Holst.*, I. part. p. 176. — [3] *Conc. Afric. sub Cœl.*, can. LXI. tom. II. *Conc.*, col. 1660; *Vid. Bar.*, tom. V. an. 401.

Actione v Chalcedonensi, postquam lecta est consonans sa
Leonis epistolæ fidei definitio à synodo facta, « episcopi clamaver
Epistolam definitio firmavit : Archiepiscopus Leo, ut credimus
credit [1]. » Undè illud sancti Leonis supra memoratum : « Quæ
priùs ministerio definierat, irretractabili totius fraternitatis firm
assensu [2]. » Et postea : « Quæ fides priùs docuerat, hæc p
examinatio confirmavit. »

Legimus in encyclicarum epistolarum volumine, post Chal
nensem synodum, Theotimi Scythicæ regionis episcopi, ej
synodi, hoc de confirmandâ Chalcedonensi synodo respons
« Ego et Ecclesia Dei sic sapimus, et in consensu nostro sanc
Patrum definitiones fide et devotâ confessione firmamus [3]. »

Sub sancto Hilaro Leonis papæ discipulo et successore, anno
habita est Romana synodus, in quâ præeunte Papâ ac decreta
tantè, « ab universis episcopis et presbyteris acclamatum est
et confirmamus, hæc et docemus [4]. »

In concilio romano tertio, sub Gregorio Magno, eidem p
quenti universi episcopi responderunt : « Libertati monach
congaudemus, et quæ nunc statuit Beatitudo vestra firmamus

Sub eodem Papâ aliud concilium romanum habitum est, qu
decreta scriptum [5] : « Confirmarunt episcopi et presbyteri, »
mero LVIII.

Habemus Martini papæ post monothelitas in concilio Later
condemnatos, epistolam ad Amandum episcopum Trajectens
episcopi gallicani scripta ad se destinent ; « confirmantes, in
atque consentientes eis, quæ pro fide orthodoxâ, et destruc
hæreticorum vesaniæ nuper exortæ, statuta sunt. »

An igitur non tantùm synodi universales, sed etiam particu
eâ auctoritate pollent, ut Sedis apostolicæ synodica decreta co
ment ? Certè : cùm Ecclesiarum etiam particularium assensio pa
illius consensûs universalis, quo summam et invictam firmitat
constare diximus.

Eodem sensu vidimus hispanos episcopos, qui sextam syno

[1] *Conc. Chalc.*, act. v ; *Vid. sup.*, lib. VII. cap. 17. — [2] *Epist. Leon. Magn. ad Thed.* *Leon. epist.* XCIII. al. LXIII ; *Vid. Diss. præv.*, n. LXI.

[*] Ad Leonem imperatorem.

[3] *Epist. Theot. Episc. Scyth. ad Leon. Imp.*, part. III. *Conc. Chalc.*, cap. XXXI. col. 9
[4] *Conc. Rom.*, *sub Hilar.*, tom. IV. *Conc.*, col. 1063, 1064.

[**] Monachos olim regebant episcopi. Sed, ut sæpè fit, quæ optimè à majoribus con
sant, ea malâ consuetudine à nepotibus dissolvuntur. Gregorius enim cùm videret mon
multorum episcoporum exemplo à solitudine et abstinentiâ retractos, ad frequentiora co
et mundanas voluptates reduci, jussit in eo concilio solos abbates monasteriorum eorum
pere, et vetuit ne deinceps episcopi illorum negotiis se immiscerent. (*Edit. Paris.*)

[5] *Conc. Rom.* III. *sub Greg. Mag.*, tom. V. col. 1608. — [6] *Epist. Martin. I ad Amand. Ep*
tom. VI. *Conc.*, col. 385.

fine se actam, atque à se ignoratam, à Leone licèt II probatam, iterato examine *firmant, comprobant, suâ auctoritate suffulciunt* [1]; adeo innatus erat omnibus Christi Ecclesiis is sensus, quo firmari constabat ecclesiastica judicia, addito eo consensu qui desideraretur.

In synodo septimâ, audivimus Tarasium, qui Adriano papæ *concordaret, et vim litterarum ejus confirmaret* [2]: quo etiam ritu cæteri episcopi ac tota synodus à Sede apostolicâ prolatam sententiam comprobavit.

Hæc ad posteriorem ætatem traditio permanavit. In actis Tricassinæ synodi, sub Joanne VIII papâ, actione IV: « Post hæc lecta sunt capitula statuta à domno Joanne summo Pontifice romano, quæ sancta synodus amplectenda recepit et confirmavit [3]. »

Anno 904, in concilio Ravennate præloquente pontifice Joanne IX, ac petente, ut « quæ capitulatim annotata sunt, si omnibus placent, in conspectu omnium legantur, examinentur, et examinata manibus omnium pro futurâ memoriâ roborentur [4]; » eadem deinde capitula, « auctoritate sanctæ Sedis apostolicæ et sanctione sanctæ synodi comprobantur [5]. »

Ipse papa Calixtus II ad synodum Rhemensem hæc ait: « Sicut conventionem pacis, si fiat, nobiscum et per vos confirmare optamus; sic in commentorem fraudis si infidelis evaserit, judicio Spiritûs sancti et vestro, gladium Petri vibrare tentabimus [6]. » Sic gladius Petri, licèt apostolicæ Sedi à Christo traditus, vibratur tamen non solius summi Pontificis, sed etiam totius concilii judicio, quod Spiritûs sancti sit judicium.

Petrus Damiani: « Synodalis decreti pagina, quam cum concilii totius assensu beatus Papa constituit, cui quippe propriæ manus articulum indidit, quam tot episcoporum venerandus celebrisque conventus subscriptione firmavit, etc. [7] » Bertholdus, ad annum 1096, de Urbano II hæc habet: « Suorum statuta conciliorum generalis synodi assensione roboravit [8]. » Generalem synodum vocat Claromontanam ex magnâ episcoporum copiâ congregatam, non vero œcumenicam, qualem Urbanus II nullam habuit.

Alia innumerabilia legenti passim occurrent; nihil ut sit vulgatius, quàm confirmationem pontificiorum etiam decretorum, ipsâ episcoporum et Ecclesiarum consensione constare.

Unum addimus ex Lateranensi postremâ synodo repetitum. Sanè Julius II, postquam adversùs summos Pontifices per simoniam in

[1] *Sup.*, lib. VII. c. 29; *Vid. etiam Conc. Tolet.* XIV. tom. VI. *Conc.*, col. 1279 et seq. — [2] *Sup.*, *ibid.*, c. XXX; *Vid. Conc.* II. *Nicæn.* VII *gener.*, tom. VII. col. 127. — [3] *Conc. Tricass.*, II. ann. 878, act. IV. tom. IX. col. 308. — [4] *Conc. Ravenn.*, *ibid.*, col. 507. — [5] *Ibid.*, cap. I. col. 508. — [6] *Conc. Rhem. sub Cal. II*, tom. X col. 875; *Vid. sup.*, lib. III. col. 12. — [7] *Pet. Dam. Diss. Synod.*, t. IX. *Conc.*, col. 1164. — [8] *Berth.*, *ap. Urst.*, pag. 375.

Petri sedem intrusos multa decrevit, novisque ac meritis pennis tam sanctæ dignitatis emptores et venditores obstrinxit; ut diploma tam necessarium, omni quâ poterat auctoritate munire, in synodo Lateranensi confirmari voluit[1].

Et quidem intelligebat ac profitebatur apostolicas litteras, quæ tantam pestem exscinderent, « ad suæ subsistentiam et validitatem aliâ probatione non indigere[2]; » quod facilè confitemur. Est enim illud insitum apostolicæ Sedi, ut sibi ipsi consulat, sibique à simoniâ caveat, quam canones toties condemnarint. Sed tamen quid de synodo dixerit audiamus[3]. « Decens et salutare reputamus,.... ut quæ per nos statuta et ordinata fuerunt pro rei magnitudine et gravitate, per sacrum generale concilium approbentur et innoventur, et approbata et innovata communiantur; ut eò firmiùs perdurent et defendantur, quò fuerint dictâ auctoritate sæpius circumfulta. » Hinc repetito diplomate sic concludit : « Ut litteræ prædictæ eò magis observentur, quò clariùs constiterit eas maturâ et salubri deliberatione dicti concilii approbatas et innovatas[4]. » Ac paulò post : « Ad abundantiorem cautelam, et ad tollendam omnem doli et malitiæ causam,.... ut eò tenaciùs observentur et difficiliùs tollantur, quò tantorum Patrum fuerint approbatione munitæ, litteras prædictas approbamus, etc., sacro approbante concilio. » Ecce in eâ synodo, quâ nulla existimetur Sedis apostolicæ potestati magis consulere voluisse, diploma Pontificium totâ potestatis plenitudine stabilitum, auctoritate synodi *approbatum*, *innovatum*, *communitum*, *circumfultum*; quò *firmiùs*, quò *tenaciùs* maneat, quod est validissimè roboratum atque confirmatum. Ergo est in Papâ unâ cum concilio aliquid auctoritate *firmius*, quàm in Papâ solo. Dicant ut voluerint; suum illud *intensivè*, *extensivè* ingeminent : certè, utcumque est, vicimus. Vel enim concilium est superius Papâ; quo concesso, vicimus : vel non est superius; et adhuc vicimus, reportamusque id quod hic quærebamus : nempè ex approbatione, confirmatione, corroboratione etiam validissimâ, quantâque verbis exprimi potest, inferri non posse superiorem potestatem, ut adversarii contendebant.

CAPUT III.

Quid in confirmandis concilliis gestum sit; Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina synodus; nihil in his de illâ, quam quærimus, confirmatione actum : de Arimlnensi synodo : de epistolis Eutherii et Helladii ad Sixtum III, adversùs Ephesina decreta : Christiani Lupi vanæ notæ.

Jam ne quis existimet concilia œcumenica à romanis Pontificibus alio sensu confirmari, aggredimur id quod secundo loco tractandum

[1] *Bull. Jul. II*, Cùm tam divino. *Sess.* v. *Conc. Later.*, t. XIV. col. 116 et seq. — [2] *Ibid.*, *Bull. Si Summus*, col. 119. — [3] *Ibid.*, col. 115. — [4] *Ibid.*, col. 119.

suscipimus; nempè ut exponamus quid circa concilia à romanis Pontificibus firmata vel rejecta factum sit.

Incipimus à Nicænâ synodo ut omnium primâ, non tantùm tempore, verùm etiam auctoritate : in quâ quidem de romani Pontificis confirmatione nihil actum esse constat.

Sanè adversarii post recentiores quosdam Lovanienses, in *Doctrinâ Lovaniensium* relatos, jactant illi quidem eas, quæ sacræ synodi ac sancti Sylvestri nomine circumferuntur de confirmando concilio litteras. Verùm has, non modò sanctorum omnium altum eâ de re ubique silentium, quin etiam et stylus et temporum notæ, et alia multa, falsas esse demonstrant perspicuitate tantâ, nulla ut eâ de re inter doctos quæstio superesse possit. Quâ de re vide Labbæum, brevi ac marginali, sed eliquatissimâ et exquisitissimâ notâ *.

Sanè memoravimus [1] ecclesiasticæ historiæ certa monumenta, quibus constat prolatam à Patribus sententiam, nullo alio expectato decreto, statim apud omnes, cœlestis instar oraculi valuisse. Sic finitæ tres maximæ quæstiones consubstantialitatis, paschatis, rebaptizationis; patuitque in concilio primo generali, eas synodos, quibus Sedis apostolicæ legatio interesset, nullius specialis confirmationis indigere ut robur obtineant.

Objiciunt Ariminensem synodum, optimis initiis, fœdo exitu, ac propterea à Sede apostolicâ reprobatam ac rescissam [2]. Factum id quidem; sed omnino nihil ad rem. Primùm enim non fuit œcumenica, ex solo scilicet Occidente convocata; cui præterea Occidentis totiusque Ecclesiæ caput, romanus Pontifex, aliique permulti magni nominis Occidentales episcopi, arianorum fraude, defuerint. Deindè malum factum, et ipso jure nullum, quòd rem œcumenico concilio, Nicæno scilicet, totâ consentiente Ecclesiâ definitam, iterum in quæstionem vocabant. Quò spectat illud Athanasii. « Quæ nova hæresis? cur nova synodus [3]? » Quin ipsa synodus Ariminensis, quandiù liberè et canonicè egit, id professa est, editâque sententiâ declaravit, post Nicænam synodum, fidei jam expositæ nihil addi, nihil demi oportere; denique his omnibus circa ultimas actiones addita vis ac fraus [4]. Quo factum, Liberio in synodo Romanâ teste, ut « omnes Ariminensis concilii blasphemiæ ab iis ipsis qui tunc decepti per fraudem fuisse videntur, anathemate damnatæ sint [5]. » Idem habet Romana synodus

* Labbæi nota ad epistolam quæ sub nomine synodi circumferebatur ea est : « Stylus arguit » suppositionem cum temporis notâ, » et ad rescriptum Sylvestri : « Nec sincerius est hoc re- » sponsum, quod commentissimum et mendosissimum verè dixeris, et non tantùm forè ut » Binius. » Tom. II Conc. col. 48. (*Edit. Paris.*)

[1] *Sup.*, lib. VII. c. 7. — [2] *Sozom.*, lib. VI. cap. 23 ; *Theod.*, l. II. c. 22; *Conc. Rom. sub Dam.*, part. 2. collect. *Holst* — [3] *Athan.*, *ep. de Syn. Arimin. et Seleuc.*, n. 6. t. I. *ed. Bened.*, p. 719. — [4] *Ep. Conc. Arimin. ad Const. ap. Athan.*, *Ibid.*, n. 10. p. 723; *et apud Socrat.*, l. II. c. 37. — [5] *Vid. loc. jam cit. Socr. Soz. Theod.*

sub Damaso[1]. Cùm ergo ariani, hæreticorum more, sua quamvis inania, magnis clamoribus venditarent, facilè fuit Liberio ac deindè Damaso, postremam synodi partem, per se nullam, nulloque ordine canonico fultam, postulante Basilio[2], omnibusque orthodoxis Orientalibus, consentiente Occidente, ipsis Ariminensis etiam concilii episcopis ultrò petentibus, nullam et irritam declarare.

In secundâ synodo generali, Constantinopolitanâ scilicet[3], certum est nullum esse locum ei, de quâ quærimus, confirmationi, post synodum gestam; cùm sanctus Damasus papa ipse adfuerit Occidentalium Romæ habitæ synodo, cujus consensu Constantinopolitana œcumenica facta est.

Ephesina verò synodus, tertia generalis, de fide, deque Nestorii Cœlestini papæ sententiam executa erat; ut ea decreta à novâ, post absolutam synodum, confirmatione pendere, ne ipsi quidam adversarii dicturi sint. Accesserat expressa per Sedis apostolicæ legatos actionis primæconfirmatio, quam vidimus ex ipsius synodi gestis ad verbis, nihil aliud fuisse, quàm consensionem[4].

Itaque Ephesini Patres rei gestæ mittunt relationem ad Cœlestinum, nullâ unquam confirmationis petitæ mentione. Ita verò respondet Cœlestinus, ut à se nihil ampliùs de eo negotio desideratum significet; cùm id tantùm agat, ut de plenâ rei executione Patribus gratuletur.

De Charisio presbytero ac Messalianis condemnatis* nulla mentio in sacræ synodi ac Cœlestini mutuis epistolis; eorum hæreses, nulla confirmatione speciali, pro damnatis sunt habitæ; nihilque omnino occurrit, quo synodalibus decretis, postquam sunt condita, aliquid roboris defuisse videretur[5]. Atque ita in tribus primis generalibus synodis, nihil habent quod objiciant, de eâ confirmatione quam quærimus.

[1] *Conc. Rom., sub Dam.* coll. *Holst., loc. jam cit.*— [2] *Basil., epist.* LXIX. al. LX. *ad Athan.* n. 1. tom. III. *ed. Bened.*, p. 162.— [3] *Sup.*, lib. VII. cap. 8.— [4] *Conc. Eph.*, act. II; *Vid. suprà*, lib. VII. c. 12.

* Videtur hic asserere Bossuet Charisium synodi sententiâ fuisse damnatum. Tamen utrum damnatus fuerit meritò dubitari potest. Charisius in synodo questus est *à sacrorum ministerio se prohibitum*, eo quòd oppugnasset illud Theodori Mopsuesteni fidei Symbolum, quod nestoriani sub nomine Nicænæ synodi circumferebant, cuique jubebant reversos ab hæresi subscribere. Sacra synodus de Theodori nomine reticuit, Symbolum ejus damnavit. Quid autem factum fuerit de Charisio ex actis non liquet; nec videmus eum in pristinum sacerdotii gradum restitutum fuisse; sive non potuerit probare se injustè dejectum, sive quâlibet aliâ de causâ. Vid. act. VI, et de Till. vit. Cyrill. Alex. art. LXXII; tom. XIV, p. 442. Messaliani pravè interpretantes illud Christi præceptum, *Semper orate*, opus manuum aversabantur et externæ quæque pietatis opera, eò ut *semper orarent*. Verùm, ut sæpe fit, eorum præter solitum longæ orationes in delirationem citò versæ sunt, et ex eâ ortæ plurimæ hereses partim impiæ, partim insanæ. Porrò Joannes Antiochenus et cæteri Orientales, qui famam Ephesinæ synodi labefactari cupiebant, dicere erant soliti duodecim Messalianos episcopos in eâ sedere judices; quam calumniam synodus meliùs confutare non potuit, quàm cum edito decreto, Messalianos condemnavit. Vid. Theodoret. lib. IV, cap. XI. Till. tom. VIII, pag. 527 et seq.; et tom. XIV, p. 449. (*Edit. Paris.*)

[5] *Conc. Eph.*, act. VI, VII. col. 671, 801.

Christianus quidem Lupus nuper edidit epistolam[1] *Eutherii Thyanensis, et Helladii Tarsensis scriptam ad magni nominis Romæ episcopum Sixtum* : in quâ petunt ab eo *qui à Deo productus est gubernator*, retractari ac rescindi Ephesinæ synodi acta adversùs Nestorium ; *ac terrarum orbem* synodo adhærentem, et cum synodo errantem *adjuvari* ; « quod est, inquit Lupus[2], authenticum instrumentum appellationis, non ad generalem, sed adversùs generalem synodum, interpositæ apud Sixtum III pontificem : » quo deinde concludit, quòd orientalis Ecclesia crediderit, *Papam esse superiorem generali synodo*. Addere debuisset, *generali synodo*, auctore ac præsidente per legatos Pontifice gestâ, quam *cum toto orbe terrarum* Sedes etiam apostolica recepisset : hujus decreta, hujus etiam fidem à romano Pontifice retractari, etiam et rescindi posse. Sic agit vir doctus ; sed ubique nimius : antiquitatis indagator strenuus, parum exactus judex. Hæc enim quàm nimia sint, et inconcessa, et irridenda potiùs quàm refutanda, nemo non videt.

CAPUT IV.

De Ephesino latrocinio : quid Leo egerit : ut ultimam sententiam futuræ universali synodo reservarit.

Majore postea verisimilitudine objiciunt Ephesinam synodum pro œcumenicâ à Theodosio Augusto sancti Leonis consensu convocatam, quam tamen idem Leo irritam declaravit.

Sed eam synodum, licèt legitimè congregatam, ab ipsis initiis legitimæ synodi titulo caruisse, duo præsertim demonstrant : alterum quòd Dioscorus Alexandrinus, præses ab imperatore, præter morem, dictus, omnia per vim egit ; episcopos quos voluit expulit, quos voluit admisit, quo nihil est ab œcumenicâ synodo magis alienum : admissos in purâ chartâ subscribere coegit, facta, infecta, in acta referri jussit[3] ; nulla ut jam legitimi cœtûs, nedum œcumenicæ synodi species superesset : alterum quòd idem Dioscorus Leonis epistolam, oblatam licèt à legatis apostolicæ Sedis, legi non est passus[4] ; ac nemo ibi suscepit nomen Leonis, ut acta testantur ; quo sine nomine, nulla est legitima synodus. Quem fontem nullitatis in Chalcedonensi synodo Lucentius Sedis apostolicæ legatus exposuit : quòd nempe Dioscorus, « cùm personam judicandi non haberet, præsumpsit, et synodum facere ausus est, sine auctoritate Sedis apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est : » quam nullitatis causam

[1] *Christian. Lup., var. Patrum epistol.*, cap. CXVII. — [2] *Not. Christian. Lup., ubi suprà*, — [3] *Vid. act. Concil. Ephes.* II. *in Concil. Chalcedon.*, act. I. tom. IV. col. 115 et seqq. — [4] *Ibid*, col. 122.

Patres omnes dictis sententiis comprobarunt, et ad imperatores p
scripserunt[1].

His causis omnes agnoscunt Ephesinam secundam synodum,
modò iniquam, verùm etiam per se nullam et irritam fuisse; n
tantùm propter vim, sed etiam vel maximè ex defectu potestatis,
defectu nullus est major. Itaque violentam, pioque Flaviani sa
commaculatam synodum omnes catholici horruerunt : atque
Flavianus, statim non à synodo, quæ jam nulla esset, sed à Dio
neque ut à synodi præside, sed ut à nefarii latrocinii duce appe
Appello, inquit, *à te*, ut habetur in gestis[2].

Jam verò nemo negat ad Papæ officium pertinere, ut his prov
detque operam, ne fideles concilii œcumenici nomine in fra
inducantur : quo quidem officio Leo continuò functus est[3]. V
ita sententiam temperavit suam, ut judicium daret non pere
rium, sed provisorium. Itaque Ephesinam synodum ratam es
est passus : Flavianum in communione habuit, omniaque inte
suspenso esse voluit, quoad œcumenica synodus haberetur : s
congregandæ ultimam sententiam reservavit.

Id Leo ubique testatur, præsertim epistolâ ad Juvenale
« Christus detestandum illud Ephesinæ synodi judicium, sancti
cedonensis concilii auctoritate destruxit[4]. » Idem repetit epist
Leonem imperatorem ; neque quidquam potuisse fieri conven
docet, quàm ut Dioscori, in Ephesinâ synodo, « facinus,
synodus Chalcedonensis aboleret[5]. » His congruit illud beati
papæ de Ephesino latrocinio dictum : « Malè gestam synod
injustam, justâ et bene gestâ synodo submovendam[6]. » Tale
dium, talem auctoritatem œcumenicæ synodi ritè convocatæ
postulare visum.

Quid ergo hic consequuntur superioritatis pontificiæ defe
Nempe ut Pontifex synodum per se ab ipsis initiis nullam et i
non admittat ille quidem ; ultimum tamen judicium futuræ
relinquat arbitrio. Quodnam hic ejus quam quærunt superi
indicium est?

[1] *Vid. act. Conc. Eph.* II. *in Conc. Chalc.*, act. I. t. IV. col. 122 et seq ; *Vid. etiam*
ep. Conc. ad Valent. et Marc. Imp., col. 463. *et Relat. ad Pulch*, *ibid.*, col. 464.—
act. I. *Conc. Chalc.*, col. 305. — [3] *Vid. var. Epist. Leon. Mag. ad Imp. et Augustas*,
Conc. Chalc., cap. 19, 20, 21, 22, 23. col. 38 et seq.; *et int. Leon.*, *ed. Quesn.*, *Ep.* XXX
XLI, XLV, XLVI.

* Hierosolymitanum.

[4] *Leon.*, *ep. ad Juven.*, CX. al. LXXII. — [5] *Ejusd. ep. ad Leon. Imp.* CXXV. al. LXXV.—
ep. XIII. *ad Episc. Dard.*, tom. IV. *Conc.*, col. 1204.

CAPUT V.

A Chalcedonensi synodo nullam in fidei negotiis confirmationem petitam, cujusmodi sit ea, quam sanctus Leo ultro dederit.

At in Chalcedonensi legitimo sanctoque concilio œcumenico plus habere se putant, cùm ipsa synodus rerum à se gestarum confirmationem à Leone petat, ut in relatione synodi ad ipsum Leonem est positum [1]. Tum illud vel maximum, quòd canonem XXVIII, de Constantinopolitani præsulis auctâ dignitate, unanimi licèt Patrum decreto factum, idem Leo apostolicâ auctoritate rescidit [2].

Nunc quidem de fide agimus, de canonibus postea videbimus. Et quidem quòd ad fidem, fideique causâ depositum Dioscorum attinet, Patres Chalcedonenses in relatione ad Leonem [3], nullam confirmationem petunt, satis esse rati, quòd Leonis epistolam prælucentem, ipsumque sibi, *ut membris caput præsidentem ac spiritu præsentem*, ac penè in legatis visum habuissent.

Itaque quoad hæc, nihil ampliùs desiderabatur. Ac reverà imperatores, absoluto concilio, statim ut re exploratâ atque confectâ contentionem omnem de fide prohibent [4] : clerus ac plebs in eâ fide ac Dioscori condemnatione ubique acquiescit.

Et res quidem synodi circa fidei negotium sic se habent; ut de suis decretis à Leone confirmandis, ne quidem cogitasse constet, et tamen sanctus Leo etiam non petitam confirmationem misit : quâ occasione ipse idoneus testis exponet.

Quippe cùm occasione improbati à Leone XXVIII canonis, malignî homines in vulgus sparsissent, Chalcedonensem synodum ab ipso improbatam, ad episcopos, qui in eâ congregati fuerant, hæc scribit [5] : « Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum, quæ in synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres, et coepiscopos nostros, qui prædicto concilio interfuerunt, scripta direxi;..... ut omnium fidelium corda cognoscant, me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium, propriam vobiscum iniisse sententiam in solâ videlicet fidei causâ. » Quod adversùs *malignos interpretes* factum, fatebuntur omnes non eò spectare, ut incerta firmentur, sed ut certa summâque et indeclinabili auctoritate factâ, magis magisque asserantur et inculcentur.

Cujus generis est id quod in encyclicarum epistolarum tomo, post

[1] *Relat. Syn. Chalc. ad Leon.*, part. III. cap. II. col. 833 et seq.— [2] *Epist. ad Pulcher.* LXXIX. *ad Anatol C. P.*, LXXX, *ad Max. Antioch.*, XCII. al. LIII. LV. LXII. — [3] *Relat. loc. jam cit.*— [4] *Vid. Conc. Chalc.*, part. III. c. 3. col. 840. — [5] *Epist. Leon. ad Episc. Conc. Chalc.*, *ibid.*, c. XVI. col. 881, 882; *et int. Leon. ep.* LXXXVII. al. LXI.

synodum Chalcedonensem edito, legimus[1] : « Penè omnes Occid
talium partium episcopi consentientes sibimet, et pariter decern
sanctissimo atque beatissimo Romanæ urbis archiepiscopo, litt
propriis et oris sui confessione, ea quæ ab ipsis sanctis Patribus C
cedone collectis interpretata sunt, confirmaverunt et consign
runt. » En quid sit confirmatio ; nempe consensus ipse. En ut,
modò Leo, sed etiam cæteri Occidentales episcopi condecern
Chalcedonensem synodum confirmarunt.

CAPUT VI.

Quintum, sextum, septimum, octavum concilium.

Ex octo primis generalibus synodis, supersunt adhuc quatu
quibus uno verbo facilè decernamus.

Quintam synodum, Constantinopolitanam secundam, à solis O
talibus, nullâ cum Occidentalibus communicatione, nullâ Sed
stolicæ legatione transactam, non nisi consensione Occidentalis
siæ ac Sedis apostolicæ approbatione, pro synodo œcumenic
luisse constat.

Sexta synodus de fide tantùm, fideique condemnandis i
egit.

Statim atque fidei definitionem edidit ; eam, ab episcopis et
ratore subscriptam, ad quinque patriarchales Ecclesias dimi
luit, ut quæ certissimâ auctoritate constaret, actione VIII[2]. I
actione Patres ad Agathonem papam relationem mittunt[3], q
Spiritu sancto illustratos, et Agathonis doctrinâ institutos,
dogmata depulisse » testantur. Tum subdunt : « et corde
linguâ, et manu convenientes, omnis erroris expertem, cert
nec fallentem definitionem, vivifici Spiritûs ope edidimus.
perspicuè demonstrant, nihil expectari à se ut certam Spiritûs
præsentiam, sibi ac sanctæ synodo vindicent, cùm præsertim
ipso Agathone, lectis ejus apostolicis litteris, doctos esse fat
Neque eo secius ab eodem Agathone petunt ut orthodoxam
quam cum ipso prædicarint, iterum per sua rescripta con
Satis ergo existimabant illustratam, roboratam, confirmatam
quam ipsi tradidissent, et ad inculcationem majorem pertine
quam postulabant, confirmationem novam.

Quare nec expectato Sedis apostolicæ responso, pius im
synodi decreta edictis exequitur[4]. Interim, Agathone mort
imperatorem Leonis II pervenit epistola, quâ decreta synodi

[1] *Conc. Chalc.*, c. XLV. *epist. Agap. ad Leon. Imp.*, col. 942. — [2] *Conc. C. P.* III. g
act. XVIII. *t.* VI. col. 1072. — [3] *Ibid.*, tom. VI. col. 1276. — [4] *Edict. Const. Imp.*, *ibid.*, col.
et seq.

licâ auctoritate confirmat, « eisque consentit, sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem[1] : » adeo certum est eam confirmationem nihil aliud esse quàm consensionem eam quam diximus, ac recognitionem authenticam jam à Domino præstitæ invictissimæ firmitatis.

Sanè omittendum non est Macarium Antiochenum episcopum hæreseos defensorem à synodo depositum, ad Sedem apostolicam missum, non, quemadmodum nescio qui cavillantur, ut ejus causam tanquam superior retractaret, sed ut errantem instrueret, pœnitenti, si fortè, indulgeret; quod adeo clarum est ex imperatoris et Leonis litteris[2], ut his immorari pudeat. Alia prosequamur.

Septima synodus, Nicæna secunda, nullam ab Adriano, rebus gestis, specialem confirmationem petiisse, nullam accepisse legitur; neque eò infirmior visa est aut Græcis aut aliis : neque nostri, cùm eam non susciperent, confirmationem defuisse, causati sunt : adeo ista ex abundanti esse constat.

Octava synodus, Constantinopolitana quarta, Nicolai I et Adriani II judicium executa adversùs Photium, ut firmitatem obtineret, nulla procul dubio Sedis apostolicæ novâ confirmatione indigebat; et tamen petiit his verbis[3] : « Itaque Sanctitate vestrâ omnium nostrûm et universalis synodi consensum et consonantiam recipiente; prædica eam magis, ac veluti propriam, ac sollicitiùs confirma coangelicis præceptionibus vestris; ut per sapientissimum magisterium vestrum, etiam aliis universis Ecclesiis personet et suscipiatur veritatis verbum et justitiæ decretum. » Quæ verba satis demonstrant, confirmationis nomine, expectari ab apostolicâ Sede, conciliarium decretorum promulgationem atque executionem, quod ultrò amplectimur.

Atque his profectò claret, quàm nihil faciat ad vindicandam Papæ superiorem potestatem ea confirmatio, quam in actis primorum conciliorum generalium invenimus. Certè sic scribit ad Adrianum II synodus octava[4] : « Sicut beatissimus papa Nicolaus definivit et promulgavit, necnon et summa paternitas tua firmavit et synodicè roboravit; ita et ipsi (legati scilicet apostolicæ Sedis) annuntiaverunt et egerunt; » ut si necesse sit superiorem esse qui confirmet et roboret, Adrianum Nicolao antecessore suo superiorem fuisse inficiari nemo possit.

Esto igitur fixum id, quod probandum suscepimus, primorum conciliorum generalium confirmationes à romanis Pontificibus, post

[1] *Epist. Leon. II. ad Imp. Const., ibid.*, col. 1116.—[2] *Ep. Imp. ad Leon. II, ibid.*, col. 1102, 1103; *et Leon. II. ad Imp.*, col. 1117, 1120. — [3] *Conc. C. P.* IV. *gener.* VIII. act. X. tom. VIII. col. 1159. — [4] *Ibid.*, col. 1168.

gesta ea concilia editas, non ejus fuisse roboris, ut decretis de fi latis robur, quod deesset, adderent; sed ut quod inesset ube declararent.

CAPUT VII.

Reliquæ synodi usque ad Tridentinam.

Ex primarum synodorum confirmationibus, de reliquis ju in promptu est. Post octo illas primas, quatuor omnino sunt, bus romanus Pontifex non ipse adfuerit : Pisana, Constanti Basileensis, Tridentina. Cæteras per se ipsegessit.

Pisanam per sese valuisse ante Alexandri V confirmationem tam, vel ex eo demonstravimus [1], quòd nec Alexandri confir valuisset, nisi priùs Pisani concilii, cujus ex decretis Alex electus est, valeret auctoritas.

Constantiensis concilii judicium de Joanne XXIII, quod summâ religione susceptum est, erat profectò, vel eo repugn valiturum, ut suo loco diximus [2].

Ejusdem synodi decretum adversùs Joannem Hussum et Hie mum de Pragâ, statim atque prolatum est, plenam execu habuisse nemo negat. Illis etiam brachio sæculari traditis et ex supplicio addictis, necdum creato Pontifice, necdum ejus confi tione expectatâ.

Cætera decreta, quæ adversùs Viclefum, Hussumque facta satis demonstravimus [3] Martinum V, non ut incerta ac nutantia firmasse, sed ut certa et valida, auctoritate concilii totam r sentantis Ecclesiam, executum esse.

Quod autem idem Pontifex in fine concilii declaravit, confi à se omnia circa fidem, quæ *conciliariter* gesta essent; usqu ex abundanti erat, ut illud non scripto decreto, ut cætera, a synodo requisitus, sed dimissis Patribus, polonicæ confi occasione dixerit [4].

Basileensia priora gesta, quæ sola tuenda suscepimus, adhi per sese, sine expressâ confirmatione, auctoritatem et execu habuere, ut iis victus Eugenius IV, pristina sua de dissoluto co decreta revocaret [5].

Tridentina synodus, quæ, ultimo decreto suo, romani Pon confirmationem peti jubet eorum *quæ à se decreta et definita* eò usque intellexit eas definitiones vel tum valuisse, ut s eam confirmationem petitam, acclamarit « CARDINALIS à L

[1] *Sup.*, l. v. c. 40. 41, 42. — [2] *Ibid.*, c. 21. — [3] *Ibid.*, c. 22; *Vid. Bull. Mart. V. Inter post Sess.* XLV. *Conc. Const.*, tom. XII. col. 268. — [4] *Ibid.*, c. 28; *Vid. Conc. Const.*, col. 258. — [5] *Sup.*, lib. VI. c. 1 et seq.; *Vid. in Sess.* XVI. *Conc. Basil.*, *Bull. Eug. IV*, *sacrum*, tom. XII. col. 528 et seq.

sacrosancta œcumenica Tridentina synodus, ejus fidem confi-
ur; ejus decreta semper servemus. RESP. Semper confiteamur,
per servemus. CARDINALIS : Omnes ita credimus, omnes idipsum
imus, omnes consentientes et amplectentes subscribimus : hæc
fides beati Petri et apostolorum; hæc est fides orthodoxorum.
Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus. CARDINALIS : His
tis inhærentes digni reddamur misericordiis... RESP. Fiat, fiat;
, amen. CARDINALIS : Anathema cunctis hæreticis. RESP. Ana-
, anathema[1]. » Talia sentientes, dum confirmationem petunt,
aliud quàm certa et valida magis magisque firmari et inculcari
nt?

re confirmatio statim atque ab Alexandro cardinale legato ac
de Farnesio * petita est, statim à Pio IV in eodem consistorio
ta, die Mercurii 26 Januarii anno 1554, ut subjuncta Tridentinæ
do acta testantur[2].

quidem in iisdem actis legimus audita vota cardinalium, con-
taque *omnia et singula* quæcumque in synodo acta essent, *ma-
um illis deliberatione præhabitâ* : quæ matura deliberatio, si in
am caderet, ac de ipsis concilii tot ac tantis decretis esset in-
m, profectò tanta res tam brevi tempore transacta non esset.

CAPUT VIII.

onibus conciliorum generalium à Sede apostolicâ confirmatis vel infirmatis :
ntinopolitani canones, præsertim III; Chalcedonenses, ac præsertim XXVIII.

fide egimus, causisque cum fide conjunctis; nunc de canonibus
rem transigemus. Et quidem Nicænos canones, statim atque
nis Patribus per provincias delati sunt, toto orbe terrarum
isse constat. De Ephesinis in actis synodalibus disertè legi-
, statim atque sunt editi, unà cum epistolâ synodi eâ de re
, dimissos fuisse per Ecclesias continuò exequendos, ut quæ
et suo pollerent robore. Itaque in Ecclesiæ catholicæ codi-
statim inserti sunt, tenuitque episcopis in Cypro et Europâ
ciâ concessa libertas **, nullâ unquam confirmatione spe-

c. *Trid., Sess.* XXV. tom. XIV. col. 920, 921.

habitur errore levi BOSSUET. Non enim Farnesius sedit unquam legatus et præses in
Tridentino, neque etiam ille, sed Moronus et Simoneta, qui Sedis apostolicæ legati
præfuerant, ejus confirmationem à Pio IV postularunt; quâ concessâ, Alexander Far-
Ecclesiæ vice-cancellarius confirmationis instrumentum sigillo cancellariæ mu-
tradidit. Vid. loc. in text. citat. (*Edit. Paris.*)

c. *Trid., Sess.* XXV. tom. XIV. col. 939.— [2] *Conc. Ephes.*, act. VII. tom. III. col. 804.

pri quærebantur *Antiochenum patriarcham subjicere insulam suam, et ordinandi jus
pere attentasse*, licèt semper anteà *synodus provinciæ congregata constituisset me-
m*. Tunc « synodus dixit : Memor sit sancta synodus canonis sanctorum Patrum in
congregatorum, qui conservat unicuique Ecclesiæ priscam dignitatem. » Deinde sic
: « Si non est vetus mos, quòd episcopus Antiochenus ordinet in Cypro, sicut libellis

ciali[1]. De septimæ et octavæ synodorum canonibus, nihil, q sciam, objicitur, quod ad hunc pertineat locum, constatque nusquam ab ullâ synodo generali petitam canonum confirmatio præterquam à Chalcedonensibus XXVIII illius, quo et Constantin litanus canon III firmabatur, et Constantinopolitanus episcopu modò dignitate, sed etiam jurisdictione ac ditione auctus. In his tur tota est difficultas.

Ac de Canonibus quidem constantinopolitanis sic objiciunt : eos, teste Gregorio, romana Ecclesia *non habet nec accipit*[2]. Leo Magnus canonem III caducum, sponte collapsum, et Sedi apost ignoratum, sibi quoque displicere significat[3].

Interim id constat, in codicem canonum cum aliis Constan politanis insertum, toto statim Oriente valuisse. Quin etia Chalcedonensi synodo, legati apostolicæ Sedis, Anatolium Co tinopolitanum episcopum secundum habuerunt. Quâ de re adeo non questi sunt, ut è contrà quererentur in quintum grad Dioscoro Flavianum relegatum. Quo loco laudantur à Diogen censi, *quòd regulas scirent*[4], quas nempe Dioscorus contemp Ergo intelligebant omnes episcopi, ipsique adeo legati Leonis episcopo Constantinopolitano primum post se locum : non al none, quàm constantinopolitano illo, quem romana Ecclesia rare ac minimè probare voluisse videbatur; visumque est satis, nondum apertè improbasset.

De canonibus Chalcedonensibus gravior difficultas, ac pra de XXVIII[5]. Is, actione XV, legatis absentibus conditus, act. XV dem querentibus relegitur : legati contradicunt; Leonis m proferunt, Nicænos canones legunt; quibus hæc nova adversa Constantinopolitanos rejiciunt, coactos episcopos conqueruntu

Hic episcopi clamaverunt : *Nemo coactus est*[7]; dictisque sec canon confirmatur. Hic legati postulant, ut *sua contradictio inhæreat*[8]; contestanturque se ad Papam relaturos[9].

» dixerunt (Cypri episcopi), habebunt jus suum intactum qui in Cypro Ecclesiæ » secundùm canones et veterem consuetudinem per seipsos ordinationes episcoporum » tes. » Act. VII. col. 787 et seq. Cæterùm D. FLEURY malâ fide egisse Cyprios episco mat. *Si*, inquit, *Jean d'Antioche avoit été présent, il auroit montré que son droit fondé, et que sa possession d'ordonner les évêques en Chypre n'avoit été interrom l'occasion des ariens, comme il paroît par une lettre du pape saint Innocent, dix vingt ans auparavant.* Lib. XXV, n. 57. De episcopis Europæ breviter annotanda Thraciâ episcopos in libello suo supplici ostendisse, verendum esse ne Heraclia *Nestorio se addixerat ordinaret episcopos* in quibusdam Ecclesiis, quæ *juxta* [illegible] *boratam consuetudinem*, plurimæ ab uno episcopo regebantur. Respondit synodus: *canonibus.... nihil innovandum in Europæ civitatibus.* Ibid. col. 810. (*Edit. Paris.*)

[1] *Conc. Ephes.*, act. VII. tom. III. col 783, 810. — [2] *Greg. Mag.*, lib. VII. indict. XII. *Eulog.* XXXIV. al. lib. VI. *ep.* XXXI. tom. II. col. 862. — [3] *Leon. Mag.*, *ep.* LXXIX, LXXX, al. LV. *ad Pulch. et ad Anat. C. P.* — [4] *Conc. Chalc.*, act. I. tom. IV. col. 116. — [5] *Ibid.*, col. 769. — [6] *Ibid.*, act. XVI. col. 796, 809, 812. — [7] *Conc. Chalc.*, act. XVI. col. 808. — [8] col. 813 et seq. — [9] *Ibid.*, col. 817.

De hoc ergo uno canone, qui controversus esset, Patres ad Leonem referunt, submisso animo petunt *ut probare dignetur*; et quemadmodum Patres *in bonis capiti consonarent, ita pontificalis apex, id quod decens erat filiis indulgeret*[1]; placiturum id principibus; et legatos quidem contradixisse, sed ut res ipsi Papæ reservata videretur.

Hâc rerum summâ patet nihil Patres ambigere, præterquam de iis quæ nova, quæ contra Nicænos canones, quæ repugnantibus legatis decrevissent: cætera vi suâ atque integro robore firma reputasse.

Quid hic Leo sanxerit nemo ignorat; nempe sic: « Consensiones episcoporum, sanctorum canonum apud Nicæam conditorum, regulis repugnantes in irritum mittimus, et per auctoritatem beati Petri generali prorsus definitione cassamus[2]. » Alibi decernebat « canones Nicænos nullâ in parte esse solubiles; infirmum atque irritum quidquid à prædictorum Patrum canonibus discreparit; » denique Anatolium, si canonem urgeat, *universalis Ecclesiæ pace privandum*[3].

Hæc de canone XXVIII sanctus Pontifex, cujus auctoritate victus ipse Anatolius (si Lucæ Holstenio colligenti et edenti credimus, ut profectò, meâ quidem sententiâ, credi par est), datâ epistolâ Leoni præcipienti, ut à canone tuendo abstineret, respondit, « se illa obediendo complere, quæ ejus perfectissimis sensibus placita videbantur. Nam penitus, inquit, absit, ut eis ego, quæcumque mihi fuissent mandata per litteras, adversarer. » Acquievit imperator, eodem teste Anatolio in eâdem epistolâ, atque ex numero canonum Chalcedonensium, canon ille XXVIII expunctus est.

Hic ergo objiciunt romanum Pontificem conciliis œcumenicis longè superiorem, quorum canones absque ejus approbatione non valeant; imò ab eo ex *beati Petri auctoritate cassentur*, ipsis Orientalibus, ipsis Constantinopolitanis episcopis, ipsis imperatoribus consentientibus.

At hæc qui objiciunt, primò, ne statum quidem quæstionis intelligunt. Defendimus enim Constantiense concilium, quo nempe concilii potior auctoritas agnoscatur, in fide, in schismate, in reformatione generali promovendâ. At Orientales episcopi isto canone, episcopo Constantinopolitano consulebant, imperatori gratificabantur, non fidei, non schismati, non reformationi generali providebant; imò verò rectum ordinem ac primarum sedium honorem ab antiquo institutum evertebant, qui rei universæ ecclesiasticæ conducere videretur. Non ergo adversùs effrænam aut extraordinariam potestatem, canones ac jura, libertatemque ecclesiasticam tuebantur,

[1] *Part.* III. *Conc. Chalc.*, c. II. *Relat. ad Leon.*, col. 837; *Int. Leon. Epist. post* LXXVII.— [2] *Epist. Leon. ad Pulch.*, *ibid.*, c. VII. col. 860; *et int. Leon. ep.* LXXIX. *al.* LV.— [3] *Ibid.*, *ep. ad Anath.*, *ibid.*, c. V. col. 844, 846; *et int. Leon. ep.* LXXX. al. LIII; *Vid. etiam epist. ad Synod. Chalc.*, *ib.*, c. XVI. col. 881; *int. Leon. Epist.* LXXXVII. al. LXI; *collect. Holst.*, part. I. c. 22.

quod Patres Constantienses volebant; sed Papæ, canones rectumque ac probum et canonicum ordinem defendenti repugnabant; ac proinde ad nostram quæstionem non pertinet quidquid hic actum ab illis fuit.

II. Orientales Patres, hoc canone constituto, id sibi tribuebant ut Patrum limites, et canones Nicænos ab universali Ecclesiâ conditos et receptos, inconsultò, imò verò repugnante toto Occidente convellerent: quod non illis licebat.

III. In eo canone statuendo nequaquam concilii generalis auctoritate gaudebant, à quorum decretis in eâ actione cum Sede apostolicâ universus Occidens recedebat.

Hinc etiam factum est ut Chalcedonenses Patres à Leonis arbitrio id pendere vellent, quod Relationis quidem verba demonstrant, ut vidimus: sed apertè convincit illud Anatolii in epistolâ ad Leonem: « Cùm et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata [1]. Unde nec mirum, de iis Leonem statuisse, quæ in ipsius potestate ipsa synodus reliquisset.

Cæterùm Bellarminus canones Chalcedonenses omnes à Leone rejectos esse putat [2], propter quosdam Leonis aliorumque Pontificum locos: quem vir illustrissimus Petrus de Marca egregiè confutavit. Nunc neminem esse jam puto, qui neget Chalcedonenses canones XXVII, antiquissimis canonum insertos collectionibus, statim in auctoritatem admissos; quos si quis obstinatè contenderit à Leone fuisse probatos; nempe Parisienses nostri non alio firmiore argumento probaverint conciliorum generalium supremam potestatem, quòd quòd tot canones, etiam improbante romano Pontifice valuisse, ipsi adversarii fateantur.

CAPUT IX.

Recapitulatio eorum, quæ de confirmatione ex conciliorum actis dicta sunt ab illis, confutantur allati à quibusdam recentioribus pontificiæ confirmationis effectus: Ecclesiæ consensus, quatenus ultima synodi bene gestæ testificatio: sancti Gregorii locus.

Ex his facilè confutantur ea, quæ recentiores quidam theologi, de pontificiâ confirmatione dixerunt.

Et primùm quidem pauci sunt, qui ad hæc extrema decurrunt, vim omnem Ecclesiæ ac synodorum in solo Pontifice esse positam, decreta quæ non ipse firmaverit, præsidentibus licèt, imò consentientibus ejus legatis edita, incerta pendere, quoad approbaverit; neque aliam synodis generalibus constare infallibilitatem, quàm ab ipso promptam.

[1] *Epist. Anat. C. P. ad Leon. Mag.*, in *coll. Holst.*, *ibid.* — [2] *Bell.*, *de R. P.*, lib. II. cap. 22. — [3] *Marc.*, *de Conc. Sacerd. et Imp.*, lib. III. c. 3. n. 8.

Hæc igitur confutantur; universim quidem ex actis conciliaribus, quibus vidimus decreta conciliaria, statim atque sunt edita, cœlestis oraculi vice habita, executionique mandata [1] : speciatim verò ex his locis, quibus ipsa concilia, ante omnem confirmationem asserunt, « se omnis erroris expertem, certamque nec fallentem definitionem, vivifici Spiritûs ope, edidisse; » quod synodus sexta ad Agathonem papam scribit [2].

Eòdem pertinet illud, quod est à Nicænâ secundâ synodo pronuntiatum; vim quâ fidei definitionem certam edidissent, in eo esse positam, quòd divino numine congregati, eâ repromissione gauderent, quâ Christus cum apostolis usque ad finem sæculi futurum se esse promittit [3].

Neque minùs illustre est illud Cœlestini ad Ephesinam synodum : « Spiritûs sancti testatur præsentiam congregatio sacerdotum [4]. » Quo loco sanctus Pontifex in Ephesinâ synodo, synodum illam apostolicam Hierosolymis congregatam aspiciendam esse testatur.

Huc accedunt Leonis II synodi sextæ definitionem confirmantis verba, quibus declarat iis se consentire, « sicut supra solidam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis firmitatem [5] : » ut confirmatio synodi universalis, nihil sit aliud quàm testificatio jam à Domino traditæ firmitatis.

His igitur victi, qui sunt paulò cordatiores, ab his insulsis et nimiis abhorrere solent; sed multùm desudant in vero explicando confirmationis effectu. Ac Joannes quidem Bagotius * sic exponit, « confirmationem Pontificis omnibus fidelibus solummodo fidem facere, synodum œcumenicam et legitimam fuisse; et, cùm leges servaverit, in Spiritu sancto definiisse quod definiverit : quæ ultima certificatio credendi necessitatem imponat fidelibus, cùm antea nemo propriè teneatur synodi definitiones accipere [6]. »

Postremum hoc æquè concidit actis conciliaribus, quibus demonstravimus conciliorum generalium definitiones statim atque prolatæ sunt, nullo alio decreto edito, valuisse.

Illud haud absurdum, confirmatione declarari synodum, et legitimè fuisse convocatam, et legitimo ordine processisse, neque quidquam intervenisse quo nulla sit; qualia multa in Ariminensi, atque Ephesinâ secundâ synodis evenisse legimus : quæ causa fuisse videtur, cur Leo synodi Chalcedonensis definitionem, ipso etiam auctore, ac

[1] *Sup.*, hoc lib., c. III et seq. — [2] *Relat. Conc.* VI. *ad Agath.*, t. VI. c. 1076; *Vid. sup.*, c. VI. — [3] *Defin. Conc.* VII. art. VII. t. VII. col. 551; *Vid. Sup.*, lib. VII. c. 30; *Diss. præv.*, n. 63. — [4] *Sup.*, l. VII. c. 14; *Vid. Conc. Eph.*, act. II. t. III. col. 614. — [5] *Ep. Leon. II. ad Imp.*, t. VI. *Conc.*, col. 1126.

* È societate Jesu.

[6] *Bag.*, *Apol. fid. de loc. Theol.*, disp. V. cap. IV. sect. I.

per legatos præsidente factam, speciali epistolâ confirmandam duxerit, *propter malignos interpretes*, ut vidimus[1].

Sanctus Gelasius approbationi Leonis universalis Ecclesiæ consensionem adjungit; eoque internosci docet *malè gestam synodum à benè gestâ synodo*, quòd *malè gestam synodum*, puta Ephesinam secundam, *tota meritò Ecclesia non recepit et præcipuè Sedes apostolica non probavit*: at *benè gestam synodum cuncta recepit Ecclesia, ac maximè Sedes apostolica comprobavit*[2]: ut profectò, inter cæteras Ecclesias, eminere oporteat Ecclesiæ principalis assensum; at illud interim requiratur, ut Ecclesiæ totius consensus accedat.

Hæc ergo est ultima adversùs *malignos interpretes* synodi benè gestæ testificatio: Sedis apostolicæ conjunctus cum totius Ecclesiæ approbatione consensus, quam confirmationem dicimus.

Ea verò universalis ac plena consensio, non tantùm adversùs *malignos interpretes*, sed etiam interdum bonis quoque ac probis viris est necessaria.

Etsi enim boni viri non dubitant, quin œcumenica synodus sit infallibilis, quandoque haud immeritò ac bonâ fide dubitatur, utrum aliqua synodus sit verè œcumenica. Quale dubium contigisse vidimus Hispanicæ et Gallicæ Ecclesiæ[3], circa synodum sextam et septimam, ad quas vocati non essent. Quare haud immeritò affirmamus ultimum, quo synodi œcumenicæ asserantur, esse Ecclesiæ universalis consensum cum apostolicæ Sedis confirmatione conjunctum.

CAPUT X.

Andreæ Duvallii de confirmatione sententia confutatur; nempè quòd ante eam conciliorum anathemata valeant, tantùm sub spe ratihabitionis futuræ: concilii octavi locus egregius.

Andreas Duvallius concilia quidem generalia, quibus Pontifex per legatos præest, eâ infallibilitate gaudere contendit, quam ipsa Spiritûs sancti præsentia tribuat[4]. Horum ergo decretis, quod ad fidem attinet, teneri Pontificem; neque posse negare confirmationem, si legitimo ordine processerint: vim porrò confirmationis in eo collocat, ut anathemata prolata à conciliis, absque pontificiâ confirmatione non valeant. Nempè concilia illustrant, non feriunt; tanquam Ecclesiæ doctores non habeant simul concessam divinitus et cathedram docendi, et castigandi virgam.

Hæc Duvallii sententia omnium, quascumque viderim, longè absurdissima videtur esse. Primùm enim procul dubio statim valet vel

[1] *Sup., hoc lib.*, c. v.— [2] *Gelas., ep.* XIII. *ad Episc. Dard.* t. IV. *Conc.*, col. 1200 et pen.— [3] *Sup.*, lib. VII. c. 29, 31.— [4] *Duval., Tract. de supr. Rom. Pont. potest.*, part. IV. q. VI. p. 525 et seq., edit. 1614; *Vid. Diss. præv.*, n. 22.

ab uno episcopo prolatum anathema; ac licèt solvi possit legitimo ordine, ac superioris judicio, non tamen superioris confirmationem expectat ut ratum habeatur : non valebit verò ab œcumenicis synodis prolata sententia, omnem Ecclesiæ complexa potestatem? Videsis ad quàm vana et absurda cogantur, qui ab avitâ traditione degeneres, ecclesiasticæ potestatis formam, cæcis ratiociniis ad arbitrium fingunt. Deinde etiam si id placeat, quod est falsissimum, quæ jurisdictionis sint, ad Papam omnia redigenda esse : an non ille intelligitur mandare legatis, ut exponendæ doctrinæ ita exercendæ ecclesiasticæ ultionis officium; cùm sexcenta concilia provincialia sive regionaria habeamus, in quibus legati apostolici unà cum synodis anathemata pronuntient et exequantur? quam auctoritatem conciliis œcumenicis denegari, longè absurdissimum est. 3° Libenter quærerem, ludantne nos synodi, cùm absolutè ac decretoriè pronuntiant: « Si quis non ita senserit, anathema sit? » Ac nimis profectò ineptiunt qui hæc anathemata intentari respondent à synodis sub ratihabitione et confirmatione futurâ ipsius Pontificis. At saltem audiant has formulas ab omnibus synodis frequentatas, quæ effectum ipsum denotant: « Ab Ecclesiâ projecimus; privavimus, nudavimus omni dignitate. » Ac rursùs alio modo; nudatus est, privatus est, projectus est : » tanquam perfectâ re, quam ipsi pendere volunt. Postremò si adhuc hæsitant, esto illud ab octavâ synodo decretum peremptorium, haud minùs adversùs eorum sententiam, quàm adversùs Photium : « Nos eum inobedientem et resistentem sanctæ huic et universali synodo repulimus, et anathematizavimus, atque à totâ catholicâ et apostolicâ Ecclesiâ fecimus alienum, PER DATAM NOBIS POTESTATEM IN SPIRITU SANCTO A PRIMO ET MAGNO PONTIFICE NOSTRO, LIBERATORE AC SALVATORE CUNCTORUM [1]. » Quid enim expectant qui sic pronuntiant? Sed nos in tam claris plus æquo immoramur.

Atque hæc de objectione, quæ à synodorum confirmatione petitur, dicenda habebamus. Sanè et imperatores synodos confirmarunt, diversissimâ ratione, ut vim legis ac civilis executionis obtinerent. Confirmatio autem ecclesiastica, quid sit, plenissimè explicatum esse credimus; nempe sic : vel ut insit ex communi consensione firmitas, vel ut innata jam, ac certa, magis magisque inculcetur.

[1] *Conc. C. P.* IV, *gener.* VIII. col. 1166.

CAPUT XI.

Ex antedictis resolvitur illud, duodecim sæculis inauditum; quòd episcopi jurisdictionem omnem à Papâ mutuentur, quòdque Papæ assistant, ut consiliarii tantùm, non ut judices.

Jam illud superest explicandum quod objiciunt : Episcopos à Romano Pontifice potestatem suam ac jurisdictionem mutuari; adeoque conjunctos quamlibet in Synodum œcumenicam, nihil posse adversùs auctoritatis suæ radicem ac fontem, sed tantùm adesse ut consiliarios; ac decreti robur, tam in rebus fidei, quam in aliis, in Romani Pontificis potestate esse positum.

Quod commentum, sponte vel ex eo concidit, quòd priscis sæculis inauditum, XIII sæculo invehi cœpit in theologiam, postquam scilicet philosophicis ratiocinationibus, iisque pessimis, agere, quàm Patres consulere plerumque maluerunt.

Huic vero novitati repugnat imprimis id, quod est ex Actis Apostolorum relatum de illâ Synodo apostolicâ, quam cæteris velut iterari et repræsentari Conciliis, sancti Cœlestini ad Synodum Ephesinam epistola, et Concilii quinti œcumenici interlocutio demonstravit[1]: quâ in Synodo, si quis Apostolos non veros judices à Christo constitutos, sed Petri consiliarios dixerit, nimis ineptus est.

Repugnant item ea quibus constitit Romanorum Pontificum decreta atque judicia, etiam de fide, œcumenici Concilii convocatione suspensa, auctoritate retractata, nec nisi examine facto, ac dato judicio comprobata et confirmata fuisse[2] quæ profectò probant, eos non papæ consiliarios, sed papalium decretorum sedere judices.

Et eos quidem legitimè convocari oportet, ne tumultu coeant : cæterùm convocati *auctoritate Spiritûs sancti*, non Papæ, judicant; pronuntiant anathemata, non Papæ auctoritate, sed Christi; totiesque in actis id inculcatum vidimus, ut repetere jam pigeat.

Huc accedat illud Concilii primi Arelatensis ad sanctum Sylvestrum : « Te pariter nobiscum judicante, cœtus noster majore lætitiâ exultasset; » atque in ipso Concilii capite ad eumdem Sylvestrum : « Quid decreverimus communi consilio, Charitati tuæ significamus[3]. Hâc igitur sacerdotii sui auctoritate freti, de summis rebus, de observatione scilicet Paschæ Dominicæ, ut uno die per omnem Orbem observetur; de Baptismo non iterando; deque Ecclesiarum disciplinâ judicant[4] cujus generis exempla ubique occurrunt. Quin etiam à Synodis, etiam particularibus, quibus Papa præsedit, ejus etiam

[1] *Sup.*, lib. VII. c. 7 et 14. — [2] *Ibid.*, cap. 9 et seq. — [3] *Conc. Arelat.* I. an. 314; *ep. ad Syl.*, tom. I. *Conc.*, col. 1425, 1427. — [4] *Vid. can. Conc.* I. *Arelat. ubi sup.*

præsentis decreta examinari et firmari consensione; Patres pariter judicare, decernere, definire constitit; ac millies in actis adscriptum vidimus [1].

CAPUT XII.

Quo sensu dictum sit ab antiquis, à Petro et per Petrum esse episcopatum : sancti Augustini locus.

Cæterùm in re tam clarâ unum illud ex antiquitate depromptum objiciunt, à sancto Innocentio dictum; Petrum « episcopalis nominis et honoris auctorem [2]; » et iterum, « unde ipse episcopatus et omnis auctoritas nominis ejus emersit [3]; » et à sancto Leone : « Si quid, cum eo (Petro scilicet) commune cæteris voluit esse principibus (scilicet apostolis), nunquam nisi per Petrum dedit, quidquid cæteris non negavit [4]; atque alibi item, Christum ita concessisse cæteris Apostolis prædicandi ministerium, ut in eos à Petro, « tanquam à quodam capite, dona sua velit in corpus omne diffundere [5]. Unde etiam manavit illud Optati Milevitani : « Bono unitatis beatus Petrus præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit [6]; et illud Gregorii Nysseni : « Per Petrum Episcopis dedit claves cœlestium honorum [7]; et illud denique sancti Cæsarii Arelatensis ad Symmachum Papam : « Sicut à personâ beati Petri Apostoli, episcopatus sumit initium, ita necesse est ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis quid observare debeant evidenter ostendat [8].

Hæc et alia ejusmodi ad extremum si urgeant, nempe asserent à Petro non à Christo, aut à Christo per Patrum, non autem immediatè et proximè apostolos constitutos : tanquam alius quàm Christus apostolos vocaverit, miserit, atque infuso Spiritu cœlesti potestate donaverit; ac Petrus, non Christus, dixerit : *Ite : docete : prædicate : baptizate : accipite* [9], etc. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [10].

Neque me fugit Joannem de Turrecremata, aliosque paucos, dum à se non putant sancti Leonis et aliorum jam allata dicta satis defendi posse, nisi apostoli quoque à Petro suam jurisdictionem acceperint; in hoc etiam deliramentum abreptos contra manifestissimam Evangelii veritatem : quod quidem commentum ipse Bellarminus confutavit [11].

Id ergo cùm sit omnium absurdissimum, constabit adductis Patrum sententiis hæc tantùm doceri.

[1] *Vid. Sup.*, lib. VII. pass. et etiam hoc libro. — [2] *Rescr. Inn. ad Conc. Mil.*, tom. II. *Conc.* col. 1287; *Int. Aug. epist.* CLXXXII. al. XCIII. n. 2. t. II. col. 639. — [3] *Ejusd. Rescrip. ad Conc. Carthag.*, *ibid.*, col. 1284; *Inter August. ep.* CLXXXI. al. XCI. n. 1. col. 635. — [4] *Leon. Mag.*, *Serm.* III. *in anniv. Assump. ejusd.*, c. II. — [5] *Ibid.*, *ep.* X, al. LXXX. *ad Episc. prov. Vien.* c. I. — [6] *Opt. Milev.*, *de schism. Donat. adv. Parm.*, lib. VII. *edit. Dup.*, p. 104. — [7] *Greg. Nyss.*, in eos qui castigari ægrè ferunt : t. III. p. 314. *edit. Paris.* — [8] *Cæs. Arelat.*, *Exemp. Libell. ad Sym.*, t. IV. *Conc.*, col. 1294. — [9] *Matth.*, XXVIII. 19, 20; *Marc.*, XVI. 14. — [10] *Joan.*, XX. 21, 22. — [11] *Bell.*, *de R. P.*, lib. IV. c. 23.

Primò, auctoritatem episcopalem ac jurisdictionem clavibus ac ligandi solvendique potestate contineri; quod per se est perspicuum.

Secundò, Petrum fuisse primum, in quo ea potestas ostenderetur et constitueretur, patet ex evangelicâ historiâ. Etsi enim Christus omnibus apostolis dixit : *Accipite Spiritum sanctum;* Joan., XX. 22; et, *Quæcumque alligaveritis;* et, *Quæcumque solveritis;* Matt., XVIII. 18; tamen præcesserat illud Petro dictum : *Tibi dabo claves;* et, *Quodcumque ligaveris, et quodcumque solveris;* Matt., XVI. 19.

Tertiò, utrumque, id est, et quod est Petro, et quod est apostolis dictum, æquè à Christo manare. Qui enim dixit Petro : *Tibi dabo;* et, *Quæcumque ligaveris*, idem apostolis dixit : *Accipite*, et, *Quæcumque alligaveritis.*

Quartò, verum igitur esse quod ait Optatus de Petro : « Bono unitatis claves regni cœlorum, communicandas cæteris, solus accepit. » Reverà enim quæ Petro datæ sunt, Matt., XXI, communicandæ erant postea apostolis, Matt., XVIII, et Joan., XX; communicandæ autem, non à Petro, sed à Christo, ut patet.

Quintò, verum etiam id esse quod ait Cæsarius : « A Petro episcopatus sumit initium : » cùm Petrus primus fuerit in quo per ligandi ac solvendi ministerium ostensa, inchoata, commendata fuerit episcopalis potestas.

Sextò, hinc etiam verum quod ait Innocentius : « A Petro episcopatum et omnem auctoritatem ejus nominis emersisse, » quòd ille primus omnium sit episcopus constitutus, sive designatus.

Septimò, eâ causâ vocari Petrum ab eodem Innocentio *episcopatûs auctorem;* non quòd ejus institutor fuerit, non quòd ab eo apostoli ligandi ac solvendi potestatem acceperint : reclamant enim ubique Scripturæ; sed quòd ab eo factum sit ejus potestatis inter homines collocandæ, et constituendi sive designandi episcopatûs initium.

Octavò, apostolos per orbem terrarum non Petri auctoritate, sed Christi, constituisse, ordinasse, consecrasse episcopos ac presbyteros qui Ecclesias gubernarent; atque hunc esse communicati episcopatûs unà cum ordinariâ jurisdictione fontem.

Nonò, hæc ut clariùs elucescant, ac facilè intelligatur quid sit illud, *per Petrum*, quod apud Leonem legimus, recolenda est antiqua Ecclesiæ ab ipsis Scripturis ducta traditio.

Constat ergo Domino interrogante apostolos : *Quem dicunt homines esse Filium hominis*[1]? Petrum omnium principem, omnium indutâ personâ respondisse : *Tu es Christus :* ac postea Christum Petro talem gerenti personam dixisse : *Tibi dabo*, etc. *Quodcumque ligaveris*, etc. Quo patet, his verbis, non modò Petrum; sed in Petro suo

[1] *Matth.*, XVI. 13, 16, 19.

principe, ac pro omnibus respondente, omnes apostolos eorumque successores, episcopali potestate ac jurisdictione esse donatos.

Quæ omnia complexus Augustinus hæc scribit[1] : « Cùm omnes essent interrogati, solus Petrus respondit : *Tu es Christus* : et ei dicitur, *Tibi dabo*, etc., tanquam ligandi ac solvendi solus acceperit potestatem : cùm et illud unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus, tanquam personam gerens unitatis, acceperit. » Quo nihil est clarius.

CAPUT XIII.

Patres ante Augustinum : alii Augustini : loci traditio sequentis ætatis.

Augustino præluxit Cyprianus passim. Brevis ac præclara ad Lapsos epistola sic incipit[2] : « Dominus noster, cujus præcepta metuere et observare debemus, episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro : *Ego tibi dico*, etc. ; et, *Tibi dabo claves*, etc. ; et, *Quæ ligaveris*, etc. Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. »

In uno igitur Petro omnes episcopos institutos Cyprianus agnoscit ; neque immeritò episcopatus, eodem Cypriano passim attestante, unus toto orbe terrarum, in uno est institutus : idque factum est ad stabiliendam *unitatis originem ab uno incipientem*, ut idem Cyprianus docet[3] ?

Consentit Optatus, qui *claves communicandas cæteris* apostolis, utique à Christo, ut rerum series demonstravit, *soli Petro* primùm agnoscit traditas, ut *unitatis negotium formaretur*[4].

Sed omnium maximè communem traditionem exponit et inculcat Augustinus. Neque enim semel id dixisse contentus, loco suprà memorato[5], in hujus doctrinæ exponendâ ratione totus est. Hinc illud : « In Petro esse Ecclesiæ sacramentum[6] ; » ergo ea, de quibus agimus, Christi verba dicta esse Petro « Ecclesiæ formam gerenti : « quædam dici de Petro quæ non habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit[7]. »

Hinc autem sequi docet omnes apostolos et episcopos à Christo potestatem in Petro accepisse : « Petro enim figuram Ecclesiæ sustinenti datas claves, atque hinc Ecclesiæ datas. Petrum, Paulum, Joannem, cæteros apostolos claves accepisse, easque adhuc in Ec-

[1] *August.*, *Tract.* LXVIII. *in Joan.*, n. 4. tom. III. part. II. col. 800, 801.—[2] *Cypr.*, *Ep.* XXVII. al. XXXII. *edit. Baluz.*, p. 37.—[3] *Ibid.*, *Tract. de Unit. Eccles.*, *et alib. passim.*—[4] *Opt.*, l. VII. p. 104.—[5] *Vid.* cap. præced.—[6] *Aug.*, *ep.* LIII. al. CLXV. n. 2. col. 120.—[7] *Ibid.*, *Tract. in Ps.* CVIII. n. 1. t. IV. col. 1215.

clesiâ esse, sed omnes in Petro accepisse, ut Ecclesiæ figurâ[1]; quod inculcat his verbis : « Beatus Petrus primus apostolorum; illo uno omnes claves acceperunt[2]. »

Id verò factum commendandæ unitatis gratiâ, post Cyprianum Optatum, docet : « Quando enim Christus ad unum (Petrum scil. loquitur, unitas commendatur[3] : » unde passim in libris contra natistas ait, *claves unitati datas*[4].

Summa ergo hæc est. Cùm apostoli et pastores Ecclesiarum unum sint, et multi ; unum ecclesiasticâ communione, qui un pascant gregem ; multi per orbem terrarum distributi, ac su quique unici gregis sortiti partem, ideo potestatem ipsis du Christi concessione datam ; primùm ut unum sunt, idque factu Petro principe, unitatis figuram ac personam gerente, quò perti illa vox singulari prolata numero : *Tibi dabo*, et, *Quodcumque veris*, etc. Secundò, ut multi sunt, plurali numero, quò perti illud : *Accipite*, et, *Quodcumque ligaveritis* ; utrumque autem prox et immediatè à Christo ; cùm ille qui dixit : *Tibi dabo*, ut uni ; di idem : *Accipite*, ut multis : præcessisse tamen eam vocem, quâ d potestas omnibus, ut sunt unum ; quia Christus unitatem in Ecc suâ maximè commendatam esse voluerit.

Hinc omnia elucescunt. Neque tantùm episcopi, sed etiam apo à Christo claves potestatemque acceperunt in Petro, ac suo m per Petrum, qui eam pro omnibus, ut omnium figuram ac perso gereus, communi nomine acceperit.

Manavit traditio ad posteros. Hanc universam paucis compl est Christianus Drutmarus *, noni sæculi scriptor nobilis, exposit in Matt. ad hunc quippe locum : *Quodcumque ligaveris*, etc. « tam Petro quàm omnibus apostolis et successoribus eorum, q Ecclesiâ eumdem locum tenent, rectè credimus concessum[5]. postquam evangelicis dictis comprobavit, infert : « Quod autem soli Petro, hæc legatio dici videtur, ideo fit, quia ipse locutus est omnibus, et in ipso omnibus responsum est. »

Hanc traditionem secuti, labente eodem sæculo, anno videlicet Patres Cabillonenses privilegium monasterii Tornutiensis sic tuunt[6] : « Auctoritate, quam à Christo Jesu Domino nostro, su sacerdote, in Petro accepimus, » etc. Quod totidem verbis repeti

[1] *August., de Agon. Christ.*, c. XXX. n. 32. tom VI. c. 260.—[2] *Ib., Serm.* CXLIX. *de verb.* al. XXVI. *de Div.*, c. VI. n. 7. tom. V. c. 706.—[3] *Ibid., Serm.* CCXCV. al. CVIII. *de Div.*, c. 1194, 1195.—[4] *Vid. pass. contr. Donatist.*, l. IX.

* Corbejensis monachus.

[5] *Christ. Drut., exp. in Matth.*, c. XXXV. t. XV ; *Bibl. Patr.*, p. 136.—[6] *Conc. Cabill.*, l. col. 275 ; *Vid. suppl. Conc. Gall. D. de La Land.*, p. 294.

legimus, anno 878, in ejusdem privilegii confirmatione, subscribentibus Hincmaro Rhemensi et aliis [1].

Idem legimus in Caroli Magni capitularibus ab Ansegiso collectis [2]: « Præcipimus, ne fortè, quod absit, aliquis contra episcopos leviter (hoc est, irreverenter), aut graviter (hoc est, contumeliosè), agat: quod ad periculum totius imperii nostri pertinet; et ut omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem et dignitatem sacerdotalem; quod ex verbis Domini facilè intelligi potest, quibus beato Petro, cujus vicem episcopi gerunt, ait: *Quodcumque ligaveris*, etc. » Vicem Petri dicuntur episcopi gerere, quòd acceptâ in Petro potestate, vice ac loco Petri habeantur: quemadmodum et ipsi romani Pontifices, vice ac loco Petri se gerunt, ac Petri vicarios se passim appellant; majore potestate quàm alii, sed profectò non magis à Christo deductâ.

Unde episcopi qui se vice Petri esse dicunt, iidem se Christi vicarios passim nominant [3]; non pari amplitudine, quâ romani Pontifices; sed auctoritate pariter à Christo derivatâ.

Hinc excommunicant, « virtute Spiritûs sancti, et ex auctoritate beati Petri apostoli [4]; » quippe qui intelligant, ad se quoque dicta, quæ Petro dicta sint.

Piget commemorare ejusmodi innumerabilia, quæ passim legentibus occurrent: ex quibus profectò constet episcopos omnes, in Petro omnium personam gerente, accepisse à Christo quam habent potestatem.

Neque propterea dixeris, nihil præ cæteris accepisse Petrum, qui tantùm cæteros figuraret: meminisse enim oportet, quid Augustinus dixerit: « Petrum Ecclesiæ gestasse personam, propter primatum quem in discipulis habuit [5]. » Et alibi: « Petrus Ecclesiæ figuram portans, apostolatûs principatum tenens [6], etc.; » quod assiduè inculcat, et cæteri Patres uno ore prædicant. Hoc enim habuit præ cæteris, ut, cùm esset omnium princeps, illud potestatis à Christo proximè et immediatè manantis commune depositum, principali jure et ipse acciperet, et ad successores transmitteret, ut cæteros episcopos meminisse oporteat, se primùm in Petro ut unitatis capite designatos, formatos, constitutos, in Petri successore colendo et observando, unitatem et pacem servare debere *.

[1] *Vid. Suppl. Conc. Gall., D. de La Land.*, pag. 277; *Vid. Conc. Rhem.*, ann. 900, *ibid.*, col. 481. — [2] *Capitul. Car. Mag.*, lib. v. c. 163. — [3] *Præf. Conc. Meld.*, t. VII. *Conc.*, col. 1816 et seq. — [4] *Conc. Vienn.*, can. I. t. IX. col. 433. — [5] *August.*, *Enarr. in Psalm.* CVIII. n. 1. t. IV. col. 1215. — [6] *Ibid.*, *Serm* LXXVI. al. XIII. *de verb. Domini*, c. II. n. 1. t. V. col. 416.

* In eo loco codicis quem diligentiori curâ recognovit Bossuet, hæc ad marginem, ipsius scripta manu, legimus: *Caput* XIV. *Ecclesiæ Hispaniensis traditio in concilitis Toletanis et in concilio Tridentino*; et in schedâ hic insertâ: *Notanda est traditio Ecclesiæ Hispaniensis, ante caput* XIV. Quapropter deleto numero capitis sequentis, pro XIV posuerat XV. Cùm autem solitus fuerit Bossuet in schedis ea scribere quæ suo operi addebat, et ea sola nobis supersint hujus capitis indicia; an ab auctore illud caput confectum fuerit, an schedæ amissæ fuerint, prorsus ignoramus. (*Edit. Paris.*)

CAPUT XIV.

Cleri gallicani ab antiquâ traditione ducta sententia: conventûs generalis anno 1 adversùs Joannem Bagotium acta memorantur.

Hanc sanctam et apostolicam episcopalis jurisdictionis ac potest à Christo immediatè profectæ et institutæ doctrinam, Ecclesia g licana studiosissimè retinuit, nec passa unquam est ab eâ traditi deflecti.

Ut alia omittamus, nostrâ memoriâ, anno videlicet 1655, Joan Bagotius degenerem sententiam, quâ vilescat episcopatus, pre gnasse visus erat*. Id cùm clerus gallicanus maximo ac frequen simo consessu Parisiis congregatus molestissimè tulisset, purgavi coram amplissimo cœtu Bagotius, professusque est disertis verb « Episcopos immediatè à Christo accipere jurisdictionem, atque suis Ecclesiis gubernandis eâdem auctoritate pollere, quâ apostoli

Idem Bagotius docere visus, « ita se habere Papam respectu juscumque episcopi, et cujuscumque diœceseos, ut se habet scopus respectu cujuscumque curati, et cujuscumque parœciæ d ceseos; » id à se dictum negavit; *atque inter utrumque ingens dis men* esse professus est, *etiam jure divino.*

Sacer verò cœtus fideles omnes edoceri voluit, « constitutam Christo Papæ auctoritatem in totâ Ecclesiâ, episcoporum verò in diœcesibus; quæ doctrina esset conciliorum Lateranensi sub In centio III, Florentini, ac Tridentini. »

Eam doctrinam gallicani Patres luculentiùs exponunt, datis more litteris, ad omnes coepiscopos, quarum hæc summa est « Neminem orthodoxum dubitare, quin Papa sit caput, pastor primas universalis Ecclesiæ, uti loquitur concilium Florentin cujus potestatis jure posse eum in casibus ac formâ in jure pres ptis, providere regimini omnium Ecclesiarum, omnique pasto functioni. Verùm ea doctrina non destruit jus episcopale, ne propterea admitti delegatos sine causâ, qui sine episcoporum lic tiâ omnia eorum munia obire possint: hierarchiam nihil esse al quàm subordinationem quamdam membrorum ad caput; eò e comparatam ut membra conservet sub capitis regimine; ac licèt u que et caput et membra potestatem ac vitam ducant ab eod Christo, non tamen eâdem vi neque pari auctoritate; apostolos ha minùs Petro fuisse subjectos, quanquam æquè ac Petrus à Chris missionem habuissent; ita episcopos, qui apostolis successeri haud minùs à Christo habere potestatem, licèt eam exercere s

* In suo libro cui titulus est: *Défense du droit épiscopal.*

1 *Vid. Act. du Clergé de* 1655.— 2 *Vid. ibid.*

Papâ Petri successore debeant : cæterùm violari episcopatum, qui secundùm Cyprianum unus est, nisi episcopus agnoscatur à Spiritu sancto præpositus gregi ; qui se ab ejus auctoritate segregaverit, ab eo id pati Ecclesiam, quod sol erepto radio, obstructo rivo fons, detracto uno ramo arbor tota pateretur : ac neminem Ecclesiæ verè esse conjunctum qui non agnoscat, et superiorem in totius corporis capite potestatem, et quæ in subjectis particularium Ecclesiarum capitibus vigeat : et Papam quidem instar petræ esse, quâ fundatur Ecclesia : episcopos verò columnarum instar, quâ portetur ; atque omnino ad sustentandam tanti ædificii structuram, et petram, et columnas æquè conservari oportere. »

Hanc celeberrimi conventûs acceptam à majoribus et tradendam posteris sententiam, aulicis artibus aliquanto tempore interceptam, conventus Ecclesiæ gallicanæ, anno 1682, innovavit ac promulgavit.

Hoc sacrum depositum ab omni Patrum memoriâ Sorbona custodit. Neque unquam innoxios habuit qui aliud sentirent, ut à nobis prolata monumenta testantur [1].

Nimia illa quidem, inquies, quæ potestatem jurisdictionis parochorum æquè ac episcoporum et Papæ, à Christo esse docet, ut ex eisdem monumentis atque ex novissimâ Vernantii censurâ patet.

Qui hæc objiciunt, doctrinam sacræ Facultatis non intelligunt : disertè enim explicat hic agi de parochis, non quantùm ad *limitationem*, sed quantùm ad *institutionom primariam* ; subditque in censurâ Vernantii : « Salvâ semper immediatâ episcoporum in prælatos minores, seu curatos et plebem subditam auctoritatem. »

Mens ergo Facultatis de secundi ordinis sacerdotibus non ea est : institutum à Christo, ut sint eo ritu, quem nunc Ecclesia servat, in parœcias distributi ; id enim pertinet ad eam limitationem, quam à Papâ quidem et ab Ecclesiâ esse ipsa Facultas docuit ; sed omnino à Christo esse id, quod ad *primariam* hujus ordinis *institutionem* pertinet ; nempè ut ille ordo sit in Ecclesiâ necessarius, et secundo loco sub episcopis ecclesiasticam jurisdictionem exerceat ; quam cùm exercet, non ab alio quàm à Christo, secundùm canones et episcoporum juxta præscripta, exercendam accipiat : ita ut episcopis, à quibus consecrantur et instituuntur, tanquam immediatis pastoribus, vicariam operam præstent : quod est verissimum.

At episcopos, licèt Papæ divino jure subjectos, ejusdem esse ordinis, ejusdem characteris, sive ut loquitur Hieronymus [2], *ejusdem meriti*, *ejusdem sacerdotii*, collegasque et coepiscopos appellari con-

1 *Vid. Sup.*, lib. VI. cap. 23 et seq. — 2 *Hier.*, *epist.* al. *Evang.*, CI. al. *ad Evag.* LXXXV. t. IV. col. 803.

stat : scitumque illud Bernardi ad Eugenium papam [1] : « Non es dom[illegible] nus episcoporum, sed unus ex ipsis. »

Quod ergo nuperrimè inventum est, episcopos à Papâ jurisdicti[illegible] nem habere, ejusque quosdam esse vicarios, ut duodecim sae[illegible] inauditum, à scholis christianis amandari oporteret.

CAPUT XV.

Auctoris anonymi, de jurisdictione episcopali à summo Pontifice profectâ, vana [illegible] mentationes : sancti Gregorii loci : Bellarmini objectio : sancti Felicis III [illegible]

Quàm firma et antiqua sit nostra sententia, aliorum vani con[illegible] docent, ac præsertim anonymi, qui *de libertatibus* scripsit. Is ea[illegible] ut nihil intactum relinqueret, quo vilesceret episcopatûs digni[illegible] totum VIII librum in hâc quæstione consumpsit, conquisitis undi[illegible] auctoribus, qui degenerem sententiam sequerentur [2]. Et qui[illegible] scholasticos ac postremæ ætatis auctores facilè invenit, multos[illegible] laudavit : ex antiquitate nihil omnino protulit, præter illa, quæ[illegible] Petro dicta retulimus; quæ quàm abs re sint, omnes eruditi vi[illegible]

Sanè et Joannem Ravennatem retulit, qui ad sanctum Gregor[illegible] de romanâ Ecclesiâ hæc scribat : « Quæ universali Ecclesiæ jura [illegible] transmittit [3]. » Sed hæc nihil aliud sonant, quàm omnium Ecclesiar[illegible] jura, etiam Ecclesiæ romanæ auctoritate muniri, eòque recur[illegible] omnes, quorum jura violentur; quod est certissimum. Si quis au[illegible] illa verba eò pertinere putet, ut à Papâ, non à Christo episcop[illegible] jura profluant, næ ille arbitretur à Joanne Ravennate plus tribui G[illegible] gorio quàm ipse sibi Gregorius tribuat; is enim nihil aliud P[illegible] auctori suo tribuit, quàm ut ei à Christo « cura totius Eccle[illegible] et principatus commissus sit [4] : » hoc est, ut universam qua[illegible] Christo instituta est, regat Ecclesiam; non profecto ut omnia Ec[illegible] siæ jura à se, non à Christo, transmissa esse putet. Idem Grego[illegible] de se cæterisque fratribus Ecclesiarum episcopis hæc scribit : « Q[illegible] ergo nos episcopi dicimus, qui honoris locum ex Domini nostri [illegible] mititate suscepimus, et tamen superbiam hostis ipsius imitamur [illegible] Nempe se accenset cæteris, qui *honoris locum* à Christo æquè su[illegible] piant; non eum se esse vult, qui omnia jura cæteris tribuat. Q[illegible] etiam loco id scribit : « Certè Petrus apostolus primum membr[illegible] sanctæ et universalis Ecclesiæ est; Paulus, Andreas, Joannes q[illegible] aliud, quàm singularum sunt plebium capita [6] ? » à Christo utiq[illegible] non à Petro constituta; unde subdit : « Et tamen sub uno ca[illegible]

[1] *Bern., de Consid. ad Eug.*, l. IV. c. 7. n. 33. t. I. col. 444. — [2] *Anon., de Libert.*, etc., l. [illegible] impr. c. 10, 11. — [3] *Joan. Ravenn., epist. ad Greg. Mag., epist.* LVII. l. III. al. LV; l. II. t. [illegible] col. 668. — [4] *Greg. Mag.*, l. V. ep. XX; *Maur. Aug.*, al. l. IV. ep. XXXII; *ib.*, col. 748. — [5] *Ibid.*, ep. XVIII. *ad Joan. C. P.*, al. l. IV. ep. XXXVIII. col. 744. — [6] *Ibid.*, col. 743.

omnes membra sunt Ecclesiæ. » A quò quidem capite, Christo scilicet, vim omnem suam ducunt; non à Petro, qui licèt suo modo caput omnium, respectu tamen Christi, unà cum ipsis membrum est; omnibusque pariter virtus et auctoritas à Christo tribuitur, ac licèt non æqua omnibus, tamen omnibus æquè *.

Non ergo à se putent romanum Pontificem honoratum, dum volunt episcopos illi, potiùs quàm Christo, referre acceptam eam, quam exercent, cœlestem jurisdictionem. Gregorium recordentur. « Non honorem, inquit [1], esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco **: meus namque honor est, honor universalis Ecclesiæ. Tunc ergo verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur.

Nihil autem ad rem, quæ scribit anonymus de Alexandrino et Antiocheno patriarchatu, per Petrum apostolum constituto; longè verò minùs ad rem, quod etiam de phantastico Galliæ patriarchâ singulari capite agit [2]; ac pudere debuit virum gravem, in his etiam somniis confutandis tantum operæ collocasse. Sed certum erat nihil prætermittere, quod aliquam Gallis invidiam apud imperitas conflare posset.

Metropolitanas Ecclesias, præsertim in Galliâ, suam à summo Pontifice auctoritatem traxisse narrat [3] : quo causæ suæ emolumento? Nempè et Paulus Titum in Cretâ metropolitam instituit, jussitque ut per Ecclesias episcopos constitueret [4]. An hic etiam necesse fuit intervenire Petrum? An Petrus Ephesinam, Cæsariensem, Heracleensem, aliasque in Oriente primarias sedes instituit, quæ non modò episcopos, sed etiam metropolitas plurimos sub se haberent?

Quòd verò episcopatum toto orbe terrarum ab uno Petro et successoribus propagatum dicit, nullâ probatione dicit : tanquam alii apostoli nihil egerint. Quòd non nisi auctoritate Petri distributas diœceses, et cuique pastori suum assignatum gregem asserit [5] : quòd, quidquid cæteri apostoli, Paulus etiam apud Cretenses, egerint et jusserint, Petri et successorum expresso vel tacito consensu valuisse respondet; hæc contemnenda potiùs, quàm confutandâ duximus, et in tantâ litterarum luce ab homine gravi dici potuisse miramur.

Jam quòd his ratiociniis delectatur : episcopi Papæ subjecti sunt;

* Argumentum Bossuet confirmatur his Gregorii verbis in eâdem epistolâ. « Numquid non.... » per venerandum Chalcedonense concilium, hujus apostolicæ Sedis antistites.... universales » oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus » sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne, si sibi in pontificatûs gradu, gloriam singularitatis » arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur. » Ibid. col. 743. (*Edit. Paris.*)

1 *Greg. Mag.*, l. VIII. ep. XXX. *ad Eulog. Alex.*, al. l. XXX. col. 919.

** Videtur ab Eulogio vocatum fuisse Gregorium *Papam universalem*, quem titulum arrogantiâ plenum Gregorius repudiabat. « Scio qui sum, inquit, qui estis : loco enim mihi fratres » estis, moribus Patres. » Deinde sequuntur ea verba quæ Bossuet allegat. (*Edit. Paris.*)

2 *Anon., de Libert.*, etc., lib. VIII. c. 3. 4. — 3 *Ib.*, c. 5 et seq. — 4 *Tit.*, 1. 5. — 5 *Anon., ibid.*, c. 12. n. 2.

episcopi à Papâ deponi, à Papâ reponi possunt (servatis quid canonibus) : episcopalis jurisdictio ab ipso ordine sive charact separari potest; ergo à Papâ est : episcopi inæqualem nec eam cum Papâ jurisdictionem accipiunt; ergo non à Christo [1] (q Christo non licuerit, honorem ac potestatem à se immediatè di sam diversâ mensurâ, modoque, et certo ordine temperare ac tribuere) : ne memoratu quidem dignum est.

Nec melioris notæ illud : « In regimine monarchico supremus p ceps officia aliis etiam principibus distribuit, ac jurisdictionem fert. » Demonstrandum enim erat, ecclesiasticam monarchiam, Christo præcipuo monarchâ constitutam, ad formam monar sæcularis penitus institutam esse; quod est falsissimum : id, inqu Scripturis et traditione demonstrandum; non ex proprio cerebro, nisque ratiocinationibus christianæ reipublicæ forma effingenda

Illud verò longè est absurdissimum, quod statim significat : risdictionem ab eo esse, qui confert titulum [2] : » Item ab apos eorumque successoribus esse, qui diœceses seu parochias distri rint, fundarint ecclesias, pastores constituerint, plebem assigna Cui enim non sit obvium, ab apostolis, apostolicisque viris sep loca, personas designatas; à Christo tamen ipso jurisdictionem collatam? Quòd si verbis ludimus, contendimusque à Christo in diatè non esse, quod sit per homines; jam ergo nec papalis juri tio à Christo sit. Romanus enim Pontifex æquè ac cæteri ab hom bus eligitur, ab hominibus ordinatur. Quis autem ei romanam cesim assignavit, cujus est peculiaris episcopus? A quo episcop hanc jurisdictionem accepit? An à Petro et antecessoribus jam dem in cœlum assumptis? An fortè à se ipso ut Papâ, non autem Christo? Apage deliria, vana ratiocinia evanescant.

Memorat Bellarminus [3] bullas pontificias episcoporum instituen rum causâ datas. Neque quidquam aliud profert * : neque record quàm hæc novitia ac postremæ ætatis sint; et quàm nec ad Græc nec ad alios Orientales pertineant, quos non eâ conditione, ut b deinceps acciperent, Ecclesia catholica toties susceperit; imò antiquo usu reliquerit.

Neque tamen refugimus id, quod est à Felice III dictum [4] : « quam (apostolicam scilicet Sedem) largiente Christo, omnium s datur dignitas sacerdotum : » non quòd eos institueret omnes e scopos, quod est falsissimum; sed quòd malè et præter canonic

[1] *Anon., de Libert.*, etc., lib. VIII. tot. cap. — [2] *Ibid.*, c. 1. n. 9; c. 8 n. 14; c. 12. n. 5, 6 — [3] *Bell., de R. P.*, l. IV. c. 24.

* Multa quidem profert; sed illud argumentum maximè urget, tanquam præ cæteris firm mum. (*Edit. Paris.*)

[4] *Felix III, ep.* XIII. *ad Flav. C. P.*, tom. IV *Conc.*, col. 1089.

ordinem institutos, à suâ communione, suo quodam jure depelleret, eisque communicando solidaret.

De tribus patriarchis, qui cæteros deinde episcopos confirmarent, à Sede apostolicâ confirmandis, quod objiciunt, etiam si esset certissimum, et vetustissimum, atque ab ipsâ christianitatis origine repetitum; quid ad nos pertinet? cùm certum sit, Carthaginensem Ecclesiam, et antequam Constantinopolitanæ Sedi subderentur *, Ephesinam, Heracleensem, Cæsariensem in Cappadociâ, aliasque absolutæ ordinationis jure gavisas : quo etiam potitas esse Gallicanas et Hispanienses Ecclesias, ex antiquis utriusque Ecclesiæ canonibus erui, æquis constabit judicibus. Dicant tamen an valuerint, an non?

Sæpè vidimus romanorum etiam Pontificum electionem atque institutionem, si quid dubii fortè intervenit, conciliorum atque Ecclesiarum consensione, auctoritate, decreto agnitam et firmatam, multosque, ipso fatente Baronio [1], intrusos, simoniacos, nullosque Pontifices, summâ tamen auctoritate valuisse; quòd Ecclesia catholica, tacito saltem consensu, eorum institutionem ac gesta comprobaret, rataque haberet. An ergo propterea romani Pontificis jurisdictionem ab Ecclesiâ esse dicemus? Sed nos in perspicuâ re plus æquo immoramur. Satis enim scimus, neminem dissensurum, qui quidem antiquitatem vel primoribus labiis degustarit : neque futuros unquam fuisse, qui jurisdictionem omnem ecclesiasticam ab ipso Papâ repetendam ducerent, nisi et fuissent, qui cùm omnia extraordinariè habere et gerere affectarent, omnino imminutâ episcoporum potestate sibi opus esse crederent.

CAPUT XVI.

Loci sancti Joannis Chrysostomi, à novissimo auctore anonymo objecti.

Novissimus auctor anonymus multa ex beato Joanne Chrysostomo et Augustino profert, quibus ea, quam tuemur, conciliorum auctoritas infringi videatur. Libri enim v caput XII hunc titulum præfert : *Sententia sancti Joannis Chrysostomi de comparatione beati Petri cum cæteris apostolis, etiam simul unitis* [2]. Quo loco congerit mira, sed omnino extra rem; ut vel exinde specimen capi possit, quàm sit ejus auctoris, ad speciem magis quàm ad veritatem composita oratio.

Ad hanc ergo Christi interrogationem : *Vos autem quem me esse dicitis?* hæc à Chrysostomo notata memorat, quibus significet, « superius esse sancti Petri circa fidem judicium, cæterorum omnium apostolorum judicio. »

* Subditæ quidem sunt à Chalcedonensi synodo, ut videre est act. XV. (*Edit. Paris.*)

[1] *Vid. Baron., de Serg. III, Land., Joan. X, Joan. XI*, t. x.— [2] *Anon.*, l. v. c. 12. n. 1.

Primùm quidem, « Petrum non solùm omnes alios repræsenta omnium vice ad interrogationem Christi respondendo, sed ipso etiam non expectasse suffragium [1]; » quod quidem verissimum sed nihil ad rem. An enim coram ipso Christo præsidem egisse vi et singulorum rogare potuisse sententiam? Rem absurdam prin tum etiam inutilem; non enim necesse id erat, cùm vel inde à p Christi miraculo in Canâ Galileæ Joannes scripserit : *Crediderun eum discipuli ejus* [2]; et utique non in hominem, sed in Deum c bant, atque id Petro gnarum.

Neque magis est ad rem id, quod anonymus notatum à Chr tomo memorat, Petrum *præsiluisse et prævenisse* [3]. Prævenit certè omnium responsionem, non omnium fidem. Neque ad stionem pertinet, an Petrus, rogatis aliorum suffragiis, pro om responderit. Non enim id quisquam cogitat, eò obstringi rom Pontificem Petri successorem, ut nihil communi nomine pronu nisi rogatis omnium suffragiis, cùm, ex omnium Ecclesiarum municatione, facilè intelligere possit communem tradition fidem, quam exponere teneatur.

Jam anonymus ad hæc verba Chrysostomi : *Os et vertex c totius*, notare debuisset, eum esse oris loco, qui promat quid sentiant. Quod autem illud adscribit (nota hæc verba) VERTEX SORTII TOTIUS, ET NON APOSTOLORUM TANTUM SEORSIM SUMPTO quàm futile! Quis enim inter catholicos dubitat quin romanus tifex sit caput et vertex totius Ecclesiæ? An proinde ejus se omnium sententiæ prævaleat, quæstio est. Quin senatûs pri totius ordinis princeps caputque dicitur : quod non eò dixer romanus Pontifex non majore dignitate polleat, sed quòd e jactant, cum inferiori quoque dignitate constent.

Anonymus memorat [5], secundo loco, à Chrysostomo not Petrum perfectiore modo Christum cognovisse, quàm qui eum Dei antea confessi fuerant; quod de cæteris aliquatenus verum de apostolis certè absurdissimum, quos ante Petri confessio nudum hominem credidisse, nemo nisi impiè dixerit; ac, Chrysostomus diceret, commodâ interpretatione in aliam s tiam emolliendus esset, quod hujus loci non est.

Observat, tertio loco, hæc verba Chrysostomi : *Pater ill loqueretur suggessit :* unde concludit anonymus [6] : « Petrum sententiæ sibi à Patre suggestæ promulgatorem, non humana nionis relatorem extitisse. »

Quo loco multa peccat primùm quòd nemo cogitet Petrum,

[1] *Chrys., Hom.* LIV. al. LV. *in Matth.*, tom. VII. p. 546 et seq.; *Matth.*, XVI. 15. — [2] 31. — [3] *Anon.*, lib. V. c. 12. n. 2. — [4] *Ibid.*, n. 1. — [5] *Ibid.*, n. 3. — [6] *Ibid.*, n. 4.

et aliorum exposuit fidem, *humanæ tantùm opinionis relatorem* se. Non enim humana opinio est, in quam de Christo Deo olicus ordo consentiat. Tum stant illa duo simul, et Petrum unis fidei esse interpretem, et eam nihilominus à Patre ac- n esse.

d quarto et quinto loco anonymus memorat, ad Petrum ac propriè factam esse promissionem de ædificandâ super Ecclesiâ [1]; » et cùm à Chrysostomo dicitur Ecclesia super ipsam niti [2], id intelligi debere per singularem quemdam respectum um ejusque successores in Sede apostolicâ, eximios fidei pro- s ac prædicatores; tum Petrum pastorem universi gregis esse tum. Omnes quidem, ac præcipuè Parisienses nostri et Gal- Patres confitentur; neque in communi fide stabiliendâ labo- n fuit.

e etiam negant id quod ab anonymo, sexto loco, est positum : tro verè, propriè, ac excellentiori modo revelata fuerat divinitas ;..... ita ipsi verè et propriè et immediatè dari claves cœlorum [3] : » hæc enim postrema sunt certissima, additis sanè e ex Augustino ac Patrum traditione hausimus [4]. At superest , quâ conditione, quâ lege administrandæ claves, idque ex ali traditione explicandum, non ex uno ambiguo et utrique iæ apto Chrysostomi loco.

d autem et hic et septimo loco notatum ab anonymo est [5]; m ad altiorem divinitatis Christi cognitionem evectum » quàm apostoli, quis asserere audeat? Certè ad excellentius ejus inum adductum fuisse constat; quod sufficit.

d est octavo in Chrysostomo observatum [6]; Jeremiam quidem nti, Petrum verò universo terrarum orbi esse præpositum, egat; ut eloquentissimè, ita suo modo verissimè à Chrysos- sse dictum [7]? cùm præfectura Petri, non modò amplitudine, m ordinariâ potestate præstet.

d denique anonymus Chrysostomum sic conclusisse me- [8] : « Tu verò mecum, ex eis omnibus intellige, quanta sit po- ejus, » ad hæreticos certè vertenda sunt, non ad Parisienses, d Patres gallicanos, qui hanc potestatem esse maximam, ac cœlestem confitentur.

d autem, ex alio Chrysostomi loco, hæc infert anonymus [9] : etrus splendor totius mundi, si apostolorum doctor, ab ipso non ab aliis ipse instrui atque doceri indiguit : » quorsum

m., l. v. c. 12. n. 5, 6, 7. — 2 *Chrys., loc. jam cit.*, n. 2. p. 546. — 3 *Ibid.*, n. 7. — 4 *Sup.*, , cap. 12 et séq. — 5 *Anon., ibid.*, n. 8. — 6 *Ibid.*, n. 9. — 7 *Chrys., loc. cit.*, p. 548. — n. 3; *Anon.*, l. v. c. 12. n. 10. — 9 *Anon., ibid.*, n. 11.

spectat? Nisi fortè ut Paulus Petrum temerè, non modò docui sed etiam reprehendisse videatur.

CAPUT XVII.

Alius Chrysostomi locus, in Acta apostolorum.

Noster anonymus ultimo loco memorat beati Chrysostomi liam III in Acta apostolorum, in eâque vim facit maximam sanctus doctor exponit sermonem Petri de uno ex discipulis in gium apostolicum cooptando. Quo loco Chrysostomus id Petrum ubique loqui primum : græca autem sic habent : « Et vidus, et ut is cui à Christo grex esset creditus, et ut cœtûs ceps, semper primus incipit loqui : » hoc autem omnes confit Chrysostomus paulò post : « Considera quàm Petrus agit om communi discipulorum sententiâ, nihil auctoritate, nihil impe quæ nobis quidem prosint, potiùs quàm noceant. Post multa jecta subdit : « Multitudini permittit judicium, et eos qui el reddens reverendos, et seipsum ab invidiâ liberans ; » ac p « An non licebat ipsi eligere? Licebat et quidem maximè; ver non facit, ne cui videretur gratificari [2]. » Quo loco noster ano somniat voluisse Chrysostomum, ut Petrus jure suo potuerit negotium peragere, etiam inconsultis fratribus, quod procu Chrysostomi mente, et ab illis temporibus. Id voluit Chrysos Petro sacri cœtûs principi licuisse, ut sicut de electione verba fecerat, ita simul aliquem designaret, atque deliger quem alii deinde facilè consentirent. Quod quidem est eliger solum, sed primum. Hoc autem non fecit Petrus. Indefinitè *Oportet testem resurrectionis Christi nobiscum fieri unum ex* Notat ergo Chrysostomus Petri modestiam, qui aliorum n præoccupare judicia. At si (quod Chrysostomus ne cogitat qu id volunt, ut Petro vel soli licuerit totam rem pro potestat ficere; quid postea consequetur? Certè ut Petri successor, ab Ecclesiâ etiam congregatâ, aliquid possit, puta deligere a episcopum ; non proinde summa hæc definire possit, quæ ad quæ ad schisma ; quæ ad universalem reformationem pertine in re quæstio est posita. Quamobrem Chrysostomus, utcumque gendus est, ipse certè anonymus extra quæstionem ludit.

Quæ deinde sequuntur ab anonymo relata verba Chrys variè leguntur in græcis codicibus, et vulgatus quidem inte quem sequitur anonymus, sic habebat : « Quanquam autem (Petrus) constituendi jus par omnibus, tamen hæc congr

[1] *Anon.*, l. v. c. 12. n. 12; *Chrys.*, *Hom.* III. *in Act.*, n. 1. t. IX. p. 23. — [2] *Chrys.*, *ibid.* IX. p. 25. — [3] *Act.*, I. 22.

nat ob virtutem viri ; et ob hoc quod tunc temporis præfectura honos erat, sed cura subditorum [1]. » Unde illa anonymi vana : trum habuisse jus par omnibus, non solùm SEORSIM, sed etiam L SUMPTIS [2]. » An Chrysostomus hoc dicit? Non has argutias in lari sermone tantus orator sectabatur; nihilque aliud hæc in-, quàm ut Petrus æquè ac cæteri potuerit aliquem deligere, gnare primus ; id tamen aliorum arbitrio reliquerit.

dicimus ad Chrysostomi locum, prout legit interpres ; at alia est, quam vulgati codices retinuerunt. Sic autem habet ad m : « Quanquam nec æqualem omnibus constitutionem ha-, etc., » affirmationis loco, negatione repositâ : quam lectionem re non est animus ; ac duntaxat monemus anonymum, re-dum fuisse ad fontes, neque ex incertâ lectione certam con-nem elici debuisse.

lud palmarium putat, quod subdit Chrysostomus : « Meritò s omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes in manu : ad hunc enim Christus dixit : CONFIRMA FRATRES . » Quo loco anonymus subtile illud suum inculcare non *Omnes habet in manu*, ergo *omnes simul sumptos ;* quæ tamen ficerent ; et quando quidem rem ad extremos apices urget, debuisset ; Petrum etiam solum omnia potuisse quocumque otio : nec tantùm in designando Matthiâ ; sed etiam in expo-fide, in extinguendo schismate, in constituendâ universali nâ ; idque absolutè et ad nutum, nec ullâ coapostolis delibe-permissâ : qualia nec Petrus, nec ipse Chrysostomus, nec m homo sanus somniavit.

quidem confitemur, Petrum omnium primum, ut ait Chrysos-, non tamen solum in Ecclesiæ negotiis meritò *usurpare*, vindicare *auctoritatem*, et confirmare fratres jussum, et suo loco diligentiùs expendemus [4], ejus, in re obviâ neque m controversâ, prono omnium assensu obtinuisse senten-Cæterùm, ubi gravis orta est dissensio, qualis illa de lega-, Act. XV, variabantque sententiæ, sigillatim dixisse et judi-omnes, remque esse decisam omnium auctoritate conjunctâ : lud extiterit : *Visum est Spiritui sancto et nobis* [5] ; missumque clesias non unius Petri, sed omnium apostolorum, quotquot poterant, ut ipse Chrysostomus loquitur [6], *commune decretum*.

ost., *Hom.* III *in Act.*, n. 3. t. IX. p. 26.— [2] *Anon.*, *loc. cit.* — [3] *Chrysost.*, *Hom.* III *in* 3. t. IX. p. 26.— [4] *Inf.*, l. IX. — [5] *Act.*, XV. 28.— [6] *Chrys.*, *Hom.* XXXIII. *in Act. Apost.*, 253.

CAPUT XVIII.

Sancti Augustini locus ab eodem anonymo objectus, contra conciliorum auct[illegible] indeclinabilem.

Idem anonymus auctor, libro VII, hunc objicit sancti A[illegible] locum ex libro secundo adversùs donatistas; quo loco [illegible] doctor respondet donatistis, qui auctoritatem conciliumque [illegible] assiduè objectabant. De conciliis autem hæc habet : « Et ipsa [illegible] quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum [illegible] liorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe christiano, si[illegible] ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpè priora posterioribus [illegible] dari; cùm aliquo rerum experimento aperitur quod clausum [illegible] vel cognoscitur quod latebat [1]. » Huc usque anonymus. Add[illegible] illud ejusdem Augustini ex eodem libro : « Nam et concilia po[illegible] prioribus apud posteros præponuntur, et universum partib[illegible] optimo præponitur [2]. »

Probat anonymus, hic agi de conciliis stricto sensu plen[illegible] quòd Augustinus loquatur de conciliis, *quæ fiunt ex univer[illegible] christiano*. Probat agi *de fidei quæstionibus*, quod *hæc de [illegible] dicta sint, occasione hæresis scilicet donatistarum baptismum [illegible] tium*. Queis fretus, hæc ait : « Respondeant huic Augusti[illegible] qui judicium concilii judicio Papæ in fidei quæstionibus præ[illegible] Meliùs diceremus : Respondeat anonymus hæreticis, qui un[illegible] præ cæteris jactant locum, ut in fidei quæstionibus, conci[illegible] menica errare posse probent. An fortè respondebit, id quod [illegible] profitetur, agere se de conciliis, *à quibus summus Pontifex [illegible] legati absint?* non ita Augustinus : de conciliis agit qualia [illegible] que celebrabantur verè œcumenicis, quibus cum aliis epi[illegible] universo orbe christiano congregatis romanus Pontifex [illegible] episcopalis princeps et caput interesset.

Sanè non Parisienses privatim, sed tota theologorum et [illegible] tarum schola profitetur certos esse casus, eosque extraor[illegible] in quibus concilia generalia sine romano Pontifice celebrari [illegible] Neque ea concilia quisquam theologorum, ac ne ipse quid[illegible] anonymus, cùm nempe in eos casus incidimus, *qui non [illegible] patiuntur* [3]. At illi casus nondum inciderant ut eos ab A[illegible] prævideri necesse fuerit. Illud certè concilium ex orbe [illegible] collectum, quod objiciebat donatistis, non sine romano [illegible] celebratum esse, aut Augustinus significat, aut quisquam [illegible] cogitavit. Imò illud concilium, quo donatistas premebat, a[illegible]

[1] *Anon.*, l. VII. c. IX. n. 11; *Aug.*, l. II. *de Bapt. cont. Donat.*, c. III. n. 4. t. IX. col. [illegible]
[2] *Ibid.*, c. VIII. n. 14. col. 104. — [3] *Ibid.*, l. V. c. 10. n. 4; c. 11. n. 3, etc.

erat actum. Idem concilium irrefragabilis auctoritatis fuisse, tinus docet : id enim ubique agit, ut de rebaptizatione, de quâ tur, nullus jam supersit dubitandi locus, postea quàm ea io « ad concilii plenarii auctoritatem roburque perducta est[1]. » ncilio si anonymus derogat auctoritatem, aut ab Augustino tam putat, palam ad hæreticorum castra transit, qui veris iisque conciliis œcumenicis adversantur. Quare aut hæreticis angat oportet, aut hunc, quem nexuit, nodum, nobis ipse rat. Atque hi sunt qui invidiosissimè jactant favere nos hære- quòd catholicam innoxiamque sententiam tueamur : ipsi inte- hæreticis arma mutuantur, quibus conciliorum fidem aucto- nque proterant.

facilè cum Bellarmino aliisque catholicis respondemus, agi hic de conciliis verè œcumenicis, eaque indubiè emendari à posterioribus conciliis in rebus facti aut disciplinæ varia- : quem sensum Augustinus apertè indicat his verbis, « plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cùm aliquo rerum mento aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod t. » Ergo Augustinus spectat non ipsam incommutabilem veri- quam sola apprehendat fides ; sed eas profectò res, quæ *in experimento* sunt positæ : quibus verbis ab Augustino desi- fidei veritates, neque ratio sinit, neque quisquam in ejus nquam repererit.

quod anonymus objicit, id à sancto Augustino dictum, occa- fidei ab hæreticis læsæ, quid agat ignoramus. An ut concilia enica in fide errare possint? Impium, hæreticum, omnibus eis detestandum. An ut Augustinus cum hæreticis senserit, isque universalibus legitimis detraxerit auctoritatem? Absur- erroneum, ipsi Augustino contrarium : cùm is non aliâ magis e donatistas à rebaptizatione deterreat, quàm quòd ab uni- is concilii auctoritate recesserint. Prorsus anonymi nos piget, nciliaris auctoritatis odio ad hæc misera et infanda prosiliat. tem cum catholicis facilè respondemus : verba quidem Au- , quæ cum hæreticis anonymus urget, occasione quidem fidei rolata : nihil tamen prohibere, quominus occasione captâ de orum decretis universim tractet, atque ab uno casu transeat , quibus priora concilia etiam plenaria à posterioribus emen- ssint. Agebat enim adversùs donatistas universalis Ecclesiæ ptores, qui proinde conciliorum auctoritatem, non ex illâ à o Ecclesiæ universalis factâ promissione, sed humano more abant. Quâ quidem intentione sufficit, ut probet donatistis,

1., *loc. cit.*, c. 1, 4. 9.— 2 *Bell.*, *de Conc. auctor.*, lib. II. c. 7.

anteriùs habitum Cypriani concilium objicientibus, posteriora concilia anterioribus meritò anteponi; in iis certè casibus, in quibus esse possit emendationi locus. Cæterùm cùm eos casus ad *rerum experimenta* restringit, id diligentissimè cavet, ne ad ipsam fidem invariabilem protendantur. Atque hæc ad hæreticam anonymi objectionem dicta sint, fusiùs fortasse quàm par erat, nisi ad conciliorum adversùs hæreticos tuendam majestatem forent necessaria.

CAPUT XIX.

Alii loci Augustini ab eodem objecti : an Papa Ecclesiam catholicam repræsentet.

Hæc habuit anonymus, quæ conciliis œcumenicis totam Ecclesiam repræsentantibus objiceret. Nunc ea proferimus, quibus docet, Ecclesiam univèrsalem per Papam repræsentari.

Et quidem in ecclesiasticis gestis invenimus, à summis Pontificibus et conciliis dictum, Ecclesiam catholicam repræsentari synodis œcumenicis, ejus virtutem omnem potestatemque complexis, quod ipsâ repræsentandi voce designare solemus. Id autem de romano Pontifice, neque ab ipsis Pontificibus, neque à conciliis œcumenicis, neque uspiam in gestis ecclesiasticis legimus : ut profectò novam vocem omissam ab anonymo oporteret. Sed eam probare nititur adductis beati Augustini locis, quibus Petrus dicitur Ecclesiam figurasse [1] : qui loci à proposito longè distant. Aliud enim est in Petro universam Ecclesiæ vim atque auctoritatem fuisse præsentem, quo ipsa repræsentandi ratio constat : aliud in Petro, tanquam in sacramento, in typo, in figurâ, et quâdam, ut ita dicam, personâ mysticâ significatam; quo ritu in Marthâ, in Mariâ sorore, in eodem Petro, in Joanne apostolo vitam activam et contemplativam figurari et significari Augustinus passim docet [2].

Quærit anonymus [3], quo sensu Petrus Ecclesiam figuravit; an ut nudum signum; an ut pars quædam Ecclesiæ; an ut superior. Facilè respondemus, placuisse Christo Ecclesiam in Petro figurari ut in principe : cæterùm eo sensu repræsentasse Ecclesiam, quo ejus vim omnem potestatemque, ut insitam sibi præsentemque concludat, quod concilio universali est proprium, non sanctus quisquam, non Augustinus, non alius è sanctis Patribus cogitabat.

Jam ergo anonymi argumentum ruit : « Ei per quem repræsentatur Ecclesia universalis, conveniunt quæcumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesiæ ipsi; atqui per Petrum repræsentatur Ecclesia

[1] *Anon.*, l. v. c. 11; *Aug.*, *pass. Vid. sup. hoc lib.*, c. 12, 13. — [2] *Aug.*, *Serm.* CIV. *de verb. Domini*, c. III. n. 4. t. v. col. 541; *et Serm.* CCLV. *in dieb. pasch.*, al. I. *de Divers.*, c. VI. n. 6; *ibid.*, col. 1052; *Specul. de Ev. Joan.*, t. III. part. I. c. 775; et lib. I. *de consens. Evang.*, *ibid.*, part. II. col. 5, etc. — [3] *Anon.*, *loc. cit.*, n. 4, 5.

universalis : ergo Petro conveniunt quæcumque in Scripturis sacris tribuuntur ipsi Ecclesiæ; verbi gratiâ, quòd sit COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS, quòd qui eum NON AUDIERIT, sit habendus tanquam ETHNICUS ET PUBLICANUS [1]. » Quæ omnia frigido nituntur æquivoco, sumptâ figurandi voce pro ipsâ repræsentatione, quæ totam Ecclesiæ vim atque potestatem in unum collectam præsentemque sistat.

CAPUT XX.

Repetuntur et urgentur quæ pro Parisiensium sententiâ, ab auctoritate et convocatione conciliorum generalium dicta sunt : confutantur vana suffugia : Bellarmini etiam responsionibus antedicta firmantur.

Jam ergo, quod polliciti sumus, sententia Parisiensium conciliorum generalium traditione firmata est. Etenim vidimus romanorum Pontificum in conciliis œcumenicis judicia retractata, de his quæstionem habitam; quæstione habitâ, Cœlestini, Leonis, aliorumque probata judicia; Vigilii atque Honorii rescripta improbata fuisse; neque quidquam à sanctâ etiam Sede profectum, aut à Patribus, aut à romanis etiam Pontificibus, pro irrefragabili esse habitum, nisi postquam Ecclesiæ consensus accessit. Quin etiam sententiam hanc ipsâ conciliorum generalium convocatione firmatam, totamque quæstionem finitam esse arbitramur.

Omnino enim id certum est, id immotâ lege, id omnium sæculorum traditione fixum, quod in ipsis initiis hujus tractationis est positum [2], synodos generales propter multiplices quidem causas; sed propter fidem maximè convocari oportere. Hinc illud Pelagii II axioma à Magno Leone desumptum : « Specialis quippe synodalium conciliorum causa est fides [3]. » Præluxerat Pelagio Gelasius, ubique inculcans, in magnis fidei quæstionibus suam cuique synodum destinatam [4]. Gelasio præluxerat Athanasius de synodo Ariminensi sic dicens : « Cur nova synodus? Quæ nova hæresis [5]? » His omnibus præluxerant apostoli, subortâ quæstione de legalibus, quæ Ecclesiam maximè conturbaret, rem ad synodum deferentes, suumque illud proferentes : *Visum est Spiritui sancto, et nobis* [6]; quod ad omnia deinde sæcula permanaret. At si per sese valet, ante Ecclesiæ consensum, romani Pontificis indeclinabilis auctoritas, nempe omnia ista tam certa, concidunt. Quorsum enim attinebat ab ultimis orbis artibus cleri episcopos tantis laboribus, tantisque sumptibus, et Ecclesias pastoribus viduari, si totum erat in romano Pontifice positum? Si

[1] *Anon., loc. cit.*, n. 2.— [2] *Sup.*, lib. VII. c. 4 et seq. — [3] *Epist. Pelag. II. post Conc.* V. t. V *Conc.*, col. 617 et seq.; *Leon., epist.* XCII. *ad Max. Ant.*, al. LXII. c. V. — [4] *Gelas. epist. Vid.* t. IV. *Conc.*, col. 1157 et seq. — [5] *Athan., de Synod. Arimin. et Seleuc.*, n. 6. t. I. p. 719. — [6] *Act.*, XV. 28.

quod ille crederet, quodve doceret, statim pro summâ et irrevocabili lege esset, cur non ipse pronuntiat? Aut si pronuntiavit, cur jam convocantur fatiganturque episcopi, qui nempe actum agant, et de summo Ecclesiæ judicio judicent? Non id autem frustra fit: sed christianis omnibus cum ipsâ fide est insitum, in summis dissensionibus totam Ecclesiam convocari audirique oportere. Ergo omnes intelligunt, certam et exploratam et plenam veritatis declarationem, non in Papâ solo, sed in Ecclesiâ ubique diffusâ collocatam.

Ad id argumentum respondet Bellarminus ea, quibus nostra invictissimè firmentur. Cùm enim objecisset sibi: « Quòd concilia generalia necessaria non essent, si Papa posset definire infallibiliter in fidei dogmatibus; » hæc quidem reponit[1]: « Primùm, quòd non debet Pontifex contemnere media humana; medium autem humanum est concilium, majus aut minus, pro gravitate rei; quod patet ex apostolis, qui cùm soli possent quamlibet controversiam infallibiliter definire, concilium convocarunt. Deinde definitiones de fide pendent præcipuè ex traditione apostolicâ et consensu Ecclesiarum: ut autem cognoscatur quæ sit totius Ecclesiæ sententia, et quam traditionem servent Ecclesiæ Christi, non est alia melior ratio, quàm ut conveniant episcopi ex omnibus provinciis, et quisque referat Ecclesiæ suæ consuetudinem. Præterea sunt utilissima et sæpè necessaria, non tantùm ut finis imponatur controversiæ, sed ut serventur decreta; siquidem multi ignorantiam decreti prætexunt; alii conqueruntur se non fuisse vocatos; alii apertè dicunt summum Pontificem potuisse errare. » Hæc sunt propter quæ Bellarminus concilia necessaria esse judicet: nos verò hæc non tam solvimus, quàm ex iis nostra stabilimus.

Ac primùm de mediis humanis, etiam à Pontifice adhibendis: si quidem Pontifex petit tantùm consilium, quod quidem pro animi sui sententiâ vel admittat, vel respuat; non profectò episcopi, sed doctissimi quique vocandi sunt. Cùm ergo episcopi ad concilia vocentur, certissimo argumento est, non concilium, sed auctoritatem ac potestatem quæri; quæ Pontificis auctoritati et potestati conjuncta, tota sit atque integra Ecclesiæ in docendo et coercendo potestas et auctoritas, adeoque summa jam et indeclinabilis.

Deinde huc redeunt omnia, quæ sunt hactenus validissimè constituta. Primum enim in synodis generalibus, si consilium tantùm Pontifici definituro quæritur, non erant adhibendi qui conjudicarent, qui condecernerent, qui anathema simul intorquerent, ac pronuntiarent; sed qui datis consiliis prælucerent, et rem pontificio judicio potestatique relinquerent. At profectò adhibiti sunt in conciliis epi-

[1] *Bell., de R. P.*, lib. IV. cap. VII.

scopi, non consiliarii, sed judices : non qui duntaxat doceant Pontificem judicaturum, sed qui ejus sententiam, ejus decreta, ejus anathemata suâ consensione atque auctoritate firment. Non ergo consilium in synodis, sed summa auctoritas potestasque quæritur.

Tum et illud certum est; cùm synodi generales sunt habitæ, romani Pontifices plerumque præcessisse sententiam. Omnino enim Cœlestinus, Leo, Agatho, Gregorius II, Adrianus I, sententiam dixerant, cùm tertia, quarta, sexta, septima synodus haberentur. Non ergo consilium judicaturo Pontifici, sed cùm judicasset, certæ et ineluctabilis auctoritatis robur quærebatur.

Denique in Macedonii quæstione de Spiritu sancto, non dabant consilia sancto papæ Damaso in Occidente versanti, qui seorsim Constantinopoli quæstionem habebant Orientales Patres : neque hi per litteras consultationem mittunt; sed decretum, sed symbolum, sed anathemata adversùs hæreticos; quod in aliis etiam quæstionibus factum suo loco indicavimus [1]. Quorsum hæc? Nisi quòd omnes intelligebant non ideo requiri episcoporum sententiam; ut Papa monitus melius judicet; sed ut, ex communi Papæ episcoporumque sententiâ, ineluctabilis sententiæ robur existat.

At fortè id ita factum est, quòd Papa judicium Patribus relinqueret, quemadmodum imperatores ac reges, summâ licèt potestate præditos, et fecisse legimus, et facere intuemur : non ita est. Non enim episcopi se putabant esse à Papâ selectos judices, sed à Christo datos. Neque ipse Pontifex synodos exquirebat, quæ sibi judicaturæ essent necessariæ; sed orbis christianus meritò reposcebat, ut quod certâ fide crederet, certâ jam et invictâ auctoritate doceretur. Neque romani Pontifices aliud cogitarunt, cùm concilia generalia, vel ipsi convocarent, vel ab imperatoribus convocari sinerent, quàm ut ex consensu certa jam auctoritas fidei adderetur.

Ajunt pontificiis quidem decretis, ut solitariis, plenam et ultimam auctoritatem contineri : per concilia generalia ex tractatione et examinatione addi summæ auctoritati plenissimam lucem, ad convincendos pertinaces : eò enim decurrunt recentiores passim, ac maximè ille novissimus anonymus, qui de libertatibus gallicanis scripsit [2]. Sed quid hoc rei est? Si lux quærebatur tantùm, cur congregatæ synodi romanorum Pontificum dogmata, non editis tractatibus, sed decretis conditis muniebant? An verò tertia, quarta, sexta, septima synodi, mysterium fidei lucidiùs explanarunt, quàm Cyrillus à Cœlestino laudatus, quàm Leo, quàm Martinus, quàm Agatho, quàm Gregorius II, quàm Adrianus I? Neutiquam. Certè cùm romanorum

[1] *Sup.*, l. VII. c. 5; *Fid. pass. cod. lib.*—[2] *Anon.*, *de Libert.*, etc., l. VII. c. 9. n. 9; et c. 14. n. 2. et pass. alib.

Pontificum decreta toti Ecclesiæ præluxissent, synodi postea congregatæ luci lucem addiderunt, sed ideo ampliorem, quòd jam certiorem, totiusque Ecclesiæ consensione constantem : quâ in certitudine, jam non dubiæ lucis, summam et indeclinabilem auctoritatem collocamus.

Apostolici concilii exemplum profert Bellarminus [1]. Sed eo nostram sententiam firmari jam vidimus; quod nempè apostoli, tantâ Spiritûs plenitudine, tantâque divinitus auctoritate muniti, Hierosolymis congregati sint, ac futuris dissensionibus terminandis eam formam dederint, quæ totius apostolici ordinis conjungat auctoritatem, in eâque reponat illud : *Visum est Spiritui sancto, et nobis.*

Quo etiam ex loco illud Bellarmini confutatur, concilia non esse medium divinum confirmandæ fidei, sed *medium humanum*, monendo et instruendo Pontifici. Id, inquam, ex apostolico illo concilio perspicuè refellitur. Neque enim quisquam dixerit convenisse apostolos ut monerent Petrum, sed ut ipsi cum Petro, conjunctâ auctoritate, eam veritatem promerent, cujus custodes ac testes à Christo in commune essent constituti. Atque ibi elucescit, ut aperiendæ, ita etiam muniendæ veritatis, non *humanum medium*, sed planè *divinum*; cùm illi congregantur, qui Ecclesiarum magistri constituti sunt immediatè et proximè à Christo dicente : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [2]; et iterum : *Ite, docete omnes gentes*, etc.; et : *Ecce ego vobiscum sum* [3] : ut Ecclesia quæ sit schola Christi, et cœtus discipulorum ejus, id verè certòque à Christo didicisse intelligatur, quod uno ore Ecclesiarum magistri doceant.

Quin et ipse Bellarminus assentire cogitur. Cùm enim fateatur « definitiones de fide præcipuè pendere ex traditione apostolicâ et consensu Ecclesiarum, » hinc profectò fit, ut illa consensio ad plenam veritatis fidem necessariò requiratur. Quæ si Pontifici pronuntiandi desit, nempe deerit illud, quod est *præcipuum*, et unde *præcipui*, teste Bellarmino [4], definitio pendeat. Quare fateatur necesse est, cùm ab episcopis in concilium adunatis requiritur illa consensio cum Papâ, non profectò requiri ad Papæ informationem, sed ad invictum communis testimonii ac decreti robur.

Neque magis audiendi sunt, qui concilia generalia media quædam humana esse voluerunt, ad convincendos confutandosque pertinaces. Scripsit ille toties citatus auctor anonymus, conciliorum necessitatem eò esse à majoribus inculcatam, « quia unius, quantæcumque sit dignitatis, judicium esse infallibile, supra humanam rationem est; nec nisi fide ac traditione sciri potest. Quòd autem sententia senato-

[1] *Bell., loc. sup. cit. Vid.* lib. VII. c. 6 et 14. — [2] *Joan.*, XX. 21. — [3] *Matth.*, XXVIII. 19, 20. — [4] *Bell., loc. sup. cit.*

rum toto orbe congregatorum, nec minùs meritò, quàm numero insignium, veritatem attingat, etiamsi fides non doceret, ratio suaderet humana. Ideo concilium generale pertinacissimis hominibus erat proponendum. Quod si recusarent, rei à nemine non haberentur [1]. » Sic ergo conciliis novo ausu humanam tribuunt auctoritatem. At non invenimus à sacris conciliis, in eo repositam esse vim illam, quæ os omne obstrueret, sed in repromissione Christi dicentis : *Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* [2] : sed in certissimâ inhabitatione divini Spiritûs, cujus præsentiam sacerdotum toto orbe præsidentium congregatio testaretur [3] : sed in invicto robore traditionis ejus, quam communis consensio declararet. Quæ si præsidia defuissent, quivis cœtus humanus eò posset esse perturbatior, quò copiosior. Quare firmioribus subsidiis nixi, communem traditionem communi decreto asserendam putabant.

Idem anonymus docet convocari concilia, quòd « frequenter non de dogmate ipso, sed de personis ferendum est judicium : » cui rei congruant multorum suffragia, « et senatorum numerus, et senatûs dignitas : scilicet, ne qua supersit injustitiæ, vel obreptionis suspicio [4]. » Addit, « circa dogma ipsum, quantumvis certum sit, aliquâ interdum utendum esse œconomiâ, ut libentiùs recipiatur : quæ quatenus adhibenda sit, in plurimorum cœtu faciliùs agnoscitur. » Quorsum ista? Certè non agebatur de personis judicandis, neque de eâ œconomiâ, quâ Papæ decreta libentiùs reciperentur, ac suaviùs in animos influerent; non hæc, inquam, agebantur, cùm de ipsis pontificiis decretis quæreretur, an Patrum doctrinæ congruerent, an non; ut in conciliis ubique factum legimus [5].

Quod autem Bellarminus ait [6], congregationem sacerdotum Christi eò esse comparatam, ut Papam dicturum audiant, neque quis *ignorantiam decreti prætexat:* primùm quidem inutile est, cùm aliis modis ita sententiæ promulgentur, ut *nemo ignorantiam prætexere possit;* tum verò Patribus contumeliosum est, ut toto orbe convocati, tanto quidem labore, ac nullo interim necessario officio, Ecclesias suas deserant.

Neque si Pontifex est infallibilis, meritò episcopi *conquerantur,* ut ait Bellarminus, *se non esse vocatos;* nam post infallibile judicium, inventâ veritate, nullus jam querelæ, sed gratulationi locus. Quis enim conqueratur expeditiore viâ quæsitam veritatem; neque fatigari orbem christianum, ad id investigandum, quod ab unius sententiâ pendeat?

[1] *Anon., de Libert.,* etc., l. VII. c. 9. n. 9.—[2] *Matth.,* XXVIII. 20.—[3] *Ep. Cœlest.,* act. II. *Conc. Ephes.,* t. III. *Conc.,* col. 614. — [4] *Anon.,* etc., l. VII. c. 14. n. 7, 8. — [5] *Vid. Sup.,* l. VII. c. 11 et seq. 17, 21, etc. — [6] *Bell., loc. sup. cit.*

Jam quod ultimo loco ait Bellarminus : « Alios apertè dicturos, Pontificem errare potuisse ; » rem quidem omnem conficit. Rogo enim verène illud dicturi sint ? Nostra ergo sententia vicit. An falsò, et quidem, teste Bellarmino, eâ falsitate, quæ sit *hæresi proxima?* Cohibendi ergo, non audiendi, qui hæc apertè jactarent. Acsi propterea tot synodi convocandæ erant, quòd multi *apertè* dicant, Pontificem *errare potuisse ;* cùm à primis temporibus synodi convocatæ sint, erant profectò tum, qui id *apertè* dicerent. Quis verò eos coercuit ? quis docentes reprehendit ? quis vel suspectos habuit, aut schismaticos, aut malè de fide sentientes ? Quis verò unquam dixerit, hæresi esse proximum, quod *apertè* toties, et à tot sæculis in Ecclesiâ prædicatum, et à nullo reprehensum ad nos devenerit ?

Certè Cyprianum Stephano reluctatum, vel eo nomine Bellarminus ab hæresi excusatum voluit, « quòd nec modò censentur manifestò hæretici, qui dicunt Pontificem posse errare [1]. » Alias rationes purgandi Cypriani ab Augustino accepimus, suoque loco proferemus [2]. Valeat interim hæc quoque à Bellarmino prolata excusatio ; Cyprianum in Parisiensium fuisse sententiâ. Cur ergo Cypriano, schismaticam, erroneam, hæresi proximam (si quidem Bellarmino credimus) sectanti sententiam, romani Pontifices pepercerunt ? An viri dignitatem reveriti, cùm ejus de rebaptizatione doctrinam tam apertè damnarent ? Cur verò hanc multò pejorem, si quidem adversariis fidem adhibeamus, immunem relinquebant, futurisque schismatibus aperiebant viam ? An illa de Pontifice errante sententia tunc libera erat, proscripta est autem postea ? Quo canone ? quâ synodo ? Florentinâ scilicet, aut Lateranensi ultimâ, aut certè Lugdunensi ? Negamus ; pernegamus ; temerè id asseri ex actis demonstramus [3]. Cur autem anteactis temporibus Ecclesia tacuisset ? cur non Cypriano, totique synodo Africanæ ; cur non Firmiliano, ejusque collegis cum Cypriano conjunctis palam denuntiabant, haud licuisse illis ab infallibili Papæ judicio discedere ? Cur non idem significabant sibi conjunctissimo Augustino illos excusanti, eo tantùm nomine, quod res nondum erat concilii generalis auctoritate decisa ? Malè profectò veritati, malè publicæ saluti, malè unitati consultum est, si errorem periculosissimum, de Papâ infallibili, quo totum Ecclesiæ statum convelli putant, viri quidem sanctissimi, primis sæculis docuissent ; eum verò Ecclesia vix postremis sæculis coerceret.

[1] *Bell., ibid., de R. P.*, lib. IV. cap. 7. — [2] *Vid. Diss. prœv.*, n. LXVII. et seq. — [3] *Vid. sup.* lib. VI. cap. 18.

LIBER NONUS.

De quæstionibus præsertim fidei, extra concilia generalia, per consensum Ecclesiæ definitis.

CAPUT PRIMUM.

Consensionis universalis vis et auctoritas ante omne judicium ecclesiasticum : multò major, cùm Romani Pontificis decreta, nullo reclamante, obtinent.

Quid gestum sit in synodis œcumenicis, maximè ad dijudicandas fidei questiones, synodica hactenus acta docuerunt. Nunc quomodo sine synodis œcumenicis subortæ quæstiones terminari potuerint, eàdem quam secuti sumus traditione Patrum facilè expediemus.

Et quidem nostri censores eo maximè se efferunt, quòd multæ hæreses, sine concilii universalis examine, solâ romani Pontificis auctoritate damnatæ, summam ejus et ineluctabilem auctoritatem probent; qui nec illud advertunt, multas hæreses, ut sine conciliis œcumenicis, ita sine speciali romani Pontificis definitione damnatas atque extinctas fuisse. Locus Augustini in eam rem clarus ac notus : Numquid congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando, nisi synodi congregatione damnata sit : cùm potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multòque sint atque incomparabiliter plures quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt; atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt [1]. » Perpendant illud : *ubi extiterunt, illic, etc.*, atque illud, *inde devitandæ, etc.*, nullâ gravioris à romanâ Sede censuræ mentione. Neque enim Ecclesiæ talem sententiam expectarunt, ut manichæos *, ophitas, collyridianas illas, tertullianistas, aliasve sive manifestè impias, sive obscuras levesque sectas, per loca excitatas, aut horrerent, aut contemnerent; neque dignæ sunt habitæ, propter quas romani se Pontifices commoverent. Ergo ne singulares Ecclesiæ,

[1] *Aug.*, lib. IV. *ad Bonif.*, c. XII. n. 34. tom. X. col. 492.

* Omnibus notum est qui fuerint manichæi, et quem errorem impium juxtà et insanum duorum principiorum invexerint. Ophitæ illi dicebantur qui ex sextis nicolaïtarum et gnosticorum oriundi, serpentem divino cultu venerabantur. Collyridiani IV sæculo prodierunt. Illi beatæ Virginis sacerdotes constituerunt quasdam mulieres, quibus solis jus esset offerendi Deæ Virgini placentas. Nam cùm beatam Virginem plus æquo colerent, eò demum devenerunt, ut illam Deam adorarent. *Vid. Epiph. Hær.* LXXVII, LXXVIII. Nemo est qui nesciat tertullianistas, et magnum illum virum Tertullianum, tot rebus bene gestis adversùs paganos; tot victoriis adversùs hæreticos nobilem, ab Ecclesiâ ad Montani partes descivisse, hujus atque etiam Priscillæ et Maximillæ insanientium prophetissarum deliramenta defendisse; quippe Montanum credidit fuisse Paracletum à Deo missum, eò ut Ecclesiam, à Christo inchoatam tantùm, ille perficeret. Deinde montanistarum sectæ desertor Tertullianus, ipse hæreseos caput fuit, quæ ejus nomine *tertulliana* dicta est. Vid. vit. Tertull. ap. de Till. (*Edit. Paris.*)

à quibus statim rejectæ, aut etiam oppressæ sunt, ineluctabili auctoritate gaudebant? Minimè : sed profectò sic habet : semel constituto hoc certo dogmate, vim illam ultimam et ineluctabilem unitate et consensione constare; id quoque valere quocumque modo se illa consensio declaraverit, sive concilia congregentur, sive non congregentur.

Scilicet divino numine constitutus Petri successor romanus Pontifex, episcopalis collegii, totiusque catholicæ communionis princeps, ubi res tanta est, atque ipse videtur ejusdem Ecclesiæ tuba factus, fratrum omnium et coepiscoporum sensum, in eoque communem omnium ecclesiarum traditionem, ab apostolicâ Sede annuntiat illis qui longè sunt, et illis qui sunt propè; quo planè ritu Petrus, rogante Domino apostolos : *Quem vos me esse dicitis?* unus pro omnibus respondit : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* [1].

Cùm ergo Petri successor ita ex communi traditione pronuntiat, ut in ejus sententiâ *recognoscant omnes fidei suæ sensum*, ut in Leonis epistolâ quondam gallicani Patres [2]; tum fit illa consensio, quæ judiciis pontificiis firmum et indeclinabile robur conciliet.

Quod autem Nicolaus Dubois aliique, hujus consensûs publica instrumenta quærunt, nuntiosque ac litteras ad eum explorandus ubique dimissas, atque immensos labores sumptusque cogitant; nae illi vani sunt. Quis enim nesciat, id quod jam à nobis dictum est [3], ut in omnibus regnis, ita in regno Christi, id valere vel maximè, quod nullo instrumento consignatum, populorum omnium usu sensuque constet? Sic in successione omnium per orbem principum suæ leges, apud nos Salica, aliæ apud alios, ipsâ populorum consensione obtinent; irritique essent, qui earum legum peculiaria instrumenta reposcerent. Sic ipsum jus gentium, sic illa de bello ac pace deque legatis sacrosanctis jura, aliaque id genus, nullo alio instrumento, quàm publicâ generis humani voce vigent.

Neque verò Ecclesia sub rege Christo pejore loco erit, quàm regna terrarum, resque publicæ omnes, ubi tot tantisque in rebus eminet vigetque nullo instrumento testata consensio : quæ profectò in Ecclesiâ eò magis viget, quò est ejus per Spiritum magistrum veritatis firmiùs atque arctiùs nexa compages. Et quidem cùm Augustinus, cùm Vincentius Lirinensis, cùm alii omnes Patres, hæreticis ac schismaticis communem universalis Ecclesiæ fidem; cùm consuetudines, cùm dogmata toto catholico orbe vigentia toties objecerunt; quis ab eis poposcit, quos misissent nuntios, quas accepissent litteras, aut quæ consensionis ejus, quam legis instar haberi volebant,

[1] *Matth.*, XVI. 15, 16. — [2] *Ep. Syn. Episc. Gall. ad Leon.*, tom. III. *Conc.*, col. 1329; *et inter Leon. post ep.* LXVI. al. XCVIII. — [3] *Vid. in Append.*, l. III. c. 2.

instrumenta proferrent? Nempe hæc nostro ævo deliria servabantur.

Sunt enim profectò quædam tam clara, tam aperta, ut ea pernegare ne contumaces quidem audeant. Est quædam Ecclesiæ catholicæ vox, quæ quocumque locorum diffunditur, quam etiam ante omnem dictam sententiam catholici audiunt, novatores contremiscunt. Quantò magis, cùm prolatum judicium ab altissimâ Petri sede, ad omnes perlabitur Ecclesias?

Desinant igitur sibique et nobis illudere, agnoscantque consensum illum, quem Galli cum totâ Ecclesiâ prædicant, cùm prolata à romanis Pontificibus dogmata, reclamante nullo, ipsâ traditionis vi, ipsâ ut ille dicebat, CONSANGUINITATE DOCTRINÆ [1], in corpus Ecclesiæ coalescunt.

CAPUT II.

Locus Augustini de Pelagianis, CAUSA FINITA EST : quænam illæ causæ sint, quæ sine synodis finitæ intelligantur : duo Actorum loci comparantur : causæ Pelagianæ status ex Augustino : sufficiens judicium eidem Augustino quid sit : Capreoli Carthaginensis locus : concilii Ephesini de Pelagianis decretum.

Hanc verò communem et pervulgatam esse controversiarum finiendarum viam, qui non intelligit, eum pacis inimicum, et omnis ecclesiasticæ rei imperitum esse profiteor. Quare meritò sanctus Augustinus de causâ Pelagianâ loquens hæc prædicat: « Jam enim de hâc causâ duo concilia * missa sunt ad Sedem apostolicam : inde etiam rescripta venerunt; causa finita est [2]. » Rectè atque omnino ex ecclesiasticâ disciplinâ. Neque enim quâ vis subortâ quæstione sollicitandus orbis terrarum, aut generalia concilia statim convocanda sunt. Sed tantùm ex certâ causâ, si graves per orbem dissensiones oriantur, si aliter non videtur coalitura pax. Sic enim ab apostolicis usque temporibus factitatum esse probavimus. Enim verò primum illud apostolicum concilium in apostolorum Actis, non ex eo præcisè collectum vidimus, quod suborta esset quæstio, sed post ipsam quæstionem, *factâ seditione non minimâ* [3]. Hinc ad sedandas turbas collecta synodus, et expressè omnium quæsita sententia est, extititque illud ex communi consensione decretum, cui jam omnes pii acquiescerent. At ubi nulla erat contentio similis, *exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Viri fratres, oportet impleri Scripturam* [4], de Judâ traditore scilicet, et in ejus locum alio eligendo : quæ cùm omnibus manifesta visa essent, et locus Scripturæ luce ipsa clarior, nullius postea exquisita sententia est, sed in Petri sententiam, vel ipso silentio, omnes abiere;

[1] *Tertull., de Præscr. adv. Hæret.*, cap. XXXII.

* Carthaginense nempe, et Milevitanum.

[2] *Aug., Serm.* CXXXI. *de verb. Evang. Joan.*, al. II. *de verb. Apost.*, c. X. n. 10. t. V. col. 615. — [3] *Act.*, XV. 2. — [4] *Ibid.*, I. 15, 16.

atque, uti dixerat, ita sunt executi : quæ deinde ad nos, ut ad
tam ætatem manasse vidimus; nempe ut suborta quæstione,
omnium princeps eloquatur : Petrus, inquam, ille Petrive
cui totus grex creditus; quo cum communicant omnes
quique adeo conscius communis traditionis, communi
ab alto depromit, ac pro potestate læsam veritatem vindicat
si omnes recognoscant, tum in Petri decreto communem
totiusque Ecclesiæ sententiam venerantur : sin autem
ves seditiones, fratresque inter se, maximè verò episcopi
Ecclesiæ collidantur; tum verò recurratur ad commune
et communis fides communi et expressâ apostolorum
Spiritu sancto auctore, declaretur : quo certè in cœtu,
sui amplitudine, sit princeps ipse Petrus; cæterùm commun
tentiâ judicium proferatur.

Quæ non eò dixerim, ut in omni quæstione, statim ac prim
Petri successor, longè licèt positus, ab extremo orbe sit
landus, interim alii episcopi, quorum in Ecclesiis suborta sit
conticescant, utque ipsâ morâ hæresis invalescat. Non ita
Patres, quorum acta perlegimus. Habent enim episcopi
Christo, ut docendi cathedram, ita virgam coercendi et liga
toritatem. Sed cùm judicarint, ad Petrum referant, vel si
officium, aut tanta persona sit, quæ facilè coerceri non po
alia ejusmodi causa subsit, ultrò Petrus insurgat, suoque
cursu ab eminentissimâ Sede, per pacatam Ecclesiam feratur
Causa finita est, teste Augustino, nihilque addendum ul
quod ipse subdit : *utinam aliquando finiatur error* [1] !

Neque enim aut Petri sede sedes ulla est altior, quò quæst
ratur; aut verò Petro major ullus apostolus; aut ullum erec
tribunal augustius, quod quidem ordinariè consistat in
Nam synodus œcumenica non assiduè sedet, nec nisi ex
eâque rarissimâ; neque ulla lex jubet, ullave consuetudo,
eam referantur quæcumque quæstiones, de magnâ quam
sed de re obscurâ ancipitique, ac magnis altercationum ne
volutâ, uti Augustinum ipsum exponentem audivimus,
audiemus [2]. Nempe si talis nulla causa adsit, *causa finita est*
nativa, hæc communis, hæc pervulgata via est. Cæterùm
causâ, subortis dissensionibus, alia extra ordinem, legitima
atque solemnia quærenda sunt; concilii scilicet generalis

Id nos ecclesiastica gesta docuerunt. Sic enim profectò
Nestorium, executore Cyrillo, Cœlestini sententia secundum

[1] *Aug., loc. mox cit.* — [2] *Ibid., de Bapt. cont. Donat.*, lib. II. c. 4. n. 5. t. IX. col. 86; *sup. Diss. præv.*, n. LXXI et seq.

ura erat, nisi graves postea motus extitissent. Ubi commotus est
s scissæque sunt Ecclesiæ, convocatur synodus *; nil repugnante
stino; imò etiam comprobante; atque ejus sententia, eo quo
us ordine [1], retractatur.

paulò post, in ipsis Eutychianæ hæreseos initiis, sanctus Fla-
s ** ad sanctum Leonem scribebat, nil concilio opus esse, sed
sancti Pontificis sententiâ [2]. Ipse etiam Leo ad imperatorem :
sam tam evidentem esse, ut meritò à concilio fuisset abstinen-
[3]. » Non enim magnam causam negabat esse : imò verò maxi-
agnoscebat, de duabus scilicet in Christo naturis; sed tamen
tem nullisque adhuc, ut Augustini verbis utar, *altercationum*
is involutam; quare absque concilio facile transigendam atque
no Leonis decreto finiendam, si omnes Ecclesiæ consensissent.
nc sancti Augustini verbis de causâ Pelagianâ indubia fides : « Ad
m apostolicam duo concilia missa sunt, inde rescripta venerunt,
finita est : » ipso scilicet episcopalis ordinis, totiusque Ecclesiæ
apostolicâ Sede consensu manifesto. Neque enim, ut idem Au-
inus ait, « congregatione synodi (universalis utique) opus erat,
erta pernicies damnaretur [4]. » Vide quàm diligenter dictum,
pernicies : id namque est quod postea à Leone dicebatur, tam
ntem causam *** esse, ut meritò à synodo abstinendum » vide-
r. Sic ubique sibi consentit Ecclesia. Pergit porrò Augustinus :
si nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnanda
cùm potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas
sitas talis extiterit. » Cur autem Pelagiani non eam Ecclesiæ
sitatem inferrent, eorum paucitas faciebat, quorum scilicet,
m Augustino teste [5], « profanas novitates, catholicæ aures, quæ
que sunt, horruerunt. » Augustinus eos propter paucitatem,
imianistis, exiguo ac vili donatistarum frustulo, comparabat [6].
n ipse Julianus conscius paucitatis, hæc jactabat passim : « Mul-
inem nihil prodesse cæcorum; honorandam paucitatem, quam
o, eruditio, libertasque sublimat [7]. » Sed elegantem licèt vanilo-
ntiam orthodoxi aspernabantur, nempe toto orbe prædicabatur
fides; in angulo orbis, quatuor vel quinque episcopi susurra-
t, sive allatrabant. At propter eos, *orbem catholicum commoveri*,

Ephesina.
Ep., lib. VII. cap. 9 et seq.
Constantinopolitanus.
Conc. Chalc., part. I. ep. IV. t. IV. col. 15; *Inter Leon. post* ep. XXI. — 3 *Ibid.*, ep. XVIII;
Leon. XXXIII. al. XVII. — 4 *Aug.*, lib. IV *ad Bonif.*, c. XII. n. 34. t. X. col. 492.
Eutychetis.
Aug., lib. II. *cont. Jul.*, cap. 1. n. 1. t. X. col. 525; *Vid.* c. X. et pass. et imprim. lib. IV *ad*
f. c. 12. n. 32. col. 492. — 6 *Contra Julian.*, lib. III. c. 1 n. 5. col. 555. — 7 *Jul.*, *apud Aug.*,
, lib. II. c. 10. n. 35, 36. col. 550.

quanquam eam *captabant gloriam*, Augustinus non ferebat [1]; sanctus Flavianus, eodem spiritu, eutychianorum initiis synodi universalem denegabat, ne sanctæ Ecclesiæ turbarentur [2].

Hinc illud beati Augustini ad Pelagianos [3] : « Quamvis dederit Ecclesia catholica judicium, QUALE DEBUIT, ubi causa vestra est, etc. » Audin? judicium *quale debuit*, tantæ scilicet paucitatis in *apertâ pernicie*, ut suprà vidimus. Quo etiam spectat illud eodem Augustino proditum : non jam audiendos eos post factum COMPETENS SUFFICIENSQUE judicium [4]. » Quid sit autem illud *sufficiens judicium*, ex rerum motibus pendet. Nempe Cœlestinus, Cyrillus, Flavianus, Leo adversùs Nestorium et Eutychetem, in ipsis *sufficiens* putabant Sedis apostolicæ judicium; sed quod ex se *sufficiens* videbatur, id gliscentibus odiis, et in grave schisma erupit, jam *non est sufficiens*; collectâque universali synodo opus fuit; ita res se habebant adversùs Pelagianos; sed datum à synodis africanis, Sede apostolicâ comprobante, judicium *sufficiens* fuit; totius orbis consensus accessit. Sic conveniunt omnia, et ecclesiæ regiminis forma magis magisque illucescit.

Hinc etiam patet, quàm bene conveniat gallis cum beato Augustino atque africanis Patribus. Nempe africani Patres agnoscebant in damnandis Pelagianis eminere debuisse Sedis apostolicæ auctoritatem, à sanctarum Scripturarum *auctoritate manantem* [5]. Hunc sensum episcopi gallicani suâ Declaratione complexi, profitentur « primatum Petri, ejusque successorum à Christo institutum » quo jure decidendis fidei quæstionibus primas esse romani Pontificis potestas, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere » docent. Jam illud quod subdunt; *illud irreformabilis judicii robur, in Ecclesiæ catholicæ consensu* esse repositum, haud minùs ab africanis Patribus accepere. Nempe Augustinus ideo à Pelagianis frustrabatur, contendit universale concilium, quòd in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento *, ipsa toto orbe diffusa à se non dissentiente multitudo [7]. » En in quo ineluctabilis judicii robur collocet; non in consensu orbis, et quidem in eo consensu apparere vel manifestum

[1] *Aug. ad Bonif.*, lib. IV. c. 12. n. 34. col. 493. — [2] *Epist. Flav. ad Leon. Mag.*, t. IV. col. 15. *Vid. sup.* — [3] *Aug.*, l. III. *cont. Jul.*, c. 1. n. 5. col. 555. — [4] *Ibid., ad Bon., loc. sup.* — [5] *Vid. Aug. pass. et Ep. Conc. Cart.* II. *cont. Pel.*, an. 1416, t. II. *Conc.*, col. 1533 et sq. — [6] *Declar. Cler. Gall.* 1682, præf., c. I et IV.

* Illud fundamentum in eâ doctrinâ fidei erat positum, quam Julianus Pelagianus impugnabat : nempe per baptismum peccata remitti etiam parvulis, qui sic fiunt filii Dei; hoc dogma Augustinus acriter simul et invictè adversùs Julianum defendit. Id enim, inquit, « divites et pauperes, excelsi atque infimi, docti et ignari, mares et fœminæ noverunt... Ad etiam matres, non ad CHRISTUM tantùm, id est ad UNCTUM, sed ad CHRISTUM JESUM, id est etiam SALVATOREM cum parvulis currunt. » Christus autem, ut passim docet idem Augustinus, parvulorum non esset *salvator*, si ipsi peccata non haberent, neque *redemptor*, si servi non essent. Vid. loc. cit. et lib. de Bapt ad Marcell. (*Edit. Paris.*)

[7] *Aug.*, lib. I. *cont. Jul.*, c. VI. n. 32. col. 516.

portebat earum Ecclesiarum consensum, ad quas lues Pelagiana pervenerat. Unde Augustinus passim memorat, Pelagianam hæresim, romanæ Sedis præsulibus, Innocentio, Zozimo, Cœlestino, « cooperantibus, synodis Africanis, toto orbe damnatam [1] : » quo facto nulla ampliùs, etiam œcumenicæ synodi, inquisitio superesset.

Id verò Capreolus Carthaginensis profitetur in eâ epistolâ, alio loco memoratâ [2]. « Si quid, inquit, fortè novarum controversiarum inciderit, id discussioni subjiciatur oportet. At verò si quis ea quæ jam sim dijudicata sunt, denuo ad disputationem vocari sinat, is sanè nihil aliud facere censebitur, quàm de fide, quæ hactenus viguit, habitare. » Dogma pelagianum jam ubique damnatum ad examen synodi revocari vetat. At cur nestorianum à Cœlestino damnatum ei examini subjicit? Nempe quod nondum nestorianos oppresserat ea, quam Capreolus adversùs pelagianos commendaverat, apostolicæ Sedis auctoritas, et sacerdotum omnium consonans sententia. »

Quòd autem postea in Ephesinâ synodo generali pelagianorum causa tractata est, nil omnino pertinet ad fidei quæstionem. Sic enim de re Ephesini Patres, absolutâ synodo, ad Cœlestinum scribunt [3] : « Perlectis in sanctâ synodo commentariorum actis, in depositione impiorum pelagianorum et cœlestianorum, quæ à Pietate tuâ de ipsis constituta sunt, judicavimus et nos solida firmaque permanere debere, et omnes idem tecum statuimus, eos pro depositis habentes. » De depositione agitur, quam per calumniam factam Julianus et alii vectitabant; perlectique sunt commentarii, sive ad gestorum fidem, sive ad qualemcumque inquisitionem, ne deinceps importuni homines Ecclesiam fatigarent. Hinc editi Ephesini canones I et IV, quibus Cœlestiani pro depositis haberentur [4]. Ita quibus nulla synodus data esset, horum causa per synodum aliâ occasione factam ad qualemcumque examen revocatur; sed ut obstinatis tolleretur etiam extremum illud, « quòd spem de synodo hucusque gesserunt [5]. » Verba sunt Cœlestini Ephesinam synodum collaudantis. Sic, post Ephesinum concilium, præfractæ confidentiæ homines spem omnem recuperandæ sedis amisere. Tanta synodi auctoritas est! Cæterùm de fide jam assertâ quæsitum fuisse, neque gesta indicant, neque eâ de re quisquam cogitavit; et quæstio pelagiana quod ad fidem attinet, sine ullo œcumenicæ synodi judicio, omnium Ecclesiarum consensione finita est.

[1] *Aug., Ep.* CXC. *ad Opt. et pas. contra Pelag.* — [2] *Vid. Diss. præv.*, n. LXXVI. *et ep. Capr. inter act. Syn. Ephes.*, t. III. *Conc.*, col. 532. — [3] *Conc. Ephes.*, act. V. *Relat. ad Cœlest.*, col. 656, 667. — [4] *Ibid.*, act. IV. col. 804, 805. — [5] *Ep. Cœlest. ad Synod. Ephes.*, part. III. c. XX. col 1071.

CAPUT III.

Quæ causæ sine synodo finiri possint, quæ finiri non possint, ex sancto Augustino, et quæstione rebaptizationis, ostenditur.

Alia verò causa est, quam Augustinus tractat, unde dictis nostis magna lux; certèque comperiemus quid sit illud Augustini : *Causa finita est*. Causam illam nobilem de rebaptizatione inter sanctum Stephanum papam, sanctumque Cyprianum Carthaginensem episcopum, utrosque martyres, intelligo : de quâ controversiâ sic scribit Eusebius [1] : « Primus omnium Cyprianus, non nisi per baptismum ab errore priùs mundatos admittendos censuit; verùm Stephanus nihil adversùs traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissimè id tulit. »

Constat sancti Stephani decretum his verbis editum : « Nihil innovetur, nisi quod traditum est [2]; » hoc est, præter id quod traditum est : vel *nisi quod traditum est*, esse innovandum; nempe ut « reversis ab hæresi, manus imponatur ad pœnitentiam. » Illam enim manûs impositionem, non sanè baptismum ipsum innovari atque iterari posse, antiqua traditio docebat.

Constat Cyprianum decreto obstitisse, quamvis Stephanus non tantùm suasisset, sed etiam pro potestate egisset; neque solùm « Cypriano, ad ista non consensisse, verùm etiam contra scripsisse atque præcepisse. » Verba Augustini sunt [3], auctoritatem cathedræ demonstrantis. Quantâ autem auctoritate Stephanus egerit, ostendunt illa Firmiliani : « Stephanus, qui loci sui honore gloriatur, et cathedram Petri tenere se dicit, super quem Ecclesia ædificata est [4], etc. » Huc accedunt illa in concilio Carthaginensi Cypriano prolata verba, ne Stephani auctoritas aliquam Patribus necessitatem injecisse videretur : « Nemo enim inter nos episcopum episcoporum contendit, aut tyrannico terrore cæteros adigit ad obsequium [5]. » Quibus verbis Cyprianus non negat Stephani primatum à Petro profectum, quem ubique asserit; sed potestate abusum, in errorem deflexisse contendit, eoque nomine vehementissimè reprehendit. Inde argumentum pro Parisiensium sententiâ, alibi jam tractatum [6], sed hic necessariò repetendum. Quòd sanctus Cyprianus hæreticos rebaptizavit, omnes, postea erroris arguerunt; quòd Stephanum papam docentem episcopos ac de fide præcipientem, errare potuisse crediderit, nemo succensuit; ergo quantùm illa de rebaptizatione sententia culpabilis, tantùm hæc de romano Pontifice

[1] *Eus. Hist.*, lib. VII. c. III, *ed. Val.* — [2] *Ep. Cypr.* LXXIV. p. 138, *ed. Baluz.* — [3] *Aug., de Bapt. cont. Don.*, lib. V. c. 22. n. 30. t. IX. col. 156. — [4] *Ep. Firm., int. Cypr.* LXXV. pag. 148. — [5] *Conc. Carthag.*, ann. 256, *præf. apud Cypr.*, pag. 329, 330; et t. I. col. 786. — [6] *Diss. præv.* n. LXVII et seq.

culpâ vacat. Quid quòd Augustinus apertè excusandum putavit Cyprianum, qui errasset, antequam obscura quæstio « tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii concilii auctoritatem roburque perducta est [1]. » Ergo existimabat, ad captivandum intellectum, Stephani papæ decretum atque auctoritatem non suffecisse solam. Quin ipse Augustinus veræ de hæreticorum baptismo doctrinæ assertor egregius, quod ad auctoritatem pontificii decreti attinet, Cypriani sententiam apertè sequitur : « Neque nos, inquit [2], tale aliquid auderemus asserere, quale Stephanus jussit, nisi Ecclesiæ catholicæ concordissimâ auctoritate firmati : cui et ipse (Cyprianus) sine dubio cederet, si jam illo tempore veritas eliquata per plenarium concilium solidaretur. » Cui auctoritati Cyprianus ex certissimâ fide cessurus fuisset; cui Augustinus ipse in re obscurâ cederet verba demonstrant : nempe *Ecclesiæ catholicæ concordissimæ auctoritati, concilio plenario*, ex orbe christiano, ut semper inculcat, vel ut idem loquitur, *sancto concilio cunctarum gentium*. Ad id provocat post ipsum pontificale decretum, in eoque acquiescit.

En ergo quod sit illud : *Causa finita est*. Finita quidem est, ubi aperta quæstio est, et ubique consensus, ut in pelagianâ causâ vidimus : finita verò non est, *magnis altercationum nebulis involuta*.

CAPUT IV.

Sancti Stephani papæ contra rebaptizationem decretum, totâ Sedis apostolicæ auctoritate factum, et tamen concilii generalis sententiam meritò expectatam : sancti Augustini loci.

Hic censores nostri oppidò conturbati, in partes se scindunt. Respondet Bellarminus [3], excusatum Cyprianum, quia « Pontifex noluit rem de fide facere sine generali concilio. » Et tamen pro cathedræ auctoritate præcepit, et decretum condidit, et ad omnes misit Ecclesias; eaque res erat, ut aliud sentientes abstinendos putaret. Disertè Augustinus [4] : « Putaverat abstinendos, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur. » Ac si postea se repressit, non ideo intelligitur mutasse sententiam; sed executionem prudentiâ temperasse, aut in aliud tempus distulisse. Hoc quidem non privati doctoris officium est.

Cæterùm de abstinendo exiisse decretum illa indicant, quibus Cypriani legatos * Romæ à sancto papâ Stephano, non modò hospitio

[1] *Aug., de Bapt. cont. Donat.*, l. II. c. 4. n. 5. t. IX. col. 98.—[2] *Ibid.*—[3] *Bell., de R. P.*, l. IV. c. 7.—[4] *Aug., de Bapt. cont. Donat.*, l. V. c. 25. n. 36. col. 158.

* Legatos Cypriani Firmilianus dicit sic à Stephano susceptos fuisse, *ut eos nec ad sermonem colloquii communis admitteret, adhuc insuper... præciperet ne quis eos in domum suam recipere*, adeo ut pacificè *venientibus, non solùm pax et communio, sed et tectum et hospitium negaretur*. Vid. epist. Firmil. loc. cit. (*Edit. Paris.*)

fratrum, sed etiam omni Ecclesiæ tecto submotos Firmilianus testatur [1]. Lupus ipse sic scribit: « Sanctum, inquit [2], Firmilianum Cæsareensem in Cappadociâ archiepiscopum, Ponticæ diœceseos primatem, sanctus Stephanus pontifex communione suspendit. » Idem Lupus sancti Stephani rescriptum, *summâ et irrefragabili Sedis apostolicæ auctoritate* editum esse contendit.

Sed age ut vis; quâvis distinctiunculâ causam istam, quasi in scholastico pulvere tueare. Certè Augustinus, non id quod tu profers, Cypriano excusationi obtendebat; non ad aliud majus aut inculentius Papæ judicium provocabat: concilii generalis, totiusque Ecclesiæ catholicæ appellabat fidem; in eâ auctoritate fidei certitudinem reponebat. Hic hæreant necesse est, vel alia excogitent.

CAPUT V.

Non tantùm pertinaces, sed sancti post papale decretum, aliud quid desiderant.

Et quidem Augustinus, atque, Augustino interprete, Cyprianus, ab universali concilio, non elucidationem obscuræ quæstionis expectabant tantùm, quanquam et illam quoque, sed auctoritatem et robur. Unde illud: « Res ad plenarii concilii auctoritatem roburque perducta est [3]; » et illud: « Potentior veritas de unitate veniens; » et illud: Cypriani sententiam « catholicus orbis terrarum robustissimâ firmitate consensionis exclusit [4]. » En quam auctoritatem, post Papæ decretum, non hæretici et pertinaces, sed sancti sacerdotes Cyprianus et Augustinus expectent.

Quòd autem auctor anonymus Cypriano tribuit [5], tolerari omnino non potest: nempe ut quoniam sanctus martyr dixit, se non ab altero, sed tantùm à Christo judicari posse [6], ideo existimarit se ab omni non modò romani Pontificis, sed etiam concilii œcumenici correptione immunem; quod si Cyprianus sensisset, inexcusabilis proterviæ reus esset. Hæc ergo ad certos casus extraordinarios referenda; neque cùm *ab alio* se judicari posse negat, existimandum est, eâ voce, *alio*, Ecclesiæ catholicæ aut etiam concilii generalis excludi auctoritatem. Certè Augustinus ei auctoritati cessurum Cyprianum docet; atque in hâc quæstione, non alteri auctoritati cedentem, non modò ipse probat, sed etiam imitatur.

[1] *Ep. Firm. ad Cyp., int. Cyp.* LXXV. — [2] *Christ. Lup., in Doct. Lov. Relat.*, p. 50. — [3] *Aug., de Bapt. cont. Donat.*, lib. II. c. 4. n. 5. t. IX. col. 98. — [4] *Ibid.*, lib. III. c. 2. n. 2. col. 106. — [5] *Anon.*, lib. VII. c. 8. n. 9. — [6] *Cypr., in præf. Conc. Carth.* III. *inter ejus Oper.*, pag. 139, et tom. I. *Conc.*, col. 786.

CAPUT VI.

Quæstionem rebaptizationis à Cypriano et asseclis inter adiaphora non fuisse repositam.

Auctor libelli de *Doctrinâ Lovaniensium* aliter expedire se conatur[1]: mpe ait, Cyprianum, Firmilianum, « aliosque sequaces episcos, persuasos fuisse quòd Stephani rescriptum non fuerat judicium finitivum, eo quòd rem illam haberent pro adiaphorâ. » Atque rum: « Hoc sibi voluerunt Cyprianus, Firmilianus et alii, Helenus, onysius, Augustinus, qui affirmant Stephanum non de dogmate, d de aliarum gentium moribus et factis judicasse: potuisse illic i, ideoque ejus usque ad synodum Nicænam judicio impunè atque noxiè non fuisse obeditum. »

Hæccine à doctis viris proferri potuisse? Habebant hæc Cyprianus, rmilianus et eorum sequaces pro adiaphoris atque indifferentibus; mpe cùm, facto concilio LXXXVII episcoporum, pro sententiâ c dicerent[2]: Episcopus quidem ordine tertius: « Qui hæreticom baptisma probant, nostrum evacuant: « Octavus decimus: ecundo baptismate (in Ecclesiâ dato scilicet) qui non fuerit baptus, regno cœlorum fiet alienus: » Vigesimus: « Qui hæreticorum ptisma probat, quid aliud quàm hæreticis communicat? » Vigesiis primus: « Quod sint baptismi, viderint aut præsumptores, aut itores hæreticorum: Nos unum baptisma, quod non nisi in Eccledatum novimus, Ecclesiæ vindicamus: » Vigesimus tertius: « Si n obtemperat error veritati, multò magis veritas non consentit rori: » Quadragesimus septimus: « Me non movet, si aliquis Eccle- fidem et veritatem non vindicat, quando apostolus dicat: *Quid im si exciderunt à fide quidam illorum*[3]? » Quinquagesimus octas: « Non sibi blandiantur qui hæreticis patrocinantur: qui pro reticis ecclesiastico baptismo intercedit, illos christianos et nos reticos facit: » Sexagesimus primus: « Qui hæreticis Ecclesiæ ptisma concedit et prodit, quid aliud sponsæ Christi quàm Judas stit? » Sic eam quæstionem inter indifferentia reponebant.

Huc accedit, quòd suam sententiam non humanis ratiociniis, sed inis testimoniis muniebant. Legant Cyprianum quicumque dubierint; audiant episcopos in concilio Carthaginensi ita decernen: Quintum: « Baptisma, quod dant hæretici et schismatici, non e verum, ubique in Scripturis sanctis declaratum est; et secunm Scripturarum sanctarum auctoritatem decerno, hæreticos omnes ptizandos: » Octavum: « Lectis litteris Cypriani dilectissimi nos, quæ tantùm in se sanctorum testimoniorum descendentium ex

Doct. Lov., p. 56.— [2] *Conc. Carth.* III. *int. Cypr. oper.*, p. 330 et seq. — [3] *Rom.*, III. 3.

Scripturis deificis continent, ut meritò omnes per Dei gratiam ad nati consentire debeamus; censeo omnes hæreticos et schismatic qui ad Ecclesiam catholicam venire voluerint, non antè ingredi, n exorcizati et baptizati fuerint. » Quare cùm errorem damnant, c veritatem inculcant, non nisi veritatem in Scripturis revelatam, n nisi errorem in Scripturis damnatum intelligi volunt, qui hæc adiaphoris habere dicuntur.

CAPUT VII.

An Augustinus aliique Patres eam quæstionem inter adiaphora habuerint.

Quod autem idem auctor etiam Augustinum recenset inter eos hæc pro adiaphoris habuerint, quis crederet ab homine in Augu lectione versato dici potuisse? Nempe Augustinus hæc ubique p tetur: Cyprianum quidem in errore fuisse, sed ideo excusat quòd res nondum fuisset concilii generalis totiusque Ecclesiæ ca licæ auctoritate firmata [1]. Non ille ad hæc levia et falsa confu Stephanum noluisse rem de fide facere, aut in disciplinæ facti quæstione labi potuisse; sed errasse Cyprianum, atque id vel po correxisse « in regulâ veritatis; quod suppressum sit ab eis, qui errore nimiùm delectati sunt [2]: » vel « hunc nævum candidi pectoris cooperuisse ubere charitatis, ac passionis falce purgasse et nunc aliud quàm hic senserat videre, « in æternâ illâ luce ve tis, ubi certissimè cernit quod hic pacatissimè requirebat [4]. » planè demonstrant, non adiaphoram ac variabilem disciplinam, à Deo revelatam, certissimam et inconcussam veritatem.

Nempe hanc veritatem Augustinus tuebatur: verba Christi, qu baptismus consecratur, tantæ esse virtutis, ut etiam inter hæreti valeant: signum militum Christi etiam in desertoribus recog cendum esse: sacramenta Christi etiam inter hæreticos, non i rum, sed Christi et Ecclesiæ esse: remedium vulneri, non sa adhibendum, adeoque corrigendum in hæreticis id quod per sent, nempe fidem; non id quod ab Ecclesiâ integrum abstuli nempe baptismum, hoc est, fidei sacramentum [5]. Hæc qui nega recurrere jubebat « ad stateram dominicam, ubi non ex hum sensu, sed ex divinâ auctoritate rerum momenta pensantur [6]. »

Et quidem permulta causæ munimenta promebat ex Scriptur

[1] *Aug., de unic. Bapt.*, c. XIII. n. 22. t. IX. col. 553; *et pass. de Bapt. contra Donat. et lib., et ep. de hær. Don.*, t. II et IX.— [2] *Ibid., Ep. ad Vinc.* XCIII. n. 38. t. II. col. 246.— [3] *de unic. Bapt.*, c. XIII. n. 22, et alibi pass.— [4] *Lib.* V *de Bapt. contra Donat.*, c. XVII. n. col. 152.— [5] *Vid. ep.* CV. *ad Donat.*, c. III. n. 12. t. II. col. 300, 302; *et lib.* IV. c. XIII. n. 15. t. IX. col. 492; *et pass. Cont. epist. Parm.*, lib. II. c. 13. n. 29, 30. col. 45, *Serm. ad pleb. Cæs.*, n. 2. t. IX. col. 619, et passim; *Lib.* I *de Bapt. cont. Donat.*, c. XIV. n. col. 91; *de unic. Bapt.*, c. III. n. 4. pag. 528.— [6] *Lib.* II. *de Bapt. cont. Donat.*, c. XIV. n. col. 107.

l autem de baptismo hæreticorum nihil peculiariter scriptum
:, allegabat cum Stephano Ecclesiæ consuetudinem, universalem
ı quidem, quæ per totam Ecclesiam ab ipsâ origine propagata,
n nisi ab apostolis tradita meritò crederetur[1]. »
que verò aliud Stephanus prædicabat. Et quidem urgebat con-
ıdinem, sed universalem, sed ab apostolis constantissimo tenore
os usque deductam, quam liber anonymus[2], apud Rigaltium,
hani tempore adversùs Cyprianum Cyprianique asseclas con-
tus, appellat « vetustissimam consuetudinem ac traditionem
sæ; » et addit : « Sit unusquisque nostrum contentus venera-
ecclesiarum omnium auctoritate et necessariâ humilitate. » Tum :
mnari utique debet quod contra priscam et memorabilem cunc-
m emeritorum sanctorum et fidelium solemnissimam observa-
m judicatur; » suggillatque eos, *qui errores et vitia universarum*
ıiarum correxisse se putent, ac *monstri simile, episcopos talia*
are.
ec alio spiritu scribit Eusebius[3], qui antiquam traditionem à Cy-
ıo primò mutatam agnoscit. Attestatur Hieronymus celebri illo
: « Illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos hæreticos statuerant, ad
quam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum. Quid
nus? Ita et nobis majores nostri, et illis sui tradidere majores[4]. »
ı ipsâ etiam flagrante discordiâ, Cyprianus ejusque collegæ Afri-
, consuetudinem sibi adversari ultrò fatebantur. Id sæpè Augus-
s notat; et ipse Augustinus eam consuetudinem, *universalem et*
ıtam vocat[5], quam Stephanus tueretur; et quidem, uti memo-
nus, ab apostolicâ traditione venientem, hâc etiam datâ regulâ :
od universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper
ıtum est, non nisi ab apostolis traditum rectissimè creditur; »
l assiduè sanctus doctor inculcat.
ec Augustini dicta, qui, catholici licèt, ad variabilis et adiaphoræ
pinæ detorquent negotia; hi profectò improvidi, Ecclesiæ matri
issimas auctoritates de dogmatis fidei, etiam traditione tutandis,
rquere conantur. Sed frustra sunt : instat enim Augustinus
rem esse id quod Cyprianus tuebatur, nondum quidem ab Eccle-
leclaratum satis, sed interim errorem in *æternitatis manifestâ*
purgatum[6]. Quin etiam de donatistis hæc habet : « Audent etiam
ptizare catholicos; ubi se ampliùs hæreticos esse firmarunt[7]. »
ergo hæretici, ideo quòd hæreticos; sed « ampliùs hæretici,

ib. IV. *de Bapt. cont. Donat.*, cap. XXIV. n. 30. col. 140.— 2 *Int. op. Cypr., edit. Prior. et*
., 1679, *post epist.* LXXIV. *in edit. Baluz.*, 1726, p. 353 et seq.— 3 *Euseb. Hist.*, lib. VII.
ıdit. Vales.— 4 *Hieron., Dialog. advers. Lucif.*, t. IV. part. II. col. 303, 304.— 5 *August.*,
. de Bapt., loc. jam cit.—6 *Ibid.*, lib. V. c. 17. n. 23. c. 152.—7 *Ibid., de Hæresib., hæres*,
t. VIII. col. 21.

ideo quod etiam catholicos rebaptizabant. » Unde libro adver Cresconium ad donatistas ait : « Hæretici quidem estis, quòd tantùm divisi, verùm et in rebaptizando diversum sequimini Idem docet adversùs Petilianum [2], et alibi semper.

Notum illud Vincentii Lirinensis [3] : « Auctores ejusdem opin catholici, consectatores verò hæretici judicantur : » postea scilicet pronuntiavit Ecclesia. Et antea quidem, eodem testi nensi [4], res ad veram Ecclesiæ doctrinam pertinebat; sed non Ecclesiæ universalis judicio declarata. Scribit enim de Agrip quem auctorem Cyprianus sequebatur [5] : « Primus omnium lium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regu contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque tuta majorum, rebaptizandum censebat. » De Stephano verò : « telligebat vir sanctus et prudens nihil aliud rationem pietatis tere, nisi ut omnia, QUA FIDE à Patribus suscepta forent, EADEM filiis consignarentur. » Reliqua videant qui his victi non fuerint.

CAPUT VIII.

Quid objiciant qui hæc referunt inter adiaphora : Firmiliani et Basilii locum.

Qui totam hanc quæstionem ad variantem per loca discipl revocari volunt, hæc objiciunt : primùm, Firmilianum ita de re tizatione scribentem : « Nec meminimus hoc apud nos aliqu cœpisse [6] : » deinde Basilium Firmiliani successorem de rebaptizati adhuc hæsitantem [7], post Nicænam quoque synodum, à quâ q stionem terminatam fuisse plerique velint. Quid ergo ? An Firm num causæ faventem suæ, Stephano, Eusebio, Hieronymo, Aug tino, Vincentio Lirinensi, totique Ecclesiæ anteponent? Quid Basilius? Esto, quæstionem ad disciplinam variantem fortè rev verit : nos quidem hic Cypriani et Augustini mentem quærimus.

Neque tamen Firmilianum mentitum dixerim, cùm ait, reba tionem in suâ ac vicinis regionibus viguisse semper : facilè enim monstraverim, eâ quidem tempestate, iisque regionibus * hæ ferè omnes varia ac portentosa baptismata confinxisse. Nam q suam hæresim, quò magis baptizatorum animis adhærescere baptismum intrudebant. Atque hinc Firmiliano et aliis errori casio, cùm existimarent profanum baptismum, ac per se nul eo solo nomine, quòd ab hæreticis administraretur, repu esse.

[1] *Aug.*, lib. II. *advers. Cresc.*, c. VII. n. 9. col. 413.—[2] *Ibid., de unic. Bapt. cont. Petil.*, n. 3. col. 528 et pass.— [3] *Vincent. Lirin. Commonit.* I. cap. 11 —[4] *Ibid.*, c 9, 10, 11.—[5] c. 9.— [6] *Ep. Firmil. ad Cypr., int. Cypr.* LXXV. p. 149.— [7] *Vid. ep. Bas. ad Amph.* can. 2. III. p. 268 et seq.

* Asiæ minoris.

eque Basilium hactenus satis intellectum esse credimus. Hæc
n fuisse putamus, de quibus hæsitaret, non quidem, an valeret
tismus verbis evangelicis consecratus; sed quinam hæretici eo
baptizarent; quinam perverso ritu, et *proprio* quod ait *baptis-*
o[1], qui sanè propterea rebaptizandi essent. Hæc etiam suspensum
bant Basilium : ecquid credibile esset rectè baptizare eos, qui
eo errarent, cùm errores suos plerique, uti modò diximus, in
n baptismum ingererent? Quærebat anxiè, quæ et quanta habe-
r fides iis, qui dicerent se in Trinitatem baptizatos esse : nam
oblivisci, aut certè hæsitare, aut etiam mentiri potuissent. Hinc
verba Basilii synodum optantis, uti decidatur, « an qui respon-
it, in responsione fide dignus habeatur; » quam ad quæstionem
tat canon Arelatensis, quo legimus *interrogatos* qui ab hæreticis
rent, « an in Patre, et Filio, et Spiritu sancto baptizati essent; »
tumque : « Et qui interrogatus non responderit hanc Trinitatem,
tizetur[2]. »

Hæc nos ad cumulum de Firmiliano et Basilio investiganda doctis,
confirmanda, vel etiam, si placuerit, oppugnanda proponimus.
mque est, stat illud immotum : Cyprianum, Augustinum, cæ-
, in eâ quæstione, quam fidei putarent, post judicium quoque
ani Pontificis, dissidentibus Ecclesiis, ad habendam certitudi-
, Ecclesiæ universalis sententiam expectasse.

CAPUT IX.

Sit illa synodus universalis, quam in hâc quæstione Augustinus memoret : Nicænam eam esse; sed, utcumque sit, nostra immota esse.

nxiè à doctis quæritur, quæ sit illa universalis synodus quâ istam
stionem fuisse terminatam Augustinus memorat. Qui Arelaten-
a primam esse volunt, romani Pontificis sententiam, iniquiùs, ut
tur, pendere decernunt ab ejus synodi decreto, quæ non nisi
vè universalis vocetur.

Nos eam quæstionem in synodo Nicænâ fuisse decisam cum sancto
nonymo[3] profitemur : *Quòd episcopo novatianorum, si conversus*
rit, non tantùm baptismum, *sed quod majus est*, etiam *presbyterii*
nem servet, can. VIII[4]. *Et quod omnes hæreticos susceperit, exceptis*
ti Samosateni discipulis, can. XIX[5]; cujus rei causam cum beato
gustino esse credimus, quòd paulianistæ *regulam baptismatis non*
erent[6]. Nec facilè adduci possum ut credam, Arelatensem primam
nodum, numerosam quamvis *, et ex toto ferè Occidente collec-

[1] *Vid. ep. Basil. ad Amphil., Can.* I.—[2] *Conc. Arel.*, an. 314, *Can.* VIII. t. I. *Conc.*, col. 1426
[3] *Hieron., Dial. adv. Lucif.*, t. IV. part. II. col. 305, 306. — [4] *Conc. Nic., Can.* VIII. t. II.
nc., col. 31, 32.—[5] *Conc. Nic., Can.* XIX. col. 38.—[6] *Aug., Hæres.* XLIV. t. VIII. col. 13.
* XXIIII nempe episcoporum.

tam, synodum cunctarum gentium, et totius christiani orbis, totius Ecclesiæ ubique diffusæ ab Augustino vocari : quippe [illegible] vix Oriens noverit, nedum frequentarit, neque romani [illegible] vel præsentia, vel saltem legatio intervenit*. Quin synodum [illegible] nam apud Augustinum concilii universalis nomine intelli[illegible] esse, non alio magis argumento probaverim, quàm quòd [illegible] quidem nominarit : eam enim toto terrarum orbe celebratam, [illegible] *plenarii* concilii nomine statim ab omnibus intellectam put[illegible] quemadmodum nos concilii nomine, concilium Tridentinum [illegible] gimus ; quemadmodum generalis concilii nomine, Latera[illegible] synodus, sub Innocentio III, plerumque accipitur ; ita A[illegible] tempore apud Ecclesias Africanas, synodi universalis nomine, [illegible] nam, proprio licèt nomine minimè appellatam, intellectam [illegible] constat**. Lego enim apud Possidium, in Vitâ Augustini, ord[illegible] eum fuisse vivo suo episcopo, « contra synodi universalis v[illegible] quod jam ordinatus didicit[2]. » Non hic Nicænam nominat ; [illegible] nam fuisse ex ipso Augustino accipimus[3]. Sic universalis syn[illegible] mine Nicænam intelligi solere arbitramur.

Ut ut sit, qui tantùm Arelatensi tribuunt, in eam auctoritat[illegible] sensione devenisse dicent, gallicanamque sententiam de cons[illegible] summâ et ineluctabili auctoritate confirmabunt.

CAPUT X.

Non tantùm fidei causa, sed etiam aliæ quæ universalem spectarent Eccle[illegible] universali concilio retractrandæ, nec nisi consensione orbis finitæ esse cre[illegible] causa Cæciliani : sancti Augustini locus.

Partem controversiæ cum donatistis maximam quæ in rel[illegible] tione posita erat, non nisi Sedis apostolicæ et totius Eccle[illegible]

* Legationem intervenisse probant ea verba quæ inter subscriptiones legimus : [illegible] *et Vitus presbyteri, Eugenius et Cyriacus Diacones ex urbe Româ missi à Sylv*[illegible] *scopo*. Hoc ergo significat Bossuet, eos concilio non præsedisse. Et quidem [illegible] men videmus in capite Canonum, eo modo : *Domino sanctissimo fratri Sylvestro*, [illegible] *vel cœtus episcoporum, etc.* Tom. I Conc., col. 1427, 1429. (*Edit. Paris.*)

[1] *Aug.*, lib. I. *de Bapt. cont. Don.*, cap. VII. n. 9. tom. IX. col. 84 ; lib. II. c. 9. n. 14. [illegible] et alib. pass.

** *Synodi universalis nomine, Nicænam intellectam fuisse constat* ab Augustino, [illegible] libris adversùs donatistas, non verò Arelatensem. Nam quod dicit de Launoy, [illegible] cilii generalis sive plenarii nomine vocatas sæpè fuisse synodos eas, quæ illo Arel[illegible] inferiores essent, verum quidem est ; at advertere debuerat vir eruditus Augustinus, [illegible] eumque loquitur de hujuscemodi conciliis, lectores admonere, se loqui de [illegible] non totius Ecclesiæ, sed unius gentis, puta Africanæ. Atqui non sic ille admonet, [illegible] in quibus urget donatistas auctoritate concilii generalis : imò vocat illud concilium [illegible] *cunctarum gentium, et totius christiani orbis, et totius Ecclesiæ in orbe diffusæ* [illegible] nequaquam possunt intelligi de synodo Arelatensi ; proindeque ruit de Launoy [illegible] plura de eâ quæstione voluerint, adeant de Till. not. XLIV, in vit. S. Cypr. tom. [illegible] seq. Dissert. Vales. de schism. Donat. post ejus not. in Euseb. P. Alex. etc. (*Edit. Paris.*)

[2] *Vit. Aug., auct. Possid.*, c. VIII. in fin. ap. tom. X. col. 262.—[3] *Aug., Ep.* CCXIII. n. [illegible] col. 790.

ctâ sententiâ finitam esse, beato Augustino teste, vidimus. Jam
od erat caput schismatis, in causâ Cæciliani idem evenisse, eumdem
gustinum adducimus testem.

Ergo Cæciliani causa, cùm tractata esset à Melchiade papâ, ejusque
dicio donatistæ victi essent [1], tamen hæc ait Augustinus [2] : « Ecce
lemus omnes episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices
sse; restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ concilium, ubi
m cum ipsis judicibus causa posset agitari; ut si malè judicasse
victi essent, eorum sententiæ solverentur : quod utrum fecerint,
atistæ probent; nos enim non factum esse facilè probamus, ex
quòd totus orbis non eis communicat. »

Ex his duo concludimus : alterum, post prolatum, habitâ synodo,
pæ judicium, *restare adhuc plenarium Ecclesiæ universæ concilium*,
o Pontificis judicium, synodi sententiâ solveretur : alterum,
mvis nulla fuerit œcumenica synodus, quæ Melchiadis judicium
ctaret, haud minore auctoritate decisam fuisse causam, eo quod
is terrarum non communicaret donatistis; imò, ut ibidem Au-
stinus ait [3], « experti sunt cum Cæciliano permanere consensionem
is terrarum. » Quibus verbis constat Melchiadis judicium, quod
oqui canonico ordine retractari potuisset, ipsâ Ecclesiæ consensione
summam auctoritatem evectum.

Facti quæstio, inquiunt. Certè; sed ejus facti, in quâ tota dona-
tarum causa verteretur; ex quo illud efficitur, non tantùm in fidei
æstionibus, sed etiam in omnibus, quæ totam Ecclesiam specta-
nt, robur summum in consensione esse positum : ut profectò
rum non sit, sub Eugenio IV, cùm de concilii potestate acerrimè
certarent, illud ab omnibus, pro certo esse positum, nempè alter-
ntibus, si fortè, concilio et Papâ, concilii sententiam potiùs atten-
ndam, in fide quidem maximè; sed etiam in aliis omnibus, quæ
tum *Ecclesiæ principaliter perturbarent*, ut suprà memoravimus [4].

CAPUT XI.

Causa sancti Joannis Chrysostomi.

Hujus occasione quæstionis, proponimus aliam ejusdem ferè ge-
ris; facti quidem quæstionem, sed quæ universam Ecclesiam con-
baret. Beatum Joannem Chrysostomum, Constantinopolitanum
tistitem, Theophilus Alexandrinus *, nullo canonum ordine, sed
li sæculari potestate fretus, aulico potiùs, quàm ecclesiastico ju-

[1] *Vid. Opt. Milev.*, lib. I.—[2] *Aug., ep. ad Glor. Eleus.*, etc., XLIII. c. VII. n. 19. t. II. col. 97.
[3] *Ibid.*, col. 98.—[4] *Sup.*, lib. VI. c. 3 et seq.
* In suâ synodo ad Quercum.

dicio, loco moverat. Quæ causa cùm totum orbem commovisset, a universale concilium devolvitur. Et quidem sanctus Innocentius ab eodem Chrysostomo invocatur, *qui scriberet hæc nullius esset laboris*[1]. Is Joannem æquè ac Theophilum in suâ communione nuit; Theophili judicium cassum et irritum habuit; ultimam sententiam concilio œcumenico reservavit, ut disertè asserit catque Palladius* Chrysostomi comes, ac rerum omnium oculatus[2]. Locum universalis concilii Occidentales Thessalo designabant[3]. Memorabilis verò est hæc Palladii sententia[4]: « romanæ Ecclesiæ iste est, non communicare Orientalibus pis, præsertim Theophilo, donec Dominus dederit locum univ synodo, quæ putrefactis membris eorum qui hæc patraverunt deatur. »

Sic romanus Pontifex, quæ pro loci amplitudine solus inch non nisi totius orbis sententiâ finiturus erat. Verùm cùm syn œcumenica ab Arcadio imperatore impetrari non posset, totius dentis cum apostolicâ Sede conjuncta sententia perfecit, ut Chrysostomi nomen Constantinopoli quoque in sacras tabulas retur; ac sine novo judicio, consensione totius Ecclesiæ, Th synodus solveretur.

CAPUT XII.

Decreta adversùs origenistas : Theophilus Alexandrinus sanctum Anastasium præit, ac Romam ipsam liberat : in consensione vis posita : sancti Hieronymi

Paulò ante ea tempora, Christi anno scilicet 398, sancto S mortuo, sub ipsa sancti Anastasii papæ initia, Origenis errores Rufini libris Romam invectos, atque inter hos turbines rom Ecclesiam fluctuasse Baronius narrat[5]. Adversùs eam pestem Anas sius vigilabat. Sed dum cunctabatur, ut, Ecclesiæ romanæ consideratissimum et accuratissimum judicium ederet, Theo Alexandrinus, collectâ synodo, ad omnes catholicos super no Origenis, ejusque dogmatum condemnatione, edidit epistolam, etiam, ut videtur, peculiaribus ad sanctum Anastasium litteris. hâc Theophili epistolâ, Hieronymus ad ipsum Theophilum hæc

1 *Epist.* I. *Chrysost. ad Innoc.*, n. 4. tom. III. p. 520.

* Palladius quis ille fuerit, lis est inter doctos. Vir eruditissimus Bigot, qui, denuo edidit Chrysostomi Vitam à Palladio factam, contendit Palladium Heleno *Lausiacæ*, sive eremiticæ, *Historiæ* auctorem, Chrysostomi socium, et ejus exan occasione in exilium pulsum, hos de ejus vitâ dialogos non scripsisse, sed aliam Pal episcopum in vicinia urbis C. P. amicum quoque Chrysostomi, et qui pro ejus cau multa toleraverat. Idem censet de Till. tom. XI, vit. Pall. art. XII, et not. VIII, p. 5 (*Edit. Paris.*)

2 *Vid. Dial. vit. Chrysost. per Pallad.*, t. XIII. p. 3. — 3 *Ibid.*, p. 12. — 4 *Ibid.*, p. 44, 45. — 5 *Bar.*, an. 398, tom. V. p. 44, 45.

bit[1] : « Vox Beatitudinis tuæ toto orbe pertonuit, et cunctis Christi Ecclesiis lætantibus, diaboli venena siluere. » Et paulò post : « Vincentius presbyter ante biduum quàm hanc epistolam darem, de Urbe venit, et suppliciter te salutat, crebroque sermone concelebrat Romam et totam Italiam tuis post Christum epistolis liberatam. » Quò etiam illud pertinet : « Hæresim oppressam ejus auctoritate et eloquentiâ[2]. »

Hæc ita dicimus ut nihil imputemus Anastasio, « viro, ut ait Hieronymus[3], ditissimæ paupertatis et apostolicæ sollicitudinis ; » sed ut ostendamus fidei robur totâ Ecclesiâ fusum, atque interdum extremo ex orbe prodire decreta, quibus etiam romana illa, apostolico ore laudata[4], excitetur et confirmetur fides.

Neque ita multò post prodiit Anastasii judicium : quo tempore Hieronymus alteram Theophili epistolam latinam à se factam ad Romanos mittebat, cùm primam præterito anno accepissent; scribebatque Hieronymus veluti concepto voto : « Prædicationem cathedræ Marci evangelistæ, cathedra Petri apostoli suâ prædicatione confirmet. Quanquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque papam Anastasium, eodem fervore, quia eodem spiritu est; latitantes in foveis suis hæreticos persecutum, ejusque litteræ doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est[5]. » Quâ ex consensione, illa jam firmitudo fidei consistat, quam sæpè diximus. Eam consensionem commendat Hieronymus, « quod beati episcopi Anastasius et Theophilus et Venerius *, et Chromatius **, et omnis tam Orientis quàm Occidentis catholicorum synodus pari sententiâ, quia pari et spiritu, Origenem hæreticum denuntiant populis[6]. » En igitur in consensione summa vis, ac Spiritûs sancti testimonium.

CAPUT XIII.

Turbæ post Chalcedonensem synodum : de iis seorsim per encyclicas epistolas Ecclesiæ consuluntur : responsa mittuntur : communi consensione quæstiones finiuntur.

Anno 457, post sex ferè annos quàm Chalcedonensis synodus acta erat, ejus incipiens, præsertim in Ægypto, fluctuabat auctoritas. Itaque Marciano Augusto synodi auctore et defensore mortuo, infanda illa Alexandriæ extiterunt : cæsus Proterius orthodoxus, et sanctus Alexandrinus episcopus : Timotheus Ælurus interfector à furente plebe ejus loco substitutus : Chalcedonensis synodus condemnata : Leo, Marciano successor datus, ac novo principatu ab his

[1] *Hier., ep. ad Theoph.*, LXI. al. LXXI. t. IV. part. II. col. 598, 599. — [2] *Ibid., ep.* LXXXVII. al. CLXXVIII. *ad Pamm. et Marc.*, col. 889. — [3] *Ibid., ep. ad Demetr.* XCVIII. al. VIII. col. 793. — [4] *Rom.*, I. 8. — [5] *Hier., ep.* LXXXVII *jam cit.*, col. 690.

* Mediolanensis. — ** Aquileiensis.

[6] *Ibid., Apol. adv. Ruf.*, lib. II. col. 417.

seditionibus multa religioni, multa imperio infausta veritas, de no[illegible] synodo consilia agitare videbatur. At episcopi molestè ferebant [illegible] tractari decreta Chalcedonensia, seque abstrahi à sedibus, ac sæ[illegible] citari totiès Ecclesiarum pacem. Quid ergo gestum sit, Libera[illegible] hujus ævi historicus paucis complexus est[1] : « Imperator scrip[illegible] singularum civitatum episcopis, de utroque negotio consulens, q[illegible] fieri oporteret, vel de ordinatione Timothei, vel de terminis (a[illegible] definitione) synodi Chalcedonensis, et direxit per totum Orient[illegible] magistrianos *. Mittit et Anatolius episcopus Asclepiadem diacon[illegible] suum, per quem omnes illi episcopi, qui Chalcedone fuerant congr[illegible] gati, quid Alexandriæ gestum sit agnoscerent : qui rescribunt, Ch[illegible] cedonensem synodum usque ad sanguinem vindicandam, eo q[illegible] non aliam fidem teneret quam synodus Nicæna constituit ; Ti[illegible] theum verò non solùm inter episcopos non haberi, sed etiam ch[illegible] stianâ appellatione privari. Quo pacto scripsit imperator Leo [illegible] Alexandrino Stilæ, ut pelleret quidem ab episcopatu modis omni[illegible] Timotheum, inthronizaret autem alium, decreto populi, qui synod[illegible] vindicaret. »

Extat imperatoris encyclica epistola eodem exemplo ad sanc[illegible] Leonem papam, atque ad alios episcopos, cum ambarum par[illegible] supplicationibus missa[2]. Extant sancti Leonis et maximorum [illegible] Orientalis episcoporum ** responsa, quibus Timotheum abjici[illegible] fidei quæstionem ab œcumenico concilio definitam reiterari vo[illegible] Omnes eodem sensu, eâdem formâ agunt : *Decernimus*, *statuim[illegible] pronuntiamus*, *dicimus*, *judicamus*. Ex his epistolis compacta[illegible] volumen illud, quod apud antiquos *encyclicarum* sive circulari[illegible] epistolarum nomine celebratur.

Dicant nunc episcopos romani Pontificis consultores. Atqui im[illegible] rator ab episcopis non consilia, quæ ad Leonem papam mitteret, [illegible] decreta et judicia, quæ statim exequeretur exquirebat, atque il[illegible] omnes æquè scripserat : « Ut ex omnibus vestris litteris hæc [illegible] cognoscentes, formam congruam dare possimus[3]. » Cæterùm ortho[illegible] doxus imperator de synodo Chalcedonensi, cujus fidem profe[illegible] erat, non ipse ambigebat, sed cùm apud Ægyptios hæc quæstio [illegible] saretur, hoc quoque episcoporum cum Sede apostolicâ consensu [illegible] decidi voluit ; post synodum œcumenicam iteratæ quæstioni nullu[illegible] esse locum. Sic in summis dimensionibus, atque periculis, [illegible]

[1] *Liber. Brev.*, cap. XV.

* Erant magistriani *officiales magistri officiorum*. Μαγιστριανοὶ, ἤτοι οἱ τάξεις τῶν ἀρχ[illegible] *in rebus principis*, inquit DU CANGE, Gloss. infim. Græc. (*Edit. Paris.*)

[2] *Ep. Imp. Leon.*, part. III, *Conc. Chalc.*, cap. 21, 22, 23, 24. tom. IV. *Conc.*, col. 869 et seq.

** Numero XXXVI.

[3] *Ep. Imp., jam cit.* col. 890.

tholicæ toto orbe diffusæ, sed uno semper spiritu actæ, etiam sine concilio generali, sese exerit auctoritas.

CAPUT XIV.

Sancti Simplicii papæ locus de decretis apostolicis irrefragabilibus Ecclesiæ universalis assensu.

Hinc romani Pontifices ipsâ semper consensione nituntur. Sanctus Simplicius papa, post sanctum Leonem tertius, apostolicorum Pontificum antecessorum suorum irrefragabilem commendat auctoritatem; sed eam quæ cum totius Ecclesiæ consensione conjuncta sit. Inde illud: « Quod apostolicis manibus cum Ecclesiæ universalis sensu, acie meruit evangelicæ falcis abscindi, vigorem sumere non potest renascendi [1]. » Quâ mente, in epistolâ ad Acacium Constantinopolitanum episcopum, rejicit à Sede Alexandrinâ Timotheum Solum, qui sit hæreticus, « atque ab universitate damnatus [2]; » ac postea: « Quem conventus novos per se didicimus comminari, reliqui existimantem quod de se universalis decrevit auctoritas. » Illud denique de prædecessoribus *catholicis episcopis* toto orbe terrarum residentibus subdit: « Sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum stante doctrinâ, contra quam nefas est disputare, quisquis rectè sapere videtur, novis assertionibus non indiget edoceri, sed plena et perfecta sunt omnia. » Quo loco post synodum Chalcedonensem nihil omnia docet, nec novæ synodo locum esse; quæ, inquit, « non nisi semper indicta est, nisi cùm aliquid in pravis sensibus novum, aut in assertionibus emersit ambiguum; ut in commune tractantibus, quæ esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas. » Inde ergo ex communi auctoritate lux certa est, quæ postquam Ecclesiæ exorta, *abominabile* est innovari judicia, *contra sententias totius orbis Domini sacerdotum*. En igitur in quo vim illam Ecclesiæ irrefragabilem collocaret. Cujus generis testimonia si congerere inpimus, modum omnem excedimus voluminis.

CAPUT XV.

Sancti Gelasii locus, in epistolâ ad episcopos Dardaniæ.

Neque obstant magnifica hæc et vera, quæ sanctus Gelasius egregius pontifex, de Acacio adversus Chalcedonensem synodum rebellante respondet [3], cùm multi quererentur eum à Sede apostolicâ solâ, non in dictâ novâ synodo, condemnatum.

Summa doctrinæ Gelasianæ est; postquam hæreseon auctores

[1] *Simpl. ep.* IV. *ad Zen. Imp.*, tom. IV. *Conc.*, 1072. — [2] *Ibid., ep.* V. *ad Acac. C. P., ibid.*, 1073, 1074. — [3] *Gelas., ep.* XIII *ad Ep. Dard.*, t. IV. *Conc.*, col. 1199 et seq.

semel ab Ecclesiâ universâ damnati sunt, non esse necessarias adversùs sectatores eorum novas ac *speciales synodos*, ne in infinitum eatur, et ecclesiastica jaceat auctoritas : sed esse à Deo constitutam Sedis apostolicæ potestatem, quæ, ipso apostolico principatu communis sententiæ executrix, hæreticos jam sola prosternat : quæ nos verissima confitemur.

Per hanc occasionem sanctus Pontifex commemorat, quæ Sedes apostolica etiam sola, ac sine præcedente synodo, possit in absolvendis damnandisve, quas oporteat personis : quæ quidem nos pari veneratione suscipimus. Absit enim, ut velimus Sedem apostolicam in omnibus causis concilio œcumenico esse succinctam ; cùm multa sint, quæ vel sola dissentiendo prohibeat atque disturbet, cujus consensionem atque sententiam in maximis rebus maximè exquirendam perpetua traditio docet. Hinc illa exempla, quæ nobis sanctissimus Pontifex pari magniloquentiâ ac veritate subjungit, Athanasii, Joannis Chrysostomi, Flaviani, quos « Sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. » Quæ quidem vera sunt ; sed aliunde supplenda ea, quæ cùm ad rem non facerent, beatus Gelasius prætermisit. Nos quæ ad hanc causam conferant, subnectamus.

Et de beato quidem Joanne Chrysostomo docuimus [1], à sancto Innocentio prolatum fuisse judicium, sed provisorium ; integram cognitionem œcumenicæ synodo reservatam.

Ejusdem sunt generis quæ à sancto Gelasio deinde referuntur [2] : « Flavianum in Ephesino latrocinio Pontificum congregatione damnatum, quoniam sola Sedes apostolica non consensit, absolvit : » ac paulò post, « impiam synodum (Ephesinam illam) non consentiendo submovit. » Rectè, si de provisorio judicio intelligas, quoad congregaretur, quam ipse Leo petebat, adversùs synodum malè gestam, alia generalis synodus ; interim, ut ipse addit, « querelis et præjudiciis partis utriusque suspensis, quò diligentiùs universa, quæ offensionem generaverant, retractarentur [3]. » Sic quæ sine gravi scandalo differri non possent, ipse provisorio judicio statim ordinat : summam ipsam œcumenico concilio relinquit.

Cætera quæ Gelasius commemorat, vel per se clara sunt, vel ex antè dictis facilè elucescunt. Ac Dioscorum quidem « Sedes apostolica suâ auctoritate damnavit ; » quòd auctor fuerit ejus sententiæ, quam, facto deinde examine, Chalcedonensis synodus, confirmaret, ut vidimus. De episcopis verò, qui Dioscoro consenserunt, hæc scribit [4] : Sedes apostolica « hos in suâ perfidiâ permanentes suâ auctoritate prostravit, quam congregatio, quæ illic (Chalcedone

[1] *Sup., hoc l.*, c. XI.—[2] *Ep. Gel. sup. cit. ibid.* —[3] *Leo., ep. ad Pulch., part.* I. *Conc. Chalc.* cap. XXI. t. IV. col. 46 ; *Inter Leon. epist.* XLI. al. XXVI.— [4] *Gel., loc. cit.*

scilicet) collecta fuerat, est secuta : quoniam sicut id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit. » Quæ ad Sedis apostolicæ auctoritatem ideo referuntur, quòd eam præeuntem Chalcedonensis synodus sit secuta : ut profectò constet, in eo esse vim maximam et ineluctabilem, quòd Sedis apostolicæ judicia *Ecclesia tota suscepit*, habitâ quidem quæstione, et novâ discussione, ut ex gestis constitit.

Ita vel in iis, quæ à solis romanis Pontificibus facta, Gelasius memorat, Ecclesiæ universalis potior auctoritas elucescit; cujus illi, in iis quidem rebus quæ universam Ecclesiam conturbarent, vel judicia exequuntur, vel sanè cùm præeunt, ab ejusdem Ecclesiæ sententiâ ultimum ac perfectum robur accipiunt.

CAPUT XVI.

Propositio, UNUS TRINITATIS CRUCIFIXUS, à Scythis monachis Constantinopoli agitatur : monachi Hormisdam consulturi pergunt : professio Justiniani, eadem de re romanum Pontificem consulentis, pro ejus infallibilitate objicitur.

Anno 519, sub sancto Hormisdâ summo pontifice, quæstio suborta est ingens, quam diligenter evolvere oportet, quoniam inde ab utrâque parte argumenta repetuntur.

Agebatur de propositione hâc : *Unus Trinitatis*, seu, *unus ex Trinitate crucifixus est*. Hanc beatus Proclus Constantinopolitanus in epistolâ ad Armenos [1], paulò post sanctam synodum Ephesinam, novis nestorianis objecerat; cùm excommunicato Nestorio sub antiquiore Theodori Mopsuesteni nomine patrocinarentur. Hi ergo Theodori publici laudatores, Nestori verò occulti defensores, unum filium in duos dividebant; Mariæ filium à Dei filio segregabant; pro Trinitate quaternitatem invehebant : quos beatus Proclus aptissimè redargui arbitrabatur, si Mariæ filium non aliquem extra Trinitatem, sed *unum Trinitatis* esse faterentur.

Procli epistola ab Orientali synodo approbata, et ab ipso synodo Chalcedonensi laudata [2], toto etiam Occidente nobilis habebatur, postquam eam Dionysius Exiguus in latinum sermonem vertit, ac Procli industriam commendavit; quòd Christum *unum ex Trinitate asserens*, nestorianas fraudes aptissimè confutaret [3].

Hanc ergo propositionem Joannes Maxentius, aliique Scythiæ provinciæ monachi adversùs nestorianos asserebant; et qui eam respuerent, nestorianismi arguebant.

[1] *Ep. Procli C. P. ad Arm.*, t. VI. *Bibl. Patr.*, p. 615; et t. III. *Conc.*, col. 117.— [2] *Vid. nov. coll. Conc., Baluz.*, p. 94; *Facund.*, lib. VIII. c. 4; *Conc. Chalc.*, part. III. c. 1. col. 827, 828.— [3] *Dionys. Exig., præf., in ep. Procli*, tom. VI. *Bibl. Pat.*, p. 612.

At Dioscorus, diaconus sancti Hormisdæ, ac Sedis apostolicæ legatus, Constantinopoli agens, ad Hormisdam prescribit monachorum scytharum propositionem, ut novam, ad hæc, ut hæreticam, et ab eutychianis maximè assertam, respuendam videri [1].

Certum quidem est, Petrum *Gnapheum* seu *Fullonem* eutychianum hæreticum, eo nomine à Felice III ac synodo Romanâ fuisse reprehensum, *quòd unum increatæ atque individuæ Trinitatis passionem subiisse ac mortuum* esse diceret [2].

Sed id Petrus Fullo ita intelligebat, ut *unus de Trinitate passionem pro nobis pertulisse* diceretur *in substantiâ deitatis*, ut ipse Felix refert [3]; à quo scelere monachi Scythiæ adeo abhorrebant, ut secum hoc adderent, quod et beatus Proclus accuratissimè dixerat : Unum Trinitatis crucifixum carne [4] : ne naturas confundere, et cum eutychianis sapere viderentur.

Quâ in re multum distabant à Petro Fullone, et ab ejus assecla Anastasio Augusto, et à Theodorâ Augustâ [5], cujus sententia per scriberetur, *unum de Trinitate passum non asserens, secundùm quid, sed absolutè* Scythæ autem passum asserebant, *non absolutè* (quod hæretici significatum volebant etiam divinitate passum), sed tantùm *secundùm quid*, hoc est, secundùm carnem.

Quæstione motâ, scythæ monachi Romam profecti sunt, Sedem apostolicam ordine consulturi [6] : eâdem de re scribunt Justinus Augustus ac Justinianus tunc comes domesticorum : atque hic monachos ut inquietos ac turbulentos statim repelli petit, à Dioscoro persuasus [7]. Mox ipsâ re, ut videtur, graviùs consideratâ, per alias litteras Hormisdam sic interrogat [8] : « Quidam asserunt Christum pro nostrâ salute carne cruxifixum, unum de Trinitate debere predicari. » Quærit, quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, quoniam verba videntur facere dissensionem; nam sensus inter catholicos omnes unus esse probatur. » Subdit : « Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit informatum. » Quæ professio, ne statim ad pontificiam infallibilitatem pertinere videatur, rei gestæ narrationem ad finem usque expectandam monemus : interim bonâ fide notamus quid nobis objiciant.

[1] *Sug. gest. Diosc. ad Hormisd.*, t. IV. *Conc.*, col. 1521.—[2] *Conc. Rom.* I. *sub Fel. III*, [illegible] col. 1097.— [3] *Fel., ep.* V *ad Zen., ibid.*, col. 1071.— [4] *Pet. Diac., lib. ad Fulg., Int. Op.* [illegible] pag. 280, *edit. Paris*, 1684. — [5] *Vid. Joan. Max. Profess. fid.*, t. IX. *Bibl. Patr.*, p. [illegible] —[6] *Vid. Vict. Turon. Chron., ed. Scalig.*— [7] *Ep.* I. *Justin. ad Horm.*, t. IV. *Conc.*, col. [illegible] — [8] *Ejusd. ep.* II. *ad Horm.*, col. 1517,

CAPUT XVII.

boni sanctique consulendos docent per orbem terrarum episcopos : quæstionis finem ab Ecclesiæ universalis auctoritate expectandum.

is esset interim catholicorum eâ de re sensus, exponere juvat. rimum scythæ monachi fidem suam diligenter expositam [1] sancto ntio ejusque collegis sanctis Christi confessoribus *, ac Fer- o diacono, viris eo ævo sanctissimis ac doctissimis approbarunt. tantùm in Fulgentio notaveris, malle eum dicere, *unam ex itate personam*, quàm *unum Trinitatis*, vel *unum ex Trinitate* [2]. diversitas tam est levis, ut qui eâ re tantùm differant, eos una- es et ubique consentaneos meritò pronuntiaveris. Unde nec illi achi, à tantis episcopis ritè interrogatis, reprehensionis quid- n, sed fraternæ charitatis testimonia retulerunt.

reverà *unus* ille *Trinitatis* indefinitè dictus, quis est alius quàm persona Trinitatis, ut etiam Joannes Maxentius et Ferrandus nus ac postea Facundus episcopus Africanus, ejus ævi nobilis tor, luculentissimè declararunt [3].

mè Ferrandus diaconus praves sensus tres memorat [4], quibus posset, *unus de Trinitate*; verùm eos sensus monachi apertis- respuebant. Quare Ferrandus diaconus offensioni quorumdam it, *ut una de Trinitate persona* dicatur potiùs quàm *unus de itate*; cùm utrumque indifferenter aptequè et innoxiè dici it.

d cùm nestoriani *personæ* nomine abuterentur, Christumque ut tum, Verbi personam exhibuisse dicerent; ideo nestorianarum dum gnari, *unum Trinitatis* malebant dici; anteponebantque eam tionem, in quâ *nestorianorum dolus* minùs *abscondi* posse vide- r. Hæc Maxentius; hæc Facundus [5]; notantque omnes hujus ævi ptores, ipsam trinitatem ita esse locutam : *Ecce Adam quasi unus nobis factus est* [6] : non dixit, quasi una ex nobis persona; sed *unus ex nobis*; cùm tamen, ut ait idem Facundus, « nullus Trinitate meliùs loqui possit, quam ipsa de se locuta est Tri- s. »

ddebat Joannes Maxentius beati Augustini locum, quo Christum llabat, *unum trium*; quod quidem, quid est aliud, quàm *unum itatis* [7] ?

d. ep. seu lib. Petri Diac., de Incarn., int. Op. Fulg., Ep. XVI. p. 217 et seq.
m in Sardiniâ exulibus, persecutione Vandalorum grassante. (*Edit. Paris.*)
lg., lib. de Incarn., etc. ad Pet. Diac., ibid., ep. XVIII. c. X. n. 18. p. 296.— [3] *Maxent.*, ad Epist. Horm., t. IX. *Bibl. Pat.*, p. 542; *Ferr.*, ep. ad Anat. Diac., n. 14, 16. p. 506; d., pro defens. trium Capit., l. I. c. 3; *ibid.*, t. X. p. 6.— [4] *Ferr.*, *ibid.*, n. 16.— [5] *Max. et* d., loc. cit.— [6] *Gen.*, III. 22; *Fac.*, loc. cit.— [7] *Maxent. profess. fid.*, t. IX. *Bibl. Pat.*, ; *Aug. Enchir.*, c. XXXVIII. n. 12. t. VI. col. 211.

Neque, quod objiciebat Dioscorus diaconus, monachi scythæ in rere fidei Chalcedonensi nitebantur eam locutionem; aut, quod deesset, imperfectam synodum arguebant; sed profectò asserebant quod res est, licere ad hæreticorum fraudes refellendas multas synodos usurpare; præsertim verò ea, quæ Patrum usu probatæ viderentur.

Cæterùm Chalcedonensem synodum, ac beati Leonis epistolam ubique celebrabant; neque tantùm Eutychen, sed etiam Alexandrum Dioscorum ejusque sequaces condemnabant: et Christum non tantùm ex *duabus*, eutychianorum more; sed etiam in *duabus* naturis subsistere: unumque Trinitatis passum quidem, sed carne tantùm, non autem divinitate, omnibus paginis testabantur [1].

Hæc igitur quæstio cùm magnâ animorum contentione inter eusiasticos tractaretur, Ferrandus diaconus à Severo scholastico Constantinopolitano rogatus quid sentiret, jubet interrogari non quidem, verùm eos « quibus honor sacerdotii docendi auctoritatem tribuit. Interroga, inquit, principaliter apostolicæ Sedis antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, et fulcitur munere auctoritatis. Interroga plurimos per diversa terrarum loca Pontifices, quibus scientia cœlestium præceptorum divinitus inspirata, tantam grandem suî cum veneratione collegit [2]. » Hos quidem omnes interrogandos monet, sed *principaliter* romanum Pontificem. Cæterùm post quæstionem diligentissimè pertractatam, quo tandem loco tissimè figat pedem his verbis explicat: « Unde desistendum à contentionibus reor: expectandum potiùs persuadens, patienter hanc dubitationem ferendam, donec universalis Ecclesiæ auctoritas vel pronuntietur suscipienda, vel prodatur abjicienda [3]. » Ea in dubiis, animisque *vehementi contentione* suspensis quò res consuevissent. En unde certissimam atque irretractabilem expectatam sententiam. Sed quomodo postea finita sit quæstio, paucis enarrabo.

CAPUT XVIII.

Sancti Hormisdæ epistola ad Possessorem, quâ Scythæ monachi condemnantur: illi Ecclesiæ catholicæ sententiam expectant: eorum propositio vincit: ... Ecclesiæ universalis consensione quæstioni finis imponitur.

Postquam quatuordecim jam mensibus causa pependerat, monachique per annum ferè integrum Romæ commorati, Hormisdas edidit epistolam ad Possessorem episcopum Afrum, qui tum Constantinopoli agens, Sedem apostolicam de Fausti Regiensis ... consulebat [4].

[1] *Max., ep. ad Germ. Joan., etc., loc. sup. cit.*, p. 524. col. 2.—[2] *Ferr., epist. ad Sev.*, ... *Bibl. Patr.*, p. 509. — [3] *Ibid.*, c. XI. p. 513. — [4] *Hormisd., ep.* LXX. *ad Posses.*, t. IV. ... col. 1530 et seq.

epistolâ Pontifex, quid de scythis monachis sentiret, Constan-
ili ac toto orbe terrarum innotescere voluit. Dicit hos « turbu-
s, pertinaces, contentionum studiis assuetos, contemptores
ritatum veterum, novarum cupidos quæstionum; non eos mo-
, non mansuetudine, non auctoritate compressos : » ac plebem
commoturos, « per diabolicæ semina nefanda zizaniæ, nisi
s populi constantia restitisset : hos ergo esse vitandos [1]. » Hæc
isdas, nullâ interim anathematis aut depositionis mentione.
nsque sententiam temperavit suam. De quæstione nihil; sed
s facilè crediderunt, monachorum proscriptam esse propositio-
, cùm cæterà innoxii, eò importuni pertinacesque haberentur,
ab eâ nullis monitis discedere voluissent.

erim Hormisdæ tanti pontificis epistola haud prohibuit, quo-
s catholici ubique terrarum, ac præsertim in Oriente adversùs
rianos, propositionem inculcarent. Ipse Maxentius adversùs
pistolam commotissimo animo scripsit. Ejus auctorem, quis-
esset (neque enim fateri volebat Hormisdæ eam esse, quæ ipsi
impia videretur), hæreticum appellabat, atque hæc insuper
it [2] : « Confidenter dicere audeo, non quòd si per epistolam,
vivâ voce hic in præsenti positus, idem romanus prohiberet
pus, Christum Filium Dei unum confiteri ex sanctâ atque indi-
Trinitate; nunquam eidem Dei Ecclesia acquiesceret; nunquam
iscopum catholicum veneraretur, sed omnino ut hæreticum
s execraretur : quia quisquis hoc non confitetur, non est
m, quòd nestorianæ perfidiæ tenebris excæcatus, quartum et
neum à sanctâ et ineffabili Trinitate, eum qui pro nobis cru-
ustinuit, prædicare contendat. Sed absit, ut ex quâlibet parte
licæ professioni romanus episcopus contradicat. »

e postrema qui ad pontificiam infallibilitatem trahunt, non satis
tunt quæ antecesserint; quàmque Maxentius adversùs fidem
eromanum Pontificem, abominandum quidem execrandumque,
tutem impossibile judicaret, imò verò fieri posse supponeret;
eo casu quid eventurum esset exponit, nempe ut hæresim asse-
, universalis repugnaret Ecclesia.

placet interim, quod Joannes Maxentius clamosior atque com-
r Hormisdæ epistolam hæreticam, potiùs quàm asperam appel-
quæ scythas monachos insectata tantùm, ne verbum quidem
estione diceret.

d ex vero Maxentius protulit, Ecclesiam omnino errare non
; ac si romanus Pontifex verum, quod Scythæ asserebant,

[1] *Ibid., ep.* LXX. *ad Possess.*, t. IV. *Conc.*, col. 1531. — [2] *Resp. Max. ad epist. Horm.*, *Bibl. Patr.*, p. 539 et seq.

dogma proscriberet, non eam assensuram. Id eventus docuit: u adeo enim monachorum propositio toto Oriente invaluit, atqu versùs novos nestorianos necessaria visa est, ut eam edicto Justinianus approbare cogeretur [1]; auctoribus, ut fieri solebat, scopis, ac præcipuè Epiphanio patriarchâ Constantinopolitano: edictum est editum anno 533, duodecim annis post datas Hom ad Possessorem litteras.

Imperator, legatione ad Joannem II missâ, edictum approbari et impetravit; deditque litteras ad Papam, quibus significat « Paucos infideles judaicè atque apostaticè contradixisse cum sacerdotibus, denegantes unigenitum Dei Filium hominem f atque crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trini in quo videntur nestorii malam sequi doctrinam [2]: » quod i scythæ monachi à quindecim annis, atque ab ipso hujus conten initio propugnabant.

Neque imperator jam consulit quid credendum, ut olim sub misdâ fecerat; sed rem ut certam et exploratam, atque ab om prædicatam refert, cui nemo nisi *judaicè et apostaticè contradic*

Sic autem concludit: « Petimus ergo vestrum paternum affect ut vestris ad nos destinatis litteris, manifestum nobis faciatis, omnes qui prædicta rectè confitentur suscipit vestra Sanctit eorum qui judaicè ausi sunt rectam denegare fidem, condi perfidiam [3]: » addit hæc observatu digna: « Plus enim ita et vos omnium amor, et vestræ Sedis crescet auctoritas, et quæ est unitas sanctarum Ecclesiarum inturbata servabitur; quand vos didicerint omnes beatissimi episcopi, eorum quæ ad vos sunt, sinceram Sanctitatis vestræ doctrinam. » Quo significabat sinceram visum iri, si romanus Pontifex tam certum dogma i basset; ac sic episcopi Orientales romani Pontificis sinceram d nam, non ex ejus infallibilitate certo prejudicatam, sed ex responsis exploratam volebant.

His victus Joannes, concilio habito, datisque litteris ad Justinianum, ac deinde ad senatores *, confirmavit Justiniani *et unum de Trinitate crucifixum*, iisdem asseruit Scripturar Patrum locis, quibus scythæ monachi usi erant [3].

Disertè autem notat hæc à se probari secundùm Patres *ac romanos præsules* [5], quos in omnibus sequeretur: quod Justinianus dixerat epistolâ ad Joannem [6]. Tametsi enim

[1] *Cod. Justin.*, lib. XI. tit. *de sum. Trinit.* — [2] *Epist. Just. ad Joan. II, Cod. ibid.*, *Conc*, col. 1743. — [3] *Ibid.*, col. 1744.

* Romanos.

[4] *Conc. Rom. sub Joan. II, ibid.*; col. 1762; *Ep. Joan. ad Just., ibid.*, col. 1745; *et al nat.*, col. 1751 et seq. — [5] *Epist. ad Just., loc. cit.* — [6] *Vid. ep. Just. ad Joan.* col. 1745.

...tate nondum affirmassent, id tamen ex aliis eorum dictis atque ...ntiis perspicuè sequebatur.

...his igitur omnibus maximè elucescit fidei exponendæ, et quæ...um finiendarum ratio, quam tuemur.

...avem quæstionem et cum ipso legato apostolicæ Sedis Constantino... excitatam, ad ipsam apostolicam Sedem statim deferri oportebat. ...rmisdas interrogatus sic respondet, ut prostrata quodammodo ...us videatur : ejus defensoribus certa responsa quærentibus pro ...i responso ploratus indicitur : tacente, cunctante, obsistente ...is romano Pontifice, non ipsa tacet veritas : pervicit ac per... dubitationem omnem Ecclesiæ catholicæ vox atque consensio ; ...jam consulitur ut de re ambiguâ romanus Pontifex, sed rei ut ...e et indubitatæ approbatio petitur et elicitur. Quis hic non ...t valuisse, ut in omni ancipiti re eam quam Ferrandus dia...s, et cum eo optimus quisque expectabat, Ecclesiæ catholicæ ...ensionem.

CAPUT XIX.

...mula consulendi romani Pontificis ; rei gestæ serie, ac Patrum traditione explicatur.

...m credo, ipsa rei gestæ series, et catholicorum in hâc quæ...ne communis sententia, satis ostendit, quæ vis sit professionis ..., quæ à Justiniano Hormisdam interrogante edita est : « Id cre...us catholicum, quod vestro religioso responso fuerit intima...[1]. » Rectè et ordine atque ex consuetâ formulâ erga romanum ...tificem de fide rogandum ; cùm meritò præsumatur, non eum ...ati, non officio defuturum.

...rtè de episcopis sanctus Damasus papa, ac synodus Romana sic ...unt : « Gallorum atque Venetensium fratrum relatione comperi..., nonnullos, non hæresis studio ; neque enim hoc tantùm mali ...re in Dei antistites potest, etc. [2] » Si ergo tantùm mali in singulos ...copos cadere non posse meritò præsumitur, quantò magis in ... qui tanto loco præsit.

...uisquis ergo præpositos, ac præsertim omnium doctorem ac ...cipem romanum Pontificem de fide interrogat, is confidat in ...ino veridicum responsum omnino secuturum ; at eam πληροφορίαν ...n commendat apostolus [3], hoc est, *eam fidei plenitudinem* quæ ...tus captivet intellectum, omni dubitatione sublatâ, in ipsâ Eccle... consensione stare credat.

... in hâc contentione ipse eventus docuit, et catholicorum om-

...ist. II *Just. ad Horm.*, tom. IV. *Conc.*, col. 1517.— [2] *Ep. Syn. Conc. Rom. sub Dam. ad* ...*t. ex Coll. Holst.*, part. I. p. 166 ; et t. II. *Conc.*, col. 802.— [3] *Heb.*, x. 22.

nium sensus. Unde etiam illud contigit, ut et de romano Pontifi optima tantoque officio congrua præsumerentur, et interim dubit retur. Ecce enim Joannes Maxentius ab Oriente Romam petit, sa tum Hormisdam de fide rogaturus. Quid tamen dixerit, audivimus nempe si romanus Pontifex præsens *unum Trinitatis* Christum d *prohiberet*, totam Ecclesiam restituram, eumque *ut hæreticum e craturam* fore. Vides quàm bona præsumeret, quàm mala eve posse crederet. Neque verò eâ causâ suspectus cuiquam esse deb neque aliter in aliis controversiis, viri boni catholicique senser Ecce enim sequente sæculo, ad annum videlicet Christi 642, sanc Martinus papa, de monothelitarum hæresi, collectâ Lateranensi s odo [2], judicaturus sedebat; ad eum ejusque synodum Ecclesiæ rec rebant undequaque terrarum; an omni penitus dubitatione subm hæc sanctorum abbatum * supplicatio docet. « Certissimè scienti vobis sanctissimis, quòd si aliter, quàm à nobis piè postulata sa quidquam omnino integritatem fidei corrumpens, à vestrâ term tur (hoc est definiatur) Beatitudine, quod absit, abfuturumque hoc enim omnino incredulum (id est, incredibile) nobis est: il sine dubio atque innocentes ab hoc quod fiet existimus [3]. » Id e infaustissimum, difficillimum, rarissimum, atque adeo incredib non autem impossibile judicabant. Quid enim erat, cur tam g obtestatione à se amolirentur ac deprecarentur culpam, quam e nino impossibilem judicassent? Unde addunt se Martino judicat « suam confessionem in cognitione offerre permanentes, in his q orthodoxè definit secundùm Patrum et synodorum doctrinam traditionem. » Hâc conditione spondent consensionem: si secus fie culpam à se deprecantur; atque hæc coram sancto Martino profi tur, cùm ipse sederet in synodo de fide judicaturus, eamque pro sionem Martinus eique assidentes episcopi susceperunt.

Multa ejusmodi suis postea locis occurrent, quibus firmetur quod contendimus: nempe in cæteris ecclesiasticis de fide judi ipso etiam romano Pontifice considente, inesse fidelibus animis fiduciam πληροφορίαν illam ac plenam certitudinem, in unius Eccl catholicæ judicio et consensione esse positam.

1 *Vid. sup.*, cap. XVIII; *Vid. etiam* tom. IX. *Bibl. Patr.*, p. 541. — 2 *Conc. Lat. sub* secret. II. t. VI. *Conc.*. col. 100 et seq.

* Qui è Græciâ Romam venerant, persecutionis vitandæ causâ. (*Edit. Paris.*)

3 *Suppl. Abb. et Monach., ibid.*, col. 171.

** Ut certò cognoscerent illi abbates nihil à Martino papâ et Lateranensi concilio fuisse d nitum, quòd doctrinæ Patrum et conciliorum non consonaret, postularunt usque ad s *apicem, cum omni acribiâ* (id est diligentiâ) *secundùm græcam interpretari vocem*, p *tunc definiebantur*. Adeo aberant ab eâ, quam vocant, cæcâ obedientiâ. Hic Labbeus n marginalem adjungit, quâ significare videtur versionem græcam, quam nunc habemus c hujus Lateranensis, factam tum fuisse, iis abbatibus postulantibus. (*Edit. Paris.*)

CAPUT XX.

estio Elipandi de Christo adoptivo Dei Filio, romani Pontificis, et Ecclesiarum consensione finitur : particula FILIOQUE per eadem fere tempora Symbola addita.

Hæsit Latinorum, ac maximè Gallorum animis à majorum tradione repetita, de consensionis necessitate, atque auctoritate, sententia. Cujus rei illustre exemplum habemus octavo sæculo sub Carolo Magno in Francofordiensi synodo [1]. Ea synodus maximi nominis, summæque auctoritatis fuit; habebatque præsentes Theophylactum ac Stephanum episcopos, Sedis apostolicæ legatos; ac totam ferè Occidentalem, sive per præsentiam, sive per litteras, complectebatur Ecclesiam.

De Christo Dei Filio quærebatur, quem Elipandus Toletanus episcopus aliique Hispani pro adoptivo habebant, quatenus quidem homo est. Dividebatur Dei Filius; nestoriana pestis reviviscere videtur. Carolus Magnus nondum quidem imperator, sed Francorum quæque Italiæ rex, ac Romanorum patricius, id maximè pro suâ religione curabat, uti quæstioni finis imponeretur. Quid autem gesserit ipse declarat; datis quippe litteris diligentissimè exquisivit : « Primò, quid dominus apostolicus cum sanctâ romanâ Ecclesiâ et episcopis qui in partibus commorantibus : secundò, quid etiam Mediolanensis episcopus et alii in Italiâ doctores et sacerdotes Ecclesiarum Christi : tertiò, quid Germani, Galli et Aquitani » crederent [2].

Primùm ergo accepit Adriani papæ epistolam, quâ quæstionem totâ gravitate Suæ auctoritate judicabat; atque Elipandum et sequaces, nisi resipiscerent, « ex auctoritate prorsus Sedis apostolicæ ac beati Petri apostolorum principis; et per eam, quam illi Magister et Dominus ligandi ac solvendi tradidit potestatem, perpetuo anathemate religabat [3]. »

Neque tamen in tantæ Sedis tam expressâ sententiâ finem posuit; sed acceptâ Mediolanensis episcopi atque Italorum concordi sententiâ concilium ex germanis, gallis, aquitanisque episcopis Francofordiam convocavit. Patres rectam fidem, editâ synodicâ epistolâ, et canone, firmarunt; Elipandi nefariam hæresim condemnarunt [4]. Jam Carolus Magnus, Sedis apostolicæ, totque episcoporum auctoritate fretus, hæreticos adhortatur ut decretis pareant, quæ *pia unanimitas et pacifica perscrutatio* protulisset; se enim cum his *sanctis decretis et catholicis statutis consensum suum subnexuisse*, et corde amplexum; *patrum testimonio roboratam fidem*; neque pro catholico habitu-

[1] *Conc. Francof.*, an. 794, t. VII. col. 1014 et seq. — [2] *Ep. Car. Mag. ad Elip. et Ep. Hisp.*, ibid., c. 1049. — [3] *Adr., ep. ad Hisp. cont. Elip.*, *ibid.*, c. 1021. — [4] *Libell. Episc. Ital.*, etc., col. 1022 et seq.; *Syn., ep.* col. 1032 et seq.; *Can.* I. col. 1057.

rum qui ei decreto repugnasset, in quo conjunctæ essent, *Sedis apostolicæ auctoritas et episcopalis unanimitas* [1]: eos enim esse quibus à Domino dictum esset: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* [2]. Quare hortabatur ut « ad multitudinem populi christiani, et ad sacerdotalis concilii unanimitatem reverterentur. »

Hic existant illi, qui non tantùm præcipuam, sed totam in apostolicâ Sede auctoritatem ponunt: Carolo movebunt litem. Quid tu, inquient, episcopos per totum Occidentem eâ inquisitione fatigatos velis? Unus Papa consulendus, audiendus tantus, ex quo omnium deinde sententia pendeat. At non ita Carolus: quæstionem in Occidente ortam Occidentalium Ecclesiarum cum apostolicâ Sede communi sententiâ finiri placuit. Neque verò huc episcopi diversarum partium addocentur, ut Papæ consultores, quod nunc comminiscuntur: quippe qui seorsim per nationes appellati, sententiam suam, eodem spiritu ducti, eodem ferè tempore, nullâque communicandi consilii facultate, emprompturi essent. Neque sola Sedes apostolica appellatur, quod censores nostri volunt; sed ita omnia firma esse intelliguntur, si ad *Sedis apostolicæ auctoritatem*, *unanimitas* quoque *episcopalis* accedat.

Hic ergo Carolus hæreticos universalis Ecclesiæ auctoritate premit: « Vos igitur, inquit, quia pauci estis, unde putatis vos aliquid verius invenire potuisse, quàm quod sancta universalis toto orbe diffusa tenet Ecclesia? » Sic demum omnia in auctoritatem universalis Ecclesiæ resolvuntur, quæ et earum partium, ubi exorta quæstio est, expressâ declaratione, et cæterorum toto terrarum orbe communicantium, certâ, licèt tacitâ, consensione constet. Hæc Galli sub Carolo Magno; hæc sub Ludovico Magno profitentur; neque Patrum traditionem avelli sibi sinunt.

Per eamdem ætatem facta illa est Symbolo, quæ tot turbas excitavit, additio particulæ, *Filioque*: cui additioni in Hispaniis inchoatæ, quantùm romani Pontifices obstiterint, Leonis III sub Carolo Magno gesta testantur [3]. Pervicit tamen omnem difficultatem totius occidentalis Ecclesiæ consensus, in quem deinde romani Pontifices tot Ecclesiarum auctoritate pertracti sunt; neque postea Græcorum clamores audierunt. Neque tamen succensemus Leoni III talia prohibenti; sed reliquam Ecclesiam haud minùs in proposito persistentem, divino numine actam, id egisse, certâ fide credimus.

[1] *Ep. Carol. ad Elip., sup. cit.* — [2] *Matth.*, XXVIII. 20. — [3] *Vid. vit. Leon. III, et ejusd. ep.* tom. VII. *Conc.*, col. 1075 et seq.

CAPUT XXI.

Tricassina secunda synodus sub Joanne VIII : professio obedientiæ romano Pontifici facta secundùm canones ab Hincmaro Rhemensi : episcopi conjunctâ auctoritate cum Papâ judicant : ex consensione robur.

Quid episcoporum cum Sede apostolicâ consensio præstet, non tantùm in fidei quæstionibus, sed etiam in exerendâ quibuscumque aliis causis ecclesiasticâ ultione, nono sæculo in Tricassinâ synodo Joanne VIII papâ præside, apparuit. Is innumerabiles tum rerum romanæ Ecclesiæ pervasores, communi Sedis apostolicæ et coepiscoporum sententiâ excommunicari postulabat actione I [1]. Actione II, episcopis inducias petentibus, quoad cæteri confratres advenissent, « delata à Pontifice romano sententia est excommunicationis et damnationis [2], » quæ per omnes metropolitanas Ecclesias, conjunctis suffraganeis legeretur. At ut ex fratrum consensu, robur accederet, actione III, « universi episcopi sanctæ synodi, libellum concordiæ ac devotionis unanimitatisque confectum summo Pontifici porrexerunt; quem idem præsul benignè propriis manibus suscepit, et suum subbrevitate sancitum, super auctoritate canonicâ, et concordiâ coepiscoporum, conjunctæ synodo dedit [3]. »

Ex hâc Sedis apostolicæ et episcoporum conjunctâ sententiâ plenum auctoritatis robur exurgere demonstratur his verbis, act. IV : « Lecta est lectio consensus totius synodi et SENTENTIA ROBORATIONIS EJUS data in pervasores Ecclesiarum, et transgressores præceptorum Dei : et statutum est ut scriptiones manibus singulorum roborarentur [4] : » sic in consensu synodi, *sententia roborationis* agnoscitur.

Extat Joannis VIII allocutio ad episcopos in hanc formam : « Mecum viriliter state, quærentes simul et judicantes tantæ patratores iniquitatis, tantæque temeritatis præsumptores [5]. » Tum subdit : « Et vos, fratres charissimi, ut decrevimus, nostræ communionis alienos tenete, et anathematizatos fautores eorum mecum facientes consternite. »

Hæc à fratribus postulabat, non cæca, ut aiunt, obedientiâ fieri, sed quæstione simul habitâ, simul prolato judico : *Quærentes simul et judicantes.* Quamobrem episcopi respondent his verbis, quæ simul et obedientiam et auctoritatem præferant : « Domine sanctissime ac reverendissime pater patrum Joannes, catholicæ atque apostolicæ primæ Sedis papa : nos famuli ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum et Belgicarum episcopi,.... dolori vestro conflentes condolemus; atque judicium vestræ auctoritatis, quod privilegio beati Petri et Sedis apostolicæ, in eos et complices eorum, juxta sacros canones

[1] *Conc. Tricass.* II. act. I. t. IX. col. 307. — [2] *Ibid.*, act. II. — [3] *Act.* III. col. 308. — [4] *Act.* IV. *Ibid.* — [5] *Alloc. Joan. ad Synod.*, *ibid.*, col. 309.

spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ consecratos, et secundùm ejusdem romanæ Sedis Pontificum decreta protulistis, voto, voce, atque unanimitate nostrâ ATQUE AUCTORITATE SPIRITUS SANCTI, cujus gratiâ in episcopali ordine sumus consecrati, *gladio Spiritûs sancti, quod est verbum Dei* [1], eos interimentes, persequimur. Scilicet quos excommunicastis, excommunicatos habemus; quos abjecistis, abjecimus; quos anathematizastis, anathematizatos esse judicamus; et quos regulariter satisfacientes, vestra auctoritas et apostolica Sedes receperit, recipiemus. »

Sic episcopi, cùm decreta Sedis apostolicæ recipiunt, ipsi, quæstione habitâ, sententiam sententiæ, judicium judicio, auctoritatem suam à Deo profectam, summæ à Deo profectæ romani Pontificis auctoritati, conjungunt; *gladium Spiritûs* simul exerunt; Sedis apostolicæ statuta, *voto, voce*, ipsâ suâ *unanimitate* et auctoritate prosequuntur: non quòd judicium suum et auctoritatem, Sedis apostolicæ judicio et auctoritati coæquent, sed quòd intelligant, ex ipsâ consensione atque *unanimitate* plenum robur existere.

Interim romano Pontifici auctori ac præeunti se obedire profitentur, sed pronuntianti, *privilegio beati Petri ac Sedis apostolicæ*: quod sic postea interpretantur, « juxta sacros canones spiritu Dei conditos, ac totius mundi reverentiâ consecratos, » etc.

Hinc illa, in ejusdem synodi Tricassinæ act. II, Hincmari Rhemensis professio: « Secundùm sacros canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ consecratos, quos apostolica Sedes, per beatum et domnum nostrum Papam, et sancta romana ecclesia omnium Ecclesiarum mater, privilegio sancti Petri damnat, damno; quos anathematizat, etc., et quod in omnibus secundùm Scripturarum tramitem, sacrorumque canonum decreta Sedes romana tenet, per omnia et in omnibus, pro scire et posse meo, perpetuum prosequor et teneo [2]. » Quæ tam clara sunt, ut ea legere tantùm oporteat, ac ne verbum quidem addere.

CAPUT XXII.

Objecta solvuntur: Turonensis secundi concilii canon: statuta Nicolai papæ canones Pontigonensis synodi: quæ Petri privilegio facta habeantur: sancti Leonis insignis locus.

His objicere solent, summorum Pontificum decretales ab omnibus Ecclesiis, præsertim à gallicanis, summâ cum veneratione fuisse susceptas, ac legis instar habitas: quæ quidem certa sunt, sed quæstio est, an Ecclesiæ eas decretales indiscussas reciperent? Receptas certè, et totius mundi reverentiâ consecratas, inviolabiles fuisse

[1] *Eph.*, VI. 17.—[2] *Conc. Tricass.* II. act. II. col. 307.

nemo negat. Nihil ergo ad rem, quod profert novissimus scriptor anonymus [1] concilii secundi Turonensis, anno 567, canone XX, ita esse decretum: « Quis sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede apostolicâ processerunt, agere præsumat [2]? » Dictum de sancti Innocentii epistolâ decretali ad Victricium Rothomagensem, capite XII [3], quæ epistola pridem totâ Ecclesiâ obtinuerat. Pergunt Turonenses Patres: « Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecerit. Et Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas. » Eorum sanè auctorum, quos Sedes apostolica bonos, probabilesque, non apocryphos ac suspectos duxerit. Allusum scilicet ad Gelasianum decretum, *de apocryphis* [4], ubique receptum. Jam verò quærimus, an aliter recepta ista sint, quàm illa sancti Leonis ad Flavianum epistola. Atqui eam non indiscussam receptam fuisse, nec nisi facto examine, toto orbe terrarum invaluisse constitit [5]. Quo exemplo de cæteris judicandum, neque opplendæ paginæ præclaris verisque sententiis, quæ nihil ad rem faciant.

Nos autem, ne quid dissimulare videamur, ultro adducimus ea, quæ longè firmiora sint. Nempe inter statuta Nicolai I papæ, in concilio Romano hæc leguntur [6]: « Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones pro catholicâ fide, pro Ecclesiarum disciplinâ, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, à Sedis apostolicæ præside salubriter promulgata contempserit, anathema sit. » Quæ tam absolutè, tamque universim dicta sunt, ut nihil aliud omnibus fidelibus, adeoque ipsis episcopis, quàm cæcam, ut aiunt, obedientiam, relinquere videantur.

Neque ab iis abludunt, quæ à Patribus nostris, episcopis scilicet gallicanis, in Pontigonensi synodo, anno 876, sub Joanne VIII, canone I, dicta sunt [7]: « Ut sancta romana Ecclesia, sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur; neque quisquam contra jus et potestatem ipsius, aliquid injustè agere præsumat; sed liceat ei debitum tenere vigorem, et pro universali Ecclesiâ pastoralem exhibere curam. » Canone II, « Ut honor domno et spirituali patri nostro Joanni summo pontifici, et venerabili universali papæ, ab omnibus conservetur; et quæ secundùm sacrum ministerium suum auctoritate apostolicâ decreverit, cum summâ veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur. »

[1] *Anon., de Libert.*, etc., l. VII. c. 5. n. 10. — [2] *Conc. Tur.*, II. can. XX. t. V. *Conc.*, col. 859. — [3] *Ep. Inn. ad Victric.*, c. XII. t. II. *Conc.*, col. 1252. — [4] *Decret. Gelas., in Conc. Rom.*, an. 494, *de script. apocr.*, t. IV. *Conc.*, col. 1261 et seq. — [5] *Sup.*, l. VII. c. 15 et seq. — [6] *Conc. Rom.* III, *sub Nic. I*, an. 863, can. V. t. VIII. *Conc.*, col. 769. — [7] *Conc. Pont.*, can. I et II. t. IX. col. 285, 286.

Sed hæc antè dictis elucescunt : inhæret enim ex perpetuâ Pat[illegible] traditione, ejusmodi decretis, interpretatio et exceptio inseparabi[illegible] ut romani Pontifices, si quid *contra canones*, nedum contra [illegible] Dei, et *Scripturarum tramitem*, decernerent, non id *privilegio* [illegible] ac Sedis apostolicæ decernere viderentur [1].

Hinc illa, quam legimus professio obedientiæ, *secundùm Scri[illegible]ras, secundùm canones*. Favebat et illud sancti Leonis, totiens [illegible] quoque tempora celebratum : « Manet ergo Petri privilegium, [illegible] cumque ex ipsius fertur æquitate judicium [2]. »

Neque tamen ea, sive interpretatio, sive exceptio, ubique de[illegible] sariò addebatur; fiebantque canones absolutâ auctoritate, de[illegible] standâ obedientiâ, eo planè more rituque, quo passim ab ap[illegible] dictum : *Obedite præpositis* [3], quòd præpositi contraria legibus [illegible] nonibus decreturi haud facilè præsumantur.

Hâc igitur lege romanorum Pontificum decreta recipiebant : [illegible] quòd sibi judicium adversùs judicem arrogarent; sed quòd [illegible] bus apertè adversa, non ipsi, sed canones respuere putarentur.

Hujus rei ne longiùs argumenta repetamus, exemplum hab[illegible] præ manibus, in eâ ipsâ, quam nobis objiciunt Pontigonaud[illegible] odo.

Nempe Joannes VIII, cui tam perspicuis validisque sententiis [illegible] tam obedientiam spopondissent, Ansegisum archiepiscopum S[illegible] nensem per legationem perpetuam, apostolicæ Sedis potestate [illegible] traordinariâ, evehebat; quod cæteri metropolitani, assentiu[illegible] coepiscopis, præter canones existimabant factum. Ansegiso Ca[illegible] Calvus imperator impensè favebat. Quærenti ab archiepiscopis, [illegible] de jussis apostolicis responderent, data est responsio [4] : « Ut [illegible] singulis metropolitanis jure privilegii, secundùm sacros canon[illegible] juxta decreta Sedis romanæ Pontificum, ex iisdem sacris canon[illegible] promulgata, domni Joannis papæ jussionibus obedirent : et ca[illegible] perator et legati apostolici satagerunt ut ABSOLUTE archiepisc[illegible] sponderent se obedituros de primatu Ansegisi, sicut apost[illegible] scripsit; aliud, nisi quod prædictum est, ab eis extorquere [illegible] potuerunt. »

Rex multa comminatus, vicesque apostolicas sibi commissas [illegible] ferens, suâ ac Papæ auctoritate præcepit; ut Ansegisus « sup[illegible] deretur omnes ante se ordinatos, Rhemorum archiepiscopo * [illegible] mante, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obv[illegible]

Interrogati rursus archiepiscopi à Joanne ** legato apostolic[illegible]

[1] *Vid. sup. Prof. Hinc.*, cap. XXI. — [2] *Leo. Mag., Serm.* III. *in ann. Assumpt. ejusd.* [illegible] *Vid. ep. Car. Calv. ad Adr. II, int. Hincm. ep.* — [3] *Heb.*, XIII. 17. — [4] *Conc. Pontig.* [illegible] tom. IX. col. 281.

* Hincmaro. — ** Tuscaniensi episcopo.

i, de Joannis papæ jussione singuli responderunt : « Quòd veluti i antecessores, illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita s decretis vellent obedire. » Subdunt acta[1] : « Tunc faciliùs est rum admissa responsio, quàm fuerat in imperatoris præsentiâ : » legatus apostolicus, episcoporum secundùm canones lata re- nsa, æquo animo audiebat.

Aliâ sessione legit : « Odo Belgivacorum (id est Bellovacorum) scopus, quædam capitula à legatis apostolicis et ab Ansegiso et lem Odone, sine conscientiâ synodi dictata, inter se dissona, et llam utilitatem habentia ; verùm ratione et auctoritate curentia[2]. » id autem addit de iis, quæ nullâ ratione, nullâ canonum aucto- ate fulta essent ? Nempe id ; *et ideo hic non habentur subjuncta* : ippe quæ synodo irrita visa fuerint.

Sic majores nostri romani Pontificis decreta, reverenter qui- m, non tamen indiscussa suscipere consueverant : ipsi canones equenti, aut secundùm canones præeunti, reluctari nefas puta- nt.

Qui hoc obtentu omnia legitima imperia solvi posse nugantur, hos mitto ad theologos, qui ista pertractant. Nobis sufficit ex certo et rspicuo dogmate, objecta diluisse.

CAPUT XXIII.

redimur demonstrare viros bonos sanctosque, post romanorum Pontificum decreta etiam de fide, suspenso animo mansisse, quoad universalis consensus ccederet : sancti Victoris papæ decretum de paschate proponitur : sancti Stephani e rebaptizatione paucis repetitur.

Hinc factum est ut viris sanctis bonisque fraudi non fuerit, quòd mani Pontificis, recta etiam sentientis, pronuntiato non statim hæserint ; antequam scilicet catholicæ Ecclesiæ auctoritas acces- set.

Hujus rei multa exempla memorantur. Primum illud secundo sæ- lo de sancto Victore papâ, qui post Petrum pontifex decimus ter- s fuit. Nota res est. De paschali die cum Asianis agebatur : hi cum dæis XIV lunæ celebrabant, *antiqua traditione nixi*, quam à Joanne ostolo repetebant, inquit Eusebius[3] : reliquæ omnes Ecclesiæ, *ex ostolorum traditione*, in proximam dominicam quæ Christi resur- ctione sacra esset, conferebant. Atque hanc quidem sententiam ctor sequendam ab omnibus in concilio Romano definivit ; cujus, iorumque conciliorum * definitionem Eusebius memorat.

Hâc tamen definitione ad Asianos perlatâ, Polycrates Ephesius

[1] *Conc. Pontig., Sess.* VIII. col. 282. — [2] *Ibid.*, col. 283. — [3] *Euseb. Hist.*, lib. V. c. 23. p. 154 , *edit. Vales.*

* Palæstinæ, Ponti, Galliarum et Osdroenæ provinciæ.

cum collegis suis Asianis episcopis, ad ipsum Victorem hæc scribit[1]: « Non moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Qui enim majores me sunt, dixerunt: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*[2]. »

Nihil moror quæstionem : an eum et socios Victor ejus rei gratia excommunicaverit; an id tantùm conatus sit. Certè Eusebius scribit, à « communione abscindere conatum[3]. » Subdit tamen continuò : « Datisque litteris, universos qui illic erant fratres proscribit, et ab unitate Ecclesiæ prorsus alienos esse pronuntiat. » Eusebium secutus Socrates[4] : « Victor quarto-decimanis, qui in Asiâ erant, excommunicationis libellum misit. » Quare id quod Eusebius de *conatu* dixit, eò referendum videtur, quòd res effectu caruerit. Utcumque est, Eusebius refert[5] non id placuisse omnibus episcopis; non Irenæo, Gallisque nostris, *increpitumque Victorem*, quòd parum pacem consuleret, etiam ab iis qui cætera cum ipso sentiebant. Neque minus certum est Polycratem et Asianos in sententiâ persistentes, pro sanctis piisque habitos : neque quarto-decimanos hæreticis accensitos, nisi post œcumenicæ Nicænæ synodi sententiam.

Neque dicant rem levem fuisse, quæque ad fidem pertinere non videretur. Omnino enim Victor excommunicabat Asianas vicinasque Ecclesias, *heterodoxa*, hoc est, ut eruditè Valesius vertit, *contrariæ rectæ fidei sentientes*; ὡς ἑτεροδοξούσας. Neque aliter Polycrates sentiebat. Is enim in suâ ad Victorem epistolâ sic scribit : « Hi omnes diem Paschæ XIV lunâ juxta Evangelium observarunt; nihil omnino variantes, sed REGULAM FIDEI constanter sequentes[6]. »

Neque verò res orthodoxis exigui momenti videbatur; quippe qui intelligerent, Asianorum sententiam ad judaismum pertinere. Tertullianus recensens hæreticos, graviter dicit[7] : « Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter judaismum vult introducere : Pascha enim dicit, non aliter custodiendum esse, nisi secundùm legem Moysi XIV mensis *. » Talia sentientes ac traditionem apostolicæ adversos, à Victore insuper papâ condemnatos, inter pagan habuere, usque ad œcumenicæ *synodi* ** *judicium* : quo edito τεσσαρεσκαιδεκατῖται, hoc est quarto-decimani hæretici ab Epiphanio aliisque memorantur[8]; receptique in Ephesinâ synodo, ut qui ab hæresi resipiscerent.

Pari ratione vidimus[9], post Stephani papæ decretum, Cypriano,

[1] *Euseb. Hist.*, lib. v. c. 24. p. 156. — [2] *Act.*, v. 29. — [3] *Eus.*, *loco mox cit.* — [4] *Socrat.*, l. v. c. 22. — [5] *Euseb.*, *loc. cit.*; *Vid. ibid.*, *epist. Iræn.* — [6] *Euseb.*, *ubi sup.*, p. 155. — [7] *Tert.*, *de Præsc. adv. hær.*, c. XIII.

* Lunaris. — ** Nicenæ.

[8] *Epiph. hær.* XXX. sive L. t. I. p. 419; *Conc. Ephes.*, act. VI. t. III. col. 682 et seq. — [9] *Sup.*, *hoc lib.*, c. III et seq.; *Vid. Diss. præv.*, n. LXVII et seq.

Firmiliano, innumerisque collegis certam excusationem partam : non modò teste Augustino, sed etiam totâ probante Ecclesiâ, quæ horum memoriam consecravit. Jam alia videamus.

CAPUT XXIV.

Pelagii I pis et orthodoxis suspecta fides propter approbatam synodum V, non ut doctor privatus, sed ut Papa suspectus, expositâ fide, non allegatâ infallibilitate, se purgat.

Eodem loco memorare possumus Pelagii I tempore, Francorum regem Childebertum, et gallicanos episcopos, aliosque viros bonos, qui de hujus Pontificis fide dubitarunt.

Causa dubitandi fuit quinta synodus ab ipso suscepta ; quæ synodus multis Occidentalibus videbatur concilii Chalcedonensis, ac sancti Leonis fidem infregisse.

Id si esset, non erat dubium, quin romani Pontifices, atque ipse Pelagius decrevissent contra fidem, qui erroneam synodum in auctoritatem recepissent.

Hic Pelagius non inclamat, seque et romanos Pontifices errare non posse, schismaticosque eos esse, qui in eorum decretis errorem suspicentur ; sed modestè se purgat, editâ suæ fidei clarâ professione ; primùm ad Childebertum regem, quâ anathematizari à se declarat, quod sancti Leonis et concilii Chalcedonensis fidei adversetur : atque « hoc, inquit, breviter ad sanandum animum vestrum, vel omnium fratrum et coepiscoporum nostrorum in Galliæ regionibus consistentium, faciendum esse perspeximus [1]. »

Eodem ferè modo episcopis Tusciæ satisfacit : « Hoc, inquit [2], dilectionem vestram certissimè nosse desidero, me illam, donante Domino, custodire fidem, quam sacra apostolorum doctrina constituit, quam Nicænæ synodi firmavit auctoritas, quam Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ et Chalcedonensis sanctarum synodorum explanavere sententiæ ; nec quidquam de præfatarum synodorum definitionibus vel imminuisse me aliquid, vel auxisse, aut in aliquo permutasse. » Ac paulò post : « Hâc igitur Dilectio vestra fidei nostræ professione munita ignorantiam hominum edocere festinet. » Denique id subdit : « Si cui supersit scrupulus (ad se veniat) ut rationabili satisfactione perceptâ, universali reformetur Ecclesiæ. Nos enim, secundùm apostolicam sententiam [3], parati sumus *ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de eâ, quæ in nobis est fide*, quia in nullo nos à sanctis Patribus deviasse cognovimus. »

Eamdem satisfactionem reddit epistolâ editâ ad universum popu-

[1] *Pelag. I. epist.* x. *ad Childeb.*, t. v. *Conc.*, col. 798.— [2] *Pelag. I, ibid., ep.* vi. *ad Episc. Tusc.*, col. 795. — [3] 1 *Petr.*, iii. 15.

lum Dei : « Id autem est, inquit[1], ut fidem meam, annexâ subter professione definiam, in quâ Deo propitio, et rectæ me apostolorum doctrinæ, et Patrum inhærere vestigiis evidenter appareat. »

Cùm nec sic animi penitus quievissent, tandem ad Childebertum regem integram fidei suæ professionem dedit, cum hâc præfatione : « Veniens Rufinus vir magnificus, legatus Excellentiæ vestræ, confidenter à nobis, ut decuit, postulavit, quatenus vobis, aut beatæ recordationis papæ Leonis tomum, à nobis per omnia conservari, significare debuissemus, aut propriis verbis nostræ confessionem fidei destinare : et primam quidem petitionis ejus partem, quia facilior fuit, mox, ut dixit, implevimus. » (De tomo Leonis scilicet, quod epistolâ x suprà memoratâ fecerat.) « Ut autem deinceps, nullius, quod absit, suspicionis resideret occasio, etiam aliam partem facere maturavi, scilicet propriis verbis confessionem fidei, quam tenemus exponens[2]. »

Cùm ergo id faciat *pro auferendo suspicionis scandalo*, atque ut modò legimus, ne ulla *suspicionis resideret occasio*; apparet fidem ejus et regi et episcopis gallicanis, aliisque orthodoxis licèt ac piis fuisse suspectam, quibus satisfecit, fidem profitendo, non se infallibilem prædicando.

Respondebunt id fecisse humili condescensu. Imò profitetur se fecisse jussu Petri præcipientis *reddendam omni poscenti fidei rationem* : unde inquit, « fidem meam præsenti ad excellentiam vestram colloquio intimandam necessariò judicavi ; » jubente scilicet apostolo ; non humili ac voluntario condescensu.

Denique respondebunt, fuisse suspectum ut doctorem privatum non autem ut Papam ; imò verò ut Papam : quo nomine quintam synodum, unde suspicio orta esset, suscepisset.

CAPUT XXV.

Bonifacius III seu IV eâdem causâ sancto Columbano presbytero suspectus.

Eadem suspicio etiam diutissime hæsit animis, quanquam synodus quinta à Vigilio papâ, à duobus Pelagiis, atque etiam à Gregorio Magno comprobata erat. Quâ de re extat sancti Columbani, seu Columbi, aut Palumbi, presbyteri, omni sanctitate conspicui, gravis epistola. Repetendum autem animo est, ejus synodi gratiâ, multas in Africâ et Italiâ Ecclesias à romanâ Sede defecisse. Non ita Columbanus, qui in ultimâ Scotiâ, romanæ tunc Sedi addictissimâ, natus et educatus. Cùm tamen in Italiam post mortem Gregorii Magni venisset, ibique propter quintam synodum à romanis Pontificibus

[1] *Pelag., ep.* VII. — [2] *Ibid. ep.* XVI. *ad Child.*, col. 90 3.

approbatam, tam populorum quàm præsulum scindi studia intellexisset, hæc ex monasterio suo Bobiensi *, instinctu Agilulfi Longobardorum regis, et Theodelindæ reginæ, scripsit ad Bonifacium III seu IV; nondum enim id mihi constitit. Sic autem incipit epistola : « Totius Europæ Ecclesiarum capiti, pastorum pastori, Bonifacio patri, Palumbus. » tum subdit « Doleo de infamiâ cathedræ sancti Petri. » Tum illud : « Ut honore apostolico non careas, conserva fidem apostolicam, confirma testimonio, robora scripto, muni synodo : » in eo enim vim reponebant; unde sequentia : « Vigila, Papa, vigila; quia fortè non bene vigilavit Vigilius, quem caput scandali isti clamant. » Postea : « Causa schismatis incidatur cultello quodammodo sancti Petri, id est, verâ in synodo fidei confessione. » Ac mox : « Dolendum enim ac deflendum, si in Sede apostolicâ fides catholica non tenetur. » Tunc rogat Pontificem, « quare vel infamare auderet fidei orthodoxæ Sedem principalem. » Magnificè ac præclarè de Sedis apostolicæ majestate dictum; ac statim : « Ut caligo suspicionis tollatur de cathedrâ sancti Petri. » Tum : « Jam vestra culpa est, si vos deviastis de verâ fiduciâ, et primam fidem irritam fecistis. Meritò vestri juniores vobis resistunt, et meritò vobiscum non communicant, donec memoria perditorum deleatur. Vestri erunt judices, qui semper orthodoxam fidem servaverunt, licèt juniores vestri sint [1]. » Juniores, illius sæculi stylo, inferiores vocat, cùm prælati ac præpositi passim seniores dicerentur.

Ergone, inquies, vir tantus dicere potuit ad romanum Pontificem, *meritò ei non communicari?* Certè si pergeret, uti Columbanus putabat, hæresim profiteri, nec se admonitus corrigeret. Cæterùm nihilo secius ipse in Sedis apostolicæ communione persistit : « Nos enim, inquit [2], devincti sumus cathedræ sancti Petri : licèt enim Roma magna est et vulgata; per istam cathedram tantùm apud nos magna est et clara; » dignitate scilicèt ductâ à Petro et Paulo apostolis. Neque enim aliter Scoti, qualem se profitetur Columbanus, Romam noverant, romanis armis prorsus intacti; solaque fides eis Romam commendabat. Unde hæc : « Roma orbis terrarum caput est Ecclesiarum : » quæ quidem, Roma scilicet, ideo præcellere videbatur, quòd propter cathedram Petri, sit « fidei orthodoxæ sedes principalis. » Hinc addit Columbanus : « Sicut magnus honor vester est pro dignitate cathedræ, ita magna cura necessaria, ut non perdatis vestram dignitatem per aliquam perversitatem. Tandiu enim potestas apud vos erit, quandiu recta ratio permanserit. » Tum illud præclarum : « Unitas fidei in toto orbe unitatem fecit potestatis. »

* In Mediolanensi tracta.

[1] *Epis.* IV. *Columb. ad Bonif.*, tom. XII. *Bibl. Patr.*, pag. 29, 29, 30.—[2] *Ibid.*

Hinc de concilio quinto ab eoque sublatâ personæ unitate et [illegible] litate naturæ dicit, tum ad ipsum Pontificem, qui eam synod[illegible] comprobasse diceretur : « Multi dubitant de fidei vestræ puritate[illegible] Mox : « Tollatis hunc nævum de sanctæ cathedræ claritate : non [illegible] decet romanæ Ecclesiæ gravitatem hâc instantis levitatis fam[illegible] veri à soliditate veræ fidei [1]. »

An ergo existimabat veram fidem extinctam esse Romæ, [illegible] clerus universus totaque Ecclesia romana suis Pontificibus ad[illegible] ret? Neutiquam. Imò verò dicebat : « Ego enim credo semper [illegible] nam Ecclesiæ firmam esse in Româ : » quod nempe putabat, id[illegible] pertinaci animo factum, atque admonitos facilè redituros; [illegible] unquam futurum ut cathedra Petri à verâ fide, veràque Ec[illegible] pertinacibus studiis abrumperetur.

Eodem animo Gallos fuisse vidimus [2] sub Carolo Magno, Lud[illegible] Pio, Carolo Calvo, religiosissimis regibus, post Nicænam secu[illegible] synodum, quam à Papâ licèt approbatam pro œcumenicâ n[illegible] bebant, neque ullo modo admittebant : neque minùs pii catholi[illegible] habebantur.

Neque hic necesse est afferre cum Polycrate Asianos, cum [illegible] priano Afros, cum Columbano Scotos, Gallos, Italos seu Longob[illegible] dos, alios; cùm in promptu sit memorare Ephesini concilii duce[illegible] Chalcedonensis sexcentos, aliorumque conciliorum innumer[illegible] episcopos, iisque cohærentem catholicam Ecclesiam, à quibus [illegible] manorum Pontificum decreta pro irrefragabilibus non sunt h[illegible] quoad Ecclesiæ universæ consensione probarentur.

CAPUT XXVI.

Romani Pontifices professi se apostolico officio fungentes esse errori obno[illegible] auctoritate universalis Ecclesiæ acquiescunt : locus Innocentii III.

Quin ipsi etiam romani Pontifices non nisi in universalis Eccl[illegible] auctoritate acquiescunt. Neque jam antiquos allegamus sæpè me[illegible] ratos. En postremis temporibus, Innocentius III, celebri epistol[illegible] Philippum-Augustum regem. Rogatus enim à rege ut ejus conjug[illegible] solveret, sic respondet [3] : « Sed in carnali commercio inter te [illegible] ginam conjugem tuam adeo processum est, quòd si etiam illi [illegible] confessioni vellemus insistere, quam nuper eadem regina [illegible] proponitur, non auderemus super hujusmodi casu de nostro s[illegible] pro te aliquid definire, propter illam sententiam evangelicam, [illegible] ipse Christus expressit; ut *quod Deus conjunxit, homo non sep*[illegible]

[1] *Epist.* IV. *Columb. ad Bonif.*, tom. XII. *Bibl. Patr.*, p. 31.— [2] *Sup.*, lib. VIII. c. 31.
[2] Initum cum Isemburg à Canuti IV, Daniæ regis, sorore.
[3] *Innoc. III. ep.*, lib. IV. ep. CVI.— [4] *Matt.*, XIX. 6.

ùm absque dubio nec sanctorum exempla, nec Patrum decreta, intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verùm si super hoc absque generalis determinatione concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offensam, et mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis et officii nobis periculum imminueret; cùm contra præmissam veritatis sententiam nostra non posset auctoritas dispensare. » En unde auctoritatem quærat in rebus maximis; en unde etiam pœnam metuat, si inconcessa tentarit.

An dicent hìc induere personam privati doctoris, qui à tanto rege interrogatus, ut specialissimo Sedis apostolicæ officio, supremâ scilicet dispensatione, fungeretur, hoc responsum ediderit, quique professus sit, à se tractari rem deliberatione generalis concilii dignam? Ergo in tantâ re infirmitatis humanæ sibi conscius, agnoscent aberrare se posse ab evangelicâ veritate ex apostolico officio respondentem. Hìc ne ullum quidem dicit verbulum novissimus auctor anonymus, qui ad hunc explicandum nodum tanta congessit. Unum hoc non perpendit, in quo est difficultas : à Papâ agnitum id fieri posse, ut ipse quæstionem fidei inconsultò definiret, ac propterea loco caderet.

An fortè ad Pighianas redeunt ineptias; et illud Innocentii, *Si hæc tentaremus*, ita interpretantur : *Si per impossibile*; ut quoniam Paulus semel dixit : *Licèt Angelus de cœlo quid novi annuntiaverit, anathema sit* [1]; jam non liceat de Pontifice aberraturo loqui, nisi per impossibile : quamque vehementiam ac magniloquentiam adhibuit Paulus, ad adstruendam immobilem Evangelii stabilitatem, eam ad unum hominem infirmum et imbecillem transferre necesse sit; aut verò oportuerit in eo laborare Innocentium III, ut explicaret, quid factura esset synodus generalis, si ipse aliquid impossibile perfecisset?

CAPUT XXVII.

Joannis XXII fidei professio, omnia quæ in apostolico officio gessit etiam circa fidem, iterum examinari posse demonstrat.

Nota est etiam illa professio quam Joannes XXII jamjam moriturus protulit. Is quippe de visione beatificâ ad extremum usque judicium dilatâ, cùm multa dixisset, quibus in hæresis suspicionem venisse se sentiebat, moriens eâ de re mentem suam sic explicat, subditque [2]; « Insuper si quæ alia sermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo, seù aliter quovis modo diximus, prædicavimus, vel scripsimus circa præmissa, vel alia, quæ fidem concernant catholicam, sacram Scripturam, vel bonos mores, ea in quantum consona sunt

[1] *Galat.*, I. 8.— [2] *Odor. Rain.*, tom. XV. an. 1334, n. 17; *et epist.* I *Joan. XXII*, l. XI. *Conc.*, col. 1629.

fidei catholicæ, determinationi Ecclesiæ, sacræ Scripturæ, ac bonis moribus, approbamus: aliter autem illa habemus et haberi volumus pro non dictis, prædicatis et scriptis, et ea revocamus expressè; ac ea quæ prædictâ visione, et omnia alia dicta, prædicata et scripta nostra de quâcumque materiâ, ubicumque et in quocumque loco, ac in quocumque statu, quem habemus, vel habuerimus hactenus, summittimus determinationi Ecclesiæ et successorum nostrorum.

Quid se infallibiliter dixisse, prædicasse, docuisse, dogmatizasse, scripsisse credidit, qui hæc, moriens judicioque divino proximus profitetur? an non clarè et liquido statûs quoque Pontificii dicta scriptaque Ecclesiæ determinationi subjicit? Ecclesiæ verò suos successores addit pro dignitate suâ specialiter appellandos. Huic igitur potestati sua omnia examinanda et judicanda subjicit. Quid autem est subjicere, nisi retractanda atque examinanda omnia rursus, si Ecclesiæ ita visum sit, recognoscere? Diceret saltem subjicere se determinationi Ecclesiæ, quæ ut privatus doctor docuerit: saltem decretales eas, quas de fide conscripsit, exciperet. An verò eas exceptas voluit, qui disertè exprimit, *quæcumque, quovis modo, quovis tempore, quovis loco statuque* positus, de quâcumque materiâ, nec tantùm de visione beatificâ, sed etiam de quâcumque aliâ re, quæ *fidem concernat catholicam*, quæ *Scripturam*, quæ *bonos mores*, quantâ potuit diligentiâ, explicavit. An fortè quæ decretalibus definivit, non sunt eorum numero quæ *scripsit, dogmatizavit*, atque *prædicavit*, cùm ea vel maximè omnium prædicarit? Ea ergo etiam determinationi Ecclesiæ subjicit, et quidem hæc professus est nullius errati sibi conscius; sed id tamen volens, ut si quid errasset, Ecclesia corrigeret. Neque verò hæc omnia tanquam per impossibile dixit: absurdum enim esset fidei professionem de impossibilibus rebus edere; sed sibi conscius infirmitatis humanæ, ac divina judicia, rebus etiam quas optimo animo gesserat, reformidans, totum se resolvit in Ecclesiæ fidem.

CAPUT XXVIII.

Ejusdem Joannis XXII de animarum statu speciatim publico diplomate declarata fides, à Benedicto XII successore ad examen revocatur.

Ille verò Pontifex, non modò generatim sua omnia, quæque publicè, quæque privatim egerat, determinationi subjicit Ecclesiæ, sed etiam ea quæ speciatim et expressè de fide exponendâ censuit. Certè in eâ, quam nunc commemoramus, fidei confessione, animarum statu hæc speciatim edidit[1]: « Ecce quòd nostram intentionem, quam cum sanctâ Ecclesiâ catholicâ circa hæc habemus,

[1] *Ap. Rainald., ibid.*

habuimus, serie præsentium, ut sequitur declaramus. Fatemur siquidem et credimus, quòd animæ purgatæ separatæ à corporibus sunt in cœlo, et vident Deum ac divinam essentiam facie ad faciem clarè, in quantum status ac conditio patitur animæ separatæ. » Quæ cùm expressissimè declarasset, ut suam et Ecclesiæ catholicæ fidem, nihilo secius declarationem eam, Ecclesiæ et successorum determinationi subjicit.

Hic rogare libet eos, qui à romano Pontifice editam fidem, non aliam esse putant, quam ipsissimam Ecclesiæ catholicæ fidem quâ ratione putent Ecclesiæ catholicæ fidem à Joanne XXII pontificio diplomate declaratam, ipsius Ecclesiæ ac successorum suorum determinationi subjici potuisse, iterum examinandam.

An respondebunt à Joanne declarari fidem eam, quam privatus profiteretur, non verò quam Pontifex? Atqui fidem eam consignari voluit publico diplomate, præfixoque, ut in aliis, consueto titulo.

An verò causabuntur has pontificias litteras *grossatas* quidem fuisse, non tamen *bullatas*, superveniente obitu Joannis XXII, ut Benedictus XII successor attestatur? Ad has ergo ineptias talis quæstio devolvetur. Atqui quod per tempus Joanni non licuit, Benedictus supplevit, *bullatamque* epistolam ad omnes dimisit Ecclesias, pontificatûs sui anno primo, Christi 1334 [1].

Neque eo secius fidem antecessoris, quam suam quoque esse edito diplomate confirmaverat, revocavit ad incudem, quæstionemque de clarâ visione per duos annos tractavit de integro; ac demum definivit anno pontificatûs tertio, Christi 1336 [2]. Ergo existimavit romanorum Pontificum authentico diplomate declaratam fidem, adhuc in quæstionem revocari posse.

Nondum enim, inquies, rem dixerant, adhibitis omnibus solemnitatibus; nondum ab omnibus tenendam sub anathemate, aut contrariam sententiam esse hæreticam: tanquam romanam fidem, non nisi sub anathemate declarari oporteret; cùm profectò anathemata, non nisi subortâ hæresi decerni soleant: vera autem fides, ut ante omnem hæresim atque omnia anathemata constitit; ita absque anathemate declarari potest.

CAPUT XXIX.

Gregorii XI ac Pii IV professio.

Quo animo Joannes XXII moriens, eodem animo Gregorius XI, apostolicâ Sede in Urbem restitutâ nobilis, in iisdem appetentis lethi angustiis constitutus, hæc edidit [3]: « Volumus, dicimus et protesta-

[1] *Ben. XII, epist.* I. tom. XI. *Conc.*, col. 1793. — [2] *Rain.*, ann. 1336, n. 1, 2, 3. — [3] *Testam. Greg. XI*, tom. VI. *Spicil.*, p. 676.

mur, ex nostrâ certâ scientiâ, quòd si in consistorio aut in concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis, vel privatis, ex lapsu linguæ, aut aliàs ex aliquâ turbatione, vel etiam lætitiâ inordinatâ, aut præsentiâ magnatum ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliquâ distemperantiâ, vel inadvertentiâ aut superfluitate, aliqua dixerimus erronea contra fidem catholicam, quam coram Deo et hominibus, ut tenemur præ cæteris, profitemur, colimus et colere cupimus; seu forsitan adhærendo opinionibus contrariis fidei catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter; aut dando favorem aliquibus contra catholicam religionem obloquentibus; illa expressè et specialiter revocamus, detestamur, et haberi volumus pro non dictis. »

Quibus verbis æquè complectitur ea quæ in consistorio, inque concilio, ac ea quæ in colloquiis; omniaque in se recognoscit, quorum causâ quicumque mortalis scienter, vel ignoranter, privatim ac publicè errare potuit.

Extat in eamdem sententiam Pii IV in consistorio habita ratio, cùm de Francisci Mommorancii Annæ filii matrimonio ageretur. Eâ causâ Romam missus D. DE LA HAYE, doctor theologus, hanc rei gestæ narrationem scripsit, quam Castelnavius * diligens et candidus scriptor, commentariis suis integram inseruit. Is ergo Pontificem in cardinalium cœtu, in hæc ferè verba perorasse memorat [2] : Ego vos congregatos volui, ut à vobis audiam rem haud mediocris momenti; utrum scilicet conjugium contractum per verba de præsenti, nostrâ potestate solvi possit. Diligenter advertite quæ dicam : non verba de futuro aut simplicem promissionem dicimus : quærimus an conjugium per verba de præsenti initum, quod verum conjugium, verumque est sacramentum secundùm saniorem theologorum sententiam, à nobis solvi possit. Ne quæsumus, tempus terite in colligendis antecessorum nostrorum exemplis et factis, quæ nos profitemur ita sequi velle, si cum Scripturæ auctoritate et theologicâ ratione consentiant. Neque enim sum dubius, quin ego et antecessores mei aliquando falli potuerimus, non solùm in hoc facto, sed etiam in aliis. » En quid Pontifices ritè interrogati, ut pro pontificio officio respondeant, decernant, dispensent, de se ipsis sentiant. Hæc retulerunt ii qui nihil de theologicis quæstionibus cogitarent; sed rem, uti gesta, uti nota, uti divulgata erat, ita enarrarunt. Neque quidquam novi Pius IV loquebatur : ab antecessoribus consentanea audivimus, qui in exequendo apostolico officio contra veram à Scripturis traditam fidem, errare se potuisse senserunt. Hunc igitur

* Seu potius LE LABOUREUR in iis quæ addidit commentariis Castelnavii. (*Edit. Paris.*)
[2] *Le Laboureur, Addit. aux Mém. de Casteln.*, t. II. p. 427, 428.

sensum illis ipsâ fidei veritate insitum credimus; quâ etiam veritate est insitum christianis omnibus, ut se quotidie peccare multa sentiant : atque utrosque credimus, non modò humiliter, sed etiam veraciter confiteri : ipsamque humilitatem non verbis, aut falsâ sententiâ, sed veritate niti, ut Patres Carthaginenses et sanctus Augustinus docent [1].

CAPUT XXX.

Ecclesiæ catholicæ auctoritas multis casibus Ecclesiæ romanæ laborantis auctoritatem supplet : primum exemplum, sæculi decimi invasores.

Operæ pretium erit considerare attentiùs ut Ecclesiæ catholicæ auctoritas laborantem ac periclitantem adjuverit romanam Ecclesiam, simulque, seipsam omni romanorum Pontificum auxilio destitutam, sancti Spiritûs fulta præsidio sustentari. Primùm igitur tantisper redire in memoriam volumus sæculi decimi infamiam; quo sæculo per septuaginta ferè annos flagitiosissimi invasores Petri cathedram occuparunt; postquam scilicet imperatoria concidit auctoritas, Romæque omnia per vim ac libidinem gerebantur.

Ac Baronius quidem de his invasoribus sic agit, ut sedes apostolica vacasse videatur : eos enim appellat non modò « abortivos, monstra, Sedisque apostolicæ inquinatores [2]; » verum etiam, quod apertè ad nullitatem pertineat, « invasores, intrusos, illegitimos, nullo pacto legitimos, ac nomine tenus pontifices, Pontificis nomen usurpantes, pseudo-Pontifices, qui non sint nisi ad consignanda tempora in catalogo romanorum Pontificum scripti. » Neque tantùm ait *per vim ac metum* in Petri cathedram *violenter* immissos; sed etiam aliis causis cassos nullosque, Joannem XI ac XII * vix puberes : illum etiam spurium ac Sergii jam tum Papæ filium **, ac postea successorem; quò nihil magis canones abominantur; cui non ætas, non natalitia, non legitima suffragaretur electio; qui non nisi nomen Pontificis malis usurpatum artibus retineret [3]. » Tales interim Pontifices ad multos annos sacrilegum pontificatum prorogabant. Joannes certè X, quo nullius fuit flagitiosior electio, atque administratio tetrior, ad octodecim ferè annos. Quorum temporibus non presbyteri, non diaconi, sed fœdissima scorta sacrosanctam potestatem administrabant; qui denique haud scio, an majore flagitio non pellerentur quàm intruderentur.

Hos ergo adeo nullos Baronius existimare videtur [4], ut eò referat

[1] *Aug., lib. de Nat. et Grat.*, c. XXIV. n. 42. tom. X. col. 144, et alibi pass. — [2] *Bar.*, an 912, tom. X. p. 679, et toto hoc tomo, pass.

* Joannes XI viginti quinque annos natus, Joannes XII vix decem et octo, Sedem apostolicam invaserunt. (*Edit. Paris.*)

** Ex Marozia celebri tunc scorto genitum. (*Edit. Paris.*)

[3] *Bar., ibid.*, an. 903, p. 707. — [4] *Ibid., loc. sup. cit.*

illud Actorum [1], quod ægros *umbra Petri* ab infirmitatibus liberaret : ut profectò habeantur, non pro veris Petri successoribus, qui ejus dignitatem, sed pro invasoribus, qui ejus umbram tantùm ac speciem gererent.

Hinc idem Baronius sedem Petri solis instar ac lunæ perfectam, tamen confitetur *eclipses* esse passam : neque debere nos, « nimis rigidè in apostolicâ Sede majora requirere, quàm quæ in symbolicis signis * fuerint divinitus demonstrata [2]. »

Hæc igitur vacasse Sedem demonstrare videntur sub his propudiosissimis invasoribus. Addit tamem Baronius *accedente consensu cleri* toleratos [3], ne Ecclesia schismate scinderetur ; quosdam novis comitiis electos, atque hinc pro legitimis Pontificibus cultos : quod non ita contigisset, nisi de factâ, inquit, postea legitimâ electione constitisset. »

Nos nulla ejusmodi nova comitia legimus ; nullas electiones novas ; neque consensus cleri romani quidquam hic juvat, cùm ipse clerus nihil sani aut corruptus cogitaret, aut oppressus agere posset. Id quidem certum est, qui sedem Petri tenere viderentur, eos per totam Ecclesiam agnitos atque observatos fuisse ; nempe quod Ecclesia catholica præstabilius judicaret, pravum caput habere, quàm nullum.

Hinc igitur illis Pontificibus certior affulget auctoritas ex consensu catholicæ Ecclesiæ eos agnoscentis, quæ sancti Spiritûs auctoritas est. Hæc auctoritas Ecclesiæ romanæ Ecclesiarum matri succurrebat, cùm nihil opis afferre posset ipsa sibi. Hâc Ecclesiæ catholicæ auctoritate suppleta sunt, quæ talium Pontificum electioni et administrationi deerant. Hujus auctoritatis plenitudine factum est, ne quæcumque fierent hoc defectu cassa conciderent. Est ergo Ecclesiæ catholicæ plenissima ac suprema et universalis auctoritas, quâ quæcumque deficiant, etiam in Ecclesiâ romanâ suppleantur.

[1] *Act.*, v. 15.

* Hæc ut intelligantur, sciendum est Baronium ad Sedem apostolicam accommodare illam Davidis prophetiam : *Sedes ejus sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in æternum.* Ps. LXXXVIII. « Ea sidera, inquit Baronius, interdum obice nubium minùs lucent, et eclipsibus intercurrentibus redduntur obscura... Non ergo adeo mirandum homines peccatores in Sede apostolicâ sedisse. » Sed David hic loquitur de throno Christi incorruptio semper futuro, qui thronus ideo dicitur similis soli et lunæ, sive quia ea signa manent semper eadem, licèt nostris oculis nunc clariora, nunc obscuriora videantur ; sive quia David sic perfectum solem mente conciperet, qui *obice nubium* nunquam obscuraretur, et lunam perfectam quæ nullas pateretur eclipses. Hanc hujus loci explicationem afferunt omnes Scripturæ interpretes, et ipse Bossuet comment. in Ps. Nos tamen Baronio non admodum succensemus hæc verba ad Sedem apostolicam accommodanti ; sed observandum erat ea de solo Christo et æterno ejus throno propriè verèque debere et posse intelligi. (*Edit. Paris.*)

[2] *Bar.*, an. 897, p. 641. — [3] *Ibid.*, p. 640.

CAPUT XXXI.

Alia exempla : turbæ sub Sergio III, ordinationum Formosi papæ gratiâ : Auxilii presbyteri locus : aliæ turbæ sub Joanne XII : turbæ graviores, atque incertior status in diuturno schismate inter Urbanum VI et Clementem VII.

Majore perturbatione res erant Stephani VII et Sergii III temporibus, anno Christi 897 et 908. Hi enim præterquam quòd per vim intrusi sunt, ad malorum cumulum multa insuper addiderunt. Hinc illa in Formosum papam atrox sententia *, quòd à Portuensi episcopatu in Sedem apostolicam translatus esset. Tunc ejus cadaver projectum in Tiberim à Stephano VII ; et quanquam Stephani acta Joannes IX rescinderat, Sergius tamen III episcopos omnes à Formoso ordinatos, item presbyteros, sive ab illis episcopis, sive ab ipso Formoso ordinatos, aut abjiciebat, aut de novo ordinabat. Quo tempore ordinationes, *exordinationes* **, ac *superordinationes* contigerunt eæ, quas Auxilius eorum temporum egregius presbyter deploravit [1].

Is igitur propter Formosi causam, cùm à Sergio III exordinatus esset, in ministerio stetit ; aliisque eâdem causâ dejectis, ut starent, auctor fuit, eâ vel maximè causâ, quòd si omnis ordinatio à Formoso profecta cassa esset, Italiæ regiones longè latèque « jam circiter viginti annos absque christianâ religione, absque sacerdotio, » absque sacramentis vixerint [2].

His aliisque de causis jussus à Sergio sub excommunicationis pœnâ sacerdotali ministerio abstinere, edito libro de *sacris Ordinationibus* ac postea dialoguo qui inscribitur : *Infensor et Defensor* ; respondit ; quòd pastoribus injusta jubentibus obediendum non esset ; quòd excommunicatio ejus rei causâ lata nulla haberetur [3] ; quòd aliud sunt « pontificales sedes, aliud præsidentes ; quòd honor et dignitas uniuscujusque sedis venerabiliter observanda sunt : præsidentes autem si deviaverint, per devia sequendi non sunt, hoc est, si contra fidem vel catholicam religionem agere cœperint [4]. » En quod romano Pontifici exprobraret. Addebat non observandam excommunicationem eam, quæ ad *committendum facinus pertineret*. Usque adeo fieri potest, ut quis ad facinus à romano Pontifice etiam sub excommunicationis pœnâ adigatur. Concludebat verò sic, suo et sociorum suorum nomine [5] : « Ideoque in sacro ordine, quo consecrati sumus permanentes, præstolamur universalis concilii æquissi-

* Quis non miretur de unius episcopi translatione tam anxiè religiosos esse Papas eos, qui religionis nullâ habitâ ratione, se tot sceleribus commaculabant. Vid. eorum vitas, tom. IX. Conc. Labb. (*Edit. Paris.*)

** Id est ordinationes irritæ.

[1] *Vid. lib. Auxil. de sacr. Ordin.*, t. XVII. *Bibl. Patr.*, p. 4 et seq. — [2] *Ibid.*, cap. XXVII. p. 8, — [3] *Ibid.*, cap. XXXIV. pag. 10. — [4] *Ibid.*, *Dial. ad Leon. Not. Episc.*, cap. XVIII ; *ibid.*, p. 17. — [5] *Ibid.*, c. XL. p. 19 ; *Dial.*, c. XXX, XXXI. p. 21.

mum examen. » Quin etiam illud concilium non à Pontifice, qui omnia conturbaret, sed ab imperatore expectabat. Adeo in Ecclesiâ romanâ intestinis discordiis laborante, nihil erat opis : ac dum synodus, consentientibus episcopis, cogeretur, ipse à Sergio habitus communionis expers, Ecclesiæ catholicæ, eique connexa romanæ Ecclesiæ ac Sedis apostolicæ communione gaudebat.

Auxilium presbyterum Sigebertus primùm [1], atque ipse Baronius honorificè memoravit [2]. Et Baronius quidem ait, hæc quæ Auxilius deploravit, « perpetrata ab invasoribus et intrusis in apostolicam Sedem, Pontificis nomen usurpantibus. » Verùm Auxilius non ita se tuetur, neque respondet Sergium illegitimum Pontificem à se impunè contemni; sed recurrit ad ea quæ veris Pontificibus prava jubentibus obtemperari vetarent. Quo certum omnino est, adversùs Pontificem pro vero ac legitimo habitum, sed potestate in Ecclesiæ perniciem usum, universalis synodi opem imploratam, cùm nullum aliud præsidium superesset.

At enim, inquies, extraordinaria hæc, neque in exemplum trahenda : quæ nos ultrò confitemur. Illud autem volumus : gravissimos, divino judicio, multos incidisse casus, quibus Ecclesiæ romanæ oppressæ ac laboranti nihil præsidii, nihil in Ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusæ auctoritate superesset.

Ac fateamur necesse est talia contigisse cùm Joannes XII, flagitiosissimus pontifex, ab Othone I imperatore, concilio congregato, depositus est, et Leo VIII huic substitutus [3]. Baronio facilè concedimus illegitimum illud fuisse judicium. Interim pars orbis maxima, Joannem ejusque successorem * aversabatur; Leoni ejusque successoribus adhærebat. Bonâ profectò fide, sub incerto, imò nullo Pontifice, haud minùs Christo ejusque Ecclesiæ conjuncti vivebant.

Quæ mala Ecclesiæ incubuere graviùs in illo longo schismate inter Urbanum VI et Clementem VII, eorumque successores. Quò in schismate, ubi locorum esset Sedes apostolica per quadraginta annos multi viri boni sanctique nesciebant, nullusque sedebat romanus Pontifex, si quidem illud Bellarmini valet : *Pontifex dubius, Pontifex nullus*. Quibus turbis Sedes apostolica non nisi auctoritate Ecclesiæ catholicæ, ultro in Pisanam syodum confluentis, emergere potuit. Atque interim Christus hæc duo demonstravit : primum, Ecclesiam romanam occulto judicio in ea incommoda turbasque labi posse, unde se ipsa extricare non possit, et ab Ecclesiæ catholicæ auctoritate pendeat : tum illud, sub dubio ac fluctuante, imò

[1] *Sig., de Script. Eccl.*, cap. CXII. — [2] *Bar.*, ann. 908, p. 667, 668. — [3] *Vid. Bar.*, ad an. 963 et seq.

* Benedictum V.

sub nullo ac falso Pontifice, certam remanere, longo etiam tempore, Ecclesiæ catholicæ, non modò unitatem, sed etiam auctoritatem, quâ rebus necessariis consulatur.

CAPUT XXXII.

Ex his ostenditur, etsi quis romanus Pontifex falsa definiat, catholicam tamen Ecclesiam Sedemque apostolicam manere suo pondere constitutam.

His convincuntur ii qui Ecclesiam catholicam statim interituram putant, si quis romanus Pontifex falsa definiat : tanquam una ea res sit, quam Ecclesiæ catholicæ auctoritas supplere non possit. Atqui alia quæ memoravimus, cogitanda erant. Nempe certum est romanum Pontificem à Deo esse positum, qui catholicæ societatis communionisque esset vinculum. Stat semper invictum illud Optati de romano Pontifice : « Cum quo nobis totus orbis in unâ communionis societate concordat [1] ; » et illud Hieronymi ad Damasum : « Qui tecum non colligit, spargit [2] : » et illud Cypriani, illud Ambrosii, illud omnium, ut cum episcopo romano, id est cum Ecclesiâ catholicâ communicemus. Atque hinc etiam valet illud, absque romano Pontifice non colligi synodos [3] : quippe quo duce Ecclesiæ uniri conjungique debeant. Hæc à Christo instituta, hæc in ævum duratura sunt. Neque eo secius, Deo permittente, ea interdum eveniunt quibus viri boni sanctique, pontificiæ communionis exsortes manere debeant, ut Auxilio presbytero contigisse vidimus [4], ne fateri cogeretur, cessasse in Italiâ per viginti annos ligitimum sacerdotium legitimamque sacrorum administrationem. Quid in illo schismate, cùm inter duos tresve Pontifices, viri boni, ipsaque Ecclesia fluctuaret, et à duobus delusa, ab utriusque se obedientiâ subtraheret? An abrupta erat illa tessera christianæ fraternitatis in romani Pontificis communione à Christo constituta? Absit. Ad eam enim in integrum resarciendam votis omnibus anhelabant, romano Pontifici, si non actu ac reipsâ, tamen animo, affectu, voluntate conjungebantur. Interim Ecclesiæ catholicæ, quod sæpè dicendum est, eique connexæ Sedis apostolicæ communione gaudebant ; et cùm omnino synodo opus esset, romani Pontificis ad eam colligendam officium, Ecclesiæ catholicæ, hoc est, Spiritûs sancti supplevit auctoritas. An ergo officium confirmandi in fide fratres, si casus occurrat, eadem Ecclesia supplere non possit? Absit. Certè infandi illius ac diuturnissimi schismatis tempore, fœdæ hæreses, Vicleti, Hussique totâ Ecclesiâ vulgabantur ; quibus interim certa Ecclesiæ catholicæ auctoritas resistebat : adversùsque eos multa sunt edita ejusdem Ecclesiæ decreta gravissima, quibus catholici

[1] *Optat. Milev. de schism. Donat.*, lib. II. c. 3. p. 28. *ed. Dup.* — [2] *Hieron., ep. ad Damas.*, XIV. al. XVIII. t. IV. part. II. col. 20. — [3] *Soc.*, lib. II. c. 8. — [4] *Sup.*, cap. XXXI.

firmabantur, hæretici profligabantur. Quin ipsi hæretici nihilo sed in Sedis apostolicæ Ecclesiæque romanæ verba fidemque adacti su et ad illam petram æquè allisi, ac si romana Sedes suo præ frueretur. Nec mirum; neque enim romana Sedes aut fides in vac tione interit, neque interitura est, etiam si graviora ac diuturni impedimenta contigerint. Cur ergo eò magis aut Sedes apostolica catholica Ecclesia collabatur, si quis romanus Pontifex falsa defini Nempe in uno hoc casu deficiet Ecclesiæ, ille à Christo datus, eâ maneret Spiritus? Nulla erit super, quæ succurrat, aut syno colligat, auctoritas? Quid si romanus Pontifex hæresim non jam finitione sanciat, sed tamen prædicet? Quid si sit apertè jam natèque hæreticus? quid si simoniacus? quid si schismaticus? si contumaciæ nomine meritò deponendus? quid si bonos vires à communione depellat? quid si mente captus? quid si detentus? si ea tam multa contingant, propter quæ ei necessariò obsist Hæc enim partim evenisse, partim evenire potuisse omnes con tur. Quid dicam de Marcellino, quem thurificasse multi credide Quid de illâ, quam adversùs eum collectam memorant, Sinue synodo* trecentorum episcoporum [1]? Falsane, an vera sit, nih nostrâ refert. Veram certè esse ipsâ rei summâ defendit Baron veram eam esse plerique canonistæ per trecentos annos existima eoque exemplo pro certo habuerunt, quibusdam in causis syn ultro convenire posse, non quidem ad judicandum, sed ad co cendum atque increpandum romanum Pontificem, ut saltem p victus abdicare cogatur. At enim, inquiunt, causæ eæ sunt sariæ cur synodus fiat, etiam invito romano Pontifice: tanqua causa magis necessaria sit, quàm læsæ fidei; aut adversùs rom Pontificem valeat Ecclesia, si hæresim prædicarit, inermis verò omni præsidio destituta jacent, si certas formulas ac solem adhibeat: quo quid absurdius? Et tamen quandoquidem in eo

* De Sinuessanâ synodo nulla nunc extat inter doctos controversia. Hanc enim suppositiliam arguunt stylus barbarus et sententiæ planè absurdæ. Unum est quo probari posse putent celebratam fuisse hanc synodum; nempe quòd nulla alia Marcellinum idolis thurificantem absolverit. Atqui fabulosa est illa Marcellini quâ nullus veterum loquitur. Quinimo Theodoretus, lib. I, cap. III, dicit *secutionis tempore inclaruisse*, quod non diceret de Pontifice idolis thurificante. Marcellino donatistæ idololatriæ crimen inferebant; at falsum nulloque teste firmabant, admodum solebant accusare multos alios, eosque sanctissimos pontifices, Melchiadem, cellum et Sylvestrum. Cæterùm nunquam ab eis commemorata est ea synodus episcoporum, nec ab Augustino in suis adversùs Petilianum libris. Neque erat secutionis tempore trecentos episcopos congregare; cùm vix in summâ Ecclesiæ stantinus hunc numerum accire potuerit in concilio Nicæno. Hæc in ineptam sufficiant. Credo ipsum Baronium non aliter sensisse. Sed timebat, si concilium tium confiteretur, ne manibus ejus elaberetur illud ejusdem concilii axioma cantatum: « Prima Sedes non judicabitur à quoquam. » Qui plura de eâ re vidend P. ALEX. tom. IV, p. 652: Pagi, an. 302, n. 16 et seq. TILL., tom. V. persec. Dioc., p. 613. (*Edit. Paris.*)

[1] *Conc. Sinuess.*, t. I. col 936. — [2] *Bar.*, ann. 303, t. II. p. 771, 772.

stat, jam exempla afferenda sunt, atque infirmiores animi ipsâ experientiâ confirmandi, ne quid fidei metuant, si quis romanus Pontifex, quod absit, officio desit.

CAPUT XXXIII.

Lapsus romanorum Pontificum nihil Ecclesiæ, nihil fidei, nihil Sedi apostolicæ nocuerunt : Liberius ordine temporum primus recensetur.

Hic necessariò repetendi sunt romanorum Pontificum in causis fidei pertractandis, non modò cunctationes periculosæ interdum, sed etiam lapsus *. Etsi enim animus refugit commemorare ea quibus imbecilles animi commoveri soleant; tamen hæc me spes sustentat, fidei omnia profutura, cùm evidens futurum sit, romanis quoque Pontificibus, in injuncto officio confirmandi fratres deficientibus, tamen illud officium haud minùs postea viguisse, haud minùs immotam perstitisse Ecclesiam catholicam, eique conjunctam Sedem apostolicam ac romanam fidem.

Hic primo loco occurrit Liberius **. Neque verò animus est tractare quæstionem de Sirmiensibus formulis : quâ in controversiâ doctissimi quique dubitare se potiùs, quàm certi aliquid tenere se fateantur. Nos in eam sententiam propendemus, ut Liberius ei formulæ *** subscripserit, quæ esset omnium maximè innocua. Hæc interim certa sunt; pessimè fecisse Liberium, qui cùm arianorum artes fraudesque nosset, ei fidei subscriberet, quâ Christus consubstantialis ejusdemque cum Patre substantiæ taceretur [1]. Illud enim

* Non pauci doctrinæ cleri gallicani aliundè maximè addicti, ipsi præjudicium inferri putant, si momentis hujusmodi parum solidis fulciatur. Ita imprimis Honoratus Tournely, qui postquam varia exempla, sepositis præjudiciis, severè examinavit, concludit ea non esse ad statum controversiæ idonea et accommodata. Vide *Tract. de Ecclesiâ, quæst.* v. *art.* III; *tom.* II, *p.* 183 *et seq.* Hinc multi mirantur illustrissimum Bossuetium hic tot errorum exempla congessisse, postquam ipse dixerat : « Que, contre la coutume de tous leurs prédécesseurs, un ou deux souverains Pontifes, ou par violence ou par surprise, n'aient pas assez » constamment soutenu ou assez pleinement expliqué la doctrine de la foi : consultés de toute » la terre et répondant, durant tant de siècles, à toutes sortes de questions de doctrines, de » discipline, de cérémonies; qu'une seule de leurs réponses, se trouve notée par la souve» raine rigueur d'un concile œcuménique, ces fautes particulières n'ont pu faire aucune im» pression dans la chaire de saint Pierre. Un vaisseau qui fend les eaux n'y laisse pas moins de » traces de son passage. » *Serm. sur l'unité de l'Eglise ;* vid. tom. VII. p. 50. Igitur conjicere merità possumus ipsum ea deleturum fuisse, si ultimam manum operi admovisset. (*Edit. Versal.*)

** Eruditissimi inter catholicos hodie stant pro omnimodâ innocentiâ Liberii, et quidem argumentis haudquaquam contemnendis. Vide *Dissert. critique et historique sur le pape Libère, dans laquelle on fait voir qu'il n'est jamais tombé ; par l'abbé Corgne, Paris,* 1736 : et multò fusiùs, *Commentar, critico-histor. de sancto Liberio papâ*, à P. Stiltingo, inter *Acta Sanctorum septembris,* ad diem 23; *tom.* VI, *pag.* 572. Illud interea constat, multa hic afferri ad juncta, aut planè incerta, aut omnino supposita; et plura taceri, quæ minimè omitti debuissent. Certè vix intelligo quomodo ea cohæreant cum iis quæ ipse illust. auctor dixit, *IIe Instruct. sur les promesses de l'Eglise*, *n.* 105 *et* 106 : sup. tom. XXII, pag. 580 et 581. Cæterum ex *Diario D. Ledieu* colligitur voluisse Bossuetium ea delere, quæ hic scripsit de Liberio, tanquam ad suum scopum non mùs pertinentia. Vid. *Hist. de Bossuet*, *Pièces justificatives du liv.* VI. pag. 396. (*Edit. Versal.*)

*** Primæ videlicet quæ adversùs Photinum à synodo depositum excusa fuit. (*Edit. Paris.*)

[1] *Vide Bar.*, t. III. an. 357. n. 30.

erat initæ cùm hæreticis consensionis indicium ac tessera : at adeo per Liberii subscriptionem ariani id obtinebant, quo Nicæ infringerent et infamarent fidem. Quare Liberius nec ipse dubita datis fœdissimis ac miserabilibus litteris, cum omnibus arianis co municare, atque à suâ et Ecclesiæ romanæ communione segreg Athanasium, cum quo communicasse pars ecclesiasticæ atque tholicæ communionis habebatur [1]. Hæc à Liberio perpetrata, a amplam causam dederunt, cur ei hæc agenti anathema ab Hi diceretur, et cur ille ab Hieronymo et aliis in hæresim subscrip memoraretur [2]. Quò etiam factum est, ut à Romanis haud a reciperetur, quam ut qui fidem prodidisset, ac se arianâ co munione maculasset, hæreticisque per omnia communicasset, *ceptâ rebaptizationis infamiâ* *, ut in vitis romanorum Pontifi disertè scriptum legimus [3].

Neque omittendum illud, quod est gravissimum, Liberium, p quam arianorum communione pollutus Romam rediit, à ma cleri et populi romani parte rejectum; sanctum Damasum grav mum eâ tempestate Ecclesiæ romanæ presbyterum, ac postea Li successorem præ cæteris ab ejus communione abhorruisse, ac F in ejus exultantis locum substituto adhæsisse; quòd hic vice v catholicam Ecclesiam contra Constantium tueretur. Hinc « ab die, quo scilicet Liberius in urbem ingressus est, fuisse persecutio maximam in clero, ita ut intra Ecclesiam presbyteri et clerici e plures necarentur, et martyrio coronarentur [4]. » Hæc in vitis ro norum Pontificum scripta recipit Baronius [5]; quibus profectò re Liberius non confirmabat, quam potiùs omni ope infringebat fid Nunc quid ad hæc respondeant audiamus.

CAPUT XXXIV.

Adversariorum effugia præcluduntur : nostra argumenta firmantur.

Primum quidem aiunt, ad hæc misera et infanda vi adact Liberium, tædio scilicet victum exilii, ut scribit Hieronymus ipsius Liberii, quæ supersunt miserabiles testantur litteræ : s enim constat, etsi districtos gladios non legimus, tamen inten necis metus. Sed nihil magis infregit Liberium, quàm prava cu tantæ recuperandæ Sedis, quod etiam Baronius confitetur, verè memoravit eam fuisse Dalilam, quæ hunc Samsonem corrupe

[1] *Ep.* lib. VII, VIII, IX, X. t. II *Conc.*, col. 751 et seq.—[2] *Hilar.*, *frag.* VI. col. 1333. ed. *Vid. Hieron. in Chron. et de Script. Eccles.*

* Hic annotat Binius : « Arianos nondum rebaptizasse catholicos ad se deficientes, » verba ab aliquo fuisse addita ; » quod verisimile est. (*Edit. Paris* .)

[3] *Vit. Liber. Pap.*, tom II *Conc.*, col. 740.—[4] *Vit. Felic. II, ibid.*, col. 843.—[5] *Bar.*, t. an. 357, n. 45, 46. p. 713, 714 —[6] *Ibid.*, n. 33. p. 709.

tcumque est, si verba Christi dicentis : *Rogavi pro te*, omninò eò rtinent, ut Petri successor nusquam fidei desit, nusquam officio nfirmandi fratres; Liberium haud minùs ab ipso metu tutum esse portebat, quàm à cæteris pravis cupiditatibus. Quis enim non videat, promisisse Petro Christum, ne ullâ animi infirmitate vinceretur? uo loco si metum excipimus, nimiùm stultè in re tantâ ludimus. tque hoc animi robur ad Petri successores manasse oporteat, siuidem omnes eos promissionis ejus hæredes esse constet. Tum et ud quærimus, si hæc Liberius non metu, sed vel imperitiâ, vel liâ pravâ cupiditate fecisset; an ideo cessuri erant Eusebius et Damasus ac romana Ecclesia? Imò tantò ampliùs restitissent. Fateamur rgo romanam fidem, romanam Ecclesiam, non modò adversùs etum, sed adversùs omnem aliam cupiditatem potuisse consistere. enique si vel maximè metum causari placet, quid fiet Liberio, non m metuenti ac persecutionem passo, sed ultrò persequenti fratres, t ad impiam communionem cogerentur; et quæcumque adversùs tholicam fidem gesta erant, etiam concitatâ persecutione firmanti. lia profectò quærenda sunt, quibus Liberius excusetur.

Hic ergo Bellarminus ac Baronius omni ope contendunt [1], ne Liberius hæresi subscripsisse videatur. Quo operæ pretio; cùm saltem t certum subscriptam ab eo, probatamque formulam quâ fides icæna taceretur? At enim, inquiunt, Hilarius quoque hanc provit formulam; probavit verò tanquam omnino integram ac perictam? an potiùs id egit, ut qui eà uterentur, eos alliceret ad tholicam fidem, à quâ non penitus abhorrere viderentur? Cæterùm t à veris orthodoxis ac fidei Nicænæ defensoribus subscriberetur his rmulis, quibus fides Nicæna taceretur, non probavit Hilarius : non robavit ut eo silentio et episcopatus redimeretur, et pax cum perdis iniretur; id, inquam, Hilarius neque probavit, neque fecit. At id emo dubitat fecisse Liberium.

Aliud est, inquiunt, tacere, aliud negare. Non profectò aliud est, ùm ad eum articulum devenitur, ut tacere negare sit. Neque enim uidquam aliud ariani volebant, quàm ut fidem Nicænam tacendo abruerent; eòque deducta res erat inter catholicos et hæreticos, t utrimque contenderetur; ab illis, ne fides Nicæna silentio preeretur; ab his, ut ipso silentio tolleretur; neque id Liberius, aut uisquam ignorabat. Quo tempore tacere, apertè negare est. Neque nim frustra Christus dixit : *Qui me erubuerit, et meos sermones, unc Filius hominis erubescet* [2]. At qui sciens tacet, cùm professionem es postulat, profectò erubescit, imò etiam negat : unde quod apud ucam legitur : *Qui me erubuerit*, legitur apud Matthæum : *Qui me*

[1] *Bell., de Rom. Pont*, lib. IV. cap. IX; *Bar.*, an. 357, n. 37. tom. III.—[2] *Luc.*, IX. 26.

negaverit [1]. Negavit ergo Liberius, dum tacuit id, quod tum vel maximè oportebat confiteri eum; in agone ipso scilicet, in ipso martyrii, hoc est, testimonii articulo constitutum. Quo in articulo constitutus, dum pudendo silentio Sedem apostolicam redimit, nempè quantùm in ipso est, omnes docet patere communionem cum cathedrâ Petri, iis qui Nicænam tacerent fidem. Neque id tantùm; sed etiam negari iis, qui illam tuerentur: cùm non aliâ causâ ariani Athanasium à communione Liberii segregatum vellent. Neque in his cogitandum est, quid subtiliter dici possit, sed ipsius rei summa, quid faciat in hominum animis. Neque etiam est quòd dicant vituperari à se Liberii factum, defendi fidem quam intus haberet. Nos profectò ipsum rectè sensisse, et contra id quod sentiret scripsisse et fecisse intelligimus, et ideo fidei defuisse; et talia facta ad ipsam fidei confessionem pertinere, nec ipse Baronius negaverit.

Cæterùm, id si putant promissioni Christi tutandæ satis esse, ut romanus Pontifex intus rectè credat, quidquid profiteatur, amplam nobis januam aperiunt. Ecce enim dicemus romanum Pontificem bene intus sentientem, pravâ tamen aliquâ cupiditate seductum, adversùs fidem suam pronuntiaturum. Id si non sufficit tutandæ Christi pollicitationi, ne his excusent Liberium: sin autem sufficit, en casus quo Pontifex, ipsis fatentibus, salvâ pollicitatione Christi, falsa definiat.

Has quidem cavillationes sat scio viros graves et æquos facilè contempturos; et tamen adversarii ad hæc minuta et futilia, suâ subtilitate nos redigunt.

Placet etiam illud quærere; per eam temporum necessitudinem, ad romano Pontifici arianorum societate polluto, communicari oporteret? At non illud Damasus, non Eusebius, non alii catholici sentiebant: hoc enim ipsum erat, seque et Ecclesiam catholicam arianorum communione maculare. An fortè per eam temporum intercapedinem, Liberius cessavit esse romanus Pontifex? Quid ita? hæreticus scilicet, atque ipso facto depositus: id enim videtur significare Baronius [2]. Atque ipse Baronius, Bellarminus, et alii id vel maximè agunt, ne hæreticus fuisse videatur. An igitur alias, præter expressam, ut aiunt, hæresim, causas admittimus, propter quas romanus Pontifex cassus sit? Hæc si volunt, ab alio ducentur in aliud, neque eis quidquam erit integrum. Tum si in eo res vertitur, ut romanus Pontifex ideo errare non possit, quòd statim atque erraverit desinat esse Pontifex, quid vetat nos quoque in eam arcem confugere? Certè et id nobis profiteri licet; à romano quidem Pontifice falsa judicari ac determinari posse; sed eum confestim aliâ

[1] *Matth.*, x. 33.—[2] *Vid. Baron.*, an. 357, n. 34.

esse Pontificem. Si hec dicto tuti sumus, vicimus : at si quid ulteriùs à nobis exigunt, in Liberii lapsu, quò ipsi confugient? Fortasse ad illud, ista qualiacumque sunt, brevissimo temporis intervallo transacta esse. At profectò durarunt septem ad minùs menses. An verò contendent Christi promissionem vel ad certa quædam momenta vacillasse? Denique alia memoramus, quæ non eâ celeritate effluxisse constet. Verùm, uteumque est, certè illud tenemus, cùm dicitur Petri fidès, romana fides, Sedesque apostolica perire non posse, romano Pontifici deberi obedientiam, cum romano Pontifice à quocumque catholico communicari oportere : hæc summâ ipsâ valere et æstimari, non ad minutias redigenda. Omnino enim deficiente Liberio, Petri fides stetit : fides stetit Sylvestri, Marci, Julii, aliorumque romanorum Pontificum, qui Liberium præcesserant. Hæc enim fides romanos presbyteros sustentabat, quemadmodum ipse testabatur Eusebius [1], à se teneri fidem, quam à beato Julio ordinatus suscepisset. Neque Sedes apostolica, neque Ecclesia romana concidit; neque casura erat, si etiam Liberius pejora moliretur; et cùm ab eo abstinerent, haud minùs Ecclesiæ catholicæ Sedisque apostolicæ fovebantur sinu; romanoque Pontifici tanto impensiùs adhærebant, quantò magis eum orthodoxum vellent.

CAPUT XXXV.

Sanctus Zozimus Cœlestii Pelagiani confessionem apertè hæreticam probat : ejus epistola ad africanos episcopos : sancti Augustini loci.

De sancto Zozimo papâ sancti Innocentii successore, sanctus Augustinus hæc scripsit [2]; Cœlestium ab Africanis condemnatum, ad eum edidisse libellum fidei, in quo hæc inerant : « Quòd peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, et non generi humano : quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem. » Et illud : « In remissionem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à catholico sensu alienum est; quia peccatum non cum homine nascitur, etc. [3] » Apertissima hæresis, nullâ verborum ambiguitate prodita, quod etiam Augustinus agnoscit. Sanè Cœlestius in fine professionis hæc apposuit : « Si fortè, ut hominibus, quispiam ignorantiâ error obrepsit, vestrâ sententiâ corrigatur [4]. Atque interpellatus à Zozimo de Innocentii litteris : « se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit [5]. » His igitur auditis, refert

[1] *Vid. act. Euseb. apud Mombrit.*, tom. I. pag. 615 *et Baluz., Miscel.*, tom. II. pag. 141, 142. — [2] *August., de Pecc. orig.*, cap. II, III, VI. tom. X. col. 253, 254, 255. — [3] *Ibid.*, cap. VI. et lib. I. *de Grat. Christ.*, cap. XXXII. n. 35. col. 245. — [4] *Ibid., de Pecc. orig.*, cap. VI. n. 7. col. 250. — [5] *Ibid.*, cap. VII. n. 8.

Augustinus à sancto Zozimo Cœlestii libellum catholicum dictum esse [1], in quo tam apertæ hæreses legebantur *.

Non tamen Cœlestius ab excommunicatione solutus, scriptumque est in Africam, atque ad duos menses dilata res, quoad inde rescribe retur [2].

In Zozimi epistolâ [3], episcopi Africani præcipitantiæ arguuntur quòd Lazaro et Heroti viris levissimis ac nefariis de Cœlestio nimiùm credidissent. Hic placet excusari ea, quibus de africanis Patribus deque Lazaro et Herote viris sanctissimis, optimo Pontifici impositum est. Non equidem scio quo modo id excusari possit, quod de fide Cœlestii scribit : « Censuimus innotescere Sanctitati vestræ, supra absolutâ Cœlestii fide nostrum examen [4]. » Ac paulò post de Cœlestii accusatoribus : « Quare intra secundum mensem aut veniant, qui præsentem redarguant aliter sentire quàm libellis et confessione contexuit, aut nihil, post hæc tam aperta et manifesta quæ protulit, dubii vestra Sanctitas resedisse cognoscat [5]. »

Res igitur examine et judicio Zozimi eò redacta erat, ut fides Cœlestio exposita integra et catholica procul dubio haberetur; illud quærendum superesset, an probari posset eum aliter quàm libelli dixerat docuisse ? Sic nihil deerat quominus absolutum completumque esset de dogmate judicium, resque omnino deducta ad facti quæstionem.

Itaque Facundus, Hermianensis episcopus **, huic ævo proximus *** memorat [6], « beatum Zozimum apostolicæ Sedis antistitem, contra sancti Innocentii decessoris sui sententiam, fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cœlestii tanquam veram et catholicam laudantem, insuper africanos culpantem episcopos, quòd ab illis hæretici crederentur; » non quòd Zozimus speciatim « præceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci : »

[1] *Aug., lib.* II. *ad Bonif.*, c. III. n. 5. col. 434

* Illust. auctori applicare non auderemus quæ ea de re habet Tournely, *loco sup. cit. pag.* 186 : *Necesse est eos qui tale proferunt exemplum, Augustinum non legisse in eo ipso loco qui opponitur.* Hæc habet sanctus doctor : « Quænam epistola venerandæ memoriæ papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit. Sed cum hæc Cœlestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat de quibus se adhuc dubitare et inquirere velle confessus est, in homine acerrimi ingenii... voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia et hoc catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere. » *Lib.* II. *ad Bonif. loco sup. not.* Ex his intelligitur ipsum Cœlestium, non verò ejus doctrinam dictam fuisse catholicam : de quo vix ullum dubium remanebit, si attendatur simul jussisse Zozimum ut Cœlestius subscriberet epistolæ Innocentii, in quâ ipsius errores apertè damnabantur; ut constat ex Mario Mercatore, *tom.* II *Concil.*, *col.* 1512 et 1513; et ex Paulino Diacono, *ibid. col.* 1578 *et* 1579. (*Edit. Versal.*)

[2] *Aug., de Pecc. orig.*, c. VII. n. 8. col. 256. — [3] *Zoz., ep.* III. *ad Episc. Afric.*, t. II *Concil.*, col. 1559. — [4] *Ibid.* — [5] *Ibid.*

** In Bizacenâ. — *** Vixit sæculo sequenti.

[6] *Facund. pro defens. trium Cap.*, l. VII. c. III. p. 277, *edit. Sirm.*; *et* t. X. *Bibl. Patr.*, p. 5[illegible]

id enim ab eo factum speciatim Augustinus negat [1]; sed quòd approbavit ut catholicam eam Cœlestii confessionem, in quâ illa hæresis perspicuè continetur. Neque mirum est Zozimum, datis paulò post ad eosdem Africanos litteris [2], favisse Pelagio, qui sententiam suam miris verborum ambagibus involverat. Id mirum Cœlestii approbatam fidem, qui manifestissimas hæreses admisisset.

Neque enim usus erat ullis verborum involucris, sed planè nitidèque rem elocutus est, atque omnino, ut ait ipse Zozimus [3], quid de fide sentiret evidenter expressit.

Sanè Augustinus quâ erat modestiâ et charitate, excusat Zozimum. Quod enim in fine libelli Cœlestius instrui se velle professus est, eâ occasione Augustinus sic scribit: « Voluntas emendationis, inquit [4], non falsitas dogmatis approbata est, et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia et hoc catholicæ mentis est » velle corrigi si errasset. Rectum etiam illud, quòd Cœlestius sancti Innocentii susceperat litteras, quibus, si sincero animo crederet, facilè, ut idem Augustinus ait [5], omnia sua errata respueret. Itaque sic Zozimi acta interpretatur, ut Cœlestium levibus fomentis perductum ad sanitatem vellet. Quæ tamen profectò efficere non debebant, ut ejus fides tam claro judicio probaretur.

Patres verò africani ita responderunt: « Non sufficere hominibus tardioribus et sollicitioribus, quòd se generaliter Innocentii episcopi litteris consentire fatebatur; sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello prava posuerat; ne, si id non fecisset, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à Sede apostolicâ crederent approbata, propterea quòd ab illâ dictum erat, eum libellum esse catholicum, quàm emendata, propter illud, quòd se papæ Innocentii litteris consentire ipse responderat [6]. »

Hæc sanè non absolvunt Zozimum; sed docent quâ modestiâ ac reverentiâ docendi sunt romani Pontifices, etiam cùm sanctos gravesque episcopos immeritò et asperè objurgant, ac mala non malo animo faciunt: qua Zozimus benignitate atque admonitione correctus, Cœlestium ac Pelagium toto orbe damnavit.

Interim prima illa Zozimi sententia et episcopale judicium, etiam si Pelagium ac Cœlestium obduratos hæreticos, pejores non facerent, quis dubitet infirmos his moveri potuisse? Certè id effecit, ut hæretici *romanos clericos* arguerent, tanquam eos, « qui, jussionis terrore perculsi, non erubuerint prævaricationis crimen admittere, contra priorem sententiam suam, quâ catholico dogmati adfuerant [7]. » Qu

[1] *Aug.*, lib. II. *ad Bonif.*, *loc. ant. cit* — [2] *Zoz.*, *ep.* IV. *ad Episc. Afric.*, t. II. *Conc.*, col. 1561 seq. — [3] *Ibid.*, *ep.* III. *Ibid.*, col. 1559. — [4] *Aug.* lib. II. *ad Bonif.*, *loc. jam cit.* — [5] *Ibid.*, *de pecc. orig.*, cap. VII. n. 8. col. 256. — [6] *Ibid.*, lib. II. *ad Bonif.*, c. III. n. 5. col. 434. — [7] *Ibid.*, col. 433.

oratione, presso licèt nomine, Papam ipsum, qui fidem Cœle probasset, facilè designabant.

Memorabile verò est, id quod respondet Augustinus [1]: « Si quod absit, ita tunc (post acceptas scilicet concilii Africani fuisset de Cœlestio et Pelagio in romanâ Ecclesiâ judicatum, eorum dogmata, quæ in ipsis et cum ipsis papa Innocentius verat, approbanda et tenenda pronuntiarentur; ex hoc potiùs prævaricationis nota romanis clericis inurenda : » ut intelligat sibi, non veritati, non Ecclesiæ romanæ, aut Sedi apostolicæ tarum Zozimum, si talia judicasset. Id ergo Augustinus abs dum, infaustum, miserum, non verò impossibile judicavit, id Bonifacium papam Zozimi successorem scripsit.

Et qui jam id impossibile esse clamant, perpendant quæ fuer Nempè cùm doctrinam apertissimè hæreticam non satis c Zozimus approbavit, nihil hoc Ecclesiæ, nihil fidei romanæ ita sanè intelligant, si Zozimus in postremo illo judicio per c indiligentiam falsus esset, haud minùs Sedi apostolicæ provi Deum, ne prava coalescerent, neve Ecclesia catholica caput romanam Ecclesiam amitteret. Cætera prosequamur.

CAPUT XXXVI.

Hormisdæ atque Honorii gesta uno verbo repetuntur : Joannes VII in synodum, quâ romana Ecclesia erroris accusatur; suo judicio stabilitam, intactam.

Quâ acerbitate sanctus Hormisdas optimam propositionem *de Trinitate crucifixus*, respuerit, quid postea successores e veritate atque Ecclesiæ catholicæ consensione victi, fecerint, memoratum à nobis est [2]; constititque catholicissimæ propo defensores à sancto Hormisdâ, egregio licèt Pontifice, con potiùs quàm confirmatos fuisse; ac post consultum Papam, ab Oriente veritatis lumen exortum : adeo liquet multa quæ elucidationem spectent, à doctis Pontificibus, etiam inter etiam pro officio agentibus, prætermitti, nec minùs aliunde a veritatem.

De Joanne VII Anastasius bibliothecarius in vitis romanorum tificum hæc scribit [3] : « Hujus temporibus, Justinianus imp (secundus nomine) illico ut palatium ingressus est, propri adeptus imperium *, tomos, quos antea sub domno Sergio apost memoriæ pontifice, Romam direxerat, in quibus diversa c

[1] *Aug.*, lib. II. *ad Bonif.*, cap. III. n. 5. col. 434. — [2] *Sup. hoc lib.*, cap. XVI et seq. — [3] *Joan. VII per Anastas.*, tom. VI. *Conc.*, col. 1387.

* De quo dejectus fuerat primùm à Leontio, et deindè à Tiberio Absimaro. *Edit.*

manæ Ecclesiæ contraria scripta inerant, per duos metropolitanos piscopos demandavit, dirigens per eos sacram, per quam denomi-tum Pontificem conjuravit, ac adhortatus est, ut apostolicæ Eccle-concilium aggregaret, et quæque ei visa essent stabiliret, et quæ versa, renuendo excluderet. Sed hic humanâ fragilitate timidus, nequaquam tomos emendans, per suprafatos metropolitas di-it ad principem; post quæ non diu in hâc vitâ duravit. » Quod inæ ultioni imputatum tenor ipse verborum ostendit.

tomi continebant canones synodi in Trullo habitæ, quæ *Quini-is* dicitur. Hæc synodus Ecclesiæ romanæ ritus multos, nomina-in his, ipsam toto Occidente receptam, atque ab antiquâ et apo-tâ traditione manantem cælibatûs legem presbyteris et diaconis ctam, condemnabat [1], ut quæ evangelicis atque apostolicis tes-niis repugnaret. Quod quidem si verum est, jam inde à primis is romana totaque Occidentalis Ecclesia incidit in hæresim. Hos nes Joannes VII primùm quidem vano metu territus, rogante ratore, emendare noluit; sanæque doctrinæ debitum officium gavit. Quin potiùs probasse apparet : non enim ait Anastasius, egisse Pontificem, neque ita scribit : Nihil, respondit Pontifex, , Tomos remisit intactos : sed, *Tomos nihil emendans direxit ad cipem :* quo ritu bona probaque mitti ac dirigi solent.

a ita Sergius prædecessor, qui eodem jubente Justiniano, « non ievit, nec eosdem tomos suscipere, aut lectioni pandere passus » hoc est, ne librum quidem aperire, aut evolvere sustinuit : rò eos ut invalidos respuit, atque abjecit, eligens antè mori, n novitatum erroribus consentire [2]. »

norium vidimus à tribus patriarchis de fide interrogatum ea re-disse, quibus per totum Orientem hæretici firmarentur, catholici rentur; quæ denique à sextâ synodo, ac secutis Pontificibus, postolicæ doctrinæ adversa damnarentur [3]. Quàm futilia, quàm , quàm absurda respondeant, vidimus : quis enim sanus hæc ; pro privato doctore respondisse Honorium à tot tantisque Ec-is de fide interrogatum, neque docere voluisse universam Ec-iam? Rogamus, in Honorii epistolis, ad docendam Ecclesiam quid iderent? Rem ipsam, ut reverà doceat Ecclesiam, an formulam, exprimat docere se velle. Certè ipsa res adest, docet Ecclesias cipales, et in eis universam, quantùm in ipso est Ecclesiam *.

[1] *Conc. Quini-sext.*, can. XIII. *ibid.*, col. 1148. — [2] *Vit. Serg. per Anast.*, *ibid.*, col. 1291. — [3] *Ep.*, lib. VII. c. 21 et seq.

* Quæ spectant ad Honorium ejusque litteras, necnon monothelitarum hæresim, diligentiùs pertractata reperies, apud D. CORGNE in suo libro inscripto : *Dissertation critique théologique sur le Monothélisme, et sur le sixième concile général.* Paris, 1741. (*Edit. nov.*)

Neque magis Leo ad unum patriarcham Flavianum scribens, tot Ecclesiam docuit, quàm Honorius scribens ad tres patriarchas. Re gunt se ad formulas, tanquam à formulâ non possit excidere, ipsâ re, ipsâ summâ cecidit.

CAPUT XXXVII.

Stephani II, Gregorii II, Sergii III, Gregorii VII, ejusque occasione Bonifacii decreta et gesta referuntur : decretalis *Unam Sanctam*.

Extant in conciliorum actis Gregorii II egregii pontificis respo *ad interrogationes sancti Bonifacii episcopi Moguntini*; quorum sec dum sic habet [1] : « Quod proposuisti, quòd si mulier infirmitate c repta, non valuerit debitum reddere, quid ejus faciat jugalis? num esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret; sed quia fortitudo magnorum est, ille qui se non poterit continere, magis. » Hæc est illa decretalis, de quâ memoravimus [2], dixisse tianum : « Hoc evangelicæ et apostolicæ doctrinæ penitus inve adversùm [3]; » nec immeritò. Ac notandum illud : *Si mulier infir tate correpta*, quo apertè designatur infirmitas, conjugio jam i superveniens. Conjugium verò, etiam quoad vinculum, ex eâ i mitate dissolvi, et viro suaderi tantùm, non autem præcipi absti tiam, tanquam necessariam; sed novum permitti conjugium, festè pugnat cum hâc Christi sententiâ : *Quod Deus conjunxit, non separet* [4]. Neque hic dici potest Gregorium II pro privato do respondisse : interrogatus enim à sancto Bonifacio Moguntino, spondebat ea, quæ ad novellam Ecclesiam germanicam instituen pertinerent. Quare Gregorius hæc scripta esse memorat, « ex stolicæ Sedis vigore : » suamque illam vocat, « apostolici vigoris trinam per beatum Petrum, à quo et apostolatûs et episcopatûs p cipium extitit, » ut alio jam loco diximus [5].

Stephani II responsa ad varia consulta tueri nemo potest. Res sum tertium [6] : « Si quis in alienâ patriâ ancillam duxerit in con tium, postea in patriam reversus ingenuam acceperit, et iterum c tigerit ut ad ipsam, in quâ antea fuerat, patriam revertatur, et ancilla, quam priùs habuit, alii viro sociata fuerit; hic talis p aliam accipere; tamen non illâ vivente ingenuâ, quam in patriâ p priâ habuit. »

Hoc Stephani II responsum procedere videtur ex falso intell decreti sancti Leonis, quod sic habet : « Ancillam thoro abjicere,

[1] *Greg. II, ep.* XIII. *ad Bonif. Mogunt.*, n. 2. t. VI. *Conc.*, col. 1448. — [2] *Dissert. præv.*, n. *Vid. in App.*, lib. III. cap. X. — [3] *Decret.*, dist. XXXII. q. VII. *Quod proposuisti*, § *Sed* — [4] *Matth.*, XXIX. 6; *Marc.*, X. 9. — [5] *Diss. præv.*, *loc. jam cit.* — [6] *Resp. Steph. II*, art. som. VI. *Conc.*, col. 1650.

uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis [1]. » Leo tamen non agebat de vero et justo conjugio, quod cum ancillâ iniretur; sed de illicitâ copulâ quæ ad arbitrium solveretur cum personâ servili : quippe cui nullum jus, nulla actio, nulla querela contra hominem liberum legibus relinquatur. At Stephanum II hic loqui patet de eâ ancillâ, quæ justis nuptiis conjuncta sit; cùm redire permittat in ejus consortium, nisi alteri viro sociata fuerit. Quare ancillæ connubium solvit, ingenuæ solvi vetat : quale discrimen, conditione cognitâ, nescit Evangelium, neque canones patiuntur; quos talia prohibentes multos invenias apud Gratianum, dist. XXIX, quæst. II, et alibi passim.

Idem Stephanus, responso XI : « Si quis in vino, propterea quòd aquam non inveniebat, periclitantem infantem baptizarit, nulla ei adscribitur culpa; infantes sic permaneant in ipso baptismo [2]. »

Quâ responsione et infantis perperam baptizati periclitabatur salus, et simili errori ampla patebat janua. Sed hæc et alia, à Petri licèt successoribus ritè interrogatis, prolata responsa, ultrò conciderunt; quòd ea non admisit Ecclesiæ catholicæ summa et indeclinabilis auctoritas.

Nec magis probata est illa Nicolai I, egregii licèt doctique pontificis, responsio ad consulta Bulgarorum, quâ baptismum, « si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine » collatus fuerit, omnino valere, neque iterandum esse decernit [3], falsumque, certè dubium baptismum cum vero certoque æquè firmat; ac Bulgarorum nascentem Ecclesiam falsi baptismatis exponit discrimini : neque id obiter, ut vulgò in scholis ludunt, sed expresso decreto, atque ex Actis apostolorum et beato Ambrosio auctoritate adductâ, ne id leviter dixisse videatur.

Vidimus [4] à Sergio III, sub anathematis pœnâ, de ordinationibus [*] imperata ea esse, « quæ ad facinus pertinerent, quæ contra fidem et catholicam religionem agerentur; » quæ per viginti annos in universâ Italiâ, atque adeo in ipsâ romanâ Ecclesiâ sacerdotium, sacramenta, atque ipsam christianitatem extinguerent. Hæc profitentem, hæc suo et sociorum nomine conquerentem presbyterum Auxilium, et universalis concilii judicium expectantem nemo damnavit; imò catholici susceperunt.

Gregorium VII ejusque successores liquidò demonstravimus evangelicæ veritati et antiquissimæ traditioni repugnasse, cùm reges deponere aggressi sunt [5]. Ac tametsi eam, quam tot anathematibus

[1] *Leo. Mag., ep.* CII. al. XCII. *ad Rust. Narbonn., inquis.* VII.— [2] *Resp. Steph. II*, art. IX. *loco jam cit.* — [3] *Nic. I, Resp. ad cons. Bulg.* CIV. t. VIII. *Conc.*, col. 548; *et Grat.*, distinct. IV. c. XXIII. *A quodam.*— [4] *Sup. hoc lib.*, c. XXXI; *Vid. etiam Auxil. loc. cit.*

[*] A Formoso papâ factis.

[5] *Sup.*, lib. III. c. I et seq.

exequebantur, animi sui sententiam neque expresso canone firmarent, neque in ecclesiasticum dogma redigerent; tamen ecclesiastica potestati conflabant ingentem invidiam; schismaticis et hæreticis occasionem præbebant; catholicos in errorem inducebant, nedum in fide confirmarent; eaque omnia ideo non nocent, quòd Ecclesia catholica nunquam ea approbarit, nunquam ut fidei doctrinam admiserit.

Bonifacium verò VIII, qui decretali *Unam sanctam*, hæc quoque niti visus est in Ecclesiæ dogma redigere, excusavimus quidem non quod expositioni ipsa definitio minimè respondeat, ut vidimus [1], id illud constitit, et in expositione Scripturas à vero sensu contra traditionem apertè detortas, et multa intolerabilia ad infirmandam potius quam ad confirmandam fidem fuisse collecta. Ad hæc alii urgent ex ipsâ expositione definitionem explicandam, atque ideo ab errore manifesto non posse defendi. Nec desunt, qui omnia à Bonifacio exposita, ut ab ipso asserta, ac vera Sedis apostolicæ placita tueantur, nec erubescant habere pro errantibus, aut etiam hæreticis, qui fidei his non præbeant. Quæ tamen Bonifacii decreta, utcumque se habent, fidei non nocent; quod, tacentibus cæteris, Ecclesiæ catholicæ tota pars Ecclesia gallicana apertè reclamarit, romanosque Pontifices ad temperandam Bonifacianæ doctrinæ acerbitatem adduxerit.

CAPUT XXXVIII.

Paschalis II : gesta Lateranensis synodi : Guidonis Viennensis, mox Callixti II, decreta in synodo Viennensi à Sede apostolicâ comprobata : hujus decreti verba ad Paschalem. *Nos à vestrâ obedientiâ repellatis.*

Post Gregorium VII, interserere oportebat quæ Paschalem II, Gregorio VII tertium, speciatim tangerent; sed nos rerum connexionem extra temporum seriem tantisper abripuit.

Notum omnibus, quale privilegium Henricus V imperator à Paschale II per vim extorserit, nempe ut electi non consecrarentur, sed ab imperatore per baculum priùs investiti [2]. Id ita ferè est habitum ac si Papa in hæresim consensisset. Itaque, Lateranensi tertio concilio congregato, plus centum episcoporum, mitram ac mantum, ut vocabant, pontificalem, hoc est, purpuream cappam seu pallium abjecit : Patres hortatus est ut juberent ipsum jam non esse Pontificem. Cæterùm quòd liberet, sine ipso Ecclesia ordinaret [3]. Hoc enim Godfridus Viterbiensis disertè scripsit, inconditis quidem ineruditisque versibus, tamen ad historiæ fidem compositis. Ac sic Papam loquentem inducit [4] :

Me quoque Pontificem non fore jussa data.

[1] *Sup.*, lib. III. c. 23, 24, 25.—[2] *Vid. sup.*, lib. III. c. 12.—[3] *Conc. Later.* III. sub Paschali, tom. X. col. 767.—[4] *God., de Vit. Chron.*, part. XVII. p. 508.

um illud :

, Sedinet Ecclesia sine me quidquid placet, inquit.

etiam, quantùm in ipso fuit, se ipse deposuit. At Patres non
i sunt, eumque pristino loco esse voluerunt : at privilegium
mnarunt, ut quòd esset, « contra Spiritum sanctum et cano-
institutionem [1]. » Igitur id decretum à duodecim archiepi-
, quatuordecim et centum episcopis, quindecim presbyteris,
octo diaconis cardinalibus factum esse in actis memoratur,
Papæ mentione, datâ quoque sententiâ excommunicationis in
, « non à Papâ, qui juraverat nunquam hoc se facturum : sed
lesiâ injuriam sui patris vindicante [2]. » Ita refert hujus tem-
manuscriptus codex, actis conciliorum insertus. Decreta con-
to orbe vulgata sunt. Sic optimo Pontifici, cùm intelligeret
se, ut oportebat, non posse peragi, Ecclesiæ catholicæ suc-
auctoritas.

gesta sunt anno 1112, quo item tempore Guido * archiepisco-
mnensis, postea Calixtus II papa, Viennense concilium habuit,
decreta legimus in conciliorum actis [3]. Ipse Guido decretorum
m ad Paschalem pontificem perscribit his verbis : » Igitur
te Spiritu sancto, investituram omnem rei ecclesiasticæ de
laicâ, hæresim esse judicavimus : scriptum illud, quod rex à
simplicitate extorsit, damnavimus; in ipsum regem nomi-
et solemniter, et unanimiter sententiam anathematis injeci-
. »

ram à papâ confirmationem petit, subditque : « Si verò, quod
è credimus, nostræ paternitatis (parvitatis seu fraternitatis
m) assertiones prædictas roborare nolueritis, propitius sit
Deus, quia nos à vestrâ obedientiâ repelletis. »

loco futurus, id si contingeret? An extra Ecclesiam, ac Sedis
licæ communionem? Absit; sed tamen ita incidebant eæ tem-
necessitudines, quibus sancti quoque episcopi à Papæ obe-
repellerentur.

chalis II hanc synodum confirmavit, datis litteris *Guidoni et
archiepiscopis, episcopis et abbatibus, seu dominis sacerdo-
Viennæ congregatis* [5] : quæ litteræ in conciliorum acta referun-

sensu, quâ veritate, quâ nonnullorum ejus ævi episcoporum
maximè Ivonis Carnotensis [6] discrepantiâ, investitura hæresis

nc. *Later.*, *ibid.*, col. 769. — 2 *Ibid.*, col. 771.
rgundiæ comitis filius, et Adelaïdis Ludovici Grossi uxoris consanguineus. (*Edit. Paris.*)
nc. *Pisan.*, *ibid.*, col. 794. — 4 *Ep. Conc.*, *ibid.*, col. 785 ; *Vid. Diss. præv.*, n. LXIIX. —
Pasch. II, *ib.*, col. 786. — 6 *Ivon. Carn.*, *epist. ad Pont. Alex. Lugd.*

haberetur, non est hic disceptandi locus. Hæresim proprio stricto significatu fuisse, id quod Paschalis II indulserit, vix quisqu sanus dixerit; et tamen hujus rei gratiâ de Pontifice romano decernebant.

CAPUT XXXIX.

Alexandri III in exponendâ Scripturâ manifestus error, omnium sententiâ batus : caput, *Cùm esses; de Testamentis* : Item Innocentii III falsa Scr expositio : Cap. *Per venerabilem; Qui filii sint legitimi.*

Grave illud est quod de testamentis ab Alexandro III definitur verbis [1] : « Proposuisti talem in tuo episcopatu consuetudinem nere, quòd testamenta, quæ fiunt in ultimâ voluntate, pe rescinduntur, nisi cum subscriptione septem vel quinque te fiant; secundùm quod leges humanæ decernunt. Quia verò à lege et sanctorum Patrum institutis, et à generali Ecclesiæ co tudine id esse noscitur alienum, cùm scriptum sit : *In ore du vel trium testium stabit omne verbum* [2]; præscriptam consuetu improbamus; et testamenta quæ parochiani coram presbytero et tribus vel duabus aliis personis idoneis, in extremâ fecerint v tate, firma decernimus permanere, sub interminatione anathe prohibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta. » *Cùm esses; de Testamentis.*

Atqui hæc testamenta quotidie rescinduntur, valetque in regionibus jus civile romanum, quod Alexander III, ex Scri ex traditione, ex universali consuetudine, adhibitâ etiam e municatione proscripserat; tantâque auctoritate facta decreta jicitur.

Hanc quidem decretalem, *ad ea quæ relicta Ecclesiæ sint*, restringit, auctoritate capitis sequentis : *Relatum est*; quanq Alexander III, in eodem capite *Cùm esses*, generatim de testa dixerat, quæstionemque de legatis Ecclesiæ relictis, ex lege gen deciderat. Sed quid nostrâ, cùm nec in ejusmodi legatis ea d talis valeat, quam Pontifex Scripturis, traditione, universalis Ec sensu, hoc est iis omnibus, quæ certam fidem faciunt, asser

Argumentum istud longè difficillimum, teste Melchiore Can ab eo solvitur [3] : « In decretis pontificiis, duo imprimis distingu sunt; unum est tanquam intentio conclusioque decreti; alter quasi ratio et causa à Pontifice reddita ejus rei, quam constitu Atque in conclusione Pontifices summi errare non possunt, si quæstionem ex apostolico tribunali decernant; sin verò Pontific

[1] *Decr. Gregor. IX*, lib. III. tit. 26. *de Testam.*, cap. X. *Cùm esses.* — [2] *Matt.*, XVIII. 16. — [3] *Melch. Can., de Loc. Theol.*, lib. VI. cap. 8.

rationes necessariæ non sunt, ne dicam aptæ, probabiles, idoneæ, n his nihil est videlicet immorandum. Non enim pro causis nos à Pontificibus redditis, tanquam pro aris et focis depugnamus. » Id postquàm multis exemplis argumentisque asseruit, concludit valuisse Alexandri decretalem, in locis Ecclesiæ romanæ, aliarumque Ecclesiarum ditioni subjectis; quod id Pontifex decernere suâ auctoritate posset : quanquam Scripturam et traditionem perperam allegavit.

Mitto quòd Melchior Canus, decreta generatim à summo Pontifice edita, redigere ad eas regiones nititur, quæ sint ecclesiasticæ ditionis, cùm soleant Pontifices accuratè notare, quæ faciant et decernant, tanquam principes, « ubi apostolica Sedes et summi Pontificis auctoritatem exercet, et summi principis exercet potestatem : » Cap. *Per venerabilem; Qui filii sint legitimi* [1]. Quod autem idem scriptor pontificii decreti conclusionem à sacræ Scripturæ allegatione distinguit, ac valere conclusionem, ex falsâ etiam probatione contendit; facilè assentimur, ubi aliæ probationes adhibentur, vel adhiberi possunt. Cæterùm, cùm Alexander III nihil hic aliud alleget, aut allegare possit, præter unum Scripturæ locum malè ex confesso intellectum; apparet eum falso fundamento nixum, ad id decretum sub excommunicationis pœnâ edendum prosiliisse.

Haud pluris valet ab Innocentio III allegata Deuteronomii auctoritas [2], quâ docet; « cùm Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobari, ut quod ibi decernitur, in novo Testamento debeat observari. » Cap. *Per venerabilem; Qui filii sint legitimi.*

CAPUT XL.

Ejusdem Alexandri III decretum, quo anteriorum Pontificum, de matrimonio per verba de præsenti, statuta solvuntur : Innocentii III de revelandâ confessione rescriptum ad Cistercienses : idem Innocentius III, Cœlestini III erroneam decretalem solvit.

Idem Alexander III, postquam judicavit id, quod est certissimum, valere conjugium per verba « de præsenti, utroque dicente : Ego accipio te in meam, et ego accipio te in meum; » ac tale conjugium non dissolvi contracto alio connubio, atque etiam copulâ consecutâ, addit [3] : « Quamvis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris fuerit judicatum. » Consulti ergo judicarunt, contra id quod est postea ab Alexandro III totâque Ecclesiâ judicatum.

Neque verò eos juvat Nicolaus Dubois, hanc errori manifesto excusationem obtendens [4] : « Fuit olim dubium in Ecclesiâ, an matri-

[1] *Melch. Can., ex Decr. Greg. IX,* lib. IV. tit. XVII.—[2] *Ibid.*—[3] *Decret. Greg. IX,* tit. IV. *de Sponsâ duorum,* cap. III. *Licet præt. solit.*—[4] *Disq.,* art. I. n. 11 et 161.

monium solo consensu firmatum dissolvatur per matrimonium subsequens cum aliâ, et consummatum..... Hinc factum quòd diversi episcopi et archiepiscopi, Salernitanus, Paduanus, Senensis, Nervicensis, Januensis, etc., sanctam Sedem consuluerint. » Rectè et ordine; tunc enim vel maximè consulendi summi Pontifices, cùm casus arduus est et ambiguus. Quid tum postea? Nempè illi à tot episcopis consulti, pessimè responderunt. Ergo vel maximè constat apostolico officio defuisse, cùm tot Ecclesiæ apostolici officii opem requirerent.

Innocentius III, à toto capitulo Cisterciensi consultus, an monachi confessionem sacrilegam, ab ipso confessario revelari oportèret? vocatis cardinalibus sic respondet [1] : « Ego dico in tali casu confessionem esse prodendam; quia potiùs est blasphemia quàm confessio: nec debet confessor tantam blasphemiam ac insaniam celare, per quam periculum toti Ecclesiæ poterit incumbere. Et placuit sententia Innocentii omnibus; et scripsit sequenti anno ad capitulum generale, quod à se fuerat determinatum. » En ex canonum præscripto ad romanum Pontificem gravis relata quæstio, ex quâ periculum *toti Ecclesiæ* incumbere videatur : ea matura et canonica deliberatio, totoque anno dilata; tum ad universum Cisterciensem ordinem, totâ diffusum Ecclesiâ, perlata responsio, ac determinatio, quàm juri divino ac naturali repugnare theologi canonistæque uno ore confitentur. Hæc doctissimis et consultissimis Pontificibus nil consultis, ritè deliberantibus excidunt, ad testificationem humanæ infirmitatis : audens dixerim (absit verbo injuria), et ad infallibilitatis præsumptionem retundendam.

At idem Innocentius III cautè reprobavit antiquiorem decretalem Cœlestini III, qui matrimonii vinculum inter christianos, supervenientè alterutrius hæresi, solverat. Hunc sui prædecessoris errorem Innocentius III molestè reprobat his verbis : « Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur [2]. » Quod quidem dat honori antecessoris sui, qui perspicuè matrimonii vinculum solverat. Glossa quoque absolutè, verbo *Prædecessor*, hæc habet : « Scilicet Cœlestinus, cujus dictum habuisti decretali *Laudabilem : De convers. infid.* et malè Cœlestinus [3]; » quare decretalis ejus è Corpore Juris exclusa est.

Et quidem habemus hujus decretalis verba apud Antonium Augustinum *, quæ sic habent : « Cum christiano viro propter odium

[1] *Cæs. Monach. Cist. Hist. mem.*, lib. III. c. 32; *Vid. Bibl. Script. Cisterc.*, c. 1. — [2] *Decret. Greg. IX*, lib. IV. tit. XIX. *de Divortiis*, cap. VII. *Quanto te novimus*; *Ibid.*, lib. III. tit. XXXIII. *de Conversione infidelium*, cap. I. *Laudabilem*. — [3] *Gloss.*, cap. *Quanto te novimus*; hic ch.

* Antonius Augustinus Hispanus, Ilerdæ episcopus, deinde Tarraconensis archiepiscopus, fuit vir illo ævo doctissimus, et in antiquitate ecclesiastica versatissimus, qui in concilio Tri-

uxoris Christum negante, et sibi copulante paganam, et ex eâ filium procreante, christiana in opprobrium Jesu Christi relicta est; tamen assensu archidiaconi sui, ad secundas nuptias convolavit, et filios suscepit ex ipsis; non videtur nobis, quòd si prior maritus redeat ad unitatem ecclesiasticam, eadem debeat recedere à secundo, et resignari priori; maximè cùm ab eo visa fuerit, Ecclesiæ judicio recessisse[1]. »

Hic verò Nicolaus Dubois, Adrianum VI reprehendit[2], quòd Cœlestinum III hujus decretalis gratiâ hæreticum judicarit : « Nondum enim, inquit, res erat ab Ecclesiâ definita; nec erat contrarius totius Ecclesiæ consensus, qui vim haberet definitionis. » En interim ille consensus, quem tot vanis stultisque incessit irridetque dicteriis, ab ipso quoque agnitus. Addit[3] : « Cœlestinus, tantùm respondit per verba, *non videtur nobis*; ut patet ex textu : nihil adhuc verò definivit. Quomodo ergo Adrianus potest hæreticis annumerare Cœlestinum? » Quid nostrâ? Quis enim contendit Cœlestinum fuisse hæreticum, qui nullâ contumaciâ hæc scripserit? Id tantùm cum Adriano VI volumus, romanum Pontificem de quæstione ad fidem pertinente ordine interrogatum respondisse id, quod reverâ est certissimè hæreticum; eumque Pontificem imposito confirmandi fratres officio defuisse, cujus sententiâ, vir justâ uxore privatus, mulier adultero copulata manserit; pessimum verò archidiaconi judicium confirmetur.

CAPUT XLI.

Franciscana controversia : primo loco ponitur decretalis *Exiit* Nicolai III : probatur hanc veram esse definitionem doctrinalem ac dogmaticam.

Ultimò ponimus quæ Nicolai III seu IV, ac Joannis XXII temporibus contigerunt.

Nicolaus III, ut sancti Francisci regula perfectè observaretur, et compescerentur illi qui hæc instituta mordebant, ejus interpretationem edidit decretali *Exiit qui seminat*[4]. In eo verò versatur quàm maximè ut altissimam Franciscani ordinis paupertatem exponat; cujus articuli hæc summa est : quod « abdicatio proprietatis, tam in speciali, quàm in communi, meritoria est et sancta, quam Christus et verbo docuit, et exemplo firmavit, ut etiam primi Ecclesiæ fundatores; quòd Christus loculos interdum habuisse dicitur, id egisse

dentino suâ doctrinâ maximè inclaruit. Errores, qui in textu Gratiani innumeri irrepserant, Antonius Augustinus suâ diligentiâ et impigro labore correxit, atque ipsa multa edidit à doctis probata. Vid. ejus operum catal. ad calc. tract. de Correct. Grat. à Sthep. Baluz. edit. an. 1672, et Baluz. præf. Vid. etiam Dupin, Bibl. XV sæc. (*Edit. Paris.*)

[1] *Ant. Aug., Collect. Decret.*, coll. II. — [2] *Nic. Dub., Refut. arg.*, art. XIV. n. 146, 147. — [3] *Disquis.*, art. VIII. n. 107. p. 38; *Refut. arg.*, etc., p. 78; *Vid. in append.*, l. II. c. 2. — [4] *Sext. Decr.*, lib. V. tit. XII. *de Verb. signif.*, cap. III, *Exiit qui seminat.*

infirmorum personâ susceptâ ; quo condescensu factum sit ut et infirma ageret, sicut interdum in fugâ patet, et in loculis. »

Hoc igitur fundamento posito, distinguit « in rebus temporalibus proprietatem, possessionem, usum-fructum, jus utendi, et simplicem facti usum ; » quod ultimum, nempe simplicem facti usum ab ipso etiam utendi jure discretum, solum relinquit fratribus ; propterea quòd id « condecens fuerit, ei professioni, quæ sponte devovit Christum pauperem in tantâ paupertate sectari. »

Sic igitur docet, Christum quoque id paupertatis et abdicationis genus fuisse sectatum, distinctèque declarat, sic à se intelligi usum simplicem, « qui facti est tantùm, in utendo, præbet utentibus nihil juris. » Hunc igitur usum sanctum ac meritorium esse definit, quippe qui exemplo Christi confirmetur. Atque hæc summa doctrinæ est, quâ etiam ipsissimam instituti Franciscani rationem ac perfectionem, Christi imitatione constantem, expressum esse voluit.

Neque verò in hoc simplice facti usu, consumptibilia, puta vestimenta ac cibos, distincta voluit ab inconsumptibilibus, puta ædibus ac cellis : imò verò disertè expressit ea, *quæ ad usum necessariæ sustentationis* pertinerent, quæque fierent *pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis*, ut fratres in his quoque ad simplicem facti usum redigantur, nullo interim utendi jure ipsi reservato.

Ergo quæ data essent utenda fratribus, in dominio dantis permanere posse voluit : et quoniam qui hæc darent fratribus ita affecti esse viderentur, ut à se concessa verè dimittere, atque *ad alios transferre cupiant propter Deum ;* ne *talium rerum*, quæ fratribus utendæ dentur, *incertum videatur esse dominium*, illud, exemplo Innocentii IV, ad se et Ecclesiam romanam transferì ; omnimodum usum relinquit fratribus, concessâ etiam potestate vendendi et commutandi libros et alia mobilia, prout fratrum usibus conveniret.

Sic deinde concludit[1] : « Cùm ex prædictis et aliis multâ maturitate discussis, regula ipsa licita, sancta, perfecta, et observabilis, nec ulli patens discrimini evidenter appareat, » ut hæc constitutio « sit perpetuæ firmitatis, hæc, sicut cæteræ constitutiones vel decretales epistolæ legatur in scholis, ac fideliter exponatur ad litteram : nullis additis glossis, quocumque prætextu, sub excommunicationis pœnâ, nisi iis, per quas verba, seu verbi sensus, seu constructio, quasi grammaticaliter exponatur. » Sic sancta esse debuit hæc constitutio ; sic non tantùm ad fratres, sed ad scholas, universamque dirigitur Ecclesiam, ut omnes fideles instruantur, quid de hâc regulâ sentire debeant.

[1] *Sext. Decr. ubi sup.* § *Cum igitur.*

Hæc igitur definitè determinatèque dicta, nemo negaverit. Tum in fine subditur : « Qui contra prædicta determinaverint (seu prædicarint) excommunicationis sententiæ subjacere ; » quo nihil est clarius ad definitionem dogmaticam exprimendam. Jam verò quanti hæc sint, sequentia demonstrabunt.

CAPUT XLII.

Decretalem *Exiit* confirmarunt Clemens V, Clementinâ *Exivi*, et Joannes XXII, extravagante *Quorumdam* : mox idem Joannes ejusdem decretalis auctoritatem infringere aggreditur.

Subortis postea circa hanc decretalem aliquot scrupulis, eam Clemens V elucidatam voluit, decretali inter Clementinas, *Exivi de paradiso ; de verborum significatione* [1] ; quâ disertè probat, rerum utendarum ad Ecclesiam romanam translatum dominium ac proprietatem, « dimisso ipsis fratribus in eis tantummodo usu facti simplicis. »

Fratres contenderunt hanc Clementinam vel maximè fuisse irrevocabilem ; quippe quæ à concilio Viennensi approbata fuerit ; quod falsum esse constat *. Nec minùs interim constat apostolicâ auctoritate comprobatam fuisse à Clemente V.

Circa has decretales Nicolai III et Clementis V, Joannes XXII edidit Extravagantem *Quorumdam* ; quâ *eorum declarationes* vocat *salubriter editas, solidas* quidem et *claras et lucidas* : alibi, *limpidas*. Ipse de vestium simplicitate ac formâ, deque habendis cellis frumentariis ac vinariis, quid agendum sit, superiorum permittit arbitrio, pontificatûs anno tertio, Christi 1318 [2].

Etenim multi ex fratribus, fallace delusi paupertatis imagine, vanissima quæque in deformandis vestibus comminisci cœperant. Non ullis monitis, non ullis parere superiorum imperiis ; seque eò pauperiores ac perfectiores arbitrari, quò insaniora cogitarent.

Neque verò Joannes eâ decretali tantos motus comprimere potuit ; quin potiùs hinc exorti fratricellorum insani clamores : Joannem hâc decretali fecisse « contra evangelicam paupertatem et per consequens contra Evangelium Christi ; et ideo factum hæreticum, ac papalem potestatem perdidisse, si in hoc perseveraverit [3]. »

Tantæ postea exortæ sunt, circa illam inglossabilem Nicolai III constitutionem, difficultates et rixæ, tam turbidi motus, tam insana deliria, ut idem Joannes XXII eam paulatim, quàm minimâ poterat antecessoris contumeliâ convellere cogeretur. Ac primùm illud glos-

1 *Clem.*, lib. v. tit. xi. *de Verb. signif.*, cap. i. *Exivi de paradiso.*

* Nam approbata fuit tantum in consistorio secreto, 5 Maii 1312, et lecta postridie in sessione tertia. (*Edit. Paris.*)

2 *Extrav.*, tit. xiv. *de Verb. signif.*, cap. i. Quorumdam. — 3 *Rain.*, t. xv. an. 1318, n. 53.

sandi interdictum sub excommunicationis pœnâ à Nicolao positum ad beneplacitum suspendit, editâ Extravagante, *Quia nonnunquam* anno pontificatûs sexto, Christi 1321[1]. Quo tempore decretalis *Exiit* cœpit vacillare auctoritas; multaque adversùs eam scripta prodierunt quæ Rainaldus edidit[2]. Imprimis impugnabant illud quod erat in eâ decretali dictum : « Christum habuisse loculos, infirmorum suscepta personâ, » quemadmodum fugam præcipit : quæ omnia gravissime refutabant, et utrumque suo modo ad perfectionem pertinere contendebant; cum perfectionis sit providere suis et egenis, ac per fugam dare locum iræ, nec temerè aggredi pericula.

CAPUT XLIII.

Joannis XXII Extravagans *Ad conditorem canonum*; ea decretalis *Exiit* dogma rejicit.

Neque ita multò post, Joannes XXII progressus ulteriùs, duas decretales edidit, quibus concitati fratres adversùs Joannem, ut apertum jam hæreticum, unà cum Ludovico Bavaro imperatore dimoliti sunt*, totâque Ecclesiâ famosas illas ac miras tragœdias excitarunt.

Anno igitur pontificatûs septimo, Christi 1322, Extravagantem edidit : *Ad conditorem canonum*[3]; quâ rerum fratribus utendarum ad Ecclesiam romanam translatum dominium, à se et Ecclesiâ romanâ amovet, exceptis rebus sacris; vetat moveri lites, aliaque quæ à fratribus Ecclesiæ romanæ procuratorio nomine agebantur.

Hâc autem decretali miris modis exagitat simplicem facti usum ab utendi jure distinctum; docetque eum nec esse possibilem, nec verum, nec fratribus utilem, ad perfectionem paupertatis obtinendam, aut mundi sollicitudines removendas : ad hæc non esse justum, nedum ad perfectionem ullam pertineat, cùm injustum sit aliquâ re uti eum, « cui jus non competat utendi; » reservationem quoque dominii ac proprietatis romanæ Ecclesiæ attributam, pari modo nec esse possibilem, nec veram aut sinceram, nec justam, ac nedum Ecclesiæ romanæ utilis fuerit, « in illius notam atque injuriam redundare. » Igitur se, « qui veritatem colere teneretur, dignum et congruum arbitrari, ut professores dicti ordinis, non verbis tantùm, non simulatis actibus; sed operibus claris veritate suffultis, perfectionis statûs, ac altioris paupertatis sibi prærogativam, præ aliis

[1] *Extrav., loc. cit.*, cap. II. *Quia nonnunquam.* — [2] *Rainald., jam. cit. loc.*, an. 1322, n. 55 et seq.

* Cùm Joannes XXII imperatoris nomen ei denegaret, ille franciscanorum partibus favit. Venit ergo in Italiam, ac postquam Mediolani et Romæ coronatus est, Joannem imperiali decreto exauctoravit, et Papam constituit Petrum Corberium, qui inter franciscanos rebellis erat pertinacior. Vid. Rain. ab an. 1323 ad an. 1330. (*Edit. Paris.*)

[3] *Extrav., loco cit.*, cap. III. *Ad conditorem, etc.*

mendicantibus vindicarent. » Simul declaravit consulere velle se « honori sacrosanctæ romanæ Ecclesiæ, cujus obnubilari posset gloria, si tam perversæ simulationi, quæ profectò et ipsis simulantibus officit, et aliis scandali materiam subministrat, dissimulando illi occurrere consentiret. »

Addebat nolle se « in posterum, sub prætextu seu pallio talis dominii temporalis, verbalis, nudi et ænigmatici, tanta bona, quanta dicti fratres faciunt infici. » Quibus sanè verbis Nicolai III usum facti simplicem, ab eoque ortam perfectionis, altiorisque paupertatis ideam, non modò subruebat, sed etiam irridebat. Tamen prædecessorem, quibus verbis poterat, excusabat, qui « piâ consideratione motus, supradicta ordinavit. » Curabat autem vel maximè, ut quod erat absurdissimum ab eo amoliretur, nempe vindicatam Ecclesiæ romanæ rerum etiam consumptibilium proprietatem. Ejus igitur verba moliebat, sensum ad meliora vertebat. Id autem vel maximè inculcabat : « neminem sapientem æstimare debere, » quod Nicolaus III absurda, injusta, nec possibilia intenderit ; non sanè addebat omnino impossibile esse, ut talia definiret, quique id fieri posse sentirent, schismatis aut erroris reos ; qualia nunc venditant.

CAPUT XLIV.

Joannis XXII Extravagans *Cùm inter nonnullos* : ea decretalis *Exiit*, doctrinam de Christi et apostolorum paupertate hæreseos damnat à romanis Pontificibus erronea definiri posse demonstrat : Franciscani appellantes in materiâ fidei à Papâ ad concilium, ejus rei gratiâ nullam censuram ferunt.

Supererat illud à fratribus prædicatum, à Nicolao III approbatum in Christo et apostolis per simplicem usum facti, altissimæ, ut putabant, paupertatis exemplum. Id Joannes XXII omnino subruit, editâ Extravagante *Cùm inter nonnullos*, anno pontificatûs nono, Christi 1325 [1], quâ propositiones duas examinat ; alteram, « quòd Christus et apostoli in speciali non habuerint aliqua, nec in communi ; » alteram, « quòd in iis, quæ ipsos habuisse Scriptura testatur, nequaquam in ipsis jus utendi competierit. » Has ritè examinatas, erroneas et hæreticas judicavit ; hanc verò postremam, doctrinæ catholicæ eò maximè inimicam, quòd Redemptori tribuat usum et gesta non justa : usum scilicet, sine jure utendi, ut erat expositum superiore decretali *Ad conditorem*.

At minores id gravissimè tulere. Itaque Joanni XXII Nicolai decretalem objiciunt : illum etiam apertè hæreticum inclamant, quòd illa, quæ « per clavem scientiæ in fide ac moribus, à summis Pontificibus semel definita sunt, eorum successoribus revocare non licet in du-

[1] *Extr., Cùm inter nonnullos, ibid.*, cap. IV.

TAYLOR INST. OXFORD

bium [1]. » Hos ut motus compesceret Joannes XXII aliam eodem anno edidit Extravagantem *Quia quorumdam*; quâ quidem Nicolaum excusat, ut potest, negatque aut ab ipso, aut ab aliis prædecessoribus definita, quæ fratres tanto studio de facti usu simplice asserebant: ac si vel maximè definissent, « constitutiones illas fore invalidas, erroneas et infirmas. » Neque verò, quod nunc somniant, id *per impossibile* dixit, aut omnino negavit evenire posse, ut à romano Pontifice talia definiantur; sed duntaxat hæc scribit: « Quod usum talem non justum conditor canonis fratribus intellexit reservare, probabile non videtur. » Profectò non putat rem esse impossibilem, qui id causatur tantùm, probabilem non videri.

Et quidem Joannes ad Nicolaum excusandum hæc scripsit: « Non apparet ipsum dixisse, sustentationem Christi et apostolorum ejus in solo et nudo simplici consistere usu facti. » Verùm id nihil est; nam, etiamsi verùm esset concessisse Nicolaum Christo et apostolis non modò usum facti simplicem, sed etiam aliquando ipsum jus utendi; tamen asserebat interim, usum illum simplicem, non modò esse justum, sed etiam perfectum, et in Christo præluxisse, atque ex ejus exemplo ad fratres propagatum; cùm Joannes usum illum, et injustum esse universim definiret, et in Christo admittere hæreticum judicaret.

Quam profectò sententiam, decretali *Quia quorumdam*, luculentissimè confirmavit [2]. Ibi enim docuit, illam expropriationem, quam in usu facti simplice, absque jure collocabant, neque à Christo *observatam*, neque *apostolis impositam*, neque *sub voto ab ipsis fuisse receptam*. Id enim in evangelicâ historiâ non fuisse traditum: atque hæc Christo tribuere, cùm per se justa non sint, hæreticam, damnatam, blasphemam, pestiferam esse doctrinam. Ergo satis constat Nicolaum, editâ decretali, ut perfecta laudasse, ac præscripsisse fratribus, quæ Joannes XXII injusta; de Christo dixisse, quæ idem Pontifex, non modò nova et in Scripturis inaudita, sed etiam blasphema atque hæretica declararit.

Quæ cùm ita sint, omnes, credo, intellexerunt, id egisse Joannem, ut Nicolai decretalem tanto apparatu conditam, tantâ auctoritate promulgatam, honestissimè quidem ac modestissimè quoad fieri posset, sed tamen efficacissimè hâc in parte subrueret.

Huc accedit Michaelem Cæsenatem fratrum minorum generalem, ejusque socios, à tribus Joannis decretalibus, conceptis verbis, ad sanctam romanam Ecclesiam, et ad generale concilium universalis Ecclesiæ publicè et solemniter appellasse, et appellationem Joanni transmisisse. Id et testantur acta [3], et Rainaldus confitetur [4]; neque

[1] *Vid. ib. Extr. Quia quorumdam*, c. v.—[2] *Extr.* 55. § Rursùs, 2°—[3] *Mich. Cæs., Tract. cont. error. Joan. XXII*, *Goldast. Monarch.*, t. II. p. 1236.—[4] *Rain., loc. cit.*, an. 1331, n. 11 et seq.

adversarii negant, has duas decretales, *Cùm inter nonnullos*, et *Quia quorumdam*, quibus duæ propositiones declarantur hæreticæ, ad fidei definitionem omnino pertinere. Jam verò doceant, minores, qui ab eis appellarint, qui professi sint Papam de fide pronuntiantem errare potuisse, eo certè nomine à Joanne fuisse damnatos. Nihil reperient tot inter apostolicas litteras, quibus eos coercuit; cùm nihil prætermiserit, quo impudentissimos atque ineptissimos sycophantas argueret.

CAPUT XLV.

Bellarmini ac Rainaldi effugia.

Nunc inutile est copiosiùs narrare, quæ recentiores, Bellarminus primùm, ac recentissimè Rainaldus dixerint [1]. Summa est hæc : Nicolai decretalem malè intellectam, neque vero suo sensu à Joanne damnatam; tum in quibus varient illi Pontifices, *non ad fidem et mores pertinere*, sed esse de re metaphysicâ, interim pro certo habitum à romanis Pontificibus, definita circa fidei quæstiones, rata esse et irretractabilia : quæ omnia putamus satis clarè refutata ex ejus ævi scriptoribus, et ipsis decretalium verbis.

Et quidem de usu facti simplice, definitionem Joannis, decretali *Ad conditorem* editam, Rainaldus tuetur, Bellarminus impugnat [2], et Joannem *in controversia ad fidem non spectante errasse* decernit; cùm Joannes decretali *Quia quorumdam*, eum qui decretalis *ad conditorem* definita convellat, tanquam contumacem et rebellem romanæ Ecclesiæ ab omnibus haberi » jubeat.

Quid quod idem Joannes non aliâ causâ, illum, absque jure, usum facti simplicem in Christo admitti, blasphemum, hæreticum, impium judicarit, quàm quòd usus ille sit non justus, in quo eum Bellarminus errasse asserit, ac duas Joannis de fide decretales subruit.

Neque verò concesserim in re metaphysicâ et vanâ versatum esse Joannem. Omnino enim è re Ecclesiæ erat, ut evanesceret è fratrum animis, illa quam Nicolaus foverat, falsæ atque inanis perfectionis idea; cùm illam etiam Christo adscribere, auctore Nicolao, minimè vererentur, eâque dementati, sibi tantopere placuerint : neque modò ad horrenda facinora, verùm etiam ad hæreses et schismata proruperint.

Quòd autem constitutionem *Exiit*, ut decretum de fide haberi nolunt; quia id Papa *non expresserit* neque sua pronuntiata, *de necessitate credenda proposuerit*; tametsi contra ea *determinare ac prædicare*, sub excommunicationis pœnâ vetuerit, nos quanti hæc valeant

[1] *Bell., de Rom. Pont.*, lib. v. cap. xiv; *Od. Rain.*, tom. xv. an. 1322. — [2] *Rain.*, an. 1324, n. 32; *Bell., loco cit.*

lectori dijudicandum relinquimus. Interim intelligimus, procul ab officio confirmandæ fidei abfuisse Nicolaum, qui, definitione editâ, ad id induxerit animos, quod Joannes XXII injustum aut hæreticum declararit.

Sed jam de Joannis decretalibus duabus, *Cùm inter nonnullos*, et *Quia quorumdam*, nec habent quod hiscant, cùm eas decretales, adhibitis licet omnibus, quibus decretum fidei nunc constare volunt; tamen à glossâ Corpori Juris insertâ, pro retractabilibus habitas, et ab ipso Bellarmino subrutas videant; ut profectò pateat, subtiles illos infallibilitatis pontificiæ defensores, dum ad inania ac minuta nos redigunt, tandem aliquando in has coarctari angustias, ex quibus nullis se scholasticis argutiis extricare possint.

CAPUT XLVI.

Quæstio de visione beatificâ ante universalem resurrectionem : in eâ Joannes XXII falsa prædicat, et suadere nititur : Gallis obsistentibus, Ecclesiæ catholicæ consensioni cedit.

Sub eodem pontifice Joanne XXII, anno ejus 16, Christi 1331, teste Rainaldo[1], « agitari cœpta est in pontificiâ curiâ quæstio de visione animarum, controversa inter theologos ejus temporis. » Et quidem pro certo erat, *purgatas animas in cœlum mox recipi*; idque ipse Joannes instructione editâ ad Ofinium regem Armeniæ definiverat, ut habet idem Rainaldus[2]. An in cœlum receptæ visione faciali fruerentur, dubium videbatur, et negabat Joannes; atque, ut ait Rainaldus[3], « maximâ sollicitudine undique argumenta pro parte negante conquirere, et varia ex Patribus testimonia contexere cœpit : atque ea tanquàm privatus doctor in suis concionibus repetere, ut præsules, doctoresque ea argumenta diligentiùs discuterent*. » His quidem Joannes se ipsum postea defensabat, his eum excusatum volebant, qui ex ejus auctoritate, et concionibus publicè in Ecclesiâ ad populum habitis, periculum fidei verebantur. Cæterùm, si ea volebat tantùm discuti à doctoribus, quorsùm pertinebat prædicari ad populum? Omnino certum est, id quod etiam totâ Ecclesiâ ac maximè in Galliâ divulgatum ac creditum, eum errorem à Joanne publicè prædicatum.

His Galli nostri movebantur; tum verò vel maximè cùm Geraldus Otho generalis minorum minister, Pontifici intimus, atque ab eo

[1] *Rain.*, t. XV. an. 1331. n. 45.— [2] *Ibid.*, et an. 1319, n. 10.— [3] *Ibid.*, an. 1331, n. 44.

* Hoc quidem dicit Odoricus Rainaldus, licet historici memorent Joannem suo errori adeo pertinaciter adhæsisse, ut eum errorem cardinales Avenione prædicaverint, sive ut Papæ placerent, sive ei ne displicerent. Et quidem F. Thomas Vallès Anglus, è dominicanorum familiâ, cùm in sacrâ concione hanc opinionem oppugnasset, sic exarsit Pontifex, ut juberet illum in carcerem trudi. Vid. Nang. p. 758. Hist. Univ. tom. IV, p. 235. Fabrar, lib. XCIV. (*Edit. Paris.*)

interruncius ad Gallias missus, illum errorem Parisiis pro concione sacrâ exponendum suscepisset[1]; ac passim ferebatur, aliâ licèt specie, hujus rei gratiâ, à Joanne summissum, ejusque erroris Pontificem auctorem ac signiferum esse.

Philippus verò VI Velesius dictus, Francorum rex, extrema minabatur iis, qui claram visionem beatis animabus denegabant: ad quem Pontifex epistolam scripsit, quam Raynaldus profert[2].

Hâc epistolâ scribit, quæstionem dubiam etiam Augustino visam; variare doctores: se quidem hujus rei in sermonibus habuisse mentionem, quæstionem jussu suo, ut sic plenius posset inveniri veritas, disputatam.

Subdit hæc postea[3]: « Et quia, fili dilectissime, forsan tibi dicitur, quòd nos non sumus in theologiâ magister, audi quid unus sapiens dicat. NON QUIS, inquit, sed QUID DICAT, intende: » adeò et ad se quoque pertinere intelligebat illud, ut *non quis*, sed *quid diceret*, cogitemus. Pergit: « Utinam, fili, sicut et aliàs meminimus nos scripsisse, vellet audire, quæ in nostris sermonibus diximus, regia celsitudo, et ut prædiximus, unum verbum de capite nostro non protulisse reperies, sed quæ vel Christus, vel apostoli, vel sancti Patres et doctores Ecclesiæ protulerunt. » Sic dubitantis specie, quam sequebatur doctrinam regiis auribus instillabat.

Tum regem dehortabatur ab insectandis iis, qui claram visionem negabant animabus; neque enim hoc ad regium honorem pertinere: atque omnino permitteret utramque liberè disputari ac prædicari sententiam, *donec aliud per Sedem apostolicam declaratum fuerit*. Hæc scripsit XIV kal. decemb. pontificatûs an. 17, qui erat an. Christi 1333.

Nihil his motus Philippus, non multis post diebus, quam epistolam acceperat, Dominicâ scilicet quartâ Adventûs, magistros Parisienses congregavit, jussitque eos de quæstione ferre sententiam; qui omnes unanimi consensu in id convenerunt, ne clara visio beatis animabus negaretur. Quam censuram Facultatis habemus integram, ejusdem jussu principis scriptam, pendentibus magistrorum sigillis.

Testatus quidem rex erat, nihil à se quæri quod Papam tangeret, quem omni honore prosequeretur: at doctores præfati erant, audisse se, « quòd quidquid in hâc materiâ sua Sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando, protulerit, sed tantummodo recitando: » adeò verebantur, ne pontificium animum offenderent.

Hujus censuræ exemplum, teste continuatore Nangii, hujus ævi historico *, rex misit ad Papam, « mandans sibi à latere, quatenus

[1] *Rain.*, tom. XV. an. 1333; n. 44; 1334, n. 30. — [2] *Ibid.*, an. 1333, n. 45. — [3] *Ibid.*, an. 1333, n. 44; 1334, n. 46.

* Monacho nempe sancti Dionysii.

sententiam magistrorum de Parisiis, qui meliùs sciunt quid debet teneri et credi in fide, quàm juristæ clerici *, qui parum aut nihil sciunt de theologiâ, approbaret, et quòd sustinentes in contrarium corrigeret [1]. »

Facinus audax, inquies, ut Galli romanum Pontificem fidem ipsam docerent. Tanta erat fiducia agnitæ veritatis; atque his quidem Joannes cessisse videtur. Certè anno sequente, sui pontificatûs ultimo, Christi 1334, editam voluit professionem eam, quâ *cum catholicâ Ecclesiâ* fatebatur, « quòd animæ purgatæ vident divinam essentiam facie ad faciem. » Atque adeo Ecclesiæ catholicæ consensione, in veram certamque veritatis fidem, non jam cunctabundus aut fluctuabundus adductus est.

Quòd autem eam fidem Benedictus XII asseruit, eique obsistentes hæreticos judicavit [2], nihil aliud quàm publicum et stabilem Ecclesiæ catholicæ eam in rem consensum declaravit, quem jam Parisienses, quem ipse Joannes XXII moriens agnoverat. Neque interim illud admittimus, quòd est à Rainaldo aliisque responsum : quæ idem Joannes adversùs eam fidem publicè in Ecclesiâ prædicarit, ea ab ipso fuisse prædicata, ut privato doctore. Omnino enim prædicatio in eminentissimâ Ecclesiæ romanæ arce edita, ad apostolicum officium pertinet; veramque fidem oportet in Ecclesiâ romanâ, non modò definiri prolato anathemate; sed etiam ita doceri, prædicarique, ut inde *annuntietur per universum orbem* [3] : cui planè officio Joannes XXII defuit. An ergo cùm ille falsa prædicaret, nutabat ea, quam Ecclesia romana prædicabat, fides? aut Ecclesia romana Sedesque apostolica falsa et hæretica prædicavit? aut quæ prædicanti Papæ, eadem judicanti ac definienti non obstitisset Ecclesia catholica; defuissentque vires, quibus falsa definitio solveretur? Absit : dictum enim de Joanne XXII esset, quod ipse de Nicolao III dixit : si quid falsi definisset, « constitutiones eas fore invalidas, erroneas et infirmas [4] : » neque eo secius existimassent stetisse immotam Ecclesiæ catholicæ Sedisque apostolicæ fidem. Ergo intelligamus, quæ romani Pontifices prædicarint, crediderint, declararint, nondum esse romanæ Ecclesiæ Sedisque apostolicæ, quoad à romano Pontifice promulgata, totâque Ecclesiâ recepta, obtinuerint et coaluerint, atque hanc esse romanam, hanc Petri, hanc Sedis apostolicæ fidem, quæ deficere non possit.

* Romani.

[1] *Vid. contin. Nang. ap. Duch.*, t. v. — [2] *Rain.*, an. 1336, n. 2, 3; *Vid. in Bull. Rom.*, t. I. *Bull. Bened. XII, Benedictus* : § 3, 4, 5. p. 241. — [3] *Rom.*, I. 8. — [4] *Extrav. Cùm inter nonnullos, de Verb. signif.*, cap. IV.

LIBER DECIMUS.

QUO PROBATUR CONVENIRE CUM DECLARATIONE GALLICANA HÆC : QUOD ROMANA SEDES FIDESQUE NUNQUAM DEFECTURA SIT ; ET QUOD PRIMA SEDES NON JUDICETUR A QUOQUAM.

CAPUT PRIMUM.

Fides Petri quid sit : verba Petri, *Tu es Christus* : et Christi, *Tu es Petrus, etc.* Petri fides Ecclesiæ fundamentum : ad locum Matth. XVI, 16 et seq.

Ne quid tam necessariæ disputationi desit, placet exponere luculentiùs illud immotum, quod in fide Petri omnis ab origine agnovit antiquitas. Id duplici modo à Patribus intellectum : primùm, ut Ecclesia catholica in Petri fide immota consistat : tum, ut immotum aliquid et invictum in Ecclesiam quoque peculiarem romanam ac Sedem apostolicam, Petri fide, prædicatione, sanguine, auctoritate, ac successione translatum fuerit.

Et quidem immotum illud, quod à Petri fide in universam Ecclesiam diffundatur, sancti Patres ducunt ab illâ egregiâ Petri confessione : *Tu es Christus*, ac deinde subsecutâ Christi sententiâ : *Tu es Petrus* [1].

Petrus enim apostolus, jam primus apostolorum à Christo constitutus, jam à Christo *Petrus* dictus, atque his causis omnium primus ab evangelistis omnibus appellatus [2], quod ipse textus Evangelii prodit legentibus; cùm Christus quæreret : *Quem me esse dicitis?* omnium nomine confessionem hanc edidit, quâ fidei christianæ summa continetur : *Tu es Christus filius Dei vivi.* Quæ cùm Petrus dixisset, hoc statim audivit à Christo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quibus verbis Christus, qui suam maximè unam volebat Ecclesiam, creavit magistratum amplissimâ præ cæteris potestate ac majestate præditum, qui omnes moveret ad unitatem, maximè in fide. Atque his duo quidem confirmavit : alterum, haud immeritò Petrum omnium nomine respondisse, qui omnium princeps ab ipso magistro Christo constitutus esset : alterum, quoties successores Petri communem Ecclesiarum fidem, ex communi traditione, pro officio promerent, eorum decretum, prædicationem, fidem, fore Ecclesiæ fundamentum.

Hinc Christus pollicetur, hâc Petri confitentis fide Ecclesiam æternùm constituram : *Super hanc petram*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, nempe Eccle-

[1] *Matth.*, XVI. 16.— [2] *Ibid.*, X. 2 ; *Marc.*, III. 16 ; *Luc.*, VI. 14.

ipsique fundamento præcipuo, scilicet romanæ Sedi, non nudo tantùm obsequio, sed etiam adunati auctoritate provident. Sic illa in infando schismate* horrenda fundamenti labes, totius compagis ope sanata refectaque est.

Stat ergo æternus ille in Ecclesiâ Christi, ab ipso Christo constitutus magistratus, ad unitatem movens, fideique firmitati ex officio providens. Cui quidem officio meritò attributæ claves, solvendique ac ligandi tanta potestas; ut quidquid in terrâ solverit vel ligaverit, in cœlo quoque solutum ligatumque sit; quibus verbis designari, non personæ injuncto officio defungentis infallibilitatem, sed ipsius officii efficaciam ac vim omnes consentiunt.

Hæc igitur pertinent ad illud Christi dictum : *Tu es Petrus*, constititque omnino, Petri officium esse Ecclesiæ fundamentum, eo quòd Ecclesia unitate consistat, cujus sacramentum ac radix in Petro est.

CAPUT III.

Locus, *Rogavi pro te*, et, *Confirma fratres tuos*, Luc., XXII. 32. Aliud præceptum, aliud promissum : præceptum, *Confirma fratres*, quid sit.

Eodem pertinet aliud Christi dictum ad Petrum : *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* In hâc Christi sententiâ, ut in priore, rursus distinguimus ea quæ ad officium Petri pertinent, et ea quæ ad Christi promissionem. Ad officium Petri pertinet : *Confirma fratres tuos*; ad Christi promissionem certam : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

Hoc ergo ex officio Petrus habet : hoc Petri successores in Petro acceperunt ut fratres confirmare jubeantur, non profectò ut ei officio nunquam defuturi sint.

Si enim jubendo Christus id præstat, ut præceptum ipsum impleatur, jam omnes sunt implacabiles; romanusque Pontifex, cui Christus in Petro dixit : *Pasce oves meas*, non modò in doctrinâ nunquam peccaturus est, sed nec in ullâ parte pastoralis officii, cùm nulla profectò sit, quam non illa vox complectatur.

Jam quod aiunt, ipsâ confirmandi voce, supremum et indeclinabile judicium, eamque auctoritatem indicari, quâ nulla major esse possit, falsum est : nam *confirma*, hoc est, quantum in te est enitere ut firmi sint. *Misimus enim Timotheum*, inquit apostolus [1], *ad confirmandos vos*; et cuicumque episcopo dictum est : *Esto vigilans*, et

* XIV sæculi.
[1] 1 *Thess.*, III. 2.

confirma cætera, quæ moritura erant[1]. Et ostendunt Scripturæ passim, confirmare vacillantes animos, per omnia ecclesiastica ministeria fusum. Quod Petro ejusque successoribus singulari titulo attributum efficit quidem, ut præ cæteris, ut erga cæteros, atque etiam erga fratres et apostolos illud facere jubeantur : non autem, ut id certissimè præstent. Nam quod objiciunt, cuique officio suam esse à Deo providentissimo adjunctam gratiam, quis id nesciat? Adjungitur quidem ut omni officio, ita etiam papatui, perpetuâ Dei benignitate, gratia singularis; at gratiam singularem non propterea sequitur semper accipientis certa fidelitas : alioquin nunquam in eo officio peccaretur, quod est falsissimum.

CAPUT IV.

Promissio in illâ precatione, *ut non deficiat fides tuas*, fides Petri quid sit? nunquam defectura, neque in ipso Petro; neque in catholicâ Ecclesiâ; neque in Sede apostolicâ, seu peculiari Petri Ecclesiâ.

Atque hæc sunt, quæ pertinent ad Christi præceptionem, *Confirma fratres tuos*. Jam ad promissionem ista : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* : quæ quidem promissio multipliciter intelligi potest, pro multiplice personæ Petri intellectu.

Est enim primùm Petrus singularis, cui Christus, teste Augustino, promiserit; « ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem[2]. » Quo sensu promissio solum Petrum spectat, non autem successores, quos in fide confirmatos, nemo, credo, nisi insipientissimus dixerit.

Et eâ quidem promissione ad exequendum officium Petrus juvabatur. Quis enim dubitet promptius illud fuisse ac certius, ut confirmatus in fide confirmaret : quod Christus Petro significavit his verbis : *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*[3]. Quo loco Leo præclarè[4] : « Pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. » Neque propterea Petri successores id habent, ut in fide confirmentur, sicut non omnes habent illam eminentissimam charitatem, quâ Petrus plus cæteris Christum diligens audire meruit : *Pasce oves meas*[5].

Hoc igitur est quod Petro in propriâ personâ promissum est, neque ad posteros transiturum; nempe ut in fide et gratiâ confirmetur. Jam quod sit ad posteros transiturum, ex aliâ duplici Petri personâ pendet.

[1] *Apoc.*, III. 2.—[2] *Aug., de Corrept. et Grat.*, c. VIII. n. 17. t. X. col. 759.—[3] *Luc.*, XXII. 31, 32. —[4] *Leo., Serm.* III. *in anniv. Assump. ejusd.*, c. III. *ed. Quesn.* IV. p. 109.—[5] *Joan.*, XXI. 17.

Petrus enim præter personam suam, aliam personam gerit, n
Ecclesiæ universæ; quod ipsum ad ejus primatum pertinet,
Augustinum dicentem audivimus [1] : « Petrus Ecclesiæ gest
figurâ personam, propter primatum quem in discipulis hab
Cùm ergo Petro dicitur pro hujus personæ ratione : *Non d*
fides tua; hoc nempe est, non deficiet Ecclesiæ catholicæ fides,
tu figuram atque personam propter primatum geris; ac p
postea *confirmare fratres*, qui primatu imposito tantam pe
induerit.

Neque immeritò Petro dicitur : *Non deficiet fides tua*; fi
scilicet, quæ cùm sis christianorum omnium, vel maximè es
quòd eam primus omnium atque omnium nomine prædicava

Hunc sensum interpretes sæpè memorati secuti sunt; ad e
alludere videtur Augustinus [2] : « Dicente Christo, *Rogavi pro*
non deficiat fides tua, intelligamus ei dictum, qui ædificatu
petram, » hoc est, omnibus in Christo perseveraturis.

Hic ergo secundus sensus, pro secundo intellectu person
totam in se repræsentantis Ecclesiam, ac maximè electos. A
modo, Petrus intelligi potest strictiore significatu, ut qui n
Ecclesiæ universæ personam susceperit; sed successores in p
suos, eorumque curæ commissam peculiarem Ecclesiam, re
scilicet, singulari titulo repræsentet. Quo etiam sensu, meri
dicitur : *Non deficiet fides tua*; cùm nunquam futurum sit,
successores eorumque universa series atque successio, sed
præsint, atque Ecclesia quem docendam et regendam s
à verâ fide evellantur.

CAPUT V.

Petrus ejusque successores cuidam peculiari Ecclesiæ ac sedi præsidere
Petri fides in Petri sede et in successorum serie non deficit.

Et quidem de successorum serie satis constat; cùm c
omnes uno ore fateantur, Petri officium, hoc est, papatum
atque primatum à Christo institutum, nunquam in Ecclesi
turum. Sed Petri successores, cùm ordinandi fuerint, è cœlo
non sunt; neque ad creandos eos, ubi opus fuerit, totam Eccl
citari, commoverique oportebit. Necesse ergo est, aliqua ut
tholicæ Ecclesiæ pars, ex quâ existant, aliique aliis subrog
Quare ita constituti sunt, ut non modò universæ Ecclesiæ pr
sed quemadmodum cæteri episcopi, peculiarem habeant
regant Ecclesiam, nempe romanam, quam Petrus fundave

[1] *Sup.*, l. VIII. c. 19; *Aug., in Ps.* CVIII. n. 1. t. IV. col. 1215. — [2] *Aug., de Corrept. et*
c. XII. n. 38. t. X. col. 772.

[illegible]rit, imò quam semper et foveat et regat. Hæc ergo Ecclesia ex [illegible] atque apostolicâ traditione, eo jure, eâ dignitate est, ut quem-[illegible]que sibi, eumdem etiam Ecclesiæ universæ ducem pastoremque [illegible]nec nisi ab orthodoxâ, orthodoxum eligi par est. Hæc igitur [illegible]ra, hæc sedes, hæc Ecclesia est, quæ pro suî Pontificis dig-[illegible]oniendo Ecclesiæ necessaria, nunquam à verâ Ecclesiâ, nun-[illegible] verâ fide abrumpatur.

[illegible]e obficiant, Sedem à sedente Pontifice minimè distinguendam. [illegible] enim errorem, multis jam veterum testimoniis sublatum esse [illegible]us. Vel sanctum Leonem audiant de sede Antiochenâ dicen-[illegible]: « Aliud sunt sedes, aliud præsidentes[1]. »

[illegible]e propterea dicimus, ipsam sedem aliquid exercere posse [illegible]tis aut jurisdictionis, aliter quàm per ipsum præsidentem : [illegible]præsidens erraverit, errorem eum statim repellendum, neque [illegible]um.

[illegible]e verò distinguimus à romanorum Pontificum fide, romanæ [illegible]æ fidem ; quam scilicet non aliter quàm à Petro primò, atque [illegible] successoribus Romani didicerint.

[illegible]e huic fidei oberit, si aliquot Pontifices officio defuerint, [illegible] verâ fide, eique conjunctâ fidei professione aut prædicatione [illegible]do aberrarint. Stat enim romana fides, ab eorum antecesso-[illegible]bilita, ab eorum successoribus statim vindicanda, ut factum [illegible]rio, Honorio, aliisque vidimus[2], nullo romanæ fidei, aut [illegible] primatûs detrimento. « Etsi, enim, inquit Leo[3], diversa [illegible]quam sunt merita præsulum, tamen jura permanent se-[illegible] » quantò magis permanent jura in Sedem apostolicam per [illegible], auctore Christo, collata.

[illegible]ipiendi ergo romani Pontifices tanquam una persona Petri, in [illegible]unquam fides penitus deficiat ; atque ut in aliquibus vacillet, [illegible]concidat, non tamen deficit in totum, quæ statim revictura sit. [illegible] Petrus negavit, et incredulus fuit, postquam enim audivit [illegible] *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ;* sed statim exsurgit, [illegible]maturus fratres, atque omnium nomine communem prædi-[illegible]us fidem, sicut in Actis legimus. Sit ergo in Leone ; sit in Aga-[illegible]o ; sit in aliis egregiis Pontificibus Petrus, fratres confirmans : [illegible]tiam in Liberio ; sit in Honorio Petrus ad horam nutans et [illegible]ns ; sed statim respiciente Domino convalescens, seque ipso [illegible]lior ; ut firmitudini, Domino providente, etiam lapsus ipse ser-[illegible] ; neque supersit ullum errati vestigium. Id in Ecclesiâ romanâ [illegible]igisse multa exempla docuerunt, neque porrò aliter ad con-

[illegible]o., *ep. ad Anast. C. P.* LXXX. al. LIII.— [2] *Sup.*, l. IX.— [3] *Leo., ep. ad Maxim. Antioch.*, al. LXXII. c. III.

summationem usque sæculi, in totâ Pontificum successione, eve turum esse, certâ fide credimus.

Id autem beati Petri meritis tributum volumus. Omnino en apostoli ad Christum recepti, discipulorum ac successorum suor regunt Ecclesias : neque illa vacat Ecclesiæ oratio Dominum dep cantis [1]; « ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras; sed p beatos apostolos tuos continuâ protectione custodias; » certum est id, quod subditur : « iis rectoribus Ecclesiam gubernari. » Qu magis Petrus omnium princeps, « in propriâ sede vivit ac p sidet, » ut et sanctus Leo egregiè docet [2], et universa Ecclesi œcumenicis etiam conciliis sæpè confitetur.

Sic ergo tertio sensu intelligatur Petri nunquam defectura fid quod eam Ecclesiæ romanæ semel traditam, in eâdem Eccl ipsâque successorum serie, conservat ac fovet. Quibus hæc ma et præclara, Sedisque apostolicæ majestatis digna non sufficiun ut se in minuta atque oppidò absurda ac falsa conjiciant, ratiociniis, sed jam experimentis vidimus [3].

CAPUT VI.

Traditio Patrum de fide et Ecclesiâ romanâ, deque Sede apostolicâ ma defecturâ : romanorum Pontificum de suæ sedis dignitate tuendâ traditio,

Hæc ita, uti diximus, se habere universa agnovit antiquitas. S enim Patres ab ipsâ christianitatis origine, dum quærunt illud motum in fide, quod Ecclesiæ principali, romanæ scilicet, ins necesse sit; non romanum Pontificem doctorem publicum, romano Pontifice homine singulari, atque ut peccatis, ita erro obnoxio, secernendum cogitant; id enim postremæ ætatis inven est; sed ipsam romanam Ecclesiam, ac romanam fidem, ipsam cathedram, ac Sedem apostolicam uno ore commemorant.

Primus omnium Irenæus occurrit, dum « maximam, antiqu mam et omnibus cognitam, à gloriosissimis duobus apostolis Pet Paulo, Romæ fundatam et constitutam Ecclesiam » celebrat. « hanc enim, inquit [4], Ecclesiam, propter potentiorem principalita necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt u dique fideles, in quâ semper ab iis qui sunt undique conservata ea, quæ est ab apostolis, traditio. » Hæc Irenæus noster gallica Ecclesiæ lumen.

Ludunt qui *potentioris principalitatis* nomine, Urbis amplitudi designari putant. Agit enim Irenæus, non de Urbe, quam pro imperium frequentari; sed de Ecclesiâ fundatâ ab apostolis,

[1] *Præf. Miss. Apostol.* — [2] *Vid. Leon., Serm.* I, II, III. *in die Assumpt. ejusd.* — [3] *Vid.* lib. IX. — [4] *Iren., cont. hæres.*, lib. III. cap. 3. n. 2. p. 175, 176.

quam eâ causâ convenire, in quâ conservare omnes *undique fideles* avitam et *apostolicam traditionem* oporteat. Neque aliter Tertullianus[1] : « Habes Romam, unde nobis quoque (Afris scilicet) auctoritas præsto est. Ista quàm felix Ecclesia cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt! » Inde auctoritas, et illa apud christianos jam inde ab origine romanæ Ecclesiæ præcipua commendatio.

Neque Cyprianus rem tantam conticescit : « Navigare, inquit[2], audent* ad Petri cathedram, et ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est. » En unde *principalis*, quod Irenæus dicebat, et jam sermone ecclesiastico frequentatum. Hunc *locum Petri, et cathedræ sacerdotalis* gradum; hanc Ecclesiæ catholicæ radicem et matricem, ecclesiasticæ unitatis originem idem Cyprianus sæpè commendat[3]. Neque ab ejus Ecclesiæ *principalis* unitate et fide deflectere se putabat, cùm Stephani papæ de hæreticorum non iterando baptismate decretum, tot undique conquisitis Scripturarum locis, vehemens accusator urgebat.

Nec taceam illam Optati unicam singularemque cathedram, quam Petrus primus insederit *apostolorum caput*, quam Petri successores, Optato referente, usque ad Siricium, ac cæteri deinde teneant usque ad sæculi finem; quâ donatistæ careant[4]; quam frustra occupare satagerent, constituto Romæ suæ sectæ vano episcopatu; quam sola catholica, nulla schismatica habeat Ecclesia[5] : quæ proinde cathedra, si concidere posset, fieretque jam cathedra, non veritatis, sed erroris et pestilentiæ; Ecclesia ipsa catholica non haberet societatis vinculum, jamque schismatica ac dissipata esset : quod non est possibile.

Hinc illud concilii Aquileiensis ad Gratianum, Valentinianum, et Theodosium Augustos[6] : « Totius orbis romani caput romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam fidem apostolorum, ne turbari sineret, obsecranda fuit Clementia vestra : inde enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant. »

Hinc Hieronymus, Oriente dissidiis** agitato, « cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam » censuit consulendam[7]; atque ad

[1] *Tertull., de Præscr. adv. hæret.*, cap. XXXVI. — [2] *Cypr., ep.* LV. *ad Corn.*, al. LIX. *edit. Baluz.*, p. 86.

* Feliciissimi asseclæ.

[3] *Vid. Ep.* XLV. al XLVII; al. LII.; al. LV; *et tract. de Unit. Eccles.*, et pass. — [4] *Op. Milev., de schism. Donat.*, l. II. c. 2, 3 p. 28. *ed. Dup.* — [5] *Ibid., Vid. Aug., de Hæresib., hær.* LXIX. t. VIII, col. 21; *Cont. Cresc*, lib. II. c. 27. n. 46. t. IX col. 434; lib. III. c. 34. n. 38. col. 454 et pass. — [6] *Epist.* I. *Conc. Ital., seu Rom., seu Aquil*, an. 381. tom. II. *Conc.*, col. 999; *et apud Sirmond. in app. Col. Theod.*

** Origenistarum.

[7] *Ep. Hier. ad Damas.* XIV. al. LVIII. tom. IV. part. II. col. 19.

Theophilum Alexandrinum scribit, « se Patrum non transire [illegible] minos, semperque meminisse romanam fidem apostolico ore [illegible] datam, cujus se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur[illegible]

Veneratur et Augustinus romanam Ecclesiam, « in quâ semper [illegible] stolicæ cathedræ viguit principatus[2] : » et in eâ *romanam fidem*, [illegible] in Ambrosii scriptis etiam hæretici pelagiani suspicere cogere[illegible]

Hanc celebrat Gelasius ad Anastasium imperatorem tetu[illegible] Orientem confidentissimè scribens : « Quia mundo radix est ap[illegible] Petri gloriosa confessio[3]. » Quâ voce designari solet eccle[illegible] stylo sacer ille et omni honore prosequendus locus, quo apostol[illegible] condita corpora, Ecclesiæ romanæ, totique christianitati, ne[illegible] orbi quàm Urbi tutelæ sunt. Sic enim idem ad Euphemianum [illegible] stantinopolitanum patriarcham[4] : « Veniemus, frater Euphe[illegible] ad illud pavendum Christi tribunal ; ubi comprobandum, i[illegible] utrum beati Petri gloriosa confessio cuiquam eorum, quos re[illegible] accepit, quicquam subtraxerit ad salutem. » Ecclesiam ro[illegible] nominat à potissimâ parte, ab ipso sacrario, quo Petri relig[illegible] quiescunt ; quo ex loco Ecclesia romana primatum repetebat [illegible] Inde scilicet facta est Ecclesiarum caput, quod apostolorum p[illegible] in eâ sedem fixerit, in eâ martyrium fecerit, eam sanguine [illegible] carit ; quem ad locum videas, priscorum quoque Pontific[illegible] pore, synodos celebratas, tanquam à Petro deductis apostol[illegible] trinæ ac disciplinæ rivis.

Hujus ergo rei gratiâ Stephanus metropolita Larissæ [illegible] facium II et synodum romanam hæc scribit[5] : « Dixi quia [illegible] Sedis apostolicæ, quæ à Deo et Salvatore nostro, summo ap[illegible] data est, omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis ante[illegible] cujus confessione omnes mundi requiescunt Ecclesiæ. » Ed [illegible] sancti Gelasii[6] : « Duodecim certè fuere apostoli, paribus [illegible] parique dignitate suffulti ; cùmque omnes æqualiter spiritu[illegible] fulgerent, unum tamen principem esse ex illis voluit Christus, [illegible] que dispensatione mirabili in dominam gentium Romam di[illegible] in præcipuâ urbe, vel primâ, primum et præcipuum dirigen[illegible] trum, ibique sicut doctrinæ virtute sublimis emicuit, ita [illegible] gloriosâ effusione decoratus, æterno hospitio conquiescit ; pr[illegible] sedi quam ipse benedixit, ut portis inferi nunquam pro De[illegible] missione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus p[illegible]

Audio quid dicant : romanis Pontificibus, sedis suæ [illegible]

[1] *Hier., Epist. ad Theop.* LVII. al. LXVIII ; *Ibid.*, col. 597.— [2] *Aug., Ep.* XLIII. al. [illegible] t. II. col. 91 ; *Vit. de Grat. Christ.*, c. XLIII. n. 47. t. X. col. 249 ; *et pass. in ib.* [illegible] —[3] *Gelas., Ep.* VIII. *ad Anast. imp.*, t. IV. *Conc.*, col. 1183.—[4] *Ibid., epist. ad Euphem.* [illegible] *ib.*, col. 1162.—[5] *Ep. Steph. Lariss. ad Syn. Rom. sub Bon. II*, part. I. *coll. Bonif.*—[6] [illegible] *Pap. tract. apud Sirm. in App. Cod. Theod.*

pondantibus, in propriâ videlicet causâ non esse credendum, ...bit; pari enim jure dixerint, ne episcopis quidem, aut presby... esse adhibendam fidem, cùm sacerdotii sui honorem prædicant; ... contra est. Nam quibus Deus singularem honoris dignitatisque ...ativam contulit, iisdem inspirat verum de suâ potestate sen... ut eâ in Domino, cùm res poposcerit, liberè et confidenter ...ur, fiatque illud quod ait Paulus : *Accepimus Spiritum qui ex ...t, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis* [1]. Quod quidem hic ... dicere placuit, ut temerariam ac pessimam responsionem con...m; profiteorque me de Sedis apostolicæ majestate, romanorum ...ficum doctrinæ et traditioni crediturum : quanquam eorum se... non ipsi magis, quàm reliqui, ac tota Ecclesia, atque Orientales ...minùs quàm Occidentales prædicant. Id sequentia declarabunt.

CAPUT VII.

... à sancto Hormisdâ ad Ecclesias Orientales missus : ab eisdem Ecclesiis ...atus mittitur eidem Papæ : tum sancto Agapeto, Nicolao I, atque Adriano ...dicata in eo libello romana fides nunquam defectura.

...i Hormisdæ, ac Justini Augusti tempore, Ecclesiæ Orientales ...dversùs Acacium Eutychetis defensorem, à beatissimo Papâ ... formulam jussi subscripserunt [2] : « Prima salus est, rectæ ...gulam custodire, et à Patrum traditione nullatenus deviare; ...n potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia di...: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* ...æ dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede apo... immaculata est semper servata religio. » Ergo ut semper ser...r, ad hæc Christi promissa referunt. Subdunt postea : « Unde ...tes in omnibus apostolicam Sedem, et prædicantes ejus omnia ...nta, spero ut in unâ communione vobiscum, quam Sedes ...ica prædicat, esse merear, in quâ est integra et verax chri... religionis soliditas : promittens etiam sequestratos à commu... Ecclesiæ catholicæ, id est, non in omnibus consentientes Sedi ...licæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. ...autem professionem meam, propriâ manu scripsi, et tibi Hor... sancto et venerabili Papæ urbis Romæ obtuli. » Atque hæc ...io ab Hormisdâ pontifice dictata, ab omnibus episcopis Orien..., eorumque antesignanis Constantinopolitanis patriarchis, est ...a. Quâ de re Occidentales episcopi, præsertim gallicani, mul...n Domino collætantur [3]; ut certum sit, hanc formulam à totâ ...iâ catholicâ comprobatam.

...dem fidem Justinianus imperator ad sanctum Agapetum papam

...., II. 12. — [2] *Exemp. libell. Joan. C. P. ad Hormisd.*, tom. IV. *Conc.*, col. 1406, 1407. ...t. *Avit. Vienn. ad Hormisd.*, *ibid.*, col. 1445.

à se subsignatam, iteratis vicibus mittit *; in secundâ verò subs ptione sic legitur [1] : « Quapropter sicut præfati sumus, sequent omnibus Sedem apostolicam, quæ ab eâ statuta sunt prædican ac promittimus ista inconcussè servari, et compellere, ut juxta te rem libelli istius, omnes faciant episcopi : ut sanctissimi qui patriarchæ ad vestram faciant sanctitatem, metropolitani verò triarchis, et alii ut suis faciant metropolitanis, quatenus per on sancta catholica Ecclesia nostra suam habeat firmitatem; » nainve scilicet, ut sæpè diximus, consensione constantem.

Omnes ergo Ecclesiæ, subsignatâ formulâ, profitebantur roma fidem, Sedis apostolicæ et Ecclesiæ romanæ fidem, integrâ et fectâ soliditate constare; ac, ne unquam deficiat, certâ Domini licitatione firmatam. Nempe hanc fidem ab episcopis ad metrop tanos, ab his ad patriarchas, à patriarchis ad Papam mitti oporte ut omnium confessionem unus exciperet, ac pro confessione fi communionem omnibus, unitatemque rependeret.

Hanc professionem eodem initio, eadem conclusione ad subinde hæresibus atque hæreticis, qui suis temporibus Eccle conturbassent, per secuta sæcula frequentatam scimus. Hanc sancto Hormisdæ papæ, sanctoque Agapeto, ac Nicolao I, o episcopi fecerant; ita iisdem verbis Adriano II papæ, Nicolai su sori, factam in concilio octavo œcumenico legimus [2]. Hæc ergo que diffusa, omnibus sæculis propagata, ab œcumenico conc consecrata, quis respuat christianus?

Interim id observemus, quid fixum ac divina pollicitatione fir tum ubique inculcetur : nempe id, Sedis apostolicæ atque Eccl romanæ fidem minimè perituram.

Neque eo secius per eadem tempora de ipsis romanorum Pon cum definitionibus quæsitum, deliberatum, retractatum, facto examine judicatum fuit, in conciliis VI, VII, VIII. Neque ob sancti papæ Hormisdæ sententia adversùs scythas monachos, minus eorum de uno Trinitatis crucifixo doctrina tota Ecclesia baretur, ut suo loco vidimus [3].

CAPUT VIII.

Concilium Lateranense sub sancto Martino papâ : sancti Agathonis ad sym sextam epistola : item Benedicti XII de visione beatificâ decretalis.

In concilio Lateranensi sub Martino papa leguntur epistolæ supplicationes Orientalium æquè ac Occidentalium, quibus S

* Hanc fidei confessionem jam ante miserat Bonifacio II. Vide loc. cit. col. 1686. Eam à se tertiò subsignatam Agapeto misit. (*Edit. Paris.*)

[1] I *Confess. Just. ad Agap., ibid.*, col. 1790; II. *Conf.*, col. 1801, 1802. — [2] *Conc.* VIII. tom. VIII. *Conc.*, col. 988, 989. — [3] *Sup.*, lib. IX. c. 16 et seq.

apostolicæ romanique Pontificis dignitas et auctoritas mirificè commendantur [1]; quòd ejus sit definire de summæ fidei rebus, deponere hæreticos, rectam pronuntiare ac firmare sententiam; aliaque ejusmodi, quæ ad ejus officium pertinere nemo catholicus negaverit. Hæc igitur vehementer inculcant, ubi illud sempiternum exponunt; quod deficere non possit : Ecclesiam romanam, Sedemque apostolicam, ejusque fidem prædicant : Cyprii quidem episcopi [2] : « Firmamentum à Deo fixum et immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram apostolicam Sedem constituit Christus Deus noster, dicens : *Tu es Petrus, etc.* » Africani verò [3] : « Magnum et indeficientem omnibus christianis apud apostolicam Sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, latissimè irrigantes orbem christianum.»

Placet autem imprimis audire Stephanum Dorensem episcopum [4], quæ prima erat sedes sub Hierosolymitano patriarchâ. Is igitur contestatur, Oriente turbato per Sergium, Pyrrhum et Paulum Constantinopolitanos præsules, advenisse se ad apostolicam Sedem; quoniam Petrus apostolorum princeps à Deo claves sortitus, jussusque sit primùs pascere oves; « et ipse præcipuè ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum et immutabilem fidem, convertere aliquando, et confirmare exagitatos consortes suos et spirituales meruit fratres : utpote dispensativè super omnes, ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens et sacerdotalem auctoritatem. »

Hoc igitur fundamento posito subdit : « Quod utique sciens beatæ memoriæ Sophronius quondam patriarcha sanctæ Christi Dei nostri civitatis, sub cujus diœcesi fungebar sacerdotali officio, studuit humilitatem meam sine morâ ad hanc apostolicam magnamque dirigere Sedem. » Ac paulò post : « Duxit me indignum et statuit in sancto Calvariæ loco, ubi Christus sponte crucifigi dignatus est, et ibi alligavit me vinculis insolubilibus dicens :... Quantociùs ergo de finibus terræ ad terminos ejusdem deambula, donec ad apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias, etc. »

Hæc igitur dicebat ille Sophronius; ille, inquam, qui Honorium consulens, responsum tulerat de tacendis *unâ* vel *duabus voluntatibus*. Neque verò his motus est; sed *duas voluntates* prædicare non destitit; neque existimavit romanam fidem concidisse, eo quòd Honorius, unus Pontifex, pessima et catholicæ pietati adversa præcepisset. Sed intellexit in Ecclesiâ Petri manere Petri doctrinam, atque

[1] *Vid. Conc. Later. sub Mart. I*, secret. II. tom. VI. col. 100 et seq.— [2] *Ep. Serg., Ep. Cypr. ad Theod. Pap., ibid.*, col. 121. — [3] *Ep. Afr. Episc. ad Theod., ibid.*, col 128.— [4] *Sup. Steph. Dorens., ibid.*, col. 104.

optima fundamenta; neque futurum unquam, ut illa Ecclesia à verâ religione abstrahatur, quòd etiam successorum Honorii, atque imprimis sancti Martini testabatur fides. Quare deficiente Constantinopolitanâ Ecclesiâ, ac totum Orientem conturbante, veræ fidei rationem, in illâ inconcussâ Petri Sede quærebat.

Ex eodem Hierosolymitano tractu Romam advenerant abbates sanctissimi, quorum supplicationem alio loco memoravimus. Hos, cùm postulassent rectam et antiquam à Martino sacroque concilio firmari fidem, hæc subdidisse jam legimus [1] : « Certissimè hæc scientibus vobis sanctissimis, quòd si aliter quàm à nobis pro pietate postulata sunt, quidquam omnino integritatem fidei corrumpens, à vestrâ terminetur (id est, definiatur) Beatitudine, liberi sine dubio atque innocentes ab hoc quod fiet existimus. »

Cùm hæc sub dubio proponerent, non tamen dissentiebant ab ïs, quæ reliqui de romanâ fide semper invictâ dixerant; eosque Martinus ac sancta synodus suscepit æquè ac cæteros : quòd nempe intelligerent, non propterea romanam abnegari fidem, si de alicujus romani Pontificis judicio dubitetur.

Sanctum Agathonem papam à synodo sextâ susceptum vidimus [2] hæc scribentem : « Quòd Petro adhærente, apostolica ejus Ecclesia nunquam à veritate deflexa sit : quod ejus auctoritatem ac doctrinam catholica Ecclesia, et œcumenicæ synodi semper amplexæ sint : quòd eadem Ecclesia semper illibata permanserit, propter eam Christi promissionem : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* » Hæc prædicta, hæc magnifica, hæc vera sunt, ita ut ab Agathone dicta, et à sextâ synodo suscepta esse vidimus, hoc est, ipsâ summâ, successoris ipsius habitâ ratione; atque omnino ita ut cum illis stent de ipsius Agathonis judicio habita quæstio, atque in Honorii rescriptum anathematis lata sententia. Quid plura? Ipsa me charta deficiat, si referre aggrediar eos, qui quærentes illud immotum, quod in Ecclesiâ romanâ sit, nihil aliud quàm ipsam Ecclesiam, ipsam cathedram, ipsam Sedem apostolicam memorarunt.

Nec romani Pontifices unquam aliter locuti. Sæculo XIV, Benedictus XII visionem beatificam sanctis ac purgatis animabus asseruit. Quo in diplomate, de romanæ Ecclesiæ capitis Ecclesiarum principatu, multa præfatur, concluditque sic [3] : « Pro quâ (Ecclesiâ) ut in se ipsâ subsistens alios informaret, passionis suæ tempore Salvator noster Jesus Christus Patrem exorasse perhibetur, dicens : *Simon, Simon*, etc. *Ego autem pro te rogavi*, » etc. Sic ille ad ipsam Eccle-

[1] *Sup.*, lib. IX. c. 19; *Vid. Conc. Later. sub Mart. I, loco jam cit.*, col. 117; *Vid. Dissert. præv.*, n. LXXXVI. — [2] *Sup.*, lib. VII. cap. 27; *Vid. Conc.* VI. act. IV. tom. VI. col. 636. — [3] *Bull. Rom.*, tom. I *Bull.* IV. *Bened. XII, Benedictus*; *et apud Rain.*, an. 336, n. 2.

sium romanam Christi precationem refert : quo fieri asserit ut in illâ Ecclesiâ « non dogmatizetur improvidum, inseratur incautum, in fide temerarium ingeratur. »

Hæc ait ille Benedictus, quam audivimus ita disserentem, ut apertè fateretur, determinationes in causâ fidei à romano Pontifice editas posse esse falsas, et à successoribus retractari; quin etiam aliquas à Joanne XXII meritò retractatas. Quæ cùm is cardinalis protulisset, non infirmavit Papa, imò perspicuè confirmavit, dum editam à Joanne antecessore de beatarum animarum statu fidem et ipse promulgat; et tamen post eam editam, ipsam quæstionem de integro tractat, ut suprà vidimus [1].

Ergo ille cùm ostendat, antecessoris suamque adeo fidem, toti Ecclesiæ propositam, rursus in quæstionem vocari à se posse; tamen Ecclesiæ romanæ fidem immotam, inconcussamque prædicat: adeo hæc diversa sunt. Atque iterum id confidenter dixerim, cùm romani Pontifices, pro eo, ut par est, soleant in omnibus diplomatibus sedis suæ dignitatem, auctoritatemque commendare, qui se, aut romanum Pontificem, in definiendis fidei quæstionibus infallibilem dixerit, ad hæc usque tempora neminem extitisse : adèo id in Ecclesiâ Christi novum nimiumque est.

CAPUT IX.

Sancti Gelasii papæ epistola ad Anastasium imperatorem nobis objicitur.

Objicitur nobis insignis Gelasii locus in epistolâ ad Anastasium Augustum, de Acacio Constantinopolitano, qui synodum Chalcedonensem improbaverat. Eum à Felice III excommunicatum et in excommunicatione mortuum, cum orthodoxis episcopis in sacrâ liturgiâ memorari optabat imperator, agebatque cum Gelasio, ut id fieri vellet. At negabat Gelasius, catholicam fidem pati, ut impiorum nomini communicaretur. Quæ de catholicæ fidei sanctitate præfatus, de sede suâ hæc subdit [2] : « Hoc est quod Sedes apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est apostoli gloriosa confessio, nullâ rimâ pravitatis, nullâ prorsus contagione maculetur. Nam, si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret; unde cuiquam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus? Proinde, si Pietas tua unius civitatis * populum negat posse pace componi; quid nos de totius orbis

1. *Vid. Diss. præv.*, n. XLVII. — 2 *Ep.* VIII. *Gelas. ad Anast. Imp.*, t. IV. *Conc.*, col. 1183.

* Hæc ut intelligantur, sciendum est Anastasium eo maximè argumento persuadere voluisse Gelasio, sibi esse cum Acacii nomine communicandum, quòd Constantinopolitani cives Acacium etiam mortuum adeo observabant, ut nomen ejus, non sine gravi tantæ urbis commotione, videretur è sacris dypticis expungi posse. Cui Gelasius respondet : non unam urbem, sed orbem universum commotum iri, si cum Acacii nomine communicaret. (*Edit. Paris.*)

terrarum sumus universitate facturi, si, quod absit, nostrâ fuerit perversitate deceptus? » Hinc triplex argumentum conficiunt : primum, si in Sede apostolicâ ulla rima pateret pravitati, officio suo fungi non posset, quæ errori resistere non auderet; at Sedem apostolicam suo officio fungi posse oportet : oportet ergo in illâ nullam pravitati patere rimam. Alterum, sanctus Gelasius fieri non posse confidit, ut in Sede apostolicâ, ulla pravitati rima pateat; at si romanus Pontifex de fide judicando aberraret, rima pateret pravitati : ergo Gelasius id fieri non posse confidit. Tertium, si romanus Pontifex erraret, totus deciperetur orbis; at totus orbis non potest decipi : ergo romanus Pontifex à vero errare non potest.

Non his moverentur, si id quod Gelasius hìc ageret, cogitare vellent. Id autem agebat, ut adversùs pravitatem omnem, ne unquam irreperet, summa Sedis apostolicæ cautio omnibus esset cognita; subditque rationem : « Alioquin, unde resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus? » Quo sensu à Domino dictum est : *Vos estis sal terræ; quòd si sal evanuerit*, aut *insulsum fuerit, in quo salietur*[1]? Non quasi sal illud insulsum non possit fieri, sed quia, ne id fiat diligentissimè cavendum est. Quo item sensu, omnibus episcopis synodus Romana sub Damaso dixit : « Quemadmodum enim poterunt corrigere errata populorum, si ipsos error obsederit[2]? » Quod non eò dictum est ut se infallibiles cogitent; sed ut falli metuant et caveant; atque eò illa spectat à sancto Gelasio prædicata sua et aliorum romanorum Pontificum summa cautela adversùs errorem; ne si illis irrepserit, alios aut reprehendere non audeant, aut curare non possint. Quo loco si concludis, fieri ergo non posse ut errent, pessima argumentatio; ab eo quod fieri non debeat, ad id quod nequeat : aut ab eo quod fieri sine gravi detrimento non possit, ad id quod fieri omnino non possit, concludendumque erat, ne errent doctores orbis, omni ope cavendum, non tamen impossibile; imò eo cavendum diligentiùs, quòd impossibile non sit.

Jam illud Gelasii : « Quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus, » ut rima ulla errori aut pravæ hæreticorum communioni pateat; profectò pium votum, pia fiducia est, non certa illa fides, quæ nunquam falli possit; neque absolutam impossibilitatem denotat, sed summam difficultatem, spemque maximam, ut vigilantibus, attentis, caventibus, Deus obrepi non sinat.

Cæterùm absolutè impossibile esse, ut hæretici aliquando per fraudes in Ecclesiæ romanæ communionem obrepant, quâ de re hic agebatur, ne ipsi quidem adversarii dixerint; nemoque est, qui non

[1] *Matth.*, v. 13; *Marc.*, ix. 49.—[2] *Syn. Rom.* ii. *sub Damas., ep. ad Orient.*, part. i. *Collect. Holst.*, et tom. ii. *Conc.*, col. 889.

videat sub Liberio, sub Honorio, sub reliquis Pontificibus suo loco memoratis, quàm ampla pravitati errorique patuerit, non rima, sed janua. Quin etiam illi, qui possibile esse negant, ut romanus Pontifex falsa definiat, possibile fatentur esse, ut falsa prædicet, summâ etiam contumaciâ, tantosque aditus errori aperiat, ut loco movendus sit, ne error serpat latiùs : ut vel ipsis fatentibus, id quod dicit Gelasius, ad piam fiduciam, non ad omnimodam certitudinem referri necesse sit. Quod autem Gelasium movet ille metus, quid orbi terrarum fieret, « si nostra, inquit, quod absit, fuerit prævaricatione deceptus; » sensit ille quidem id fieri posse, ut quantùm in ipso esset, totus deciperetur orbis. Quantùm enim in ipso est, totum orbem decipit, qui docendi orbis auctoritate pollens, prævaricatur officio. Neque tamen propterea necesse est totum orbem decipi; cui adversùs errorem alia remedia adfutura sint. Sic enim Liberius, sic Honorius, sic alii, quantùm in ipsis erat, totum orbem deceperunt; nec tamen deceptus est orbis, quem adversùs errantes vigilasse ac stetisse legimus. Hæc scripsit ille Gelasius, quo nullus Pontificum de suæ sedis amplitudine magnificentiùs dixit.

CAPUT X.

Leonis IX et Gregorii VII loci objiciuntur nobis.

An verò recentioris ævi Pontifices ab antecessorum traditione deflexerint, videamus. Profert scriptor anonymus [1] sancti Leonis IX egregii pontificis locum, quòd pro solius Petri fide, ne deficeret, Dominus rogaverit : « Quæ, inquit [2], oratio obtinuit, quòd hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur, in throno illius, usque in sæculum sæculi; sed confirmabit corda fratrum,.... sicut usque nunc confirmare non cessavit. » Hæc Leo; sed quid contra nos, qui quidem tanto conatu id agimus, ne illa Petri Sedes à verâ unquam fide avellenda credatur? Quod autem ea Sedes in fide labascentes confirmare non cesset, id à sancto Agathone depromptum, eodem intelligendum modo; nempe ut id ipsa series, ipsa successio, non ut singuli quique præstiterint. Quin idem scriptor anonymus ibidem impensissimè laudat [3] illum sancti Ignatii patriarchæ Constantinopolitani locum ad Nicolaum I, quo allegatâ Christi sententiâ : *Tu es Petrus*, *etc.*, sic concludit [4] : « Et ideo ab olim et prisco tempore, in exortis hæresibus, eradicatores et interemptores malorum zizaniorum MULTI MULTOTIES facti sunt, qui Sanctitatem tuam illic (in Petri scilicet sede) præcesserunt : » quam epistolam in concilio octavo

[1] *Anon., Tract. de Lib.*, etc., lib. VII. cap. 12. n. 11. — [2] *Leon. IX. epist.* V. *ad Petr. Ant.*, t. IX. *Conc.*, col. 975. — [3] *Anon., ibid.*, n. 8. — [4] *Ep. Ignat. C. P. ad Nicol. I, inter act. Conc.* VIII. act. III. t. VIII. col. 1009.

lectam et susceptam anonymus refert. Sed advertat ad illa verba : *multi multoties*, quibus constat communem eum esse christianorum sensum, quòd romani Pontifices ei officio præpositi, tantam rem summâ quidem ipsâ præstiterint; non ut omnes, nemine excepto, nullis ejus partibus defuerint.

Idem anonymus objicit Gregorii VII locum [1]; quòd Ecclesia romana « per beatum Petrum, quasi quodam privilegio, ab ipsis fidei primordiis, à sanctis Patribus omnium mater Ecclesiarum adstruitur, et ita usque in finem habebitur semper; in quâ nullus hæreticus præfuisse dignoscitur, nec unquam præficiendum, præsertim Domino promittente, confidimus. Ait enim Dominus Jesus : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* » Quæ omnino nihil ad rem. Non enim quærimus, an romanus Pontifex possit fieri hæreticus, quod id posse fieri passim confitentur; sed utrum hæresim definire possit, quod etiam non hæreticum facere posse constat.

Neque enim necesse est, ut sit hæreticus, qui hæretica definiat, cùm possit id facere non hæretico et contumace animo; atque ipse Cyprianus rebaptizationis hæresim, ipse non hæreticus, habito concilio definierit. Jam quorsum id spectat, quod neget Gregorius VII romanæ Sedi ullum unquam præpositum fuisse hæreticum; nullum item præponendum esse confidat? An eò ut nullus romanus Pontifex futurus sit unquam hæreticus? Id ne ipsi quidem dixerint. Vel ergo Gregorius VII nimius fuerit, vel pia illa sit ejus fiducia, non certissima fides, non dogma catholicum; quod ipsa verba præferunt, si quis cautè attenderit.

Atque hinc liquidò patet, quàm indiligenter in hâc quæstione versentur, qui hos locos non satis consideratos lectosque venditant. Neque tamen mirum, si Gregorius VII asseverare ausus esset, romanum Pontificem non posse fieri hæreticum, qui etiam id asserere ausus est : « Quòd romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus [2], » ut etiam inter ejus *dictatus* fertur. Neque tamen ibi legimus, romanum Pontificem errare non posse; adeò id supra hominem in sanctis quoque visum est : sed hoc tantùm, « Ecclesiam romanam nunquam errasse; nunquam erraturam; catholicum non haberi, qui non concordat romanæ Ecclesiæ : » quod nos quoque credimus, omnique ope asserimus.

[1] *Anon. ib.; Greg. VII*, l. VIII. ep. I. *ad Archiep. Syn.*, t. X. *Conc.*, col. 249.—[2] *Greg. VII*, lib. II. *int. Dictat. post epist.* LV. *ibid.*, col. 111; *Vid. etiam* lib. VIII. *epist.* XXI. *ad Herim.* col. 273.

CAPUT XI.

Innocentii III ab anonymo auctore locus objicitur, sed truncus et mutilus.

Censores nostros in impugnandis nobis, multa quidem, id autem vel maximè peccasse vidimus, quòd officium pro re, piam spem ac fiduciam pro certâ fide accipiant. Id verò confirmabit Innocentii III insignis locus. Et quidem auctor anonymus id vehementer urget, quod est ab eo Pontifice dictum in sermone II consecrationis, qui locus sic incipit[1]: « Cùm enim sim servus, debeo esse fidelis et prudens, ut dem familiæ cibum in tempore. Tria præcipuè Deus requirit à me, videlicet fidem cordis, prudentiam operis, cibum oris : hoc est ut sim fidelis in corde, ut sim prudens in opere, et dem cibum in ore. » Hæc quidem dixit, quæ ab ipso requirantur, quæ præstare ipse debeat; non quæ necessariò ipse aut alii exequantur. Pergit : « Nisi enim ego solidatus essem in fide, quomodo possem alios in fide firmare, quod ad officium meum noscitur specialiter pertinere, Domino protestante : *Ego*, inquit, *pro te rogavi, Petre*, etc.; rogavit et impetravit, *quoniam exauditus est in omnibus pro suâ reverentiâ*[2] : et ideo fides apostolicæ Sedis, in nullâ unquam turbatione defecit; sed integra semper et illibata permansit, ut Petri privilegium persisteret inconcussum. » Hæc sunt, quæ anonymus urget, apertâ fallaciâ : quippe, cùm id quod Innocentius debeat; id quod *ab ipso requiratur*; id quod sit ejus, ut profitetur, *officii*; confundat cum eo, quod necessariò credatur præstiturus. Rogo enim, quid illud est : « Nisi ego solidatus essem in fide, quomodo possem alios in fide firmare? » De quâ fide loquitur? de eâ profectò quæ in corde sit. « Tria enim, inquit, Deus requirit à me; fidem cordis; » atque iterum : « ut sim fidelis in corde. » Unde affert illum apostoli locum : *Corde creditur ad justitiam*[3]. An ergo Innocentius ita se in eâ fide, quæ in corde sit ad justitiam, solidatum esse credit, ut infirmitatem humanam non jam reformidet, ab eâque tutum se esse jactet? Id superbissimus, id insipientissimus; non profectò Innocentius dixerit. Quare illud quod ait : « Nisi ego solidatus essem in fide, quomodo possem alios in fide firmare; » ita intelligendum est, ut nisi sit in fide firmus, officium firmandi alios non pro eo ac par est possit præstare, non ut ipse se credat plenè et inconcussè, nulloque unquam metu, in fide esse solidatum.

At enim eo loco Christi precationem affert, ut Petri fides non deficiat; unde concludit fidem Ecclesiæ romanæ nunquam defecisse, nunquam defecturam. At qui hæc urget anonymus, hæc continuò

[1] *Anon.*, lib. VII. c. 12. n. 16; *Vid. Innoc. III, Serm.* II. *in consecr.*, t. I. p. 188. *ed. Colon.*, an. 1575.—[2] *Heb.*, V. 7.—[3] *Rom.*, X. 10.

addita et contexta prætermisit : « In tantum enim mihi fides necessaria est, ut cùm de cæteris peccatis Deum solum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesiâ judicari. » Ergo non credebat suam penitus inconcussam fidem; sed quod ei Ecclesiæ præsideret cujus fidem, pollicente Domino, inconcussam prædicaret, sibi accommodabat, quæ ad universam Petri successionem, eique conjunctam romanam Ecclesiam pertinerent; eo planè sensu, quo illud : *Ecce ego vobiscum sum*, toti apostolico atque episcopali ordini dictum, singuli suo modo sibi applicant, piâ, ut diximus, fiduciâ, non certâ et indubitatâ fide.

Id apertè explicat sermone III de consecratione[1] : « Officium injungit, cùm dicit : *Confirma fratres tuos;* auxilium impendit cùm ait : *Ego pro te rogavi, Petre.* Exauditur enim *in omnibus pro sua reverentiâ; Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*[2]. » Hæc an ad piam fiduciam, an verò ad certam pertineant fidem sequentia ostendunt : « Propter causam verò fornicationis Ecclesia romana posset dimittere romanum Pontificem; fornicationem non dico carnalem, sed spiritualem; id est, propter infidelitatis errorem : quoniam *qui non credit, jam judicatus est*[3]. » Tum subdit : « Ego tamen facilè non crediderim, ut Deus permitteret romanum Pontificem contra fidem errare, pro quo spiritualiter oravit in Petro : *Ego*, inquit, *pro te rogavi*, etc. » Audis quid dicatur de romano Pontifice per infidelitatem fornicante; quamque illud dubitantis ac metuentis sit : *Non facilè crediderim*, etc. Quòd ergo eò trahit Christi precationem, non dogma fidei, sed pia fiducia, pia accommodatio est. Huic favere licet, sperando et præsumendo; pro fidei decreto hanc habere, novum ac temerarium est.

Atque alios quidem hujus Pontificis locos memoravimus[4], quibus nostra firmentur. Sed hìc ostendisse juvat quàm hi quoque nihil sint; ut profectò illos pudere debeat, tantùm præsidii in iis collocasse, quæ non nisi imperitis et cursim legentibus fucum faciant.

CAPUT XII.

Petri cardinalis de Alliaco, de Sede apostolicâ nunquam defecturâ, deque Pontifice interim fallibili et deviabili, sententia.

Ultimo loco proferimus Petrum Alliacensem et Joannem Gersonem de romanæ Sedis æternâ firmitate disserentes, ut eam cum Parisiensium sententiâ egregiè consentire constet.

Et quidem Petrus de Alliaco in illâ legatione nobili, quam adversus Montesonum, universitatis Parisiensis nomine, Avenione gessit, ad

[1] *Innoc. III, Serm.* III. *de consec., ibid.*, p. 192, 194. — [2] *Ps.* CXVII. 6. — [3] *Joan.*, III. 18. — [4] *Sup.*, lib. IX. c. 39, 40.

Clementem VII ita peroravit[1] : « Non ignoramus, sed firmissimè tenemus, et nullatenus dubitamus, quòd sancta Sedes apostolica est illa cathedra Petri, supra quam, eodem Hieronymo teste, fundata est Ecclesia ; ut habetur in capitulo *Quoniam vetus* : et sicut dicit Cyprianus, XCIII *Dist. cap. Qui cathedram* ; de quâ Sede in personâ Petri in eâ sedentis dictum est : *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* » Luc., XXII.

In eâdem legatione tractatum edidit ad Papam et cardinales, in quo hæc leguntur[2] : « De hâc sanctâ Sede, in personâ Petri apostoli in eâ præsidentis dictum est : *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Luc.,* XXII. Propter quod dicit Cyprianus, XCIII *Dist.* Qui cathedram Petri, scilicet sanctam Sedem apostolicam, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ se esse non confidat. Et Hieronymus, XXIV, quæst. I, cap. *Quoniam vetus*, dicit : Quòd super eam fundata est Ecclesia, et quòd quicumque secum non colligit, dispergit, et in capite *Hæc est fides*, dicitur quòd ipsa semper immaculata permansit, et in futuro permanebit : ex quibus omnibus satis patet, quòd ejus nunquam deficit fides. »

Hæc igitur cùm dicat de Sede apostolicâ nunquam defecturâ, nihilo secius docet romanum Pontificem in fide posse deficere. Ibidem enim hæc habet[3] : « In causâ fidei à summo Pontifice appellari potest ad concilium generale, sicut patet XIX *Dist. cap. Anastasius* ; et manifestum est quòd ad ipsum pertinet concilium in causis fidei definire, sicut patet ex auctoritate Gregorii ; XV *Dist. cap. Sicut.* »

Atque hæc, inquit, « declarantur supponendo quid sit Sedes apostolica : nam vel ipsa est universalis Ecclesia, vel aliquod generale concilium universalem Ecclesiam repræsentans, vel particularis Ecclesia romana, in quâ scilicet Ecclesiâ sedet, id est, cui præsidet summus Pontifex ; et ideo ipse et Sedes apostolica non sunt idem, sicut non idem sunt sedes et sedens. »

Cùm ergo ex Petro Alliacensi *aliud sit sedes, aliud sedens*, non mirum est aliquid convenire *sedi*, quod *sedenti* non conveniat ; nempè ut *sedes* deficere non possit, cùm *sedens* sit *deviabilis*, etiam in judicio de fide, quippe à quo judicante, etiam in causis fidei, ad concilium generale, secundùm eumdem auctorem, appellare liceat.

Et quamvis doceat sic appellari posse, haud minùs disertè docet, « quòd ad sanctam Sedem apostolicam pertinet, auctoritate judiciali supremâ, circa ea quæ sunt fidei, judicialiter definire : » quia Sedes apostolica, tametsi subjecta est universali Ecclesiæ, eamque repræ-

[1] *Petr. Alliac., prop. ad Pap. cont Mont. inter. op. Gers., ed. Dupin*, tom. I. pag. 703. — [2] *Ibid., tract. seu apol. ad Pap. et Cardin., ibid.*, p. 710 ; *Vid. etiam* p. 691. — *Ibid.*, p. 740 *Vid. etiam* p. 688.

sentanti concilio generali, tamen suprema est respectu singulari Ecclesiarum; quemadmodum tradit, non modò schola Parisiensis sed etiam ipsum Constantiense concilium, ut sæpè diximus.

Huc spectat ejusdem Alliacensis alio loco relata sententia, quæ explicans illud privilegium, de non errando, quale sit: « Aliqui, inquit[1], extendunt ad romanam Ecclesiam: aliqui verò restringunt ad auctoritatem universalis Ecclesiæ; sed non potest extendi ad papam. » Sic clarè et perspicuè *Sedis indefectibilem firmitatem*, quam romani Pontificis *defectibilitate* conjungi posse declarat.

CAPUT XIII.

Joannis Gersonis eâdem de re sententia: confutantur qui putant variasse Gersonem. Dyonisii Carthusiani loci repetuntur.

Joannes verò Gerson ejus discipulus hæc coram Alexandro V dicat: de Indis quidem: « Habent Christum, inquit[2], an purè? doceat? Facilè in eis sinceritas corrumpitur, cùm Ecclesiæ romanæ non cohæreant, à quâ fidei certitudo petenda est. » De Græcis vero: « Illos mala tempestas à Sede Petri disjectos, non modò schismate sed nonnullius etiam hæresis macula fœdavit. Latinitas ipsa pura et immaculatior Sedem habet Petri, pro cujus fide ne deficeret, specialiter oravit ille, qui *in omnibus exauditus est pro suâ reverentia*.

Hæc docet ille, qui ubique asserit romanum Pontificem, etiamsi fide judicantem, errare potuisse: et in eodem quoque coram Alexandro V sermone prædixerat; « quid, si quod perrarum est, tamen Pontifex labatur in hæresim, ut legimus Liberium ariane hæresi subscripsisse[4]. » Cùm ergo doceret talia, tamen Ecclesiæ romanæ inconcussam prædicabat fidem.

Hinc etiam illud: « Papâ fuit, papatus stabilis est[5]; » quo scilicet ostenderet, in Papâ mortali, labili, atque ut vocat *deviabili*, inconcussam tamen papatûs à Christo instituti stare rationem.

Neque audiendi qui dicunt variasse Gersonem eumque sub Alexandro V infallibilitatis pontificiæ defensorem, circa Constantiensis concilii tempora in aliam sententiam deflexisse. Qui si legissent tractatum *de Unitate ecclesiasticâ*, et *Considerationes de pace*, anno 1408 editas; si *Propositiones coram Anglicis* ante concilium Pisanum, anno 1408; si tractatum *de Auferibilitate Papæ*; si *Considerationes quadam* aliosque tractatus circa Alexandri V pontificatum[6]; facilè intelligerent

[1] *Vid. in append.*, lib. I. cap. 7; *et Pet. Alliac., Tract. de auct. Conc. int. opu. Gers.* tom. II. p. 949. — [2] *Gers., Serm. cor. Alex. V. in Ascens Domini*, tom. II. ed. *Dup.*, p. 133. [3] *Ibid.*, p. 134. — [4] *Ibid.*, p. 135. — [5] *Ibid.*; *prop. facta coram Angl. Conc.* IV. *ibid.*, p. 133. [6] *Vid. tract de Unit Eccles., consid.* X; *ibid.*, pag. 117. *Consid. de pace*, *ibid.*, p. 68 et *libel. de Aufer. Pap.*, p. 209 et seq.

ejusdem fixam invariabilemque sententiam, concilium Papæ, ut *indeviabile deviabili*, anteponi oportere.

Certè hæc scribebat tum[1] : « Jubebit exempli gratiâ summus Pontifex, coram theologis expertis, quòd fideles credant Spiritum sanctum non procedere à Patre et Filio; theologorum erit doctrinaliter resistere, etc. » Ergo id jubere potuisse credebat, quod evangelicæ doctrinæ repugnaret, haud minùs inconcussâ Ecclesiæ romanæ fide.

Hæc quidem ostendunt non à Joanne Gersone diversis temporibus, diversa dicta esse; sed quæ isti diversa putant, in unam reverà coire sententiam. Quod item demonstrat pius ille doctusque Dionysius Carthusianus, qui, et Papam in judicando *fallibilem*, et Ecclesiæ romanæ fidem nihilo secius *nunquam defecturam* credidit[2] : adeo liquebat, hæc duo simul stare. Atque hinc utraque amplexi gallicani Patres, et consensum Ecclesiæ post pontificalia decreta necessarium, et nihilo secius « apostolicæ Sedis, in quâ fides prædicatur et unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus majestatem » prædicant[3].

CAPUT XIV.

Dubium resolvitur : Ecclesiæ Sedisque romanæ firmitas, ab Ecclesiæ catholicæ firmitate : Ecclesiæ romanæ traditio, universalis traditionis pars ac specimen.

Dices ex antedictis, nec ipsam quidem romanam peculiarem Ecclesiam, Sedemque apostolicam satis esse firmam; cùm ostenderimus, de romanorum pontificum, Cœlestini, Leonis, Agathonis, aliorumque decretis in synodis œcumenicis habitam quæstionem; cùm ea decreta, toto clero romano consentiente, Agathonis etiam toto ferè Occidentali concilio probante et condecernente, edita fuerint.

Id qui objiciunt, non satis advertunt, quid immotum invictumque dixerimus; nempè id quod infixum penitus insertumque sit. Hæc est illa Petri, hæc est romana fides, quam ipsa successio certi instar firmique dogmaticis attulerit. Neque verò probamus Turrecrematam aliosque docere visos, Papam quidem per sese errare in fide, etiam prædicando et definiendo posse; non autem si cum cardinalibus ac synodo suâ deliberet; tanquam peculiaris Papæ synodus, aut cardinalium collegium, id Papæ tribuant, ut errare non possit. Certiora cogitent oportet, qui Ecclesiæ romanæ, Sedisque apostolicæ inviolabilem statum fidemque prædicent : nempè id eventurum nunquam, ut quemadmodum Ecclesiæ, exempli gratiâ, Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, et nunc Anglicanæ, Danicæ; ita Ecclesiæ romanæ error inhæreat; quem contumace proposito tueatur, et à veræ Ec-

[1] *Ibid., de Auferib. Pap., consid.* XIV; *ibid.*, p. 218. — [2] *Vid. Dion. Cart., tract. de auct. Pap.*, tom. I. *ed. Colon.* — [3] *Declar. Cler. Gall.* 1682, *Præf.* et cap. IV.

clesiæ se abrumpat sinu. Neque verò unquam romani Pontifices refugerunt, ut quod cleri sui consensu judicassent, cum œcumenicâ synodo, si res postularet, æquo animo retractarent. Quo profectò constabat, si aliquid fortè erroris irreperet, certè abesse contumaciam, quâ solâ fit hæresis. Quin vidimus sanctum Zozimum cum clero suo sedentem comprobasse quidem Cœlestii fidem *, at nullâ contumaciâ; atque ab africanis Patribus commonitum, statim ad meliora ac prisca rediisse. Quantò magis si tota Ecclesia, aut œcumenica synodus ipsum commonuisset.

Unam ergo Ecclesiam catholicam, utpote Spiritûs sancti magisterio instructam, quæque eam repræsentet, synodum œcumenicam, eam esse credimus, in quam circa fidem nullus unquam obrepat defectus, neque per contumaciam, neque per imprudentiam : clerum verò romanum, si quid erraret, ab Ecclesiâ catholicâ, atque ejus œcumenicâ synodo dirigi, revocari, doceri debere, perficique omnino, ne error inolescat. Unde illa romanæ Ecclesiæ, Sedisque apostolicæ invicta firmitas, ipsa Ecclesiæ catholicæ firmitate constat : quæ quidem Ecclesia catholica, cùm ex Christi promissione sit immobilis, Petri successionem, eique conjunctam principalem Ecclesiam, Sedemque romanam, partem Ecclesiæ necessariam, eâ vi, quæ totum continet, stare quoque oportet.

Quamobrem firma quidem est Sedis romanæ atque inconcussa traditio; sed illud robur catholicæ Ecclesiæ traditione constat. Unde Augustinus vim traditionis exponens, id semper inculcat[1], ut quæ per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab apostolis tradita et commendata credantur. Et Vincentius Lirinensis firmum et inconcussum id esse definit, « quod ubique, quod semper est[2]. » Cui congruit Tertulliani sententia : « Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum[3]; » quo concludit fieri non potuisse, « ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint. » Tum illud præcipuum, possibile non fuisse, ut Spiritus sanctus « nullam earum in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo ut esset doctor veritatis. » Atque hinc illud invictum, « ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in eâ regulâ incedimus, quam Ecclesia ab apostolis, apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit[4]. » Quæ clarè demonstrant, vim traditionis in universalis Ecclesiæ consensione esse positam; in quâ quippe sit certissimum Spiritûs sancti magisterium. Neque ab eâ sententiâ abludit his antiquior Irenæus : « Ecclesia enim, inquit[5],

* Vide notam hoc loco positam, sup. pag. 480. (*Edit. Versal.*)

[1] *Aug.*, *de Bapt. cont. Don.*, lib. II. c. 7. n 12. tom. IX. col. 102; lib IV. c. 24. n. 31. col. 140; *Ep.* LIV al. CXVIII. n. 1. t. II. col. 124.—[2] *Vinc. Lirin.*, *Comm.* I. cap. III. tom. VII. *Bibl. Pat.*, p 250.—[3] *Tertull.*, *de Præscr. adv. hæret.*, cap. XXVIII.—[4] *Ibid.*, cap. XXXVII.—[5] *Iren.*, l. I. *cont. hæres.*, c. V. n. 1. p. 48.

per universum orbem usque ad fines terræ seminata, et ab apostolis et à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum. » Ac rursus[1] : « Hanc prædicationem cùm acceperit et hanc fidem Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans. » Pulchrè, ut totius orbis terrarum tam fida sit, quàm unius domûs consensio. Atque iterum[2] : « Traditionem itaque apostolorum, in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesiâ adest respicere omnibus qui vera velint videre ; » et continuò hujus universalis traditionis egregium specimen editurus, Ecclesiæ principalis, romanæ scilicet, traditionem adducit, quâ, inquit[3], « confundimus eos, qui quoquo modo præterquam oportet colligunt. » Ac meritò universali traditione propositâ, partem ejus necessariam, Ecclesiæ romanæ traditionem commendat; cùm profectò certum esset, non potuisse fieri, ut à reliquis Ecclesiis discreparet, in quâ omnes unitatem servare debeant.

Quæ cùm ita sint, apparet Ecclesiam catholicam primitus esse immotam, cui dictum sit : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; et : *Ecce ego vobiscum sum* : Ecclesiam verò romanam ita esse immotam, ut partem Ecclesiæ principalem summèque necessariam; quæ mater ac magistra Ecclesiarum, totam ipsam Ecclesiam matrem ac magistram agnoscat.

Atque hinc obiter illud solvitur, quod passim objiciunt : *Non est discipulus super magistrum*[4] : nec si discipulorum turba millies congregetur, ideo magistrum auctoritate vincet. Id quidem Christum de se dicere, ut magistro unico, sequentia docent; *nec servus super dominum suum*. Neque enim christiani alterius quàm Christi servi sumus; sed propter reverentiam quorúmdam romanorum Pontificum, qui hunc sibi locum attribuunt, respondemus ex antedictis : in christianâ Ecclesiâ docendi auctoritatem acceptæ à Christo per apostolos traditionis niti testimonio. Porrò traditionis omnes episcopi testes sunt; ac vis testimonii testium consensu constat. Summa ergo auctoritas in eo consensu est posita. Tum Papa, in Christi nomine, respectu Ecclesiarum particularium est magister ille quidem, sed respectu Ecclesiæ catholicæ discipulus, cùm in Ecclesiæ catholicæ consensione manifestum appareat Spiritûs sancti magisterium.

[1] *Iren.*, lib. I. *cont. hæres.*, cap. x. n. 2. p. 49. — [2] *Ibid.*, lib. III. c. 3. n. 1. p. 175. — [3] *Ibid.*, n. 2. — [4] *Matth.*, x. 24.

CAPUT XV.

Ex Sedis apostolicæ immobili firmitate concludi causas fidei ad eam Sedem referendas; non autem propterea infallibili judicio finiendas : formulæ interrogandi romani Pontificis, de ejus judicio plam præsumptionem, non tamen continuò certam fidem fuisse; cujus rei exempla proferuntur.

Jam ex totâ antecedente doctrinâ id facilè consequemur, ut majores, ac præsertim fidei quæstiones, in eâ pòtissimùm Sede definiri oporteat, in quâ error non obtineat; et ab eo potissimùm Pontifice, qui in eam seriem intexatur, quæ à fide penitus abrumpi nequeat. Id voluit sanctus Bernardus, loco celebri ad Innocentium II [1]. « Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt : dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativæ Sedis. » En *Sedis* universim ex antiquâ traditione; non singuli cujusque romani Pontificis; quâ tamen prærogativâ Sedis id fit, ut de fidei periculis ad ejus sedis præsidem potissimè referatur. Pergit : « Cui enim alteri aliquando dictum est : « *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* » Exigitur certè, quis enim neget id à Petri successore postulari? An id officii sit semper ac necessariò præstiturus, Bernardus non dicit; ac fidenter dixerim, ad Bernardi tempora dixisse neminem.

Interim de Pontificis responso optima quæque præsumebant; atque hinc illæ formulæ interrogandi de fide romani Pontificis; Hieronymi quidem clamantis ad Damasum [2] : « Ego nullum primùm nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est; si quis in arcâ Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » Quæ de Sedis dignitate præfatus, de ipso Damaso hæc infert : « Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. » Ac paulò post : « Decernite, obsecro : non timebo tres hypostases dicere, si jubetis. » Cui cognatum illud suprà memoratum Justiniani ad Hormisdam de uno Trinitatis crucifixo : « Hoc enim reputamus catholicum, quod vestro religioso responso fuerit intimatum [3]. »

Quæ formulæ ideo per totam Ecclesiam frequentatæ; quòd in clero romano tanta lux, tanta doctrina esset, atque in docendâ fide tanta cautio, tantum præterea in sede nunquam defecturâ Christi præsi-

[1] *Bern, ep.* CXC. *sive Tract cont. Abæl. ad Inn. II. Præf.*, t. I. col. 643.— [2] *Hier., ep.* XIV. *ad Damas.*, al. LVII. tom. IV. part. II. col. 19, 20. — [3] *Sup.*, l. IX. c. 16; *Ep. Just. ad Horm.*, t. IV. *Conc.*, col. 1517.

dium; ut facilè præsumerent, ejus sedis præsulem officio non defuturum. Cæterùm si hæc ad summos apices, non sedi successionique universim, sed singulis quibusque romanis Pontificibus tribuendum putant, jam dicant Liberio, dicant Sergio III, dicant cæteris, à quorum communione tantisper abstinendum fuit: « Qui tecum non colligit, spargit. » Dicant Honorio: « Non timebo unam, duasve voluntates tacere vel promere, si jubeatis; » tota quidem Ecclesia confundetur. Hæc ergo piæ fiduciæ, non certæsunt fidei.

Quod ad Hormisdam attinet, recordentur velim, postquam à Justiniano interrogatus, spem Orientis haud satis idoneo responso destituit, Orientalem Ecclesiam in priscâ sententiâ perstitisse; ac demum perpulisse Romanos, ut unum Trinitatis crucifixum secum agnoscerent. Jam illud recordemur, Patres atque ipsos romanos Pontifices, sæpè ita esse locutos, ut qui de romani Pontificis judicio dubitarent. Hinc quæsitum in synodis generalibus, an eorum decreta rectè haberent, necne. Hinc illud Augustini [1]: *Romanos clericos nihil veritati* nocituros, sed tantùm *inusturos sibi prævaricationis notam*, si sancti Innocentii decreta rescidissent. Hinc illa contestatio monachorum Hierosolymitanorum, innocuos se esse, si Martinus cum concilio suo prava et fidei adversa definisset [2]. Multa ejusmodi retulimus, quæ utique cum illis formulis concilianda sunt, ut una sit ecclesiasticæ doctrinæ facies. Conciliantur autem, si de romani Pontificis judicio dubitatum quidem, sed interim optimè præsumptum esse dicamus.

Quin etiam memoravimus similes de cæteris quoque episcopis locutiones, atque illud imprimis concilii Romani sub Damaso [3]: « Neque enim hæresis malum cadere in Dei antistites potest: » non quòd episcopi à fide cadere non possent; sed quòd id futurum non facilè præsumerent.

Notum illud Cypriani ad Florentium Pupianum * in se rebellantem, de singulis quoque episcopis dictum: « Nec hæc jacto, sed dolens profero: cùm te judicem Dei constituas, et Christi, qui dicit ad apostolos, ac per hos ad omnes præpositos, qui apostolis vicariâ ordinatione succedunt: *Qui audit vos, me audit*.... Inde enim schismata et hæreses obortæ sunt, et oriuntur, dum episcopus, qui unus est, et Ecclesiæ præest, superbâ quorumdam præsumptione contemnitur, et homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus

[1] *Aug.*, l. II. *ad Bonif*, c. III. n. 5. t. X. col. 434. — [2] *Vid. Conc. Later. sub Mart. I, secr.* II. t. VI. *Conc.*, col. 117. — [3] *Sup.*, lib. IX. c. 19; *Ep. Synod. Conc. Rom., sub Damas., Coll. Holst.*, part. I. p. 166. tom. II. *Conc.*, col. 892.

* Is in Africâ, ut videtur, episcopus fuit, qui cùm novatiani partibus adhæreret, Cypriano nomen primatis et etiam episcopi denegabat. (*Edit. Paris.*)

judicatur[1]. » Quem locum ad cujuscumque diœcesis episcopum pertinere, et sermonis probat series, et novissimus auctor anonymus confitetur[2]. An ergo volebant singulis episcopis sic aptari illud : *Qui vos audit, me audit*, ut nemo à fide caderet, nemini unquam obsistendum esset? Hæc aptè, hæc temperatè, hæc piâ fiduciâ præsumebant, non ad extremos apices exigebant. Similis locus apud Cyprianum in epistolâ ad Cornelium papam[3]. Quid Hieronymus? Nonne de Rufino hæc prodidit : « Scribis quoque me litteris indicasse, quod papa Theophilus expositionem fidei nuper ediderit, et polliceris, quòd quidquid ille scripserit tu sequaris[4]? » An ergo Alexandrinum antistitem infallibilem cogitabat? Subdit Hieronymus : « Si papæ Theophili sententiis delectaris, et nefas putas Pontificum decreta convelli, quid de cæteris dicis, quos ipse damnavit[5]? » Adeo optima quæque de episcoporum judiciis præsumebant, neque tantùm in fidei quæstionibus, sed etiam in particularibus causis. Unde subdit : « Quid de Anastasio, de quo nulli, ut ais, verum videtur, ut tantæ ùrbis sacerdos, vel innocenti tibi facere injuriam potuerit, vel absenti. » Nempe adversarii, si de fide ageretur, strictè illud urgerent, non potuisse fieri, ut Anastasius romanus Pontifex à fide deficeret; cùm de Rufini peculiari causâ agatur, fateri coguntur, humani sermonis consuetudine, pro certis assumi solita, quæ piâ fiduciâ præsumerent.

Sexcenta ejusmodi commemorare possem, sed in re tam obvia pudet esse diligentem. Quin ipse novissimus scriptor anonymus quanta refert, quæ per se ipsa vana sint, nisi in nostram interpretationem temperentur! Nempe Innocentius I ad Macedonas hæc scripsit[6] : « Adverti Sedi apostolicæ, ad quam relatio, quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia * duceretur. » Hìc anonymus, qui nihil nisi infallibilitatem cogitat, statim infert, romanorum Pontificum in fide certissimum esse judicium. Atqui non de fide, sed de disciplinâ variabili agebatur. Percurrat capitula lector diligens, nihil aliud quàm instituta ecclesiastica inveniet; cujusmodi decreta non semper admitti, et etiam ad incudem revocari posse, idem anonymus cum theologis omnibus confitetur. Tum illud Innocentii perpendatur : « Adverti Sedis apostolicæ aliquam fieri injuriam, cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. » Audis *aliquam injuriam*; non hæreticos, non schismaticos cogitabat : *aliquam injuriam* fieri quere-

[1] *Cypr. ep ad Flor. Pup.* LXIX. al LXVI. p. 122. — [2] *Anon., de Libert.*, lib. VII. c. 8. n. 2. — [3] *Cypr, ad Corn., epist.* LV. al. LIX. p. 81. — [4] *Apol. Hier. adv. Ruf.*, lib. III. tom. IV. part. II. col. 453. — [5] *Ibid.*, col. 455. — [6] *Innoc. I, ep.* XXII *ad Maced.*, tom. II. *Conc.*, col. 1272.

* Hic agit Innocentius de eâ sententiâ, quâ Siricius papà, an. 390, Bonosii ordinationes damnaverat. (*Edit. Paris.*)

batur, quòd de tantâ potestate non satis æqua præsumerent; ut etiam si de fide ageretur, locus hic adversario nihil prodesset.

Idem auctor laudat Tarraconense concilium, ejusque epistolam ad Hilarum papam, in quâ sic habetur[1]: « Privilegium vestræ Sedis, quo per totum orbem beatissimi Petri prædicatio universorum illuminationi prospexit, » etc.; subdunt: « Ad fidem recurrimus apostolico ore laudatam: inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed pontificali totum deliberatione præcipitur. » De Silvani Calaguritani causâ agebatur, ejusque ordinationibus præter canones factis: id petunt ab Hilaro, « ut quid supra hâc parte observare velitis, apostolicis affatibus instruantur. » Ac postea: « Erit vester triumphus, si apostolatûs vestri temporibus, quod sancti Petri cathedra obtinet, catholica audiat Ecclesia. » Exclamant Papam in fide esse infallibilem, cùm de fide nullus quæreret. Præsumebat synodus Pontificem, cui depositum fidei commissum esset, ut in illo deposito, ita in peculiaribus causis, *nihil errore, nihil præsumptione;* sed omnia *pontificali deliberatione* gesturum, ut in tantâ sede fieri consueverat. Cætera ejusmodi æquè inania commemorare piget.

Memoratur et illud Paschalis II, in concilio Lateranensi III. De privilegio agebatur, quod ad investituras laicales tuendas, Henricus V imperator à Paschale II, in vinculis detento, per vim extorserat. Bruno Signinus episcopus dixit: « Gratias agamus omnipotenti Deo, qui Dominum Paschalem audivimus proprio ore clamantem, illud privilegium, quòd pravitatem et hæresim continebat[2]. » Hic quidam episcopi commonere cœperunt Paschalem hæreticum immeritò appellari: privilegium illud malum quidem fuisse; hæresim non fuisse. Paschalis deinde hæresis horrendâ voce pulsatus, in hæc verba prorumpit: « Fratres et domini mei, audite: Ecclesia ista nunquam habuit hæreses; imò hic omnes hæreses conquassatæ sunt; et pro hâc Ecclesiâ Filius Dei in passione oravit, cùm dixit: *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* » Hæc si ad extremos apices urgent, dicant velim, an putent Papam nec hæreticum esse posse; professionem hæreticam ab eo, ne per vim quidem, extorqueri posse. Non id dicent, sat scio. Ergo hæc ad commodam interpretationem temperanda, quâ de Pontifice, propter honorem sedis, optima præsumantur.

Quid quòd Guido Viennensis, tum legatus apostolicus, mox Callixtus II papa in Viennensi synodo definivit[3], « dictante Spiritu sancto, investituram omnem de manu laicâ hæresim esse judicamus? »

[1] *Anon.*, lib. I. c. 5. n. 12. *Conc. Tarrac*, *ep.* I. *ad Hilar.*, t. IV. *Conc.*, col. 1033. — [2] *Conc. Later.* III. *sub Pasch. II*, t. X. *Conc.*, col. 767 et seq.; *ibid.*, *Ursp.*, an. 1116. — [3] *Conc. Vienn.*, *ep. ad Pasch. II*, t. X. col. 785.

Quid quòd Paschalis II hæc decreta firmavit, seque adeo in eam hæresim, per vim quidem, sed tamen lapsum esse confessus est? Quid quòd eadem synodus, sanctis episcopis consentientibus, ad Paschalem scripsit : « Si nostræ paternitatis assertiones roborare nolueritis, non à vestrâ obedientiâ repelletis. » Ubi tum illud : « Qui tecum non colligit, spargit? » Ubi illud : « Hoc reputamus catholicum, quod vestro religioso responso fuerit intimatum? » siquidem ea ad extremos spiritus exigantur. Ex quibus colligitur, quæcumque pro hâc infallibilitate speciosissima venditant, ea penitus introspecta, nihil aliud præterea præter præsumptionem probabilem ac piam fiduciam.

Sic profectò nobis integra, quod ad fidem attinet, judiciorum ecclesiasticorum ratio constat. Sic enim intelligimus, aliud esse, quod piâ fiduciâ præsumimus, aliud quod certâ fide credimus. Cùm episcopi ac synodi particulares de fide judicant, hos vera judicium pia fiducia suadet; succurrit enim illud : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*[1] : meritòque præsumitur, tanto præsidio fultos; officio non defuturos, neque aberraturos ab antiquâ Ecclesiarum suarum traditione, cujus custodes sunt. Jam si ad romanum antistitem quæstio devolvitur; atque is Ecclesiarum omnium communione vigens, ad quem proinde omnia referuntur, promit judicium ex illâ Petri Sede, quæ est ædificata in generationem et generationem, ubi stabiliendæ fidei tanta constantia, et adversùs hæreses atque novitates tanta cautela esse solet; multò magis præsumitur judicium, ex Petri æquitate ac prædicatione et communi Ecclesiarum traditione esse depromptum. Cùm verò Ecclesia catholica ipsa decernit, aut ipsa consensit, non præsumptio, sed res ipsa : nec jam pia illa fiducia, sed κληροφορία, quàm Paulus appellat, ac plenæ fidei certitudo.

CAPUT XVI.

De sancto Thomâ et sancto Bonaventurâ Facultatis Parisiensis doctoribus, quos Gerson senserit : utriusque ac præsertim Angelici doctoris sententia explicatur.

Quanquam theologi graves, postquam exploratam habent Patrum sententiam, non multùm commoveri solent novellis scholasticorum opinionibus; nostra tamen postulat erga sanctum Thomam ac sanctum Bonaventuram, scholæ Parisiensis decora, reverentia singularis, ne illos silentio prætermittamus.

Et quidem Joannes Gerson, sermone Constantiæ dicto, festo divi sancti Antonii, in hæc verba : *Nuptiæ factæ sunt in Canâ Galileæ*[2] postea quàm retulit illud sessionis v Constantiensis, de conciliari po-

[1] *Matth.*, XVIII. 20.— [2] *Joan.*, II 1.

testate decretum : « Huic, inquit[1], veritati fundatæ supra petram sacræ Scripturæ quisquis à proposito detrahit, cadit in hæresim jam damnatam, quam nullus unquam theologus maximè Parisiensis et sanctus asseruit. Vidi nuper sanctum Thomam et Bonaventuram dantes supremam et plenam summo Pontifici potestatem ecclesiasticam. Rectè, procul dubio; sed hoc faciunt in comparatione ad fideles singulos et particulares Ecclesias. » Hæc Gerson; neque reverà quidquam aliud apud sanctos illos doctores legimus.

Certè sanctus Thomas alicubi docet, « ad romanum Pontificem à synodo appellari, quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis synodi. » Quo uno satis constat, sanctum doctorem locutum generatim de synodis, abstrahendo ab universali vel particulari synodo. In actis enim Chalcedonensibus videmus appellatum à particulari Flaviani Constantinopolitani synodo, ad sanctum Leonem; à synodo universali appellatum fuisse non videmus. Jam de pontificiâ infallibilitate, quem unum quæstionum fontem vidimus, apud Bonaventuram quidem nihil invenio, quo eam romano Pontifici asserat. Imò verò tractans promissionem illam, quâ pontificia infallibilitatis vel maximè stare videatur, *Rogavi pro te*, etc. Bonaventura sic exponit, ut ad fidem Ecclesiæ catholicæ referat[2].

Sanctum verò Thomam audimus eodem modo exponentem : « Universalis Ecclesiæ fides non potest deficere, Domino dicente, *Rogavi pro te, ut*, etc. [3] »

Huic interpretationi reliqua sancti doctoris, in 2. 2 de fide tractantis, doctrina congruit : nam quæstione I, articulo IX, sic habet[4] : « Sed contra est, quod Ecclesia universalis non potest errare, quia à Spiritu sancto gubernatur, qui est Spiritus veritatis : hoc enim promisit Dominus discipulis, Joan., XVI, dicens : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*[5]. »

Eodem articulo, ad tertium, exponens cur in Symbolo ita dicatur, *Credo in Deum*, quod ad fidem formatam, id est cum charitate conjunctam, pertinet, ait[6], « quòd confessio fidei traditur in Symbolo quasi ex personâ totius Ecclesiæ, quæ per fidem unitur. Fides autem Ecclesiæ est fides formata : talis enim fides invenitur in omnibus illis, qui sunt numero et merito de Ecclesiâ. » Quare illud : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, fidei formatæ est. Talis enim fides Petro promittitur, et meritò refertur ad universalem Ecclesiam, cui semper inesse constat fidem, eamque formatam.

Quod autem idem doctor, articulo sequente, concludit, « Quod

[1] *Gers., Serm. infesto S. Anton.*, t. II. p. 355.— [2] *Bonav., exp. in Ev. Luc.*, c. XXII. t. 17.— [3] *Ibid. comm. S. Thom. in Evang. Luc.*— [4] *S. Thom.*, 2. 2. quæst. I. art. IX. *Sed contra.*— [5] *Joan.*, XVI. 13.— [6] *S. Thom., ibid., ad Lent.*

ad summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare[1], » ita est intelligendum, ut ad ipsum præcipuè; ut sine ipso ad nullum; denique ut ad ipsum, ut publicam personam, hoc est, « utentem concilio, et requirentem adjutorium universalis Ecclesiæ; » quemadmodum Antonius Thomæ discipulus exponebat[2].

Unde sanctus doctor, eodem articulo x, sic habet[3] : « Sed contra est, quòd editio Symboli facta est in synodo generali, sed ejusmodi synodus auctoritate solius summi Pontificis potest congregari, ut habetur in decr. dist. XVII. Ergo editio Symboli ad auctoritatem summi Pontificis pertinet; » summi certè Pontificis, « utentis concilio, et requirentis adjutorium universalis Ecclesiæ. »

Et ibidem ad secundum respondens ad illud synodi Ephesinæ interdictum, quòd aliam fidem præter Nicænam nulli proferre licuit, sic ait : « Ad secundum dicendum, quòd prohibitio et sententia synodi se extendit ad privatas personas, quarum non est determinare de fide. Non enim per ejusmodi sententiam synodi generalis data est potestas sequenti synodo novam editionem symboli facere, aliquidem aliam fidem continentem : sed eamdem magis exponere; sic enim quælibet synodus observavit, ut sequens synodus aliquid exponeret supra id quod præcedens synodus exposuerat, propter necessitatem alicujus hæresis insurgentis. Unde pertinet ad summum Pontificem, cujus auctoritate synodus congregatur, et ejus sententia confirmatur. » Porrò confirmare quid sit alibi diximus[4], necnon nat sanctus Thomas, sed ecclesiasticam vocem ex universali traditione intelligendam relinquit.

Idem sanctus doctor, articulo IX præcedente, dixerat, argumentum *Sed contra :* « Symbolum est auctoritate universalis Ecclesiæ collatum; nihil ergo inconveniens in eo continetur. » Hic robur, hic omnium et inconcussa firmitudo.

Cùm ergo concludit, in corpore articuli x : « Quòd ad summi Pontificis auctoritatem pertineat editio Symboli; quòd ad ejusdem auctoritatem pertineat finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut omnibus inconcussâ fide teneantur; quòd unitas servari non possit nisi quæstio fidei determinetur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sit ejus sententia firmiter à totâ Ecclesiâ teneatur; » intellige eum, non quòd in summo Pontifice solo ea auctoritas resideat : nam universali Ecclesiæ, ejusque synodis tribuit *auctoritatem et potestatem* edendi Symboli, eamque inconcussam[5]; sed quòd in summo Pontifice sit ea auctoritas, quæ omnibus præsit, quæ omnes moveat, unitatem, quæ ubi opus est, et omnes convocet et acta confirmet.

[1] *Ibid.*, art. x. *in corpore.* — [2] *Ant. Sum. Theol.*, part. III. § IV. p. 418, verso. — [3] *S. Thom. loc. cit.* Sed contra.— [4] *Sup.*, lib. VIII. cap. 2 et seq.— [5] *S. Thom., ibid.*, art. IX. Sed contra.

Qui autem convocat et confirmat, non proinde ipse solus judicat atque determinat; sed omnium judicio determinationique consentit, atque ex eis pronuntiat.

« Sic ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter tenetur, » ut dixit sanctus Thomas : quia ex omnium sensu ac totius Ecclesiæ traditione judicat. Unde etiam synodi sententia, ejus sententia est; alluditque sanctus Thomas ad eum decernendi morem qui jam obtinuerat, ut sub Papæ nomine synodale decretum ederetur, atque ipse, synodo approbante, decerneret.

Ex quibus intelligitur, id quod ipse sanctus doctor sic deinde concludit : « Et ideo ad solam auctoritatem summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum et alia ejusmodi [1] : satis enim ex dictis patet, *Symboli editionem ad solam auctoritatem* referri Pontificis, quòd et ipsa præcipua sit, et sine illâ nihil fiat aut valeat; quod sæpè diximus.

Cùm autem sanctus Thomas ait, ad summum Pontificem pertinere, ut congreget synodum, ostendit se loqui de ordinariis casibus; cùm omnes fateantur multos esse casus, quibus synodus, etiam invito summo Pontifice, congregari possit, ut vidimus.

Jam quòd idem sanctus doctor fidei unitatem inde proficisci docet, quòd fidei quæstio ad eum referatur qui toti Ecclesiæ præsit, omnes catholici consentiunt : atque id est quod Joannes Gerson his affirmat verbis : « Ea quæ fidei sunt, debent eadem esse apud omnes; et hæc identitas et unitas, vix aut nunquam perpetuari potest, nisi recursus esset finalis ad unum caput [2]. » Non profectò quòd omnia à solo Papâ finiantur : nihil enim magis abhorret à Gersonis sententiâ; sed quòd finale illud sit, quod cum totâ Ecclesiâ Papa definiat.

Meritò ergo Gerson nihil se à sancto Thomâ discrepare docet; ac si rectè intelligatur eorum sententia, summâ quidem ipsâ in unum convenit. Id tantùm Gerson, aliique Parisienses sancti Thomæ doctrinæ addiderunt, quòd diuturnissimi atque hactenus inexperti schismatis malis docti, multa experiri, multa prævidere coacti sunt, circa dissensionem synodi ac Papæ, quæ sanctus Thomas non attigit, tum quòd occasio et tempus non id postulabat, tum quòd minùs necessaria videbantur rudioribus theologis, quos ipse in *Summâ* instruebat. Unde hic, summa capita attigisse contentus, reliqua prætermittit.

Denique quòd sanctus Thomas, eodem articulo x, majores ac difficiliores quæstiones ad summum Pontificem referri inde probat, « quòd Dominus, *Luc.* XXII, Petro dixit, quem summum Pontificem

[1] *S. Thom.*, art. x. *in corp.* — [2] *Gers., Tract. de Conc. gen. unius obedient.*, t. II. p. 28.

constituit : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos :* » rectè omnino facit; atque id directè probant illa Christi verba : *Confirma fratres tuos.* Quod quidem officio confirmandi fratres maximè opus est, in arduâ et ancipiti re; neque tamen concludendum, ad summum Pontificem propriè pertinere, *ut non deficiat fides* ejus : neque enim sanctus Thomas id dicit; imò ex ejus dictis constitit, quòd illa non defectura fides Petri, sit ipsa universalis Ecclesiæ aut certè peculiaris Ecclesiæ romanæ fides. Atque ita sanctus Thomas exposuit, cùm hunc Lucæ locum debitâ operâ interpretaretur.

Quare si rem, uti diximus, summâ ipsâ perpendimus, nihil sanctus Thomas à reliquis Parisiensibus differre videatur, quem tamen perfractè nihil tale memorantem, ad romani Pontificis omnino absolutam atque independentem ab Ecclesiæ consensu auctoritatem trahant, patiantur certè nos in doctrinâ Patrum, qui antecesserunt, atque in posterioribus, jam quæstione motâ, concilii Constantiensis judicatis, tutò acquiescere.

CAPUT XVII.

Testimonium ex cleri gallicani cœtu anno 1626 petitum : alia argumenta ex Janseniano negotio deprompta solvuntur : conventus anni 1653, bullæque solemnis acceptatio.

At enim objiciunt [1], malè hæc à nobis memorari tanquam Ecclesiæ gallicanæ dogmata, cùm à cleri gallicani cœtu recente memoratu rejecta sint. Atque hic referunt comitiorum generalium anni 1626 articulum CXXXVII, in quo hæc verba sunt : « Hortandos episcopos, uti Sedem observent apostolicam, Ecclesiamque romanam infallibili Dei promissione fundatam [2]. » At quorsum nobis hæc objiciunt quæ tuemur? Certè enim Sedem apostolicam, partem Ecclesiæ principalem, atque omnium caput, eâ promissione, quâ totum ipsum nititur fulciri diximus. Gravius illud putant quod subditur : « Ipsam cum clavibus datam infallibilitatem fidei, quam videmus, divinæ potentiæ miraculo, in Petri successoribus ad hodiernum usque diem immobilem permanere. » Quis enim nostrûm negat, Petro promissam eam, quæ nunquam deficiat, fidem, atque in ejus successoribus divinâ Providentiâ permansisse, ac porrò permansuram fidem, summâ quidem ipsâ, ita ut ipsa series atque successio nunquam à fide abrumpatur, quemadmodum à Patribus intellectum esse videmus. Miror hæc à viris gravibus, atque à novissimo auctore anonymo venditari [3]. Neque pluris valet id quod à gallicanis deprom-

[1] *Anon., de Libert.*, lib IX. c X. n. 3. — [2] *Avis de l'Assemblée du clergé à MM. les archevêques et évêques, du 20 janv. 1626*, art. CXXXVII. — [3] *Anon., loc. jam cit.*

episcopis [1], in eâ epistolâ, quam ad Innocentium X, anno 1653, de condemnandis Jansenii propositionibus perscripserunt : « Majores Ecclesiæ causas ad Sedem apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat [2]. » Quæ sanè nihil contra nos, qui confitemur, fidem Petri in Sede apostolicâ minimè defecturam, atque ejus rei gratiâ fidei causas ad eam referendas. Hæc ergo ex communi traditione desumpta nobis objici ratio non sinit. Sed quia ex Jansenii negotio, alia argumenta ducunt, quæ magni putant ponderis, rem ipsam ab exordio repetamus.

Primùm ergo prodiit ea epistola anni 1653, quâ plurimi episcopi gallicani Cornelii Jansenii Yprensis episcopi libro posthumo et doctrinâ commoti, à summo Pontifice flagitabant, ut *quinque præsertim propositiones* epistolæ insertas, « de quibus disceptatio periculosior, et contentio ardentior esset, sua Sanctitas expenderet, ac perspicuam ac certam de unâquaque sententiam ferret [3]. » Hæc summa epistolæ est, cui octoginta circiter * episcopi subscripserunt.

Re diu perpensâ, multisque et gravissimis habitis consultationibus, Innocentius X, uti rogatus fuerat, sententiam tulit de illis quinque omnium sermone celebratis propositionibus [4], « de quibus occasione libri, cui titulus : AUGUSTINUS CORNELII JANSENII YPRENSIS EPISCOPI, inter alias ejus opiniones orta fuerit præsertim in Gallis controversia : «quas propositiones singulas Pontifex suâ notâ confixit, « nec tamen probatis aliis opinionibus quæ continentur in dicto Jansenii libro ; » datum pridie kalend. Junii, anno 1653, pontificatûs IX.

Eam definitionem per nuntium apostolicum misit in Galliam cum duplici brevi apostolico, altero ad regem, altero ad episcopos gallicanos [5]. Rex, 4 Julii, anno 1653, dedit *Patentes*, quas vocant, *litteras* ad archiepiscopos et episcopos. His cùm declarasset nihil Innocentii constitutione contineri, « quod Eccesiæ gallicanæ libertatibus et regiæ coronæ juribus esset adversum [6], » episcopos hortabatur atque admonebat, ut eam publicarent et executioni darent. Nam quod primum irrepserat, id etiam *jubere* regem, clero postulante, sublatum est.

Quid deinde in recipiendâ atque publicandâ pontificiâ constitutione episcopi gallicani gesserint, docet relatio, anno 1655, jussu congregationis cleri gallicani linguâ vulgari facta atque edita ad rei memo-

[1] *Anon.*, lib. VII. c. XVII. n. 12. — [2] *Rel. des délibér. du clerg. de France, Paris, Vitré*, 1661, p. 25. — [3] *Ibid.*, p. 26.

* LXXXV.

[4] *Bull. Innocent. X, ibid.* pag. 26. — [5] *Ibid.*, pag. 27 et 33. — [6] *Déclar. du Roi, etc., ibid.*, pag. 34.

riam sempiternam; atque à quadraginta episcopis, totóque ipsis adjuncto presbyterio, universi cleri nomine subsignata.

Quæ ergo doceat illa relatio hæc sunt. Primùm quidem visum esse, « ut ad firmiorem constitutionis executionem, Sedisque apostolicæ majorem dignitatem, atque episcopatûs honorem, ipsa constitutio facto episcoporum cœtu reciperetur atque firmaretur [1]. » Habitus ille cœtus undecimo Julii anno 1653, in ipsâ regiâ, in eâ scilicet Luparæ palatii parte, in quâ morabatur eminentissimus Julius cardinalis Mazarinus, præcipuus regni administer, qui sacro cœtui præsidebat.

Ibi primùm lectæ sunt *Patentes litteræ,* observatumque ab episcopis, à rege « pro more declaratum, ipsam constitutionem nihil regalibus juribus nocituram, jussosque regis administros, ut operam suam in exequendâ bullâ episcopis adjungerent. Cæterùm quòd attineret ad constitutionis solemnem receptionem, quæ auctoritate ecclesiasticâ fieret, id totum episcopali deliberationi à rege permissum [2]. » Atque iterum : « Definitionem à Papâ editam, liberæ episcoporum deliberationi relinquendam, ut ejus publicationem atque executionem decernerent, nullo coacti judicio sæcularis potestatis. »

De ipsâ deliberatione, sic est in nostrâ relatione proditum [3] : « Cùm constitutionis materia et argumentum à duodecim annis per Galliam agitatum, omnibus notum esset, facile agnitum, pontificiâ constitutione, firmatam antiquam Ecclesiæ fidem à conciliis ac Patribus traditam, atque in concilio Tridentino innovatam... Itaque communi omnium sententiâ conclusum ab episcopis congregatis, ut acceptaret bullam, omnique obsequio ac reverentiâ susciperent, quæ in eâ decisa essent. » Sic à clero gallicano pontificia constitutio, factâ deliberatione, suscepta et *acceptata est.* Quam vocem rei exponendæ necessariam condonari nobis volumus : ut quæ linguâ nostrâ aliquid spontaneum, atque, ut ita dicam, auctoritativum sonet.

Hic subit recordatio susceptæ à majoribus nostris sancti Leonis adversùs Eutychen epistolæ [4] : « Quòd in eâ recognoscerent fidei suæ sensum, et ita se semper ex paternâ traditione lætentur tenuisse. » Jam ad relationem redeamus.

Decretum in eâdem congregatione episcoporum, ut ad summum Pontificem et ad omnes episcopos scriberetur : utque epistola ad episcopos * « ita conscriberetur, ut episcopis gallicanis constaret integrum jus definiendarum, primo certè gradu primâque instantiâ, fidei quæstionum, ubi id utile videretur; sive pœnas juris decernendo adversùs manifestos hæreticos, sive res dubias, congregationes

[1] *Déclar. du Roi*, etc., *ibid.*, p. 5.— [2] *Ibid.*, p. 6.— [3] *Ibid.*, p. 7.— [4] *Ep. syn. Episc. Gall. ad Leon. Mag.*, tom. III. *Conc.*, col. 1329; *Inter Leon., post epist.* LXXVI. al. LI.

* Scriptum legimus in relatione *ad Papam*, mendo typographico, vel descriptoris negligentiâ. (*Edit. Paris.*)

habita, decidendo [1]. » Sic Ecclesia gallicana juris episcopalis ubique recordatur.

Epistolæ, congregatione habitâ, lectæ, probatæ ac subsignatæ sunt ab omnibus episcopis, 15 julii.

Epistola ad Papam hæc habet [2] : « Non solùm ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro factâ, sed etiam ex actis priorum Pontificum, et anathematismis adversùs Apollinarium et Macedonium, nondum ab ullâ œcumenicâ synodo damnatos, à Damaso paulò antea jactis; judicia pro sentiendâ regulâ fidei, à summis Pontificibus lata, super episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate : niti cui christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. » Quo loco id volebant, non esse semper necessariam synodi œcumenicæ sententiam, ut christiani ad fidei officium tenerentur; sed omnino sufficere, consulentibus episcopis, romani Pontificis auctoritatem; si quidem decretum ejus reciperetur, ut ipsi fecerant, atque à se factum esse gestis indiderant ad rei memoriam [3].

In epistolâ ad episcopos disertè scriptum erat : Et ad episcoporum necessariam atque essentialem dignitatem pertinere, ut de fidei quæstionibus primam ferrent sententiam; et ne id facerent (episcopos qui Papam consuluerant) animorum dissensionibus fuisse prohibitos [4]. »

Addebant : ad nos constitutione perlatâ, « episcopos congregatos, ut deliberarent quid in hoc negotio facto opus esset, uno spiritu, uno corde, uno ore ita consensisse ad recipiendum illius judicium, cui per unitatem christiani episcopatûs hierarchicâ subordinatione colligati essent; ut meritò crediderint propositionum condemnationem, unâ cum eo à se quoque esse prolatam ac pronuntiatam. » Sic se episcopos, hoc est, *conjudices* et *condecernentes*, quod sæpè diximus; suumque consensum, non nudi obsequii, sed etiam judicii, decretique ecclesiastici loco esse meminerant.

Hæc triginta episcopi decreverunt, subsignarunt, totâ Galliâ divulgarunt; eoque spiritu omnes episcopi constitutionem ad se ab eo cœtu missam receperunt; ut dubium non sit, quin communis is fuerit Ecclesiæ gallicanæ sensus.

CAPUT XVIII.

Tres aliæ secutæ cleri gallicani congregationes probant necessariam episcoporum consensionem, atque hanc pro ecclesiastico judicio esse habendam.

Pergit relatio, docetque « harum turbarum auctores, neque summi

[1] *Relat.*, p. 8.— [2] *Ibid.*, p. 36.— [3] *Ibid.*, p. 40.— [4] *Ibid.*, p. 41.

Pontificis auctoritate, neque Ecclesiæ gallicanæ universali assensu cohiberi potuisse [1]; » subortam de genuinis propositionum sensibus quæstionem, sive vitilitigationem, cujus gratiâ (anno 1654, 9 martii) XXXVIII episcopi iterum ad Luparam, apud eminentissimum Mazarinum convenirent.

Quæstio gravis Patribus visa est, atque omnino id agi, ut constitutio evanesceret, summusque Pontifex tantùm inani murmure intonasse videretur. Itaque datum negotium aliquot episcopis, ut ea ad hanc rem facerent, diligenter ponderarent; quorum relatione factâ lectisque Jansenii necessariis locis, aliisque in eam rem [illegible] scriptis atque documentis, re in deliberationem adductâ, « [illegible] sum est (à sacro cœtu) declaratum iri per modum judicii, [illegible] omnibus causæ ex utrâque parte documentis, in constitutione [illegible] natas propositiones, ut quæ Jansenii essent, ac sensu Jansenii, cujus judicii relatio ad summum Pontificem atque etiam ad universos episcopos gallicanos, datis litteris, mitteretur : » 28 martii, anno 1654 [2].

Sic episcopi in constitutionis apostolicæ executione atque interpretatione, subortâ difficultate, quam ad decreti fidei robur minime pertinere constaret, agunt ut judices, idque ad Innocentium X referunt his verbis [3] : « Ad munus episcopale pertinere putavimus, [illegible] excitatas à clericis numero paucis contentiones, definitione [illegible] compescere; quâ constitutionis apostolicæ integra executio, [illegible] nobis commissa est, adversùs alienas à vero illius sensu expositiones sanciatur. » Atque iterum [4] : Nos in hâc urbe Parisiensi congregati censuimus, et per epistolam encyclicam his litteris adjunctam [illegible]ravimus, propositiones illas et opiniones esse Cornelii Jansenii, [illegible] sensu ejusdem Jansenii à Sanctitate vestrâ damnatas, disertis [illegible]nifestis verbis : » denique : « Constitutionem ordine canonico [illegible], atque genuino in sensu intellectam, quem litteræ istæ patefaciunt, nos suscipere testamur. »

Sic profectò testari pergunt consensionem suam, cùm ad [illegible] decreti auctoritatem accedit, judicium esse ecclesiasticum; qui [illegible] constitutionis verus genuinusque, quem ipsi admittant, sensus [illegible]natur; *genuino sensu*, inquiunt, *quem litteræ istæ patefaciunt.*

Epistolâ verò ad præsules gallicanos missâ, sic dicunt : « Declaravimus et hoc nostro judicio declaramus [5] : » ut nemini dubium esse possit, quin judicium ecclesiasticum hâc suâ definitione protulerint.

Hæc igitur omnia ad Innocentium X missa, ac per episcopum Lutevensem tum Romæ agentem tradita [6], summâ Pontificis gratulatione

[1] *Rel.*, p. 3.—[2] *Ibid.*, p. 14 et 15.—[3] *Ibid.*, p. 45.—[4] *Ibid.*, p. 46.—[5] *Ibid.*, p. 49.—[6] *Ib.*, p. 15.

accepta sunt, probatumque est latum de sublatâ difficultate ac bullæ interpretatione ab episcopis judicium, dato brevi 29 septembris, anno 1654.

Quo brevi recepto, ac per universam Galliam promulgato, tertiò episcopi Parisiis congregantur, atque ad universos Galliarum episcopos hæc gesta præscribunt, testanturque ab episcopis primùm congregatis, « cum reverentiâ receptam constitutionem, unoque spiritu cum sanctissimo Papâ probatam ac pronuntiatam quinque propositionum, quas ipse censurâ confixerat, condemnationem [1]. » Quò rursus declarant consensionem suam verum ecclesiasticumque judicium.

Subdunt ab episcopis iterum congregatis verum constitutionis sensum, expresso judicio declaratum, datâ epistolâ, 10 Maii 1655 [2].

Anno denique 1656, episcopi quartum congregati numero XL, cum deputatis omnibus, ordinario cœtu cleri gallicani, quæ tribus ante actis cœtibus gesta erant, ordine recensita confirmarunt 2 septembris [3]. Insuper affirmarunt, intactam et inviolatam manere sancti Augustini doctrinam, quam Jansenius perperam sibi vindicavit; atque hæc omnia ad Alexandrum VII perscripserunt.

In epistolâ ad regem hæc dicunt : « A se denuo confirmata et approbata, quæ Mazarino cardinale præside gessissent episcopi ad acceptandum judicium suæ Sanctitatis, et condemnationem errorum [4] : » Regique supplicant, ut jubeat judices suos adesse auxilio episcopis exequentibus constitutionem, *eorum consensu receptam*.

Ad reginam verò matrem : « Ab Innocentio X confirmatum id quod ipsi judicassent : » tum : « Acceptatam à se unanimi consensu Sedis apostolicæ definitionem [5]. »

Postea ad episcopos : « Exequendam constitutionem eo sensu, qui judicio episcopalis cœtûs declaratus esset mense Martio 1654 [6] ; » ad quos etiam mittunt formulam ab omnibus subscribendam.

Denique relationem, ex quâ hæc omnia retulimus, fieri jusserunt, comprobarunt; manu suâ confirmarunt. Hæc gesta, primâ, secundâ, et quartâ septembris in congregatione generali totius cleri gallicani, anno 1656.

Sic igitur Ecclesia gallicana decretum fidei à Sede apostolicâ missum, consensu, judicio, deliberatione accepit.

[1] *Rel.*, p. 50. — [2] *Ibid.*, p. 59. — [3] *Vid.* p. 62 et seq. — [4] *Vid. Relat.*, p. 69 et seq. — [5] *Ibid.*, p. 74. — [6] *Ibid.*, p. 77.

CAPUT XIX.

Duo exempla ab antiquitate deprompta, quibus gallicanarum congregationum gesta firmantur : sancti Siricii de Joviniano judicium : Capuana synodus, et ejusdem Siricii responsio ad Macedonas.

Sic quoque solebat antiquitas. Quarto sæculo, cùm Jovinianus virginitatis propositum improbaret, eamque hæresim in ipsâ etiam urbe Româ disseminare inciperet, sanctus Siricius papa, *facto presbyterio*, eum condemnavit; atque hoc judicium ad Mediolanensem diœcesi Ecclesiam. Sic autem erat constitutum [1] : « Unde apostolorum sacrati præceptum, quia aliter quàm quod accepimus, annuntiabant, excommunicavimus. Omnium ergo nostrûm tam presbyterorum quàm etiam totius cleri, unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, etc., qui incentores novæ hæresis et blasphemiæ inventi sunt, divinâ sententiâ, et nostro judicio, in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent, quod custodituram Sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta direxi. »

Hoc sancti Siricii papæ ac Sedis apostolicæ judicium Itali episcopi, sancto Ambrosio præside, Mediolani congregati, synodali judicio receperunt his verbis : « Itaque Jovinianum, Auxentium, etc., quos, Sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundùm judicium tuum esse damnatos [2]. » Sic damnatos Sedis apostolicæ judicio, ipsi quoque, sed prolato pariter judicio, damnant. Unde ille consensus, quo ecclesiastica judicia summam vim obtinent, perinde haberi censetur, cùm vel episcopos præeuntes Sedes apostolica probat, vel Sede apostolicâ præeunte, concinunt et consentiunt Ecclesiæ.

Sic ab episcopis gallicanis Lutetiæ Parisiorum frequente conventu sæpius congregatis, Innocentii X recepta constitutio. Reliqua in Jansenii Augustinum sacrosanctæ Sedis acta, eodem episcoporum consensu valuerunt. In Galliis, maximâ solemnitate, gravissimoque judicio expressus consensus est editus; ut solet esse clarior, ubi controversiæ maximè viguerunt. Bullas interim toto orbe catholico receptas esse constat, ut nullus omnino sit dubitationi locus, quin istud hæreticum dogma æterno judicio condemnetur.

Jam quòd episcopi gallicani episcopalis juris esse profitentur, ut, cùm res tulerit, ipsi adunati de quæstionibus fidei primam ferant sententiam, ex antiquâ item traditione depromptum est [3]. Ita enim Antiochenæ, Constantinopolitanæ, Africanæ synodi, de Pauli Samosateni, Eutychetis, Pelagii ac Cœlestii hæresi judicarunt, multaque alia hujus rei exempla memorantur, quæ Sedes etiam apostolica

[1] *Ep. Siric. ad Mediol. Eccles., int. Ambr., post ep.* XLI. al. LXXX. t. II. col. 965; *Vid.* etiam tom. II. *Conc.*, col. 1024. — [2] *Rescripti. ep. Ambr., etc., ad Siric. int. Ambros., epist.* XLII. al. LXXXI. col. 969; et tom. II. *Conc.*, col. 1026. — [3] *Vid. Relat.*, p. 8 et 40.

comprobavit. Illud insigne est, quod à synodo Capuensi gestum est sub eodem beato papâ Siricio, cujus adversùs Jovinianum decreta retulimus.

Ea synodus paulò ante decretum illud, ut videtur, duabus de causis celebrata est; primùm ad finiendam Ecclesiæ Antiochenæ veterem discordiam, cùm Evagrius et Flavianus de episcopatu contenderent; secundò, ut de Bonoso episcopo ferretur judicium, qui adversùs beatæ Mariæ virginitatem blasphemare ausus fuerat.

Cùm neque Flavianus, neque, ut videtur, Bonosus synodo Capuensi se sisterent; illius causa, Theophilo Alexandrino atque Ægyptiis episcopis; hujus, Anysio Thessalonicensi ejusque synodo delegatur.

Hæc quidem decreta erant, salvâ Sedis apostolicæ auctoritate; unde beatus Ambrosius ad Theophilum, synodi Capuensis nomine, hæc scribit : « Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum romanæ sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te judicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant [1]. » Subdit pacem futuram; « cùm id, inquit, gestum esse cognoverimus quod Ecclesia romana haud dubiè comprobaverit. »

Neque est ambiguum quin Anysio Macedonibusque, quibus præerat, episcopis, eadem lex dicta sit; cùm constet eam provinciam Sedi apostolicæ peculiari jure fuisse subditam. Quo etiam factum est, cùm quædam causæ pars indecisa penderet, ut beati Siricii papæ sententiam exquirerent. At sanctus Pontifex sic rescripsit [2] : « Accepi litteras vestras de Bonoso episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestiâ, nostram sententiam sciscitari voluistis; sed cùm ejusmodi fuerit concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, et præcipuè Macedones, qui cum episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent, advertimus quòd nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie synodus, rectè de his quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrûm est igitur, quia hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus; nec refugiendi, nec elabendi, vel accusatoribus, vel accusato copiam dare. Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandum synodus delegit. » Ac paulò post : « Vos enim totius, ut scripsimus, synodi vice decernitis; nos quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit. » Hæc deinde subjungit : « Sanè negare non possumus de Mariæ filiis jure reprehensum, meritòque vestram Sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem utero virginali, ex quo secundùm carnem Christus

[1] *Ambr., ep.* LXVI. al. LXXVIII. n. 7. tom. II. col. 1007, 1008. — [2] *Ep. Siric. int. Ambr., post ep.* LV. al. post LXXIX; *ibid.*, col. 1008; et tom. II. *Conc.*, col. 1083.

natus est, alius partus effusus sit. » Quam causam multis ac præclarè egit.

Hanc egregiam epistolam inter beati Ambrosii epistolas sub ejusdem Ambrosii nomine legebamus : sed ipsa verborum series, atque ibidem facta Ambrosii mentio repugnabat. Eam vir doctissimus et candidissimus Lucas Holstenius [1], bibliothecæ Vaticanæ præfectus, ex veteribus archivis sancto Siricio restituit *.

Jam ex eâ epistolâ hæc habemus ; primùm, causam fidei Anysio ejusque coepiscopis à Capuanâ synodo delegatam, atque ab iis judicatam fuisse : neque tantùm judicatum Bonosum beatæ Mariæ virginitati detraxisse, sed etiam eam blasphemam esse sententiam ; quod judicium sanctus Siricius comprobavit. Hoc primùm. Tum illud, beatum Pontificem, etiam Macedonum episcoporum, id deferente concilio, nullam judicii partem delibare voluisse ; sed rem integram reliquisse iis, quibus Capuensis synodus demandasset.

Et magna quidem erat, cujus auctoritati sanctus Siricius detulit, Capuensis synodus ; non tamen œcumenica. Verùm romani Pontifices, ecclesiastici ordinis atque æqui juris observantissimi, non ea attingebant, quæ à particularibus etiam synodis decernerentur, nisi postquam ad eos canonico ordine devenissent.

Hinc illud : « Vestrum est judicium ferre de omnibus ; » et : « Nobis judicandi forma competere non potest ; » et : « Vos potiùs synodi vice decernitis, nos quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit. » Et quidem satis indicat, neque id se detracturum fuisse, si res integræ essent : sed post Capuensis concilii judicium, eo modo atque ordine procedi oportere, quo sacrum concilium judicasset. Tanta erat modestia, tam æquo jure omnia disceptabant, neque interim, cùm res ac locus exposceret, suæ potestatis obliti, sed vim Ecclesiæ in canonico ordine reponebant.

Ergo in Janseniano negotio episcopi gallicani, ex antiquo more ac jure, hæc duo sibi meritò vindicarunt ; et ut episcopale sit in causis fidei primam ferre sententiam ; et ut episcopi Sedis apostolicæ ad se perlata judicia, ipsi dato judicio, recipiant, interpretentur, exequantur ; neque ullâ in re antiquâ traditione ac Patrum sententiâ deflexerunt.

[1] *Holst. Coll.*, part. I.

* Holstenii rationibus non moventur PP. Bened. qui dubitant utrum ille manuscriptorum auctoritatem an verò Baronii conjecturam secutus fuerit. Iidem existimant hanc epistolam tam bene, aut alicui de Italiâ metropolitano attribui posse, aut ipsi Ambrosio scribenti nomine alicujus synodi, quàm Siricio. Vide eorum notas loc. cit. At D. DE TILLEMONT, qui Holstenii conjecturam habet probabiliorem, dicit non esse verisimile Ambrosium nomine synodi, cui præsedisset, hæc verba scripsisse : *Nos quasi ex synodi auctoritate judicare non convenit* ; nec verisimilius hanc epistolam posse attribui alicui de Italiâ metropolitano. Vid. tom. I. Ambr. vit. art. LXX, p. 240 ; et not. LXV, p. 755, 756. (*Edit. Paris.*)

CAPUT XX.

Dictum illud : PRIMA SEDES NON JUDICATUR A QUOQUAM, cujus virtutis sit; an cum Declaratione gallicanâ consentiat : duplex ejus sensus ; alter de personâ Papæ; alter de sententiâ ab eo dictâ : de particularibus synodis intelligendum : Sinuessana synodus; Romana concilia sub Symmacho papâ.

Nunc exponendum superest, quomodo cum Declaratione gallicanâ consentiat illud à primâ antiquitate depromptum; *Prima Sedes non judicatur à quoquam :* vel quidquid dictum est in eam sententiam.

Id duplici modo potest intelligi : alter, ut persona Pontificis eam sedem tenentis à nemine judicetur : alter, ut lata ab eâ sententia à nemine retractetur.

Primo itaque sensu, sic legimus in Sinuessano illo suspectissimo concilio ab episcopis ad Marcellinum papam dictum, cùm in Diocletiani persecutione thurificasset : « Tu eris judex : ex te enim damnaberis, et ex te justificaberis; tu enim judex, tu reus [1]. » Et iterum : « Justè ore suo condemnatus est. Ac postea : « Nemo enim unquam judicavit Pontificem, nec præsul sacerdotem suum; *quoniam prima Sedes non judicatur à quoquam* [2]. »

Quæ utcumque se habent, nihil ad rem. Quæstio enim superest, an hâc voce, *à quoquam*, intelligenda veniat tota Ecclesia catholica, sive concilium œcumenicum eam repræsentans. Ac si cum Baronio et Binio vel maximè volumus hanc admissam synodum, jam illud constabit coactam synodum absque romano Pontifice; citatumque eum qui responderet, ac negantem convictum esse, adductis testibus, et ad confessionem adactum, et graviter reprehensum, ultimâ tantùm sententiâ ipsi reservatâ.

Hæc enim omnia fieri potuisse, legitimo ordine, in fidei violatæ causâ, canonistæ omnes, etiam ultramontani, facilè consentiunt, atque ex his actis probant. Alii ad alia extendunt, atque ultimam tantùm excipiunt sententiam.

Verùm sententiam hanc si dare non potuit privata synodus, et in facto particulari, eoque obscuro; quod nec nisi adductis infinitis testibus probaretur, et adversùs Pontificem statim pœnitentem : non profectò sequitur, ut in re notoriâ et quæ totam spectet Ecclesiam, et adversùs contumacem, totique Ecclesiæ perniciosum Pontificem, nihil fieri possit.

Sed omittamus suspectissimam synodum, cujus nec acta sunt integra, totaque actio, ipseque adeo locus, non cuiquam unquam notus.

Atque ut ad certiora veniamus, primùm occurrit illud ex concilio

[1] *Conc. Sinuess.*, tom. I. *Conc.*, col. 940.—[2] *Ibid.*, col. 943.

Chalcedonensi [1], damnatum Dioscorum Alexandrinum, qui Leoni papæ ausus sit anathema dicere, *quod nunquam factum est*, ut in eâ synodo legimus *.

Verùm et hoc nihil ad rem : certum enim à Dioscoro id in particulari suâ synodo ** factum, ut ex historiis constat, et Baronius confitetur [2].

Graviora fortè sunt, ac propiùs rem, quæ in conciliis Romanis sub sancto Symmacho gesta sunt, ad annum Christi circiter 501.

Clerici quidam, ac multi de plebe, Symmachum multorum scelerum postulabant; atque ab eo per schisma recesserant : quin etiam rebu suis spoliaverant, et tanquam vacante Sede *visitatorem* induxerant. Ingens turba in Urbe consecuta erat. Theodoricus rex civitatis suæ paci consulens, synodum ex diversis provinciis, nempe Ligurià, Emiliâ ac Venetiarum congregat, « ut de iis quæ venerabili papæ Symmacho ab adversariis dicerentur impingi, judicaret legitimè [3]. » Hæc ex synodo III constant.

Quænam illa scelera Symmacho imputata essent, necdum scimus, nullâque est historiâ, nullis gestis proditum; adeo obscura res erat. Id tantùm in gestis legimus; dixisse, regem, « plura ad se de papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata [4]. » Denique ab accusatoribus servi ad testimonium poscebantur, quod cùm etiam legibus *** interdictum esset, facilè demonstrabat, quàm eos idoneæ probationes deficerent.

Ipse rex testabatur : « Nihil ad se præter reverentiam de rebus ecclesiasticis pertinere [5] : » penes synodum esse judicium; ac si à causæ cognitione abstinere vellent, paci certè Urbis consulerent; id unum imperabat.

At episcopi in synodo III sæpè testati sunt, causam divino committendam esse judicio, vel maximè propter Sedis apostolicæ dignitatem, et cùm sancto Pontifici rerum ablatarum restitutio negaretur,

1 *Conc. Chalc.*, act. I. tom. IV. *Conc.*, col. 93. act. III. pass.

* Legimus in synodi Chalcedonensis definitivâ sententiâ adversùs Dioscorum, sess. III, col. 424, et in epistolis synodalibus ad imperatorem et ad Leonem, multas fuisse causas cur Dioscorus damnaretur, et hanc imprimis, quòd « præsumpsisset excommunicationem dictare adversùs archiepiscopum Romæ Leonem. » Sed ea verba quæ Bossuet hic allegat : *quod nunquam factum est*, eo in loco non reperimus; sed tantùm sessione I, col. 95, in quâ objiciebatur « ausum fuisse (Dioscorum) synodum facere sine auctoritate Sedis apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. » Sanè levis est hic error, si quidem error est; non tamen à nobis prætermittendus. Cæterùm Liberatus et multi alii optimè annotant non licuisse magis ut episcopus singularis cum suâ singulari synodo *dictaret excommunicationem* adversùs primam Sedis antistitem, quàm ut *sine ejus auctoritate synodum faceret*. (*Edit. Paris.*)

** Decem episcoporum.

2 *Vid. Conc. Rom.* III. *sub Leon.*, tom. III. col. 1475 ; *Conc. Chalc.*, act. III; *et Bar.*, t. VI. ann. 449. pag. 112. — 3 *Vid. Syn. Rom.* III. *sub Symm.*, tom. IV. col. 1323; *et Vit. Symm. per Anast.*, *ibid.*, col. 1286 et seq. — 4 *Syn. Rom.*, *ibid.*

*** Romanis.

5 *Syn. Rom.*, etc., col. 1324.

eumque sponte judicio se sistentem, adversarii penè ad necem cecidissent, episcopi Romam convocati eo magis in proposito perstiterunt. Itaque in synodo v, ipsos accusatores Symmachi damnant, ejus causam divino reservant arbitrio [1].

Interim Ennodius diaconus, synodi auctoritate ac jussu, apologiam Symmachi edidit, in quâ hæc erant scripta : « Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare; Sedis istius præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam [2]. » Quem librum synodus, quæ fieri jusserat, unà cùm Symmacho papâ, synodali et apostolicâ auctoritate firmavit, ac robur decreti apostolici obtinere voluit [3].

Hæc igitur ad facta particularia, eaque obscura, et ad particularis synodi auctoritatem spectant. An proinde ad facta notoria, totique Ecclesiæ noxia, et ad concilii œcumenici auctoritatem trahi possent, lector dijudicet.

Certè sancta synodus, cùm ei Theodoricus eorum criminum judicium delegaret, respondit [4] : « Ipsum qui dicebatur impetitus debuisse synodum convocare : quia ejus sedi primùm Petri apostoli meritum et principatus : deinde secuta jussionem Domini, conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesiis tradidit potestatem; nec antedictæ sedis antistitem minorum subjacuisse judicio, IN PROPOSITIONE SIMILI facilè forma aliqua testaretur. » En ut clarè se redigant ad *propositionem similem;* atque id per se intelligendum esset, etiam si ipsi tacuissent.

Quin etiam papa Symmachus, synodo probante, sic infit [5] : « Est enim à multis prædecessoribus nostris synodaliter decretum atque firmatum, ut oves, quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, NISI A RECTA FIDE EXORBITAVERIT, præsumant : nec ullatenus pro quâcumque re aliâ, NISI PRO SUA INJUSTITIA, accusare audeant. » En quàm gravem ac patentem decreto suo, atque Ennodii dictis exceptionem adhibeant.

Cæterùm hæc de Romanâ ac particularibus synodis dicta, nihil ad nos, quibus propositum est de conciliis œcumenicis agere. Ejusdem generis est id quod à Carolo Magno ac majoribus nostris factum in causâ Leonis III *; neque his lectorem distineri placet. Sit ergo pro-

[1] *Conc.* v. *Rom., ibid.*, col. 1324 et seq. — [2] *Lib. Apol. Ennod. pro* IV. *Synod. Rom., ibid.*, col. 1352. — [3] *Conc.* v. *ibid.*, col. 1364. — [4] *Conc.*, III. *ibid.*, col. 1323. — [5] *Conc.* v. *ibid.*, col. 1365.

* Paschalis et Campulus, post Adriani I avunculi sui mortem, alterutrum in ejus locum successorem dari ambiebant. Cùm autem Leo ipsis prælatus fuisset, tum verò irâ et invidiâ exarserunt, eumque pugnis, calcibus, baculis adeo ceciderunt, ut vix vivus ex eorum manibus elaberetur. Fugit autem ad Carolum, opem ejus et patrocinium imploraturus. Quare Carolus Romam venit, ubi collectâ synodo, causam Leonis episcopis judicandam commisit. At episcopi

fectò, nobis etiam auctoribus, romani Pontificis sacrosancta majestas, nulla eam synodus particularis judicare audeat; ac ne quidem œcumenica, nisi propter eas causas quas in concilio Constantiensi memoratas sæpè retulimus.

CAPUT XXI.

Persona Pontificis quatenus ab œcumenicis conciliis judicari non possit: Photi gesta Nicolaum papam excommunicantis : concilii octavi canon XIII.

Jam de ipsis conciliis œcumenicis. Concilium octavum, canone XIII, id egit quod diligentissimè considerari oporteat. Sed priùs ejus canonis occasio referenda est.

Photius, coacto conciliabulo, Nicolao papæ anathema dicere ausus est. Id conciliabulum à Romanâ synodo sub Adriano II reprobatum ac Photius Dioscori imitator, eo quo Dioscorus anathemate percellitur. Quæ sententia synodi œcumenicæ octavæ canone XIII confirmatur [1]. Quâ occasione compressis synodorum particularium ambus, de synodo quoque œcumenicâ in hæc verba decernitur [2]; « Si quâ verò œcumenicâ synodo collectâ, de romanâ etiam Ecclesiâ controversia extiterit, licebit cum decente reverentiâ de proposita quæstione veneranter sciscitari, responsumque admittere; non tamen impudenter contra senioris Romæ Pontifices sententiam dicere. » Hæc eò pertinent, ne synodo quidem œcumenicæ licuisse sententiam dicere iis casibus, quibus Photius dixerat; nempè adversùs romanum Pontificem, apostolicum officium exequentem, aut si qua peculiaria adversùs eum crimina et jurgia sererentur; aut si fortè moverentur aliquæ peculiares quæstiones, qualis tum ex controversia de Bulgarorum parœciis, quas Ecclesia Constantinopolitana adversùs romanam sibi vindicabat. Hæc igitur amicè ac reverenter tractari placebat Patribus, neque horum aut similium casuum vulgarium causâ, lacessi pontificium majestatem, pacemque Ecclesiæ perturbari; quod esset reverâ impudentissimum. Nec ideo synodi œcumenicæ silentium imponunt; si fortè inciderent ejusmodi casus, quæ Patres sextæ synodi adversùs Honorium concitarunt, aut etiam quæ à concilio Constantiensi memorantur. Scitum enim illud est, generalibus legibus non comprehendi casus extraordinarios, cum actus, quos in re improvisâ ipsâ necessitas expresserit. Atque hoc

responderunt his verbis : « Nos Sedem apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus; nam ab ipsâ nos omnes et vicario suo judicamur; ipsa autem à nemine judicatur, etc. » Anast. de purg. can. Leon. tom. VII. Conc. col. 1156. Tum Leo se purgavit « jurejurando, et dixit : Quia de istis falsis criminibus quæ super me imposuerunt, scientiam non habeo. » Deinde : « Carolus jussit de iis qui Papam dehonestaverant, haberi quæstionem, pro quibus Papa apud imperatorem intercessit. » Ibid. col. 1158. (*Edit. Paris.*)

[1] *Conc. Rom. sub Adr. II*, cap. III. *int. act Conc.* VIII. act. VII. tom. VIII. col. 1347; *Vid. etiam Metroph. Epist., ibid.*, col. 1388.— [2] *Ibid.*, act. X. can. XIII. col. 1375.

de primo sensu hujus sententiæ, *Prima Sedes à nemine judicatur :* quatenus nimirum ad personam Pontificis pertinere potest.

CAPUT XXII.

De sententiis romanorum Pontificum non retractandis; eâ de re relati canones, eorumque vis : Gelasii papæ loci.

Ad secundum sensum ejus dicti pergimus : *Prima Sedes non judicatur à quoquam :* quo significari videtur, ne ejus sententia retractari possit. Ad hæc igitur spectant hæc Bonifacii I ad Rufum Thessalonicensem, à Bonifacio II in concilio Romano repetita : « Nunquam licuit de eo rursus, quod semel statutum est ab apostolicâ Sede, tractari [1]. » Quæ si ad quoscumque casus, et ad concilia etiam generalia protendantur, nempe synodi œcumenicæ III, IV, VI, VII, VIII, à quibus romanorum Pontificum decretales atque judicia retractari constat, illicita perpetrarint. Eòdem spectat illud ejusdem Bonifacii à Nicolao I, sub Innocentii nomine recitatum * : « Nemo unquam apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit : nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari [2]. » Quæ ipso tenore sermonis ostendunt, de privatis agi, non profectò de totius Ecclesiæ catholicæ judiciis.

Unde illud passim in ejusmodi decretis frequentatum : *ut à nemine, ut à nullo, ut non à quoquam,* Sedis apostolicæ judicia retractentur. Neque verò deerant quibusque temporibus sui Dioscori, sui Photii, aliique contumaces, adversùs quos Sedis apostolicæ auctoritatem inculcari oportebat.

Talis erat sub Gelasio Acacius Constantinopolitanus, Sedi apostolicæ Chalcedonensia decreta exequenti obluctatus. Hujus ut contumaciam frangeret Gelasius, de Sedis apostolicæ potestate, hæc vera et fortia memorabat : « Quod de omni Ecclesiâ fas habeat judicandi, neque cuiquam de hujus liceat judicare judicio [3]. « Atque alibi : « Illam de totâ Ecclesiâ judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari [4]. » Quæ si ad concilia etiam œcumenica et omnes causas indiscriminatim extendantur, falsa sunt nimiùm. Neque tantus Pontifex ignorabat antecessorum suorum, Cœlestini Leonisque sententias in Ephesinâ et Chalcedonensi synodis retractatas, deque iis canonicè judicatum.

[1] *Epist. Bonif. I ad Ruf. Thess. in Sess.* II. *Conc. Rom.* III. *sub Bonif. II*, tom. IV. *Conc.*, col. 1705; *Vid. Coll. Holst.*, part. I.

* In ipsâ Nicolai epistolâ, ea verba, quæ, neque sunt Bonifacii, neque Innocentii, sub Bonifacii nomine recitantur, et Gratianus hic incogitanter sanè nomen Innocentii posuit. (*Edit. Paris.*)

[2] *Nicol. I, ep.* VIII. *ad Mich. Imp.*, t. VIII. *Conc.*, col. 319; *Vid. Decr. Grat.*, caus. IX. q. III. cap. X. Patet.— [3] *Gelas., ep.* XLII. *ad ep. Dard.*, tom. IV. *Conc.*, col. 1203.— [4] *Ibid., ep.* IV. *ad Faust., ib.*, col. 1169.

Idem in posterioribus œcumenicis conciliis factitatum acta docuerunt. Quin ipse Gelasius ejusque antecessores ac successores, ea tantùm habent pro irretractabilibus, quæ universali sunt consensu constituta. Quos locos alibi relatos qui cum his conferet, profecto comperiet, hæc irretractabilia et incommutabilia Sedis apostolicæ judicata ex Gelasio esse ea, quæ conciliaria decreta exequendo protulerit; quæque adeo totius orbis consensione nitantur. Cùm vero Gelasius Sedi apostolicæ facultatem attribuit *de omni Ecclesiâ* judicandi; sive, quod idem est, *de totâ Ecclesiâ; omnem ac totam* in synodis congregatam nequidem cogitabat; sed, et quod sæpè diximus, quòd synodus Constantiensis, Martino V approbante, atque exscribente, exposuit *omnem* per partes; ut scilicet ab ejus judicio nulla pars orbis immunem se putaret. Id vel hæc Gelasii subjunctæ verba declarant: siquidem « ad illam de quâlibet mundi parte canones appellari voluerunt[1] : » quod erat, *omnem* per partes, non omnem collectim judicare. Quod autem Gelasius subdit : « ut ab eâ nemo ad appellare permissus; ab ipsâ nunquam prorsus appellari debeat[2], » peculiarem quæstionem de appellationibus tangit, de quâ mox dictum sumus. Interim constat esse multa Sedis apostolicæ decreta, quæ in synodis œcumenicis retractata fuerint, neque ad eas causas pertinere Gelasii dicta, cùm negat à quoquam de Sedis apostolicæ judiciis judicatum.

Neque verò quisquam existimet à se satis intelligi has Gelasii sententias, si eas accipit à causâ, propter quam dicebantur, avulsas. Nempe his Acacius petebatur, quem Chalcedonensis synodi contemptorem Gelasius, apostolici officii potestate, synodorum et canonum executor, meritò condemnabat. Quæ sanè executio decreti synodalis, si ullâ provocatione aut tergiversatione suspendi posset, pessum iret omnia, nec tantùm pontificia, sed etiam conciliaris auctoritas labefactaretur.

Neque verò contendimus, omnia Sedis apostolicæ quâcumque de re decreta, in synodis œcumenicis retractanda; ne, in quibuscumque privatis etiam negotiis, christianum orbem sollicitari oportuit; sed tantùm ea quibus universalis Ecclesia conturbetur.

His facilè solvuntur omnia, quæ ex Nicolao I aliisque summis Pontificibus, apud Gratianum decreta referuntur, de Sedis apostolicæ judiciis non retractandis. Hæc qui ad vivum persecuerit, agi comperiet de quotidianis, quæ per provincias occurrunt, negotiis, non de iis quæ ad synodos œcumenicas extraordinariè perferuntur.

Summa est : his decretis caveri hæc duo : alterum, ne ordinis

[1] *Gelas. in ep. ad Episc. Dard.* XIII. — [2] *Ibid., in ep. ad Episc. Dard.* XIII; *et ep.* IV. *Faust., loc. cit.*

consuetaque negotia, post Sedis apostolicæ judicium, ad ulteriora judicia referantur : alterum, ne in causis etiam maximis retractentur ea, quæ in conciliaribus statutis exequendis, hæc Sedes egerit; aut quæ universali firmâque consensione recepta jam fuerint.

CAPUT XXIII.

Appellationes à Papâ ad concilium : non esse de iis in gallicanâ Declaratione quæsitum : quo sensu improbari possint : Petrus de Marcâ appellationes eas à vetere disciplinâ alienas, non satis caute dixit : varii appellationis effectus : instaurata cognitio, prolatæ sententiæ suspensa executio : tutela et præsidium in Ecclesiæ catholicæ auctoritate adversùs papalem etiam sententiam, in certis quidem causis, res est antiquissima.

Nunc dicendum aliquid de appellationibus à Papâ ad concilium; quanquam id ad causam nostram, atque ad gallicanæ Declarationis defensionem non pertineat. Id enim gallicani Patres tuendum susceperunt, quod in Constantiensi concilio, sessionibus IV et V continetur, quo loco de his appellationibus nihil actum est. Id tantùm constituitur : concilium in certis et generalibus causis potestate præstare.

Atqui illa superior potestas, non necessariò se exerit per propriè dictamappellationem ad universale concilium, sed multis aliis modis. Id nobis sufficit, certas causas esse, quibus concilii œcumenici necessaria sit auctoritas; illud semel congregatum ejusmodi esse, ut etiam Papam parere oporteat.

Cæterùm, appellationes, si stricto forensique usu dicimus, ut sit perpetuum sive ordinarium tribunal erectum, ad quod provocetur, atque illud omnino sejunctum ab eo tribunali, à quo provocatur : sanè appellatio à Papâ ad generale concilium non eo significatu constat. Primùm, ideo quòd generalis synodus extraordinariè tantùm, atque ex causâ convocetur; deinde, quòd ipsum etiam complectatur Papam, et quidem tanquam caput; denique quòd certum sit, non nisi summâ necessitate ac renuente Papâ, concilium absque eo convocari posse; soleantque fieri appellationes eæ ad Papam simul atque concilium. Quare strictè loquendo, papalis sententiæ in concilio facta retractatio, revisioni, sive instauratæ cognitioni, quàm appellationi propior esse videatur.

Interim habet aliquid ex appellatione; cùm, ipsâ convocatione concilii generalis, papalis sententiæ executio pendeat; in eoque solvi possit; nec nisi approbata robur obtineat, ut acta Ephesina et Chalcedonensia, aliaque docuerunt [1].

Quin ipsâ petitione et expectatione concilii generalis, Auxilius à Papâ depositus, in suo ordine stare se tutum arbitratus [2], à nemine catholico, quod sciam, hujus rei gratiâ reprehensus est.

[1] *Sup.*, lib. VII. c. 10 et seq. — [2] *Ibid.*, lib. IX. c. 31.

Hoc eòne contigerit, quòd papale decretum præter canones, ac nullum haberetur, nihil nostrâ : cùm id tantùm velimus, certis in causis, solâ invocatione concilii generalis, suspendi posse papalem sententiam.

Ac si quidem contenderint, pendere ipso jure propter nullitatem, ut vocant, sententiæ, hoc nobis sufficit; eum, qui hoc jure agit, interim in synodi, hoc est, in Ecclesiæ catholicæ tutelâ et præsidio esse; quod nemo negaverit.

Cùm ergo appellationes à Papâ ad concilium malo intellectu celebrari possint; hoc intellectu putamus, tot gravissimis pœnis à posterioribus romanis pontificibus Pio II et Julio II fuisse vetitas.

Quòd autem vir illustrissimus Petrus de Marcâ, appellationes à Papâ ad concilium à vetere disciplinâ alienas esse censuit [1]; quoad aliquam appellationis effectus, concedimus; quoad omnes, ne ipse quidem dixerit.

Namque ipse profitetur generalibus conciliis, post Papæ sententiam, imperatoriâ auctoritate convocatis, quæsitum in eis extraordinarium remedium : quo vel uno constat in Ecclesiâ catholicâ adversùs papale judicium tutelam aliquam fuisse. An ergo sublata ea, postea quàm imperator concilio convocare desiit? An adversùs papalem potestatem, nullum jam præsidium, mutataque Ecclesiæ constitutio est, tanquam ab imperatoriâ potestate penderet? Absit. Id ergo volumus; cùm Christus ita constituerit Ecclesiam, ut summa in rebus summa et indeclinabilis auctoritas penes ipsam totam sit, aliquid in ipso jure præsidii esse debere; quo nemini fraudi sit, certis quidem in rebus, Ecclesiæ catholicæ expectare sententiam. Eam verò tutelam, illud præsidium majores nostri in appellatione posuerunt. Novum sit fortasse vocabulum : ipsa res antiquissima, et cum ipsius Ecclesiæ constitutione conjuncta est.

CAPUT XXIV.

Sanctus Gelasius non eo sensu appellationes à Papâ vetuit, quo sunt postea in Ecclesiâ frequentatæ.

Appellationes eo sensu explicatas, nec ipse Gelasius vetuerit; qui ubique confitetur, vim ipsam irretractabilem cum universali consensione esse conjunctam.

Ac reverà diligentiùs rem inspicienti patebit, dicta Gelasii nihil ad appellationes eas pertinere quas diximus [2].

Nempe ille commemorat multiplicis generis apostolicum judicium: alterum provisorium, quale erat à Leone latum in Flaviani causâ: alterum decretorium; idque rursus duplicis generis : alterum in

[1] *Marc., de Concord. Sacerd. et Imp.*, lib. IV. cap. 17. n. 1. — [2] *Vid. Gelas., ep.* IV et XIII. *loc. cit.*, cap. 22.

absolvendo, quale in Athanasii causâ dictum erat à Julio papâ : alterum in condemnando, quale est adversùs Acacium.

His causis negat Gelasius appellari posse. Rectè : primùm enim à provisorio judicio appellari non solet. Ecce enim Flavianum in Ephesino latrocinio à Dioscoro condemnatum atque appellantem, Leo decernit in communione permanere interim, quoad synodus universalis causam cognoverit [1]. Id jure suo poterat, neque erat appellationi locus.

Idem dixerim in decretorio judicio, quo Athanasius, sive quis alius, ab inferiore judice damnatus, absolvitur. Appellatio enim in rei auxilium comparata, reo absoluto, vacat. Neque appellatio, quàm *à minimâ* vocant, nostris jam moribus introducta, publici actoris nomine, in ecclesiasticis judiciis unquam invenitur.

Jam in eo judicio, quo ab apostolicâ Sede damnatur Acacius, frustra ille synodum œcumenicam invocasset. Quippe romanus Pontifex nihil hic aliud fecerat, quàm ut synodi Chalcedonensis exequeretur sententiam. Id cùm assiduè inculcet Gelasius, meritò profectò negat appellari posse ab iis judiciis, quibus romanus Pontifex communis decreti suscipit executionem.

Hæc ego sat scio placitura iis, qui et antè dicta perpenderint, et cum Gelasianis, ista contulerint. Neque verò illa verba, *nusquam*, *nunquam*, et si qua sunt alia, unquam efficient, ut à proposito argumento Gelasii dicta penitus avellantur, traducanturque ad eos casus, quos neque oratione complecti, neque animo providere Gelasius potuerit. Insolita enim et extraordinaria remediis egent extraordinariis. Jam ergo videamus circa ejusmodi appellationes, quid in anteriorum sæculorum gestis habeamus.

CAPUT XXV.

Ante schismatis magni tempus appellationes à Papâ ad concilium, exactæ pecuniæ gratiâ, frequentatæ ab Anglis : adversùs Bonifacium VIII à Gallis : adversùs Joannem XXII à franciscanis, nullo pontificio decreto condemnatæ.

Qui appellationes à Papâ ad concilium oppugnant, id asseverant passim, eas fuisse ignotas ante illud luctuosum schisma sub Urbano VI et successoribus; quod est falsissimum. Anno enim 1246, Ecclesia anglicana maximè catholica, Sedique apostolicæ addictissima, grandi pecuniâ imperatâ, adversùs Innocentium IV ad concilii Lugdunensis tutelam se contulit. Post ipsum concilium, gravata iterum, multâ supplicatione recurrit ad Papam. Quo nihil curante, ad legatos suos hæc scribit : « Cùm igitur huic exactioni contradicat Ecclesia anglicana, per procuratores, ut hanc contradictionem com-

[1] *Sup.*, lib. VIII. cap. IV.

munem domino Papæ insinuare velitis pro statu Ecclesiæ anglicanæ, præsentiam Domini nostri Jesu Christi appellantes, et concilii universalis aliquo tempore per Dei gratiam convocandi. » Testis Matthæus Parisiensis, in Henrico III, ad annum 1246[1].

Matthæus Vestmonasteriensis * ad eumdem annum refert, quòd Papa graviter succensuerit Anglis, eo quòd ausi erant de oppressionibus et injuriis conqueri in concilio, Lugdunensi scilicet.

At ad annum 1264, sub Urbano IV et Henrico III, idem refert historicus, à cardinale ** Salinensi legato apostolico, excommunicatos barones anglos, urbesque interdictas : At illi, inquit, sententiam ipsam contra justitiam illatam attendentes appellarunt ad Papam, ad meliora tempora, vel ad generale concilium, necnon et supremum judicem, certis de causis et rationibus commendabilibus; quæ postea appellatio, in Angliâ congregato apud Radingam concilio, recitata est, et ab episcopis approbata et executa. » En appellatio ad Papam et ad concilium generale, ut si Papa defuisset, concilii tutela superesset, idque habito concilio ab episcopis approbatum et executioni datum.

Anno 1267, cùm Angli à legato *** ejusdem Urbani multis exactionibus gravarentur, « appellant ad Sedem apostolicam, et etiam ad generale concilium, vel, si necesse foret, ad summum judicem. » Hoc refert Matthæus Parisiensis, ad eumdem annum.

De Bonifacii VIII ac Philippi IV Pulchri rebus, per aliam occasionem multa jam diximus [2]. Quæ ad hanc quæstionem spectent hæc sunt.

Bonifacium recordemur adversùs supremam regis auctoritatem ea molitum, quæ universi regni ordines improbarint. Cùm illa contentio ad extremum devenisset, ac Bonifacius, non ipse quidem, excommunicaret regem, sed tamen declararet variis modis in excommunicationem *latæ sententiæ* incidisse****; rex totius regni cœtum habuit; quo in cœtu prodierunt qui Bonifacium hæresis, impietatis, multorum aliorum criminum accusarent; et concilium generale, quod de his cognosceret, omni ope procurari peterent [3]. Neque verò contendebant hæresim esse notoriam; sed tantùm ea quæ objicerent,

[1] *Matth. Paris., Hist. Angl. in Henr. III*, ann. 1246; *Vid. Epist. Angl. in Conc. Lugd.* tom. XI. *Conc.*, col. 663 et seq.

* Monachus.

** Guidone Grosso, seu Falcodio episcopo.

*** Deindè papâ; is nempe fuit Clemens IV. (*Edit. Paris.*)

[2] *Sup.*, lib. III. c. 23, 24, 25.

**** Canonistæ docent duplicem esse de jure excommunicationem, alteram comminatoriam tantùm, quam vocant *ferendæ sententiæ*, alteram autem *latæ sententiæ*, de quâ sic dicit EVEILLON : *Elle a telle force, qu'au même instant que quelqu'un transgresse l'ordonnance, il encourt l'excommunication..... sans qu'il soit besoin d'y apporter aucune forme, ni prononcer sentence contre lui.* Traité des Excom. chap. XII, p. 117. (*Edit. Paris.*)

[3] *Vid. Hist. du différ. de Bonif. VIII*, p. 101 et seq.

se sacro concilio probaturos. Interim se, qui talia suscepissent, in concilii tutelâ adversùs Bonifacium esse voluerunt; à futuris gravaminibus ad illud provocarunt. Huic provocationi rex et universi ordines assenserunt : prælati magno numero, ad quos alii postea accesserunt, pollicentur se regem ac regiam familiam, regnique libertates et jura, contra quemcumque, etiam contra Bonifacium defensuros, salvâ Sedis apostolicæ reverentiâ : neque ullis adversùs hæc ejus sententiis decretisve adhæsuros. His consensit Universitas Parisiensis, omnes regni ordines, capitula, religiosi conventus, atque adversùs omnia, quæ Bonifacius moliretur, concilii œcumenici protectione se muniunt.

His liquet, non tantùm hæresis, sed multorum etiam aliorum criminum causâ, concilium œcumenicum postulatum, atque ad id appellatum, etiam ad regni tuenda jura : non quòd jura regia in synodi potestate ponerent; sed quòd ea defensuros, adversùs Bonifacii minas, concilii generalis præsidium tueretur.

Addebant et de sanctorum Locorum ab infidelibus occupatorum restitutione; atque ut omnium animis satisfacerent, omnes, quas poterant concilii congregandi causas congerebant. Hæc acta sunt anno ferè 1303.

Bonifacius eodem anno, edito diplomate, firmat regem in excommunicationem incidisse : blasphemiæ imputat imputata sibi crimina : « Concilium sine se non posse convocari » dicit, seque processurum, « non obstante hujus frivolæ appellationis obtentu, quæ ad majorem, vel parem, sive mortalem aliquem non potuit interponi [1]. » De appellatione ad concilium nihil dicit gravius; atque etiam id quod dicit, auctoritate est vacuum, cùm ea bulla inter eas sit, quas Clementis V jussu erasas vidimus [2].

Idem Bonifacius regem ultimâ sententiâ proscripturus, quæ tamen prolata non est, propter Pontificis interitum, multas causas excommunicationis obtendit, nihil de appellatione ad futurum concilium.

Ejus quoque successores Benedictus XI et Clemens V, hujus provocationis gratiâ, nihil regi aut regni ordinibus, ipsisque adeo prælatis ac religiosis succensuerunt.

Joannem XXII adversùs appellantes ad œcumenicum concilium, à definitione fidei, quam ipse protulerat, nihil decrevisse, suo loco vidimus [3].

Hæc quidem Constantiense concilium præcesserunt; ne quis existimet, ab ejus decretis ortum habuisse, sed à priscâ omnino traditione manasse, quòd concilium Papâ præstare est creditum.

[1] Vid. *Hist. du différ. de Bonif. VIII*, pag. 160. — [2] *Sup.*, lib. III. c. 25. — [3] *Sup.*, lib. IX. c. 44.

CAPUT XXVI.

Appellationes à Papâ ad concilium primus omnium condemnavit Petrus de Lunâ i schismate obduratus: ejus eâ de re decretum in concilio Constantiensi revocatum.

Omnibus igitur conticescentibus, primus omnium mortalium, q appellationes à Papâ, expressâ sententiâ condemnavit, Benedic fuit ille XIII, seu Petrus de Lunâ, in schismate obstinatus et in ratus.

Is cùm ab eo fuisset provocatum, bullam edidit; *Crescit facin* Hâc non licere declarat à romano Pontifice *appellare, sive etiam pr vocare;* ejusmodi appellationem manifestè esse contra « plenitud nem potestatis, ac sacrorum canonum instituta; nec carere suspi cione schismatis; » sed adversùs eam bullam iterum provocatum

Post annos aliquot aliam protulit; *In dierum successu* [2], anno 14 quâ adversùs eos, « qui à se et romanis Pontificibus appellare pr sumpserint, aut à suâ, eorumque obedientiâ recesserint, » excom municationis sententiam promulgavit. In epistolâ verò ad Carolum datâ, cui bullam interserit, hæc queritur [3]: « Quod nonnulli catholic veritatis æmuli, qui contra nos et Ecclesiam romanam rebellio calcaneum erigere præsumpserant, à nobis, quod est contra canon cas sanctiones, appellationes interponere non verentes, etc. »

Quas in eo schismate ex utrâque parte appellationes ediderint a concilium, suo loco vidimus [4], neque hic repetimus.

Tacendum illud non est, bullam *In dierum successu* à concilio Con stantiensi, sessionibus XXX et XXXVI jam tribus obedientiis conge gatis, revocatam fuisse [5]: ut nullum stet adhuc decretum pon cium, ac ne quidem in schismate editum, quo eæ appellation condemnentur.

CAPUT XXVII.

Martini V bulla de non appellando à Papâ ad concilium, quàm perperam objecta.

Aiunt à Martino V, stante concilio Constantiensi, editam et de bullam, quam Joannes Gerson retulerit. Id vehementissimè Emm nuel Schelstratus urget. Quidam galli scriptores, atque ipse d Petrus de Marca confitentur [6], haud profectò id facturi, si rem d gentiùs considerassent.

Ac primùm certum est, hujus bullæ nullam unquam à quoq sive Pontifice, sive privato scriptore, historico, theologo, canon aut bullarum collectore haberi mentionem; præterquam à Ger in duobus locis; quos proinde locos, ut sunt apud Gersonem inter

[1] *Hist. Univ. Paris.*, tom. IV. p. 820. — [2] *Spicil.*, tom. VI. p. 182 et seq. — [3] *Ibid.*, p. 18 — [4] *Sup.*, lib. V. cap. 7, 8. — [5] *Conc. Const.*, *Sess.* XXX et XXXVI. t. XII. col. 215. 231. — [6] *de Concord.*, *etc.*, lib. IV. c. 17, n. 6.

commemorare nos oportet. Et is quidem libellum, *Quomodo et an liceat in causâ fidei à Papâ appellare*, sic incipit[1] : « Quæritur utrum hæc assertio sit catholica : nulli fas est à supremo judice, videlicet apostolicâ Sede, seu romano Pontifice, Jesu Christi vicario in terris, appellare, aut ejus judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum, et Sedem apostolicam deferendæ sunt) declinare. » Tum subdit : « Arguitur quòd sic, auctoritate sanctissimi domini Martini papæ V, in suâ constitutione, *ad perpetuam rei memoriam*, factâ et promulgatâ in consistorio generali celebrato Constantiæ, v. idus Martii, pontificatus sui anno primo (hoc est 10 Martii 1418), ubi reperitur hæc assertio sicut dicitur. »

His in Gersonis verbis primùm illud occurrit : non ipsum id per se dixisse Gersonem, sed tanquam ab aliquo objectum memorare. Quo loco id observatu dignum, quod est à Gersone positum : *Ubi reperitur hæc assertio, sicut dicitur;* quæ quidem ostendunt bullam non fuisse publici juris, et ubique vulgatam, de cujus verbis nec Gersoni constitisset.

Cujus autem auctoritatis ea bulla visa sit, quæ postea secuta sunt concilii Constantiensis acta indicabunt, cùm in sessione XLV et ultimâ ejus concilii, die 22 aprilis*, altero mense, postquam ea bulla in publico consistorio lecta et promulgata dicitur, Poloni regis legati, jam dimissis Patribus, à Martino V ad futurum concilium œcumenicum appellarint[2].

Nempe illi à Papâ supplicabant, Joannis Falkembergii librum, *crudelissimos errores atque hæreses* continentem, jamque in secretis congregationibus condemnatum, in sessione plublicâ condemnari : à quo denegante, provocabant ad concilium. An, rogo, id facturi, si earum appellationum ulla legitima aut probata condemnatio præcessisset? An non ipse Martinus V inclamasset impudenter agere Polonos contra interdictum? Non id autem factum est; sed Martinus « dixit respondendo ad prædicta; se quidem probare quæ per concilium conciliariter facta essent, non alia, » quæ scilicet in secretis conventibus. Hoc tantùm : ac de appellatione nihil quidquam. Non ergo verum est, eam ullo legitimo decreto, mense antecedente, fuisse prohibitam.

Et Joannes quidem Gerson in Dialogo apologetico de supplicatione Polonorum copiosè agit, memoratque ab illis ablatam schedulam de libello Joannis Falkembergii; neque illis satisfactum esse, remque in deteriora lapsam : « Usque adeo, inquit[3], quòd pro parte dominorum

[1] *Gers., Libell. Quomodo et an liceat*, etc., tom. II. p. 303.
* 1418.
[2] *Conc. Const., Sess.* XLV, tom. XII. col. 258.—[3] *Gers., Dial. apol.*, tom. II.

Polonorum, interjecta est tandem appellatio ad futurum concilium. Cui appellationi cùm respondendum esset, lecta est, ut dicitur, in consistorio generali et publico, quod ultimò Constantiæ celebratum est, minuta quædam sub formâ bullæ, destruens, ut asserunt qui legerunt eam, fundamentale penitus robur, nedum Pisani, sed Constantiensis concilii.... Continebat itaque *in nullo casu licere appellationem à Papâ facere, nec ejus judicium in causis fidei declinare*; planè contra legem Dei decretaque concilii. »

En post eam bullam de non appellando à Papâ ad concilium, quæ 10 Martii 1418 edita dicitur, iterum occasione interjectæ à Polonis appellationis ad futurum concilium, ejusdem bullæ *minuta* lecta dicitur. At siquidem 10 Martii transacta res erat; quid necesse fuit, post eam appellationem, actum agere; ac bullæ *minutam* iterum legere? An quod ita oportebat refelli Polonos? Quidni ergo Martinus V, in ipsâ concilii publicâ sessione, cùm Poloni appellarent, eâ bullâ objectâ eos comprimebat? An quia intelligebat sacram synodum non id laturam fuisse? Infelicem bullam, quæ concilii œcumenici lucem auctoritatemque nonsustinet? Cur autem Joannes Gerson iterum de eâ bullâ loquitur, ut de eâ, quæ nec à se visa sit? *Lecta*, inquit, *dicitur*; et *ut asserunt qui legerunt eam.* Ergone dicemus publicam, de quâ ipse dubitat, aut omnino divulgatam, quæ non ab omnibus videretur? Quid verò *minutam* bullæ memorat? Certè 10 Martii editam, ac post sex hebdomadas adversùs Polonos innovatam, imò *grossatam*, ut aiunt, oportebat, suisque vestitam formulis, diuturnam per Ecclesias ubique servandam. Atque illud absurdum est, omnibusque sæculis inauditum, ejus momenti bullam, stante concilio generali, atque ei præsidente Papâ, in ipso concilio non fuisse prolatam. Cur enim Martinus V tantâ de re synodi præsentis sententiam ne requisivit quidem? Ac multas quidem bullas minoris momenti sessione XLIII lectas, nonnisi *approbante concilio* editas; hanc verò cur solus, atque adhibito tantùm consistorio, seu cardinalium cœtu? An quia intelligebat repugnaturos concilii Patres? Illam ergo repugnante concilio œcumenico editam, valere credebat? At si concilii auctoritatem Martinus metuebat; ne saltem veram publicam lucem, ne *minutam* semel atque iterum lectam, nec intentam premeret. Adeone ejus bullæ pudebat, ut eam nec ipse Gerson, à quo solo memorata est, unquam viderit? Itaque nullibi legitur; nullibi visitur; nulli collectioni bullarum inseritur; non eam Pius II, bullâ *Execrabilis*; non Julius II, in bullâ *Suspecti regiminis*, quibus appellationes à Papâ ad concilium tantis pœnis prohibent, vel levibus memorant. Et quidem Julius II Pii II bullam firmat : de Martino ambigunt; cùm id stante concilio Constantiensi gestum vel maxime

commemorari è re esset. Quare apparet rem à Martino tentatam potiùs quàm confectam fuisse. Quod si in consistorio bulla vero animo à Pontifice proposita et prolata est, profectò rejectam, improbatam, explosam oportuit; cujus et auctorem puduit, et apud posteros nulla memoria est.

Sed age; bullam tanto studio Ecclesiæ toti posterisque occultatam placet inspicere propiùs, et quid incommodi alat intelligere. Et quidem certum est, ex eâ superesse nihil, præter ea verba, quæ nunquam sibi lecta Gerson, à nescio quo audisse se memorat. His autem, utcumque se habent, duo vetari videntur : alterum generatim, *ut nulli liceat;* sive, *ut in nullo casu liceat à romano Pontifice appellare:* alterum, *ne liceat in causis fidei, illius declinare judicium.* Quæ duo quàm diversa sint, vocum discrimina satis indicant.

Primùm est generaliter dictum, admittitque eos sensus quos reliqui ejusmodi canones; nempè ne passim, ne in ordinariis et quotidianis casibus appelletur.

Alterum, quòd in causis fidei romani Pontificis judicium *declinare non liceat :* quanquam ambiguum videri potest, strictè tamen loquendo, verum est. Aliud enim est, declinare judicium, tanquàm judex non sit legitimus et competens; aliud ab eo appellare, quia non sit usquequaque supremus.

Jam ex Gersone constat, Martini V famam graviter laborasse, quòd ab eo talia promulgata jactarentur [1]. Quin ipse Gerson, ne Martinum ea conatum reprehendisse videatur, pro suâ modestiâ, atque in romanum Pontificem reverentiâ, factum excusat, ut potest, et quâ demum ratione, verba Martini ab ejus benevolis ad commodum sensum leniter inflectantur ostendit. Denique viam docet, quâ Pontifex hujus rei declinet invidiam, ac factis dicta compenset. Adeo hæc non modò nulla et irrita, sed etiam Pontifici noxia videbantur.

His ergo omnibus constat; primùm, appellationem à Papâ ad futurum concilium, ipso concilio desinente quidem, sed tamen adhuc præsente, factam, non fuisse improbatam; sed in acta relatam, nullâ omnino notâ : tum Martinum V eas appellationes bis condemnare visum, sacræ synodi, imò totius Ecclesiæ refugisse lucem, atque synodi talia repellentis prævaluisse sententiam; denique, ut vel maximè fuerit diploma bullatum, vulgatum, ritu solemni promulgatum, omnino concidisse, eorumque loco esse, quorum in Ecclesiâ nulla vis, nulla mentio est.

[1] *Vid. Gers., Tract. Quomodo et an.*, etc. circa fin., tom. II. p. 308.

CAPUT XXVIII.

Bulla *Execrabilis*, Pii II in conventu Mantuano : quâ occasione lata : nostri intellexerunt de privatis tantùm negotiis, fundamento ex bullæ verbis petito : nec recepta est in Galliâ, et ab eâ quoque appellatum : appellationes postea frequentatæ.

Anno 1459, post conventum Mantuanum Pius II edidit bullam *Execrabilis et inauditus*. Hâc damnat eos « qui à romano Pontifice appellare præsumant : qui fecerit, sententiam excommunicationis incurrat [1], » aliasque pœnas, quæ in reos majestatis *, et hæreticæ pravitatis fautores decernuntur.

Hujus sententiæ has potissimùm exponit causas : « Quia periculum appellare ad id quod nusquam est, neque scitur quod futurum sit : quòd, eo obtentu, pauperes à potentioribus opprimantur multipliciter, remanent impunita scelera, nutritur adversùs primam sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis ecclesiastica disciplina et hierarchicus ordo confunditur [2], » Quæ docere videntur animum Pontificis fuisse, has appellationes prohibere in ordinariis tantùm casibus ac peculiaribus negotiis.

Et reverà constat eam bullam conditam occasione appellationis Sigismundi ducis Austriæ, à monitorio Calixti III *, in quâdam controversiâ cum Nicolao de Cusa cardinali, episcopo Brixinensi **, rerum temporalium causâ.

Itaque, anno sequente 1460, in appellatione eâ quam adversùs Pii II orationem in conventu Mantuano habitam, vir clarissimus Joannes Dauvet, procurator generalis, edidit, hoc etiam interposuit de bullâ *Execrabilis* [3] : « Neque est æstimandum sanctissimum Dominum nostrum, per litteras, quas Mantuæ publicasse fertur, quæ incipiunt *Execrabilis et inauditus*, voluisse prohibere ut in nullo casu, sive tangat conservationem orthodoxæ fidei, sive extirpationem schismatis, sive universalem reformationem Ecclesiæ in capite et in membris, super gravaminibus, quæ per aliquem summorum Pontificum inferri contingeret, principibus et regionibus liceat quovis modo habere recursum ad judicium plenarii concilii;

[1] *Bull.* Execrabilis. *Vid. in convent. Mant.*, tom. XIII. *Conc.*, col. 1801, 1802.

* Divinæ.

[2] *Act. appell. Sigism. Duc. Aust. Monarc. Imp.*, *Goldast.*, tom. II. p. 1576.

* Appellationem reperire non potuimus apud Goldastum et alios horum monumentorum collectores. Hoc tantùm ex Goldasto discimus : anno integro exacto post editam bullam *Execrabilis*, excommunicatum fuisse à Pio II Austriæ ducem, eò quòd sæpè licet monitus, cardinalem de Cusa insectari non desisteret : Sigismundum autem ab eâ excommunicatione appellationem emisisse, atque eâ occasione bullam à Papâ in Germaniam missam, et in Norimbergam, ubi appellationis instrumentum factum fuerat. Itaque appellatio Sigismundi videtur fuisse bullæ denuo publicandæ causa, non verò edendæ. Vid. Gold. et appell. et defens. Greg. de Heimbourg. Francof. 1607. (*Edit. Paris.*)

** Brixine seu Brixinum, aut Brixinia, urbs est Germaniæ in comitatu Tyrolis. (*Edit. Paris.*)

[3] *Preuv. des Libert. de l'Egl. Gall.*, *ed.* 1731, tom. I. cap. 13. n. 10. part. II. pag. 43.

cùm sub generali prohibitione non veniant ea quæ speciali expressione indigerent; et præsertim talia ex quibus læsio fidei orthodoxæ, et schismatum fomenta, atque gravissima decoloratio statûs Ecclesiæ universæ sequi possent. » Sic publicis ecclesiasticis causis accensebant magnorum imperiorum salutem ac pacem: cùm ea imperia pars maxima Ecclesiæ, eique ornamento et præsidio essent.

Cùm autem ipse dicat, bullam *Execrabilis*, in conventu Mantuano, *ut fertur*, publicatam; ostendit eam ad nos non fuisse perlatam, neque promulgatam consueto et canonico more; ac nedum recepta sit, palam ei reclamatum fuisse, eo quidem sensu, quo appellationes in gravissimis illis, quas diximus, causis prohiberet.

Cæterùm, quòd Pius II ridiculum dicebat, appellare ad id quod non sit, et quod extiturum sit ignorabatur; respondebant, concilium ex Constantiensi decreto debuisse celebrari, et quominus haberetur, elapso decennio, jam per Papam stare: tum verò Ecclesiam catholicam semper esse præsentem; neque cuiquam fraudi esse, quòd non congregata esset, cùm appellatio dirigatur ad Papam qui eam congregare tenetur.

Post eam ergo bullam, ejusdem Pii II tempore, multæ appellationes sunt editæ à nostris ab ipso ad concilium [1], quòd Pragmaticæ sanctionis condemnationem moliri videretur.

Has et alias ejusmodi multas per ea ferè tempora in Galliâ frequentatas omittimus; quòd in Probationibus libertatum Ecclesiæ gallicanæ integræ referantur [2].

Annotamus tantùm appellationem editam ad generale concilium ab Universitate [3], anno 1491, adversùs Innocentii VIII, gravem decimam imponentis, bullam.

Similem appellationem ab inclytâ ac venerabili Ecclesiâ Parisiensi prolatam [4] eodem anno * eâdemque de causâ legimus, ex quâ etiam multa suprà retulimus [5].

CAPUT XXIX.

Bulla *Suspecti reginimis* Julii II: in eâ clausulæ extra omnem ordinem: non publicata apud nos, nedum recepta appellationes postea frequentatæ, non tantùm à nostris, sed etiam ab aliis.

Anno 1509, Julius II bullam edidit *Suspecti reginimis*, quâ bullam *Execrabilis* Pii II renovat ac firmat; Leonardum Lauredanum ducem,

[1] *Preuv. des Libert. de l'Egl. Gall.*, ed. 1731, t. I. c. 12. n. 11 et seq. p. 44 et seq. — [2] *Ibid.*, n. 88, 12. p. 50 et seq. — [3] *Ibid.*, t. II. c. 22. n. 19. p. 44 et seq. — [4] *Ibid.*, t. I. p. 40.

* *Appellationem ab Ecclesiâ Parisiensi prolatam*, *anno* 1491, non vidimus inter acta quæ tomis *de Libertatibus*, etc., continentur. Fortè Ecclesia Parisiensis eo anno adhæserit appellationi sacræ Facultatis; nam *appellatio ab eâ Ecclesiâ prolata* an. 1501, sub Alexandro VI, inscribitur *secunda appellatio*. (*Edit. Paris.*)

[5] *Sup.*, lib. VI. cap. 22.

generale concilium et commune Venetiarum excommunicat, quòd jam excommunicati, quia urbes pontificiæ ditionis retinerent, ad *damnatum et prohibitum* appellationis remedium confugissent; illos eâdem appellatione usos simili pœnâ plectit; constitutionem [illegible] adversùs omnes valituram decernit, *cum suppletione solemnitatis [illegible] juslibet, etiam publicationis omissæ*[1]. Quæ quò magis decernuntur extra ordinem, ac supra omnem legem et canonem, eò minoris [illegible] putantur à nostris. Certè ut Galli clariùs designentur, nominatim [illegible] *lamenta* commemorat; quòd, quia apud nos nec publicatum, [illegible] receptum fuit, nostri, more consueto in gravibus causis, [illegible] sertim in concordatorum causâ, ad concilii generalis tutelam [illegible] carunt, in eâque sententiâ innoxii et illæsi diutissimè perstiterunt.

Neque Galli tantùm eas appellationes emisere, sed alii quoque [illegible] libris Probationum Ecclesiæ gallicanæ libertatum memorati[2]: [illegible] tantùm indicamus: cujusmodi sint lectori expendenda relinqu[illegible]

CAPUT XXX.

Bullæ Pii II et Julii II, occasione litium ac dissidiorum temporalium editæ, [illegible] appellationes respuunt, quàm incommoda remedia adhibeant: Andreæ [illegible] locus.

Neque enim orbis christianus adeò movebatur datis à Julio [illegible] Venetos, flagrante bello, sententiis. Bellum gerebatur inter Julium [illegible] principem et Venetos. Jam si, editis bullis, ac sub anathemate Julius pontifex jure repetit civitates eas, quæ de principe Julio bello [illegible] sunt, nullumque adversùs ea decreta præsidium est: nempe id [illegible] perest, ut et Veneti et quicumque principes, quàcumque necessitate [illegible] talia bella gesserint, deditionem faciant.

Neque verò res ab eo statu multùm abhorrebant, cùm Pius II diploma suum edidit. Nempe Sigismundus cum cardinale Cusano de temporalibus maximè litigabat, atque arma moverat, cardinalem [illegible] ceperat, cujus rei gratiâ à Pio citabatur Romam cum suis consiliariis, atque omnibus civibus, infinito licèt numero, uti de articulo, *Credo in Ecclesiam catholicam*: ejusque consectaneis respondentibus, quem sanè articulum ideo negare viderentur, quòd Pontificis decretis, de re etiam temporali, dicto audientes non essent. Sic à temporali lite ad hæresis quæstionem controversia deducitur, ut [illegible] nec mutire auderent. Quas adversùs ambages, atque circuitus, [illegible] quod petere refugium omnes optabant.

Neque verò id quæro, jurene an injuriâ Sigismundus egerit: [illegible]

[1] *Bull. Rom.*, t. I. *Bull.* XXII. *Jul. II*, p. 511; *Vid. Rain.*, an. 1509, n. 6 et 13; *et Spond.*, ad an. n. 1.— [2] *Preuv. des Libert.*, etc., t. I. part. II. c. 13, not. p. 59, 60.— [3] *Vid. Goldast.*, t. II. p. 1579, 1580.

tantùm indico, grave ac magnis quoque principibus, nedum privatis me tuendum, ita procedi; miscerique hæresim, subortis maximè temporali causâ litigationibus. Nec mirum si christiani principes, nationes, cœtus, quòd negari non potest, à romanis Pontificibus aliquando vexati, eversis antiquis juribus, imperatâ ingente pecuniâ, intentatis, sive etiam allatis armis, in Ecclesiæ catholicæ supremâ atque indeclinabili auctoritate, aliquid sibi præsidii relictum voluerint. Certè appellationes eas, ut ante concilium Constantiense celebratas, ita nec post Pii ac Julii decreta desiisse, multis exemplis ostensum est.

Unum superest quod objiciant; nempe à Leone X, bulla *Exurge, Domine*, Luthero vitio datum, « quòd citatus à Papâ in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum concilium, contra constitutionem Pii II ac Julii II, taliter appellantes hæreticorum pœnâ plectentes [1], » XVII kal. Julii, anno 1520. Bullam autem toto orbe christiano receptam esse constat.

Facilè respondemus receptam quoad ea, quæ ad Lutherum condemnatum pertinerent. Cæterùm verba prolata recitativè, ut aiunt, non decretivè posita, nullam vim addunt Pii II ac Julii II constitutionibus; atque adeò ut post eas, ita post hanc Leonis X bullam frequentatas appellationes, etiam à Germanis, atque ab ipso imperatore, relata superiùs [2] exempla demonstrant.

Cæterùm Lutheri appellatio verè temeraria et cavillatoria fuit, quòd à citatione appellans, in negotio fidei Sedis apostolicæ judicium detrectarit.

Neque eam tantùm causam Leo commemorat, cur Lutherus meritò condemnetur; subdit enim : « Frustrà etiam concilii auxilium imploravit, qui illi non se credere palam profitetur [3]. » Quare impuro sycophantæ, omnia per summam et apertam insaniam molienti, æquum erat nullum patere suffugium; non proinde debitum intercludi præsidium iis, qui verè gravati essent.

Nunc qui id genus præsidii renuunt, alias vias docent haud leviter incommodas, nempe *nullitatis*, ut aiunt, quam iniquis sententiis objiciant. At Galli non solent illam probare jurisprudentiam, quâ, objectâ nullitate, sententia contemnatur. De causis nullitatis coram judice agi volunt, ne sibi quisque judicet; modestius putant, si fortè à Pontifice vexatos se sentiunt, concilium habere judicem quàm nullo judice agere ut libet.

Andreas Duvallius, cùm appellationem omnem à Papâ illicitam judicet, idque sive sit infra, sive supra concilium, permittit tamen

[1] *Bull. Leon. X contra Luth.*, tom. XIV. *Conc.*, col. 396. — [2] *Diss. præv.*, n. 95. — [3] *Bull. Leon. X*, col. 397.

principibus ac rebus publicis, ad graves injurias depellendas, primùm, « non obedire mandatis Pontificis; imò, si aliter sibi succurrere non possint, strenuè prudenterque resistere [1]. » An ergo [illegible] principes strenuè rem gerere, quàm conciliare judicium exp[illegible] malint, ipsi dijudicent? Nos in his, ut diximus, nostræ q[illegible] summam non ponimus : ut quæ ad variabilem fortè disci[illegible] aliquâ ex parte pertineant. Certè Ecclesiæ catholicæ, ejusque [illegible]menici concilii, in rebus generalibus, maximè verò in fidei [illegible]stionibus, gravi contentione ortâ, supremam et ineluctabil[illegible]testatem, ex omnium sæculorum traditione asserimus; et in[illegible] judicatas post Constantiensia et Basileensia probatissima [illegible] referimus.

CAPUT XXXI.

Variæ de conciliis generalibus novissimi auctoris anonymi vitilitigationes : qu[illegible] ab eo pessimè constitutam : an concilia inter res incertas numeranda? Q[illegible] generales à particularibus, ad Constantiensis synodi mentem, jam indè [illegible] distinctæ.

Qui unius Papæ voluntati sine more modoque permittunt [illegible] eo peccare solent; primùm, quòd argumentationibus malunt [illegible] quàm traditionibus; tum eo vel maximè, quòd à quæstionis [illegible] procul absint; quæque plana per se et expedita sunt, miris [illegible]vant modis [2].

Et quidem in quæstione malè constituendâ auctorem anony[illegible] qui diligentissimus videri voluit, ubique multa peccasse jam [illegible]mus. Illud imprimis quòd nos ita refellit, quasi infallibilitate[illegible] concilio œcumenico tribuamus [3], cùm sine concilio œcu[illegible] catholicæ Ecclesiæ valere consensum, gallicana Declaratio [illegible]tissimè expresserit.

Jam de concilii superiore potestate, ad secundum caput g[illegible] Declarationis idem auctor hæc scribit : « Satis, inquit [4], patet [illegible]claratione cleri gallicani, accipi hinc summum Pontificem sine [illegible]cilio, illinc concilium sine summo Pontifice, cùm Declaratio [illegible] concilii Constantiensis nitatur, quæ aliam sententiam non [illegible]tunt; » quæ omnia falsissima sunt.

Primùm enim falsum est, à clero gallicano ea tantùm specta[illegible] concilia, quæ sine Papâ celebrentur [5] : nec minùs falsum est, [illegible] decreta Constantiensis concilii non aliam admittant sent[illegible] quàm eam scilicet de conciliis sine Papâ congregatis : primùm [illegible] concilium Constantiense declarat, Papam subesse, non modò [illegible]

[1] *Duv., de Rom. Pont.*, etc., part IV. q. ult. p. 626, *ed.* 1614. — [2] *Vid. Sup. pass.*, lib. IV, [illegible] VI. — [3] *Anon., de Libert.*, etc., lib. VII. cap. 9. n. 12. — [4] *Ibid.*, lib. V. c. 1. n. 6. — [5] *Vid. [illegible] præv.*, n. 84.

stantiensi concilio, « sed etiam cuicumque generali concilio legitimè congregato [1] : » non autem supponit omnia futura concilia sine Papâ congreganda esse; non ergo loquimur de conciliis sine Papâ congregatis : tum quia nec ipsum Constantiense concilium sine Papâ congregatum erat; quippè convocatum à Joanne XXIII, qui verus pontifex meritò haberetur; neque is concilium dissolverat; imò se concilio adhærere fatebatur, cùm illud Constantiense decretum est conditum, ut suo loco vidimus [2]. Postremò Constantiense concilium, in reformationis quoque causâ, Papam subesse concilio decernit, cùm reformationis negotium non nisi electo summo Pontifice tractaturum esset.

Quare quod idem anonymus ibique testatur [3], cùm ipse Papam synodo anteponit, agi de concilio, à quo summus Pontifex ejusque legati absint; nihil aliud testari visus, quam statum quæstionis à se ignoratum, eosque quos congerit Scripturæ ac Patrum locos, planè esse extra rem, idque ab eo actum, ut fucum faceret imperitis.

Sanè et illud constitit, non asseri à Gallis synodos sine Papâ congregatas, nisi iis in casibus, quibus eas et auctor anonymus [4], et alii passim theologi canonistæque admittant, hoc est, « in iis qui dilationem remedii non paterentur. »

Alia quidem quæstio esse potest; an concilium à romano Pontifice semel convocatum, ipsoque præside constitutum, ipso jure cesset, ubi ab eo concilio Papa recesserit, quemadmodum Constantiæ; vel ubi illud concilium Papa dissolverit, ut Basileæ factum est. Sed quæstionem eam, neque clerus gallicanus suâ Declaratione complexus est, neque anonymus pertractavit. Interim certum est, rem esse ab Eugenio IV judicatam; Basileense concilium ab eo dissolutum, haud minùs stetisse integrum; ut eam questionem aliquo certè casu, res inter judicatas referri necesse sit.

Quo fateamur necesse est, pleraque ac potissima anonymi argumenta, quoad hanc quidem quæstionem, plane considere; cùm non eò quò oportet, collimare constet.

At argutulum istud futile æquè ac invidiosum quod objicit; quamvis reges ac principes à populo plerumque suam auctoritatem acceperint, « tamen Galliarum regem comitiis generalibus superiorem esse [5], » et majestatis reos haberi qui sub Henrico III exegissent, ut rex comitiorum sententiam sequi teneretur. Quorsum enim istâ? An ut necesse sit ad gallicani imperii formam, Ecclesiam à Christo esse constitutam? Aut verò oporteat custodiendæ fidei ac religionis per universum orbem, eamdem ac unius gentis administrandæ esse

[1] *Conc. Const., Sess.* v. col. 22. — [2] *Sup.*, lib. v. c. 12, 22. — [3] *Anon.*, lib. v. c. 10. n. 4; c. 11. n. 3. c. 13; lit. et pass. — [4] *Ibid.*, c. 5. n. 13. — [5] *Ibid.*, c. 13. n. 12.

rationem? Cùm nec ipsa imperia eamdem formam habeant, neque Ecclesiam ad alias quàm ad Christi regulas exigi liceat. Quid autem illud est, ab eodem anonymo jactatum, non posse summum Pontificem Ecclesiæ subjacere, *à quâ suam non est mutuatus potestatem*? Quasi quis cui subjaceat, non in Christi arbitrio ac sapientiâ positum fuerit, aut id ratione aut humanis exemplis, non Dei revelatione, atque Ecclesiæ traditione, quærendum sit nobis.

Ejusdem notæ est, quod objiciunt [1], ut Ecclesia particularis, ut tota simul sumpta, episcopo suo capiti et pastori particulari; ita universalem Ecclesiam, nec totam simul sumptam, Papæ suo capiti ac pastori universali prævalere posse. Non enim quemadmodum Ecclesia universa, ita particularis, ex promissione Christi, certâ infallibili sancti Spiritûs assistentiâ pollet; ut proinde necessum, quemadmodum in Ecclesiæ universæ, ita in Ecclesiæ particularis consensu, certum collocare Spiritûs sancti magisterium ac testimonium.

Neque illud pluris est, non posse stare in Papâ eam, quam ipse quoque gallicanus agnoscat, *plenam potestatem*, si gallicanæ Declarationi detur locus. Neque enim plenam esse, *quæ ab alterius arbitrio vel judicio pendet* [2]. Quod quidem nihil aliud est, quàm in verba ludere. Plena enim dicitur respectu positivi juris, ea potestas, quæ omnia potest, ubi id necessitas, atque evidens utilitas postulavit, non ita sanè, ut omnia sine lege modoque possit.

At illud etiam argutius ac vanius, quod involvendæ quæstionis anonymo est positum [3]; Papam agnosci facilè ab omnibus, concilium rem incertam, nullâ verâ firmâque definitione constantem; ad hanc raram, *difficilem, ac ferè impossibilem* [4]; parumque abest, quin ab Ecclesiâ alienam prædicet; cùm præsertim tribus primis saeculis concilia generalia ipsa persecutio prohiberet. Sed hæc, ad petitionis tempus quod attinet, quàm falsa, quàm vana, quàm nulla sint, demonstratum suprâ [5].

Jam quòd partâ Ecclesiæ pace, conciliisque generalibus congregatis solitis, concilia rem incertam dicunt, quia dubium est per quos, quomodo constitui debeant [6]; hominum est, ut leniter dicam, nodum in scirpo quærentium. Vanas enim et inanes difficultates congerunt, non constare scilicet an concilia ex episcopis tantùm, an etiam ex presbyteris conflentur necessariò: quantus numerus aut episcoporum

* Pessime hic CHARLAS argumentatur. Non enim necesse est ut quis ab eo cui subjacet suam potestatem mutuetur. V. gr. licet Galli credant episcopos non à Papâ aut ab Ecclesiâ immediatè à Christo suam mutuari auctoritatem, nihilominus affirmant eos et Papam et Ecclesiam subjici. (*Edit. Paris.*)

[1] *Anon.*, lib. v. c. 13. n. 3. — [2] *Ibid.*, c. 1. n. 4. — [3] *Ibid.*, c. 13. n. 4. — [4] *Ibid.*, lib. VII. c. 2. n. 3; et lib. v. c. 13. — [5] *Dissert. prœv.*, n. 76. — [6] *Anon.*, lib. v. c. 2.

aut provinciarum adesse debeat : quinam *ex jure, quinam ex privilegio?* an per se, an per procuratores? tum quæ ratio absentium et excusatorum haberi debeat; imò an concilium universale sit? Quæ cùm dixerint, eò rem redigi volunt, « ut suprema et infallibilis sit summi Pontificis sententia, quam seu regulam semper tutò sequantur fideles [1]. » Quæ profectò si quid valent, illud efficient, ut conciliorum generalium omnem omitti mentionem præstabilius sit. An enim id agunt, ut unus Pontifex cuicumque cœtui voluerit, concilii generalis nomen adjiciat? An ut concilia generalia haberi aut non haberi perinde sit? Id quidem nonnulli apud se sentiunt; sed palam promere pudor, et christiani orbis reverentia prohibet. Ergo vel hæc omittant, vel nobiscum solvant. Cæterùm plana solutio est; primùm enim certâ traditione constat, sufficere ut episcopi concilio præsto sint; tum illud, concilium esse œcumenicum, cui, Papâ auctore, pro œcumenico concilio se gerenti Ecclesia universa communicaverit. Hinc concilii Constantiensis auctoritas asseritur : hinc prioribus Basileensibus gestis sua firmitas constat. Neque nocuit ea dissolutio, quæ ab ipso quoque Eugenio IV nulla et irrita declarata est; cùm totus christianus orbis haud minùs sanctæ synodo pro œcumenicâ sedenti et agenti communicaret.

Papâ autem auctore dicimus, ordinariè quidem, ac nisi ipsa necessitas aliud expresserit; quod schismatis causâ aliisque in casibus admitti ab omnibus summo consensu vidimus. Sed quoniam in conciliis non statim ac semper æquè perspecta est nominis christiani repræsentatio, quin interdum dubitari contingat, an aliquod concilium verè generale sit; tum Ecclesiæ consensu rem confici, romanorum quoque Pontificum auctoritate ostendimus [2].

Cæterum qui omnia incerta et perturbata esse volunt, nisi christiani, aliis Ecclesiis et episcopis perinde habitis ac si nihil essent, in unius romani Pontificis infallibilitate acquiescant, in quantas ambages quantasque turbas ipsi sese conjiciant, unde se nullo prorsus extricare valent pacto, jam toties notavimus, ut hæc dicere rursum, nihil aliud esset quàm actum agere.

CAPUT XXXII.

Recapitulatio eorum, quæ ad caput IV Declarationis gallicanæ dicta sunt, atque imprimis eorum quæ libro VII et VIII.

Absoluto nostro ad caput quartum Declarationis gallicanæ tractatu, superest ut quæ hic dicta sunt, ad rei memoriam in compendium redigamus.

1 *Anon.*, lib. V. c. 2. n. 7.— 2 *Sup.*, lib. IX. pass.

Primum illud præstruximus quartum caput Declarationis gallicanæ, rem esse judicatam [1]; quod sic conficimus : judicatum in concilio Constantiensi Papam, etiam in fidei quæstionibus, concilio subjici oportere : at qui errare non possit, eum in fidei negotio alteri subjici nefas : non ergo Papa is est, qui errare non possit. Rursus : In illo concilio, de Papâ, ut est Papa, actum est : non autem de Papâ, ut est privatus doctor : ergo Papa, etiam ut Papa, non is est qui errare non possit : at Constantiense concilium à totâ Ecclesiâ, atque adeo à romanis Pontificibus comprobatum fuisse, rationibus adstruximus necessariis [2] : ergo Papam non eum esse quem dicunt, res inter judicatas haberi debet. Hoc certissimum præjudicium. Nunc ad rem, si adhuc injudicata esset, conficiendum, hoc fundamentum posuimus : à Patribus vim summam et indeclinabilem esse repositam in eo, *quod ubique, quod semper est creditum* : non ergo in eo, quod solus Papa definiat [3]. Exinde concilia generalia ab apostolico usque concilio persecuti sumus; quod apostolicum Hierosolymitanum concilium, Actorum XV relatum, normam cæterorum, datamque in eo quæstionum finiendarum formam, ipsâ auctoritate apostolici nominis, et sancti Cœlestini Papæ, sanctique synodi quintæ sententiâ, et omnium postea sæculorum consensu praxi ostendimus [4]; collatisque gestis comperimus, ubique valuisse apostolicum illud : *Visum est Spiritui sancto et nobis*, atque illud : *Visum est Spiritui sancto*, cum illo, *et nobis*, hoc est cum ipsa episcopalis atque apostolici ordinis unitate esse conjunctum : non ergo quod nunc fingunt, synodos habere à Papâ, ut recta decidant, sed à Spiritu sancto, eique, conjunctâ universalis Ecclesiæ auctoritate ac testimonio.

Hic igitur conciliorum gestis evolutis apparuit, ita esse Ecclesiam constitutam, ut siquidem primæ Sedis sententiæ consensum accommodaret suum, quæstiones finitæ haberentur : sin autem gravis altercationes orirentur, adunatâ Ecclesiâ opus esset [5]. Compertumque item est, eo quidem rerum statu, primæ Sedis sententiam concilii œcumenici convocatione suspendi [6]; remque tantâ Ecclesiæ adunatæ auctoritate gestam, ut de pontificio decreto quæreretur, rettène haberet, necne; et responderetur à Patribus, si decretum probaretur, probandum videri; non quia falsum esse non posset, sed quia verax esse, facto examine, comperissent : atque omnino eo ritu cæterorum epistolæ, eodem quoque ritu romanorum Pontificum decretales epistolas examinatas, evolutis gestis, et synodi quintæ auctoritate monstravimus [7]. Quo item loco patuit romanorum Pon-

[1] *Sup.*, lib. VII. c. 2, 3, 4.— [2] *Ibid.*, lib. V. c. 27, et pass. toto hoc tract.— [3] *Lib.* VII. cap. 1.— [4] *Ibid.*, c. 6.— [5] *Sup.*, lib. VII. c. 7 et seq. usque ad 24.— [6] *Ibid.*, c. 10.— [7] *Ibid.*, c. 19.

tificum epistolas, et fuisse authenticas, totâ scilicet Sedis apostolicæ auctoritate prolatas; neque tamen fuisse normam fidei, cùm de illis quoque quæstio haberetur : de synodis autem nunquam eo ritu esse quæsitum; sed obedientiam statim consecutam. At non alia causa tanti discriminis, quàm quòd illa decreta retractabilia, hæc irretractabilia viderentur.

Atque hæc etiam de probatissimis romanorum Pontificum decretis facta esse vidimus. Jam quædam demonstravimus à sanctis synodis improbata constituta et responsa, quæ romani Pontifices, puta Vigilius et Honorius ritè interrogati ad Ecclesias edidissent [1]. Non ergo valere illud, pro privato doctore esse edita; omnesque vitilitigationes ita incidimus; ut quomodocumque respondeant, quosdam Pontifices, apostolico officio confirmandi fratres, in necessario articulo defuisse constet.

His complexi sumus primorum octo conciliorum traditionem nostræ sententiæ congruentem; quibus deinde conciliis reliqua omnia consentire, ex actis, et ex romanorum Pontificum consensione docuimus [2].

Quin etiam ostendimus, quæstionem hanc nostram, vel ipsâ operosissimâ conciliorum generalium convocatione confectam [3] : ne frustra Ecclesia collectis toto orbe Patribus, quærere laboraret auctoritatem irrefragabilem, quæ statim in romano Pontifice, vel solo præstò esset [4]. Ac siquidem Papa per se infallibilis, consilio tantùm atque admonitione indigeret, quod nunc comminiscuntur adsciscendos fuisse eos, qui doctrinâ, non eos qui auctoritate pollerent; qui papam docerent, non qui cum eo conjuncti docerent Ecclesias; denique qui admonerent, non qui conjudicarent et condecernerent : atqui omnino constitit non ita esse gestum; sed quæsitam in conciliis non tantùm majorem lucem, sed etiam majorem, et jam irrefragabilem auctoritatem : non ergo summam illam et indeclinabilem vim in romano Pontifice collocabant.

Quod autem objicitur, superioritatem atque infallibilitatem romano Pontifici à conciliis generalibus jam esse adjudicatam, Lugdunensique ac Florentinâ, Lateranensique synodis quæstionem judicatam, et Constantiensia jam Basileensiaque soluta esse decreta [5]; primùm quidem præstruximus; pessimè agere eos, qui ecclesiastica decreta collidant, non concilient : tum illud, perperam pro judicato haberi, quod palam à nostris assertum; à sanctâ Tridentinâ synodo, atque à Pio IV pro integro sanoque sit habitum. Denique, ne quid deesset, id quoque ex gestis probavimus, Lugdunensem, Florenti-

[1] *Sup.*, lib. VII. cap. 20, 21. — [2] *Ibid.*, c. 22. — [3] *Ibid.*, c. 34 et seq. usq. ad fin. lib. — [4] *Ibid.*, lib. VIII. c. 20. — [5] *Sup.*, lib. VII. c. 35, 36, 37.

nam, Lateranensem synodos nihil nocere Constantiensibus, neque Basileensibus prioribus gestis; sed conciliorum omnium unam [illegible] faciem, traditionem unam [1].

His igitur confectis, illud argumentum, quod ex conciliorum [illegible] firmatione repetebant, solvimus; docuimusque ipsum con[illegible] quid sit; neque eo quidquam superioritatis includi; vanosque [illegible] eos qui synodorum decreta, aut qui saltem anathemata à con[illegible] tione suspendunt, conciliorum omnium gestis evolutis pandi[illegible] Confutavimus denique qui episcopalem potestatem ac juri[illegible] nem, à papali potestate ac jurisdictione manare contendunt; [illegible] novellis sive adinventionibus, sive adulationibus, seu potiùs [illegible] briis, cùm priorum sæculorum firmam, ac Scripturæ inhæ[illegible] doctrinam opposuimus [3], tum gallicanorum episcoporum, ac [illegible] facultatis constantem sententiam.

CAPUT XXXIII.

Recapitulatio eorum quæ sunt in libro IX.

His quidem absolvimus quæ ad conciliorum generalium [illegible] ac traditionem attinebant. At sequente libro de rebus sine [illegible] generali tractatis dicere aggredimur. Ac statim id constituimus, [illegible] finiendas fidei quæstiones sufficere Papæ judicium, nisi gravis [illegible] sensio consequatur [4]. Quo loco exponimus illud sancti Augus[illegible] pelagianis dictum : *Causa finita est;* postea quàm scilicet à [illegible] apostolicâ responsa venerunt; et illud ejusdem : *Datum pela[illegible] competens sufficiensque judicium :* collatâque causâ pelagia[illegible] cum illâ Cypriani de rebaptizandis hæreticis; ex Augustino [illegible] mus, ut pelagianorum potiùs quàm Cypriani causa per Papæ [illegible] cium finita intelligatur, quòd de pelagianis quidem, ut aperte [illegible] reticis tota Ecclesia consentiret; Cypriani verò quæstio [illegible] *altercationum nebulis involuta,* concilii universalis sententiam [illegible] laret [5]. Non ergo in eo casu, sancti Stephani judicium, tota [illegible] Sedis apostolicæ auctoritate prolatum, à sancto Cypriano, à [illegible] Augustino, atque aliis orthodoxis pro ultimo et irrefragabili [illegible] habitum.

Qui deinde, ut hoc argumentum eluderent, responderunt, [illegible] tizationis quæstionem à Cypriano et Augustino, non inter fidei [illegible] stiones, sed inter adiaphora esse repositam, Patrum testi[illegible] obruimus, docuimusque omnino rebaptizationem eam, ex [illegible] quibus tunc propugnabatur argumentis, ad manifestam hæ[illegible] pertinere [6].

[1] *Lib.* V., integr. — [2] *Lib.* VIII. c. 1 et seq. usque ad XI. — [3] *Ibid.*, c. 11 et seq. usq. ad [illegible] — [4] *Sup.*, lib. IX. c. 1. — [5] *Ibid.*, c. 2, 3, 4, 5. — [6] *Ibid.*, lib. IX. c. 6, 7, 8.

Multa postea exempla ac decreta retulimus [1], quibus constet generales quidem omnes, ut Cæciliani, et sancti Joannis Chrysostomi, præsertim verò fidei, ut origenistarum, semi-eutychianorum, scytharum monachorum, Elipandique causas, non nisi universali consensione pro terminatis habitas [2]; in eamque sententiam, cum cæteris omnibus, romanos quoque Pontifices, Simplicium, Gelasium, Gregorium, alios consentire [3]. Nam de sancto Leone libro VII et VIII confectum est, cùm de concilio Chalcedonensi ageremus [4]. Non ergo summi Pontificis judicium per sese ante consensum pro irreformabili est habitum.

Quem ad locum ostendimus quæ sit illa obedientia secundùm canones, quam summo Pontifici præstarent episcopi et Ecclesiæ; idque conciliorum et ipsorum Pontificum auctoritate firmavimus; neque unquam ab episcopis postulatum, ut decreta pontificia etiam indiscussa reciperent: quo item conclusum, ad summam et indeclinabilem auctoritatem, consensum Ecclesiæ esse necessarium [5].

Hinc ostendimus viris bonis sanctisque non fraudi fuisse, quòd post romanorum Pontificum, in fidei quoque negotiis, pronuntiata etiam veridica, tamen suspenso animo manerent, donec Ecclesiæ consensus accederet [6]; id, inquam, bonis viris nunquam fraudi fuisse; non Polycrati Ephesio, aliisque Asianis; non sancto Cypriano, sanctoque Firmiliano, eorumque collegis, tot ac tantis viris; non Gallis nostris ac sancto Columbano, quibus romanorum pontificum Pelagii I ac Bonifacii III suspecta erat fides, eo quòd concilium quintum pro œcumenico approbassent; non item Gallis nostris, quòd Nicænam secundam synodum, Papâ auctore ac præside gestam, ad quam vocati non essent, pro œcumenicâ non agnoscerent, neque ullo modo admitterent; non omnibus denique conciliis, quæ romanorum Pontificum latas, etiam de fide, sententias, non nisi quæstione habitâ, susciperent. Ex quo illud argumentum: si romani Pontificis judicium pro irreformabili esset, non profectò qui, post illud per Ecclesias promulgatum, suspenso animo manerent, orthodoxi haberentur: habiti autem sunt orthodoxi: non ergo illud judicium pro irreformabili habitum.

His subjungimus claram professionem romanorum pontificum Innocentii III, Joannis XXII, Gregorii XII, Pii etiam IV, qui sibi à concilio aut à Christo judice metuerent, si publico officio functi, falsa ac fidei adversa respondissent [7]: non ergo existimasse eos, se in fidei negotiis, apostolico fungentes officio, fuisse infallibiles. Quo

[1] *Sup.*, lib. IX. c. 10, 11. — [2] *Ibid.*, c. 12, 16 et seq. usque ad 20. — [3] *Cap.* 14, 15. — [4] *Lib.* VII. c. 17, 18; lib. VIII. c. 20. — [5] *Lib.* IX. c. 21, 22. — [6] *Sup.*, lib. IX. c. 23, 24, 25. — [7] *Ibid.*, c. 26, 27, 28, 29.

loco attulimus Joannis XXII totâ Ecclesiâ promulgatam fidem, et Ecclesiæ judicio ab eo esse subditam, et à successore ad ex[illegible] revocatam [1] : non ergo eam fidem pro infallibili fuisse habitam.

Atque interim constitit, qui de Pontificis judiciis dubitarent, [illegible] tamen dubitasse de fide apostolicæ Sedis : ergo hæc duo stare [illegible] et Pontificem etiam judicantem errare potuisse, et tamen Sedem [illegible]stolicæ non defecturam fidem.

Quo item loco claruit multos incidisse casus, quibus Sedi [illegible]licæ ac pontificiæ auctoritati laboranti nihil aliud subveniret, [illegible] Ecclesiæ catholicæ auctoritas. Id Ecclesiæ romanæ status [illegible] sæculo ; id ingens illud schisma decimo-quarto sæculo demonstrat[illegible] stetisse interim unâ Ecclesiæ catholicæ auctoritate et ope Sedem [illegible]stolicam, ac pontificiam dignitatem ; nec minùs potuisse succ[illegible] Ecclesiam, ne quibusdam licèt Pontificibus falsa docentibus, [illegible] tamen apostolica, aut series Pontificum à fide abrumperetur.

Cui etiam rei serviunt graves romanorum pontificum, Liberii, [illegible]zimi, aliorumque plurimorum commemorati lapsus, rejectaque [illegible] singulis quibusque casibus vana effugia ; et clarè demonstrat[illegible] aberrasse à fide eos, etiam apostolico officio defungentes [2]. Qu[illegible] sus memorati, non ad improperium ; sed ut illud constet : [illegible] mani Pontifices, etiam ut tales, aliena à fide docent, haud [illegible] Ecclesiam catholicam, fidemque romanam, ac Sedem apostol[illegible] tanquam fidei caput et communionis ecclesiasticæ vinculum, [illegible] stituram.

Huc pertinent ea, quæ pro Joanne XXII, ab ejus ævi docto[illegible] ac præsertim Jacobo sanctæ Priscæ cardinale, mox Benedict[illegible] dicta sunt : ideo potuisse ab eo Nicolai IV decretalem tolli, [illegible] rigi, « quòd romani Pontifices errare possent, etiam deter[illegible] de fide [4]. » Id sæculo XIII ut certum proponebant : id in glos[illegible] que romanis ad Joannis XXII decretales habebatur : cui add[illegible] illud : XIV et XV sæculis, non modò Alliacensem, Gersonem, [illegible] tum et alios pios sanctosque viros innumerabiles, sed etiam Jo[illegible] à Turrecremata ejusque consortes, qui Eugenio IV adversùs B[illegible] sem synodum tanto se studio adjunxissent, id pro certo p[illegible] quòd à romano Pontifice falsa et erronea definiri possint, [illegible] judicio concilii judicium anteponi oporteat. XVI denique sæ[illegible] minicum Jacobatium cardinalem, haud absimilia Romæ qu[illegible] cuisse ; Adrianum verò Florentium Ultrajectinum, id Lovanii [illegible] operâ defendisse ; mox eumdem virum, jam Caroli quinti p[illegible] rem, episcopum, cardinalem, papam, non eam sententiam r[illegible] tasse, imò potiùs recudisse ; neque quemquam theologorum [illegible]

[1] *Lib.* IX, c. 28.— [2] *Ibid.*, c. 30, 31, 32.— [3] *Ibid.*, c. 33 et seq.— [4] *Vid. Diss. præv.*, n. 15, [illegible]

insurrexisse, imò illi favisse Lovanienses suos [1]; denique XVI sæculo exeunte, oriri cœpisse privatorum quorumdam theologorum dubias cunctantesque censuras; Ecclesiam verò catholicam, Tridentinumque concilium, ac Sedem apostolicam, ab omni penitus censurâ temperasse [2]. Hæc, credo, cogitantes censores nostros pudeat, ex suâ dubiâ novellâque sententiâ, novum fidei articulum repente condere; Parisiensiumque sententiam, tot retro sæculis saltem innoxiam, nunc demum proscribere, ex trepidis Bellarmini aliorumque censuris; insuper in re tam novâ, tam fluxâ, tam incertâ, omne Ecclesiæ Sedisque apostolicæ præsidium collocare.

CAPUT XXXIV.

Recapitulatio eorum quæ hoc postremo libro dicta sunt, de romanæ Sedis ac fidei firmitate, ac de illis verbis, *Tu es Petrus*.

Ultimo loco docuimus, nostram sententiam cum romanæ Sedis, romanæque fidei æternâ firmitate egregiè cohærentem; consensuque Patrum id obtinuimus, ut qui de hujus aut illius romani Pontificis definitione dubitassent, haud minùs certam tutamque romanæ fidei, Sedique apostolicæ adscriberent æternitatem. Atque hinc argumentum nostrum : si quid esset periculi in eâ sententiâ, quæ romanum Pontificem negat esse infallibilem, maximè ex eo quòd, cùm ipse deficeret, Ecclesiæ catholicæ, vel saltem Sedis apostolicæ periclitaretur fides : atqui demonstravimus, ex eo quòd romanus Pontifex unus aut alter deficiat, haud eo minùs stare, non modò Ecclesiam catholicam, sed etiam romanam Sedem atque fidem : ergo in eâ sententiâ nihil est periculi. Quo loco Christi de Petro et successoribus promissa dictaque ex perpetuâ Patrum traditione ita exposuimus, ut et nostra tueremur, et hæreticorum audaciam retunderemus. Sed quoniam nostri censores Christi dictis præfidere videntur, quæ in hunc contulimus locum, paucis repetimus; atque id scholastico more, ad juvandos eos, qui hoc genere delectantur.

Locus ille, *Tu es Petrus*, id effecit ut Petrus, quique, Petri vice, apostolici sive episcopalis collegii princeps futurus sit, ex officio teneatur, exemplo Petri, communem fidem omnium nomine promere; omnesque christianos movere ad fidei unitatem; ex quo sequitur, cum eo munere bene defungitur, ipsum fidemque ab eo expositam esse Ecclesiæ fundamentum [3].

Neque verò dicant, quemvis alium episcopum ac doctorem, eo modo futurum Ecclesiæ fundamentum, si vera prædicet. In eo enim vis est; quòd Petrus, ejusque vice romani Pontifices Petri

1 *Vid. Diss. præv.*, n. 27, 28.— 2 *Ibid.*, n. 14.— 3 *Sup. hoc lib.*, c. 1, 2.

successores ad id constituti sint. Quo fit ut illud officium, ille magistratus, illa potestas ad unitatem movens fidei, sit Ecclesiæ fundamentum; neque tolli ab Ecclesiâ, aut ullâ unquam vi labefactari possit.

Dices; non modò in genere pontificale officium, sed quivis romanus Pontifex Petri successor, petra est, fundamentum est: ergo immobilis est. Distinguimus: petra est, fundamentum est, officio; concedimus: ipsâ re, semper et necessariò; negamus.

Instant: immortalis ædificii fundamentum deficere non potest: at Ecclesia immortale ædificium est: ergo quisquis est Ecclesiæ fundamentum, is deficere non potest. Hoc argumento facilè concludi posset, Papam ne mori quidem posse, neque vacare posse Sedem apostolicam, ne Ecclesia interiret. Ergo ne nimis probes, ita distinguito: quòd immortalis ædificii fundamentum deficere non potest primarium, qui Christus est, verum; secundarium ac ministeriale, qui Papa est; rursus distinguito: deficere non potest absolutè et universim, hoc est, summâ ipsâ, et quoad integram seriem et successionem; verum: secundùm quid et accidentariò et particularier, falsum est.

Exemplum adduci potest ab ipsâ fundamenti ratione, à quâ deducta Christi locutio est. Ædificium enim stare nequit, penitus excusso fundamento; non autem statim omne collabitur, si sit aliqui in fundamento labes facilè sarcienda. Ita fieri nequit, ut ipse primatus, ipsum pontificale officium in Ecclesiâ intereat; nequè enim institutum à Christo officium aboleri potest. Ipse ergo papatus, ipse primatus, ipsa successio certum fundamentum est: ex romanis Pontificibus particularibus, velut eximiis lapidibus constat: summâ ergo consistit oportet. Certè aliquis lapis, aliquis summus Pontifex excuti ac labefactari potest, nullo totius ædificii periculo: aliud enim est petram ipsam exscindi, aliud aliquam ejus quassari partem.

Exemplum aliud sumi potest ab ipso episcopatu, qui absolutè in Ecclesiâ cessare non potest, eo quòd sit officium à Christo institutum. Neque si aliqui episcopi, ideo ipse episcopatus concidit, dicente Christo ad apostolos: *Ecce ego vobiscum sum.* Hæc enim promissa summâ ipsâ valent. Ita de papatu dicendum; nec magis fieri potest, ut papale, quàm ut episcopale officium in Ecclesiâ intereat.

Eodem modo solvitur illud quod aiunt: in eo vim esse, qui petra est; quemvis autem Papam petram esse: vim ergo repositam non tantùm in universis, sed etiam in singulis. Respondetur enim, vim quidem ipsam invictam et inconcussam in eo esse, qui petra principalis et angularis est, nempe in Christo: neque tamen negandum est in ipsâ ministeriali petrâ vim esse, maximam illam quidem ac præci-

puam; sed tamen partialem, ita ut totum ipsum parti prævaleat, ut sæpè diximus. Considerandum quippe est, cui sit firmitatis adjecta promissio, et unde petita sit. Et quidem à Christo petitur: *Ædificabo,* inquit; unde continuò ipsi adjicitur Ecclesiæ: *Et portæ,* inquit, *inferi non prævalebunt adversùs eam;* ut vim ipsam esse doceat ab eo qui ædificet, qui totum ædificium suâ virtute contineat, hoc est ab ipso Christo.

Si qui autem interpretes, illud: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* ad petram quoque referunt; primùm quidem pauci sunt, ac pro uno mille in contrarium recensere possumus; tum qui ita interpretantur, non ipsum romanum Pontificem semper, sed quemvis fidelem in Christo consistentem spectant: tertiò eò nos ducit et verborum tenor, et summa interpretum, ut ipsa Ecclesia sit, contra quam portæ inferi prævalere nequeant: postremò et illud docuimus, quo sensu petra ipsa ministerialis, Sedesque apostolica, Ecclesiarum caput, everti nequeat; ipsâ scilicet toti Ecclesiæ corpori promissâ et adjectâ vi.

CAPUT XXXV.

Recapitulatio eorum quæ hoc postremo libro dicta sunt circa illud, *Rogavi pro te.*

Jam in eo, *Rogavi pro te,* distinguendum diximus [1] quod ad præceptionem, et quod ad promissionem pertinet; ac promissionem quidem semper, præceptionem verò non semper implendam. Atque in promissione rursus distinximus id quod Petro esset proprium, et id quod ad posteritatem transiturum esset; ac Petro id esse proprium, quod Petri singulari personæ: transiturum autem ad posteritatem quod Petro figuram Ecclesiæ gerenti, et quod Petro Ecclesiæ principalis fundatori promittitur.

Quamobrem tria hæc ex æquo vera esse: fidem, fideique conjunctam veram confessionem, primùm in personâ singulari Petri nunquam defecturam; ac postea eamdem fidem, quam Petrus prædicavit, cùm in Ecclesiâ catholicâ, tum in Ecclesiâ particulari romanâ, ubi Petrus sedem fixit, æternum victuram totoque orbe celebrandam: unde jubeatur confirmare fratres, non modò ipse Petrus, sed quicumque in illâ sede sederit.

Hinc nostrum argumentum: non potest à nobis quidquam exigi ampliùs, quàm ut Christi promissio certissimè impleatur. Impletur autem Christi promissio, si Petrus ipse, si Ecclesia catholica in Petro figurata, atque Ecclesia romana à Petro fundata æternum in fide manserint. Neque id necesse est, ut quivis romanus Pontifex sit

[1] *Sup., hoc lib.,* cap. 3, 4, 5.

infallibilis : non ergo id à nobis postulari potest. Quod cùm per se clarum sit, tum illud invictum : de fide ipsâ agi, quâ corde credimus, eique conjunctâ fidei confessione, quâ nempe ad salutem ore confitemur : ergo ad implendam Christi promissionem, quærendum aliquid est in quo fides ipsa, quâ intus corde creditur, nunquam defectura sit : non autem talis est quivis romanus Pontifex ; neque aliud quidquam tale est præter ipsum Petrum, atque in Petro intellectam Ecclesiam catholicam peculiaremque romanam : non ergo aliud quidquam ad Christi promissionem pertinet.

Dices : quivis romanus Pontifex jubetur confirmare fratres : qui autem titubat, non ipse confirmat : nullus ergo romanus Pontifex titubat. Id censores nostri passim, id novissimus auctor anonymus ubique inculcant [1]. Argumentum vanissimum, quod sæpè notavimus ; ab eo quod fieri debeat, ad id quod semper futurum sit, sive ab injuncto officio, ad effectum necessariò secuturum.

At enim cuicumque officio sua est adjuncta gratia ; quâ impleri possit, fatemur ; quâ necessariò impleatur, non ipsi quidem dixerint.

Simile argumentum in illo præcepto : *Pasce oves meas* : certè ad illud implendum officium requiritur summa præ cæteris charitas, dicente Domino : *Simon Joannis, diligis me plus his ? Pasce oves meas* [2].

Neque illa summa charitas ad pascendum gregem minùs necessaria est, quàm inconcussa fides ad fratres confirmandos. Ergone concludes : in romano Pontifice semper est summa charitas? Absonum absurdumque sit.

Instas : at enim Petro illud, *ne deficiat fides tua*, datum est ad illud implendum ; *confirma fratres tuos*. Confirmatur ex Leone : « Pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit [3]. » Totum concedimus : atque omninò constat, ideo vel maximè confirmatum in fide Petrum, ut alios certiùs confirmaret. Ergo omnes successores æquè in fide confirmati sunt ; nunquam eorum mens victa est, quod de Petro Leo dixit ; nullo unquam errore, ne intus quidem laborarunt, aut laboraturi sunt, quemadmodum Petrus : id aliquis fortasse Pighius, non verò sanus homo, rerumque humanarum expertus dixerit.

Quod ergo novissimus auctor anonymus verba Christi ita connectit [4] : *Rogavi pro te* ; et, *Confirma fratres tuos* : quasi diceret : « Ego indeficientem tibi fidem impetravi : da operam ne alii deficiant ; » de Petro ipso verum est, qui ideo sit maximè idoneus ad confirmandos cæteros, quòd in eo fides, ne intus quidem, quâ de re agitur, defi-

[1] *Vid. Anon., Tract. de Libert., etc.* l. VII. n. 3 et pass. — [2] *Joan.*, XXI. 15. — [3] *Leon., Serm.* III. *in anniv. Assump. ejusd.*, c. III. — [4] *Anon.*, lib. VII. c. 3. n. 4.

ciat. Petri quidem successoribus id omnibus tribuere, nec ipsi audeant.

Quod autem idem anonymus subdit id Petro concessum, non solùm ipsius causâ, sed etiam in bonum gregis, rectum est. Ut autem proinde in successores transeat, et illa summa charitas, et ille in fide confirmatus animus, et cætera dona, quæ Petro in bonum gregis data sunt, falsa consecutio est.

Quomodo autem nos verba Christi connectamus respectu cujusvis romani Pontificis, sæpè expositum est; nempe sic; ut qui Petro succedit, præestque Ecclesiæ, sive universali, sive peculiari, in quâ Petri fides semper victura sit, is Petri exemplo ac vice fratres confirmare jubeatur.

CAPUT XXXVI.

An quemquam hominem infallibilem esse sit congruum, aut Ecclesiæ necessarium? an nulla sit Papæ, nisi infallibilis auctoritas? an Papâ errante nullum remedium?

Quæres cur tantopere laboremus, ne id tribuamus romano Pontifici, quod et ipsi et gregi utilissimum foret? Respondemus, ideo quòd non ratiociniis aut votis duci nos, sed certis promissis certâque traditione niti oporteat. Ac si vovere aut potiùs somniare placet; certè expetamus homines, ut romanus Pontifex, tanti gregis ductor, non modò nullo errore, sed etiam nullo unquam peccato, nullâ ignorantiâ, aut negligentiâ, aut cupiditate teneatur. Quod cur Christus non fecerit, ne quæri quidem fas est.

Pari jure quærerem, cùm Christus apostolis dixerit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, cur non episcopi apostolis substituti, æternæ fidei promisso gaudeant? Valebit fortasse illud sancti Augustini, aliâ occasione dictum, non id convenire huic tentationum loco; « in quo tanta sit infirmitas, ut superbiam possit generare securitas [1]. » Atque ideo factum est, ut illud, *vobiscum sum*, deficere possit in singulis; ipsâ tantùm summâ et universim valeat: quod idem in romanorum Pontificum seriem meritò conferri possit.

Quod autem objiciunt, si romanus Pontifex falsa definiat, actum esse de fide, nullumque remedium, ac ruitura omnia, cùm omnes ei statim parere debeant. Quærimus etiamne parere debeant adversùs jussa divina imperanti? Ne ipsi quidem id cogitant. At enim, inquiunt, hâc semel apertâ januâ, fas erit omnibus reniti palam; neque romano Pontifici vis ulla adfutura est, quâ sua etiam justa et necessaria decreta tueatur. Falsum id quidem: non enim si reluctante Ecclesiâ nihil potest, quemadmodum sub Liberio; aut si in

[1] *Aug. de Correp. et Grat.*, c. XIII. n. 40. t. 10. col. 772.

gravi dissensione sententia suspenditur, ut sub Stephano papâ factum; ideo necesse est hæsitare romanum Pontificem, statim atque aliqui obloquuntur. Quin eos et suâ et Petri auctoritate et reliquorum consensu premit damnatque, neque effugio locus.

Instant : at saltem in gravi dissensione, aut incerta erunt omnia, aut periculum schismatis imminebit, neque quidquam remedii est. Neutrum : nam et eruditiores traditione tenebuntur, ut factum sub Stephano Augustinus docet; et imperitiores, si quidem sunt Ecclesiæ veri filii, piæ matris judicium obedientissimè expectabunt. At enim repugnabunt romano Pontifici, quod per se ipsum grave est malum. Grave quidem illud in quocumque negotio; esset autem pestiferum, si id sine ordine et sine modo fiat : sed ut non ita fiat, ille Ecclesiæ pacificus ac temperatissimus Spiritus prohibet. Quid autem laboremus in quærendis iis quæ tum factu opus sit? Sunt quidem eâ de re multa à Gersone non incommodè scripta [1]. Verùm id sufficiat, infinita esse quæ ille Spiritus, in se unus ac simplex, in donis varius, Ecclesiæ suggerat. Id quidem certâ fide credere nos oportet; non remedia, non auctoritatem defuturam, cùm Ecclesia catholica dispersa et adunata tanta possit.

Hinc existit argumentum : id tantùm in Ecclesiâ habendum est pro impossibili, quo facto nullum superest veritati præsidium : at in casu, quem dicimus, tutum super esset in Ecclesiæ catholicæ auctoritate præsidium : non ergo ille casus est impossibilis. Quæ cùm ita sint, Ecclesia catholica sola est, quæ nunquam deficere, nunquam errare possit, ac ne momento quidem. Unde enim revictura? Pontifex mortuus in alio revicturus : vis enim illa creatrix Ecclesiæ inest; quod idem fieret, si fidei defectu moreretur. At non ut Pontificem si fortè aberrantem, Ecclesia catholica; ita aberrantem Ecclesiam catholicam, alia Ecclesia catholica corrigeret, coerceret, amoveret; aut si ad veritatem se ipsa revocaret, tamen labasceret ea, quâ omnium animos teneri ac niti oportet, auctoritas; nullumque omnino remedium superesset, si Ecclesia catholica dispersa, adunatave, semel à vero deflexisset. Quare ipsam primitus et radicitus immotam esse oportet.

Hinc etiam diximus constare suam Sedi apostolicæ, Ecclesiarum capiti, firmitatem. Sive ergo, quod absit, sacrosancta illa Sedes infidelium tyrannidi subsit, ut factum sub romanis persecutoribus; sive exagitati seditionibus romani Pontifices aliò se conferant, ibique consistant, ut persæpe contigit; sive quid aliud humano animo provisum aut improvisum eveniat; providebit Deus, ut clara, perspicua, certa, intaminata, immota consistat, seseque assiduè reparet atque

[1] *Vid. Gers., lib. de Exam. doctr.*, etc.

propaget illa Petri successio, quæ catholicæ Ecclesiæ radix fundamentumque est.

In eâ quisquis quocumque modo à fide deficiat; non tamen romana, non Petri ac Pontificum interibit fides: ipsi enim immortale semen post se reliquerunt.

Hæc igitur fides, ut mortuo Pontifice non moritur, ita quoquo modo deficiente non deficit: atque hoc est illud immotum, quod in sede Petri, ab ipsâ christianitatis origine, Patres prædicarunt.

CAPUT XXXVII.

An contraria sententia dignum aliquid ecclesiasticâ gravitate dicat?

Qui aliud postulant, nec ipsi se capiunt. Primùm enim non capiunt ipsam fidei vocem. Christus enim fidem dixit quâ christiani sumus, quamque intus corde gerimus. Hanc si omnibus et singulis Petri successoribus promissam arbitrantur, planè desipiunt; neque id profectò faciunt. At si id vel maximè contendant, non proinde suam confirment sententiam. Eo enim sensu romanus Pontifex, puta Liberius, modò rectè intus credat, licet exteriùs prava decernat, in fide Petri stabit, quod nec ipsi volunt, et est absurdissimum.

Damus etiam casum, quo romanus Pontifex, puta Honorius, non indocili aut contumaci animo falsa definiat; quid dicent? Defecisse in illo fidem? Nequaquam: atque haud magis quàm in Cypriano sanctissimo Christi confessore defecerit, cùm, synodo convocatâ, falsam pronuntiavit de rebaptizatione sententiam. Quid ergo? Stetisse in fide Petri? Ergo stante promisso, falsam fidei definitionem ediderit: quòd maximè respuunt.

An dicent, nullum Pontificem, neque per contumaciam, neque per imprudentiam, de catholicâ fide falsa unquam crediturum? Id credo, ne ille quidem irrisus ab omnibus dixerit Pighius. Is enim à romano Pontifice, non errorem sanè omnem, sed contumaciam, quâ fiat hæreticus, amoliri videtur. Ad alia ergo confugiunt; nempe huc, ut romanus Pontifex, falsa licèt credens, tamen ea decernere aut definire prohibeatur. At nec sic se ipsi intelligunt, qui primùm eam, quam Christus dixit, fidem, in externam ac nudam professionem vertunt: tum ne quidem capiunt quæ sit illa professio, quam in Petri successoribus extingui posse negant.

Ecce enim Joannes XXII moriens de visione beatificâ fidei professionem edidit: hanc Benedictus XII ad omnes Ecclesias apostolicâ auctoritate direxit: ipse tamen postea, tanquam re integrâ, de eodem argumento quæstionem habuit[1]. Talis ergo professio tam solemnis,

[1] *Sup.*, lib. IX. c. 28.

tam authentica, non id fuerit quod immotum, inconcussum, informabile, infallibile esse velint.

Huc passim decurrunt, ut tum romanus Pontifex errare non possit; cùm doctorem agit publicum; cùm fungitur officio confirmandi fratres; tanquam Joannes atque Benedictus non id docuerint totam Ecclesiam, quod dato diplomate, toti Ecclesiæ testarentur atque profiterentur. An ergo consultos interrogatosque esse oportet, ut doctorem agant publicum, atque apostolico funguntur officio? Quid à ipsi ultro doceant, Ecclesiarum necessitate compulsi? Quid quod interrogatos pro officio falsa respondisse constat? Testis Honorius, aliique complures, quos interrogatos, etiam ab episcopis, falsa et evangelicæ adversa doctrinæ rescripsisse in confesso est.

Hic quidem in varias interpretationes abeunt. Bellarminus enim, jure licèt interrogatos, pro privatis doctoribus respondisse dicit[1]. Quod quoniam absurdum est, nec stat romanos Pontifices pro officio rogatos, privatam egisse personam; ecce Lovanienses quidam nova comminiscuntur[2]. Nempe urgebat locus Adriani VI, affirmantis certum esse « quod Ecclesiæ romanæ caput Pontifex possit errare, etiam in iis quæ fidem tangunt, hæresim per suam determinationem ad decretalem asserendo. » Quo loco mira narrant : « Non enim omnia, inquiunt, quæ Pontifex etiam consultus scribit, aut rescribit tanquam vir doctus et potestatem habens, mox habenda sunt pro definitione Sedis apostolicæ. » Ac rursus : « Multa referuntur ad summum Pontificem tanquam ad supremum judicem, non quidem semper ut ipse tanquam universalis doctor, ex infallibili Spiritûs sancti assistentiâ illa dijudicet; sed sæpius tantùm, ut auctoritate supremâ, secundùm suam sapientiam et prudentiam particularem, desuper dicat judicium; et difficultatibus quæ in facto sic occurrunt, finem aliquem imponat; saltem donec pleniori examine præmisso, si res sit gravior, et ad fidem vel bonos mores tendens, ex cathedrâ à Pontificibus definiatur. »

En quot in partes Pontificem scindant ac distrahant; neque tantùm secernant privatum doctorem à doctore publico; sed etiam ab universali doctore supremum judicem, et ab ipsâ cathedrâ supremam auctoritatem particulari prudentiâ exercendam, atque ab his omnibus segregant Spiritûs sancti assistentiam : tanquam ad apostolicum officium confirmandi fratres non ista pertineant.

Atque hæc dicunt evenire etiam in iis, quæ ad fidem moresque spectent. Nam id omnino ibi agebatur, ut ex ipso argumento, verbisque ipsis constitit. Quæ quis intelliget? Ne ipsos quidem arbitror.

[1] *Sup.*, lib. VII. c. 21 et seq.; lib. IX. c. 16 et seq.; *Vid. Bell., lib. de R. P.* — [2] *Sup.*, lib. II. c. 40; *Doct. Lov.*, p. 59.

At unde ista desumunt? Ex Scripturâ? Ex Patribus? ex conciliis? ex romanis Pontificibus? Ne verbum quidem. Atque interim hanc novam recensque eductam è cerebro sapientiam, si Deo placet, pro fidei catholicæ decreto venditant.

Ad formulas quippe nos redigunt; et tamen Gregorium II falsum esse fatentur, in quæstione fidei, cùm evulgare se diceret, « apostolici vigoris doctrinam per beatum Petrum, unde apostolatûs et episcopatûs initium est[1]. »

Hæc ergo tam nobilis formula non sufficit. Additam volunt excommunicationem. Atqui Alexander III excommunicationem addidit ei decreto, cujus doctrinam tanquam ex Scripturâ proditam exponens, haud minùs fallebatur, ut vidimus[2].

Ergo romani Pontifices edicant oportet doceri à se omnes; aut ab omnibus, quæ doceant, teneri oportere, siquidem se infallibiles esse voluerint. Quo ictu quot acta bona probaque concidunt? Quid si reverà doceant omnem Ecclesiam, nec docere se dicant? Cassi erunt? Quis has ferat insanias? hos de tanto officio, de tantâ personâ ludos? At si licet adversariis hæc ex cerebro comminisci, atque his explicare, quid sit ex cathedrâ; et nobis licebit, ex cathedrâ id dicere, quod ex communi traditione et consensione sit proditum.

Ac reverà patet via, quâ omne verum decretum pontificium ab omni erroris notâ eximamus. Nempe confitentur omnes, multa decreta ipso jure esse nulla, quòd sint contra canones: quantò magis si fidei adversentur? Non ergo habebuntur pro veris pontificiis decretis, ea quæ ipso jure nulla sint.

Quin et illud in promptu est cum quibusdam dicere; nullum romanum Pontificem, falsum contra fidem profiteri ac pronuntiare posse; quando professus ac pronuntians cessat esse Pontifex.

Ac saltem licebit dicere, nullum certum Pontificem falsa pronuntiare, cùm falsa pronuntians statim sit dubius; quippe quem multi gravesque doctores, nullum ipso facto esse doceant.

Quid quod Turrecremata docuit, Papam hæreticum, occultum licèt, ipso facto cessare esse Papam: quo casu contra fidem pronuntians, ipso consensu in hæresim, Papa esse desierit.

Quòd si hæc Ecclesiæ catholicæ gravitate parum digna videantur, jam omnes eo pariter consistamus gradu, ut Ecclesiam romanam, Sedemque apostolicam, summamque ipsam ac seriem romanorum Pontificum, sanam, integram stare, ac romanam fidem vigere statuamus; quidquid, quocumque modo quidam fortè Pontifices doceant, judicent, definiant.

[1] *Sup.*, lib. IX. c. 38; *et Greg. II, epist.* XIII. *ad Bonif.*, tom. VI. *Conc.*, col. 1448.— [2] *Sup.*, *ibid.*, c. 39.

LIBER UNDECIMUS.

DE PONTIFICIÆ POTESTATIS USU PER CANONES MODERANDO; AD CAPUT TERTIUM GALLICANÆ DECLARATIONIS.

CAPUT PRIMUM.

Refertur caput tertium gallicanæ Declarationis.

Hinc apostolicæ potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam regulas, mores et instituta à regno et Ecclesiâ gallicanâ recepta, Patrumque terminos manere inconcussos : atque id pertinere ad amplitudinem apostolicæ Sedis, ut statuta et consuetudines tantæ Sedis et Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant.

CAPUT II.

Exponitur tertium caput gallicanæ Declarationis : hujus duæ partes : id probandum suscipitur, ecclesiasticam disciplinam, sive universam, sive particulares sperati Ecclesias, à romano Pontifice regi, adhibitis regulis, sive universim, sive particulatim receptis.

Tertium caput Declarationis gallicanæ versatur circa usum apostolicæ potestatis, quoad ecclesiasticam disciplinam : ac secundo ejusdem Declarationis capiti, Constantiensique decreto meritò annectitur.

Postquam enim erat positum ex ejus decreti auctoritate, pontificiam potestatem conciliari subesse, etiam quoad fidem ac reformationem, quâ ecclesiastica disciplina continetur : exponendum restabat, quæ esset illius subjectionis ratio in utrâque istâ re : quod tertio quartoque capite gallicani Patres exequuntur.

Et Galli quidem nostri, æquè ac cæteri agnoverunt semper in Petro et successoribus plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, « quam nemo hominum præter Christum, imò nec Ecclesia tota conferre potuit et auferre; » sed simul docuerunt hujus potestatis exercitium et usum canonibus moderandum : quod à Gersone dictum [1], non modò Academia Parisiensis, atque Ecclesia gallicana, nostrique omnes; sed etiam per universum orbem optimi quique magno studio celebrarunt.

Hanc ergo doctrinam, quâ ecclesiasticæ disciplinæ ratio, Ecclesiæque gallicanæ libertates constant, Patres gallicani tertio capite profitentur.

[1] *Gers., de Potest. Eccles., cons.* I et X. tom. II. pag. 227, 240; *Serm. cont. Bull. Mart. ibid.*, p. 432; *De stat. Eccles., de stat. Præl., consid.* IV. *ibid.*, p. 532,

Dividitur autem caput illud bifariam. Cùm enim ecclesiastica disciplina, vel universim spectetur, vel particulatim; hoc est, vel universam Ecclesiam, vel particulares respiciat Ecclesias, putà gallicanam; exponunt gallicani Patres, utroque respectu Ecclesiam, non ad arbitrium regi à romano Pontifice; sed universam quidem per canones ubique receptos, *ac totius mundi reverentiâ consecratos:* particulares verò Ecclesias, verbi causâ gallicanam, per regulas in hâc Ecclesiâ receptas. Regularum verò nomine etiam consuetudines approbatas comprehendunt.

Ac ne qua sit difficultas, exponunt, recepta ea, seu approbata haberi, quæ Sedis apostolicæ atque Ecclesiarum consensione et usu obtinuerint: quæ usque adeo sana sunt, ut de iis ferè ipsi etiam adversarii conticescant.

CAPUT III.

Ecclesia romana iisdem canonibus regit Ecclesias, quibus ipsa regitur: probatur ex romanis Pontificibus.

Hæc igitur singillatim exponere potiùs, quàm probare nos oportet. Exponimus autem maximè ex Sedis apostolicæ decretis, quæ obvia, ac toties amplis voluminibus memorata, nunc compendiosè recensere placet.

Id fundamenti loco ponimus, Ecclesiam romanam eò maximè eminere cæteris, quòd canones, et sequatur, et aliis sequendos suâ auctoritate præscribat.

Id sanctus Gelasius profitetur loco celebri, quo docet[1]: « Uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ et unamquamque synodum suâ auctoritate confirmat, et continuatâ moderatione custodit. » En quæ romana Sedes exequi, atque exequenda mandare velit; ea nempe quæ et *ipsa firmavit, et universalis Ecclesiæ probavit assensus.*

Et ante eum Zozimus[2]: « Indecens autem.... hoc ab episcopis ob certas causas concilium agitantibus extorquere, quod contra statuta Patrum et sancti Trophimi reverentiam *, qui primus metropolitanus

[1] *Gelas., ep.* XIII. *ad Ep. Dard.*, tom. IV. *Conc.*, col. 1200. — [2] *Zozim., ep.* XII. *ad Episc. Prov. Narb. et Vienn.*, tom. II. *Conc.*, col. 1570.

* Massiliensis et Viennensis episcopi Patroclus et Simplicius, id sibi juris arrogabant, alter ut secundæ Narbonensis, alter ut Viennensis provinciarum episcopos ordinarent. At Zozimus, in eâ epistolâ et in iis quas de eâdem re antea scripserat, decernit hoc jus metropoliticum per eas provincias à solo Arelatensium civitatis episcopo exerceri oportere. Nemo nescit secutis temporibus, inter Leonem Magnum et Hilarium Arelatensem intercessisse grave dissidium; quo in dissidio, Leo Hilarium metropolitico jure privavit; causatus nempe, jus illud à se posse abrogari, ideo quòd *per privilegium Patroclo*, proximo Hilarii prædecessore fuerat à *Sede apostolicâ temporaliter concessum.* Ep. X. Leon. al. LXXXIX, ad Episc. Prov. Vienn. Quæ Leonis verba multis persuaserunt suppositiam esse eam Zozimi epistolam, quâ metropolitica

Arelatensis civitatis ex hâc Sede directus est, concedere vel [illegible] ne hujus quidem Sedis possit auctoritas. » Cujus rei causam [illegible] subdit his verbis : « Apud nos enim inconvulsis radicibus [illegible] quitas, cui statuta Patrum sanxere reverentiam. »

Hæc occasione Arelatensis Ecclesiæ dicta sunt à Zozimo [illegible] peculiaribus Ecclesiarum, quæ secundo loco in hoc tertio [illegible] clarationis gallicanæ contineri vidimus. Et his quidem [illegible] Sedes apostolica profitetur; quantò magis iis quæ universalis [illegible] firmavit assensus.

Hinc Leo ille Magnus : « Nimis improba sunt, nimis [illegible] sanctissimis canonibus probantur adversa [1]. »

Sanctus Gregorius Magnus : « Si canones non custoditis [illegible] rum vultis statuta convellere, non agnosco qui estis [2]. »

Sanctus Martinus, doctissimus pontifex et martyr egregius [illegible] nones ecclesiasticos solvere non possumus, qui defensores et [illegible] canonum sumus, non transgressores [3]. » .

Et sanctus Leo III, ad Caroli Magni legatos : « Ego me illis ([illegible] Patribus*) absit ut præferam : sed etiam illud absit, ut [illegible] præsumam [4]; » cùm ab eo peteretur ut in disciplinâ canondi [illegible] aliquid innovaret**. »

Sanctus Leo IV : « Non potuimus præfixos Patrum termines immutare [5]. »

Nicolaus I, auctoritatis apostolicæ vindex acerrimus, de [illegible] deposito, ac Photio contra canones substituto : « Talibus itaque [illegible] juris nostri, id est, canonum gubernacula custodimus, [illegible] obviemus [6]. » Ac postea : « Canonum paternorum vetus [illegible] vetur. » Atque aliâ epistolâ eâdem de re : « Romana Ecclesia [illegible] sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus [illegible] sequitur [7]. » Verùm hæc tractatio in volumen excrescet, [illegible] congerimus.

His ergo evincimus duo; canones in Ecclesiâ romanâ [illegible] observatos : canonum observantiam ab Ecclesiâ romanâ [illegible]

potestas Arelatensi episcopo asseritur. Sed hanc esse genuinam invictissimè [illegible] in suâ dissert. v in S. Leonem, quæ est apologetica pro S. Hilario. Vid. hanc [illegible] cap. VI. (*Edit. Paris.*)

[1] *Leon. Mag. epist.* LXXX. al. LIII. *ad Anast. C. P.* — [2] *Greg. Mag.*, l. III, [illegible] al. LII. *ad Joan. C. P.*, t. II. col. 663. — [3] *Mart. I, ep.* IX. *ad Pantaleon.*, l. VI. [illegible]

* Chalcedonensibus.

[4] *Rescrip. Leo. III ad Carol. Mag.*, tom. VII. *Conc.*, col. 1185.

** Leo nunquam potuit eò adduci ut verbulum *Filioque* Symbolo adderet : [illegible] bat, Patres Chalcedonenses, in Symbolo Nicæno, *tollendo*, *addendo*, [illegible] *inserere prohibuerunt*. Deinde, paucis interjectis, ea dixit quæ à Bossuet in [illegible] (*Edit. Paris.*)

[5] *Fragm. Epist. Leon. IV ad Loth. Imp.*, tom. VIII. *Conc.*, col. 35, malè 33. — [6] [illegible] *Epist.* II. *ad Michael. Imp. ibid.*, col. 272. — [7] *Ibid.*, *ep.* V. ad eumd. col. 279.

in omnia Ecclesiæ membra, et exemplo et auctoritate diffusam. Hoc enim est quod aiebat papa Zosimus [1] : « Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas; » hoc est, et hæret apud nos, et inde pullulat per omnes Ecclesias. Quo etiam spectant illa sancti Innocentii ad Victricium Rothomagensem [2] : « Rectè postulasti, ut in illis partibus istiusmodi, quam tenet Ecclesia romana, forma servetur; non quæ nova præcepta aliqua imperentur; sed ea, quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen apostolicâ et Patrum traditione sunt constituta. »

Sic Ecclesia romana antiquas regulas, quas ipsa omnium prima servarat, servandas mandabat cæteris. Hinc etiam Nicolaus I, epistolâ ad Photium hæc docet : quòd Ecclesia romana sit caput omnium Ecclesiarum, illas « ab eâ rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus et ecclesiasticis institutionibus, quas secundùm canonicas et synodicas sanctorum Patrum sanctiones inviolabiliter atque irrefragabiliter retineret, exquirere et sectari [3]. » Ergo firmum illud apostolicæ Sedis perpetuâ traditione, hinc ad omnes Ecclesias, à romanâ Ecclesiâ omnium principe, ordinem propagatum; quòd eas iisdem canonibus regeret, quibus ipsa prima omnium regeretur.

CAPUT IV.

Idem probatur ex gestis sub Bonifacio II; et ex concilio romano sub Joanne IX, de translationibus.

Hinc fit, ut vix ullos habeamus ordinandæ in romanâ Ecclesiâ disciplinæ peculiares canones constitutos; sed quæ per omnes Ecclesias jubebantur, ea in Ecclesiâ romanâ, vel primitus obtinebant, vel diligentissimè recipiebantur et custodiebantur. Sic annexus sacris ordinibus cælibatus; sic sacræ electiones ordine celebratæ; sic vetitæ translationes; sic eadem omnia, quæ cæteris Ecclesiis, Ecclesia romana sibi vel maximè interdicta esse intellexit.

In vitis Pontificum legimus de Bonifacio II [4] : « Hic congregavit synodum in basilicâ beati Petri apostoli, et fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis sacerdotum et jurejurando, ante confessionem beati Petri apostoli, in diaconem Vigilium constituit. Eodem tempore factâ iterum synodo, hoc cassaverunt sacerdotes omnes, propter reverentiam Sedis sanctæ; et quia contra canones fuerat factum, et quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius papa reum se confessus est majestatis*, quòd diaconem Vigilium sui subscriptione chiro-

[1] *Zosim.*, ep. VII. jam cit. — [2] *Sp. Innoc. I ad Victr. Rothomag.*, tom. II. *Conc.*, col. 1250. — [3] *Nicol. I. Epist.* VI. *ad Phot.*, tom. VIII. *Conc.*, col. 223. — [4] *Lib. Pont. Anast. in vit. Bonif. II*, tom. XV. *Conc.*, col. 1662.

* Divinæ.

graphi ante confessionem beati apostoli Petri successorem constituisset, ac ipsum constitutum in præsentiâ omnium sacerdotum et cleri et senatûs incendio consumpsit. » Ad reverentiam sanctæ Sedis pertinere intelligebant, ut, quæ in eâ contra canones fierent, castigarentur. Neque Bonifacius allegabat plenitudinem potestatis, quâ supra canones evectum se esse jactaret; sed ipse primus omnium canonibus serviebat. Ita rem gerebant optimis Ecclesiæ romanæ temporibus.

De translationibus memorabile illud; nullum in Sedem apostolicam ab episcopatu translatum videri, ante Marinum anno 882, aut Formosum anno 891, ex episcopo Portuensi assumptum : ut totis fere nongentis annis Ecclesia romana nullam translationem noverit : adeo canonibus, quibus Ecclesiam regeret, serviebat.

Et id quidem Marino à Basilio Macedone imperatore exprobratum : Stephanus verò V, à Marino tertius, sic respondet[1] : « Quicumque dicunt Marinum fuisse antea episcopum *, ac proinde non potuisse ad aliam sedem transferri; ostendant illi id apertè. Scito, dilecte, et omni honore digne imperator, quòd licet illi impedimento sit, quod objicitur de canone, cùm tamen id nunquam fuerit, multitudo tamen sanctorum Patrum, et illorum auctoritas et judicium potuit illum constituere in primo gradu. » Quo loco, per *multitudinem sanctorum Patrum*, significat sacrum concilium Ecclesiæ ac provinciæ romanæ, vicinarumque Ecclesiarum, quæ Papæ electionem facere vel firmare consueverant; quarum auctoritate Marinus per dispensationem transferri potuerit.

Tum profert Gregorium Nazianzenum et alios, qui *è suis sedibus ad alienas translati sunt*. Nec ille quidem dicit, romanam Ecclesiam aliis eminentem, canonibus non teneri; imò dispensationem *ex sacri concilii auctoritate*, in eâ, ut in aliis, locum habere potuisse.

Cætera quæ subdit, tametsi peccatum fuisset in Ecclesiâ romanâ, tamen *primam Sedem à nemine judicari*; eò pertinent, non ut Ecclesia romana canonibus non obligetur; sed ut ejus Pontifices, etiamsi peccasse videantur, non tamen subsint particulari concilio, quale adversùs Marinum Constantinopoli ab imperatore congregari potuisset; quod alterius loci est.

De Formoso quidem omnes norunt ejus cadaver à Stephano VI (septimum passim vocant) refossum, objectumque illud mortuo :

[1] *Steph. V, epist.* I. *ad Basil. Imp.*, tom. IX. *Conc.*, col. 367.

* Marinum fuisse episcopum à Joanne IX constitutum dicit quidem Fleury, lib. LXI, n. 37, sed negat ulli Ecclesiæ fuisse prælatum. Nempe eo tantùm consilio ordinatus fuerat, ut ad Sclavos divini verbi præco dirigeretur. Vid. ejus vitam à Binio scriptam, tom. IX. Conc. col. 356. De Marini episcopatu sic Baronius memorat, an. 882, tom. X, p. 563. *Cujusnam Ecclesiæ episcopus fuerit non satis exploratum* habemus. (*Edit. Paris.*)

« Cùm Portuensis episcopus esses, cur ambitionis spiritu romanam Sedem usurpasti[1] ? » Ac deinde tribus abscissis digitis, quibus Pontifices benedicere solent, projectum in Tiberim.

Hæc quidem infanda acta à Joanne IX damnata sunt in concilio primo Romano, septuaginta quatuor episcoporum, cujus synodi capitulum tertium sic habet[2] : « Quia necessitatis causâ de Portuensi Ecclesiâ Formosus pro vitæ merito ad apostolicam Sedem provectus est, statuimus et omnino decernimus, ut id in exemplum nullus assumat; præsertim cùm sacri canones hoc penitus interdicant, et præsumentes tantâ feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem; quippe quod necessitate aliquoties indultum est, necessitate cessante, in auctoritatem sumi non est permissum. »

Canon memorabilis, quo Ecclesia romana ut forma cæterarum, adeo communi reliquæ Ecclesiæ canone se teneri testata est, ut id etiam vereretur, ne laxata apud se disciplina, aliis quoque laxata esse videretur : adeoque et ipsa laxati erga se canonis causam, ipsam, quæ cæteras quoque excusaret Ecclesias, necessitatem affert : tum cavet canonibus ab exemplo romanæ Sedis, et eos innovat ac firmat. Fixum ergo illud atque perpetuum, ita à Domino Ecclesiam romanam cæteris præsidere jussam, ut quibus Ecclesiam universam regeret, iis canonibus ipsa regeretur.

CAPUT V.

Aliud exemplum : concilium Romanum sub Joanne XII.

Aliud exemplum videamus. Decimo exeunte sæculo, anno Christi scilicet 963, Joannes XII, à synodo habitâ auctore Othone I imperatore, propter horrenda totoque orbe nota flagitia ac scelera, depositus est. Leo dictus VIII huic substitutus. Hanc synodum, ut omni auctoritate canonicâ, utque etiam ordine judiciario destitutam, Baronius rejicit inter pseudo-synodos[3]. Romanam synodum à quâ, Joanne præside, anno 964, illa damnata est synodus, miris effert laudibus[4]. Hujus ergo synodi acta audiamus, actione primâ[5] : « Joannes piissimus ac sanctissimus sanctæ romanæ Ecclesiæ Papa dixit : Scitis, dilectissimi fratres, me fuisse expulsum imperiali vi per duos menses à propriâ sede. Quapropter vos plurimum rogo, si dici potest regulariter synodus illa, quæ habita est me absente, in Ecclesiâ meâ, ab Othone imperatore, suisque archiepiscopis et epi-

[1] *Luitprand.*, lib. I. cap. 8 ; *Vid. vit. Steph. VI*, t. IX. *Conc.*, col. 475 — [2] *Conc. Rom. sub Joan. IX*, c. III. *ibid.*, col. 503. — [3] *Plat. in vit. Joan. XII ; Baron.*, an. 963, t. X. pag. 775. — [4] *Baron., ibid.*, an. 964, p. 779 et seq. — [5] *Conc. Rom. sub Joan. XII*, an. 969, tom. IX. *Conc.*, col. 654, 655.

scopis, an non? Sanctum concilium respondit : Prostibulum faveas adultero, invasori scilicet alienæ sponsæ, nempe Leoni intruso. Piissimus ac sanctissimus Papa dixit : Ergo damnanda est à nobis? Sanctum concilium respondit : Auctoritate sanctorum Patrum damnanda; « hoc est, auctoritate canonum. Tum à Papâ et episcopis [illegible] sententia est. Rursùs Papa sic interrogat : « Quid censetis de [illegible] episcopo * à nobis dudum consecrato, qui in nostro patriarchio [illegible]nem curialem, et neophytum, atque perjurum nostrum, [illegible]rium, lectorem, acolythum, subdiaconum, atque subitò [illegible]rum ordinavit, eumque sine aliquâ probatione (hoc est, sine [illegible] examine), contra cuncta sanctorum Patrum statuta, in [illegible] apostolicâ Sede consecrare non formidavit? Sanctum concilium respondit : Deponatur ipse qui ordinavit, et qui ab eo est ordinatus. » Nempe ex sanctorum Patrum statutis, quibus curiales, quibus neophyti, atque assumpti ex laicis, episcopatu arcebantur; quibus episcopi sine canonico examine fieri vetarentur. Papa iterum [illegible] « Quid ergo de illo curiali et neophyto, perjuro, atque [illegible] nostræ Sedis censetis? Sanctum concilium respondit : Omnino damnetur; ut nullus deinceps curialium, aut neophytorum, aut judicatus, aut publicè pœnitentium ad summum Ecclesiæ gradum aspirare præsumat. Tum piissimus ac sanctissimus Papa dixit : Sit Leo curialis ac neophytus ac perjurus noster, Domini omnipotentis, ac beatorum apostolorum principum Petri et Pauli, et omnium simul sanctorum atque venerandorum et universalium conciliorum auctoritate, necnon et Spiritûs sancti per nos judicio,..... omni clericatu prorsùs exutus. »

Hic Joannes tantâ sede depulsus, non sedis suæ privilegia, quæ essent maxima et notissima, prædicabat; nullos canones de [illegible] prolatos aut ipse, aut episcopi proferebant : Patrum statutis, conciliorum universalium auctoritate, communi se canone tuebatur, quo damnatus Photius; quo ubique curiales, neophyti in [illegible] clero arcebantur. Sic igitur decimo sæculo corruptissimo, in [illegible] romanâ, ipsâ traditione vivebat antiquitas, et communium [illegible] disciplina : neque aliter Joannes, adversùs Othonis synodum, [illegible] communi se canone defendebat.

CAPUT VI.

Nova et inaudita Gratiani interpretatio, XXV, Quæst. 1, p. 2. Si ergo.

Neque me fugit quem in sensum Gratianus hæc, post aliquot [illegible] detorserit; nempe is primus omnium mortalium, anno demum [illegible]

* Ostiensi.

circiter 1150, de suo, neque ullum, ut aliis solet, auctorem allegans, hæc scripsit : « Quemadmodum Christus sabbati ac legis Dominus se sabbato submisit; sic, inquit [1], summæ Sedis Pontifices, canonibus, sive à se, sive ab aliis suâ auctoritate conditis, reverentiam exhibent, et iis se humiliando, ipsos custodiunt, ut aliis observandos exhibeant. » Durius est, quod subjungit, neque antea usurpatum à quoquam, quod iidem Pontifices, « nonnunquam, seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo, se decretorum dominos et conditores esse ostendunt. » Neque levius istud : « Aliis imponitur necessitas obsequendi : summis verò Pontificibus ostenditur inesse auctoritas obsequendi; ut à se tradita observando, aliis non contemnenda demonstrent, exemplo Christi, qui sacramenta quæ Ecclesiæ servanda mandavit, primus in se ipso suscepit, ut ea in se ipso sanctificaret. » Quæ si quis ante hæc tempora à romanis Pontificibus, vel à quopiam probatioris notæ auctore conscripta legerit, nihil repugno, quominùs auctoritatem obtineant. Valere autem quæ contra totius anterioris ævi traditionem, duodecimo demum sæculo, Gratianus commentus est, theologicæ disciplinæ ratio non sinit. Sed, omisso Gratiano, ad prisca et anteriora redeamus.

CAPUT VII.

Concilium Mosomense : Rodulphi Glabri locus : concilium Ansanum : de eo anonymi responsiones : de exemptionibus obiter : Petri Venerabilis, et sancti Bernardi loci : an monachis Cluniacensibus profuerit, quòd romanum Pontificem peculiarem episcopum habere vellent.

Cùm ergo Ecclesia romana communi canone et regeretur et regeret, sancti Patres nostri gallicani episcopi, referente Flodoardo [2], ad annum 948, in Mosomensi * synodo, mirantur allatas litteras « ex nomine Agapeti papæ per clericum, qui eas Româ detulerat, nihil auctoritatis canonicæ continentes; hoc tantùm præcipientes, ut Hugoni Rhemensi redderetur episcopium. »

Hoc nostris novum et insolens videbatur, quippe à consuetudine romanæ Ecclesiæ alienum. Pergit Flodoardus : « Quibus lectis, ineuntes episcopi concilium, cum abbatibus et cæteris sapientibus, qui aderant, responderunt.... ut quod regulariter cœptum fuerat, canonicè pertractaretur. » Itaque, recitato capitulo XIX Carthaginensis concilii [3], « de accusato et accusatore; judicatum est secundùm definitionem ipsius capituli, ut Artaldo præsule retinente communionem et parochiam Rhemensem, Hugo qui ad duas synodos evocatus

[1] *Caus.* XXV. q. I. *si Ergo*, cap. XVI. part. II. — [2] *Flodoard. in Chron.*, an. 948; *Vid.* t. IX. *Conc.*, col. 622, 623.

* Mosomum oppidulum Franciæ, in Campaniâ situm est.

[3] *Cod. Canon. Eccl. Afric.*, c. XIX. tom. II. *Conc.*, col. 1000.

venire contempserat, à communione et regimine Rhemensis episcopi abstineret, donec ad universalem synodum (ex germanis et gallis episcopis congregatam) se purgaturus occurreret. »

Suspectas habent allatas Româ ex nomine Papæ litteras, quod sola jussa, *nihil canonicæ auctoritatis continerent.* Ipsi ex canonibus Roberto Trevirensi legato apostolico auctore, inchoata exequuntur. Sic germani, sic gallicani episcopi judicabant.

Notum illud, neque omittendum Rodulphi Glabri *, de episcopis gallicanis ægrè ferentibus, cardinalem à Joanne XVII delegatum, ut romani Pontificis auctoritate, basilicam ** in agro Turonico à Fulcone Andegavensi comite constructam consecraret; quòd Hugo Turonensis archiepiscopus ex causis canonicis facere recusasset. Quâ de re Glaber hæc scripsit : « Quod utique audientes Galliarum præsules præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæcâ cupiditate processisse. » Ac rursùs : « Licet Pontifex romanæ Ecclesiæ, ob dignitatem Sedis apostolicæ, cæteris in orbe constitutis episcopis, reverentior habeatur; non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. » Denique : « Universi pariter detestantes, quoniam nimiùm indecens videbatur, ut is qui apostolicam regebat Sedem, apostolicum primitus ac canonicum transgrediatur tenorem. » Itaque turbinem repentè coortum, quo concussa basilica *** ac disturbata consecratio est, divino judicio imputarunt. Anno 1004 [1].

Sunt qui Rodulphum Glabrum falsi convictum putent, talibus ab illustrissimo viro Petro de Marca summatim relatis [2]. Atqui vir doctissimus his tabulis, Glabrum non confutatum, sed illustratum voluit : deindè has tabulas visas lectasque oportet integras, antequam candidissimo hujus ævi historico detrahamus fidem : denique utcumque est, ejus testimonio firmatum videmus, de observando etiam à romano Pontifice canonico ordine, communem Ecclesiæ gallicanæ sensum.

Neque ita multò post, concilium Ansæ in pago Lugdunensi congregatum est. Ibi Gauslenus de Viennâ episcopus Matisconensis gravem expostulationem habuit, de ordinatione Cluniacensium monachorum à Burchardo Viennensi factâ, vi privilegii, quòd Cluniacenses habebant à romanâ Ecclesiâ. Quâ de re sancta synodus sic statuit [3] : « Relegentes sancti Chalcedonensis concilii, et plurimorum authenticorum conciliorum sententias, quibus præcipitur qualiter per unam-

* Monachi Cluniacensis.

** Seu monasterium *Belli loci* in pago Turonico in prospectu castri Lucamensis. (*Edit. Paris.*)

*** Imò eam funditus eversam fuisse Glaber affirmat. (*Edit. Paris.*)

1 *Rodulph. Glab.*, lib. II. c. IV. *apud Duches.*, tom. IV.— 2 *Marc.*, *de Concord.*, etc. lib. II. c. 8. n. 2.— 3 *Conc. Ans.*, an. 1025, tom. IX. *Conc.*, col. 858.

quamque regionem abbates et monachi proprio subesse debeant episcopo, et ne episcopus in parochiâ alterius audeat ordinationes vel consecrationes, absque licentiâ ipsius episcopi, facere; decreverunt chartam non esse ratam, quæ canonicis non solùm non concordaret, sed etiam contrairet sententiis. Archiepiscopus ratione convictus, à Gausleno veniam petiit. » Eidem, mulctâ impositâ, satisfecit *, anno 1025.

Neque propterea omnia privilegia cassa habebantur. Hoc tantùm cavebant ne pro arbitratu, ne necessitate nullâ, ne inconsultis iis quorum intererat, concessa viderentur. Itaque ea privilegia, quæ hactenùs invaluerant, concedi solebant auctoribus episcopis, vel synodis certè consentientibus, et ad certum modum, magnoque respectu ad canonicum ordinem. Quod etiam vir doctissimus Ludovicus Thomassinus luculentissimè demonstravit [1].

Ansanæ synodi auctoritatem elevare nititur auctor anonymus qui de gallicanis libertatibus scripsit [2]. Ac primùm quidem ex eâ synodo nihil memorat, præter fragmentum à Marcâ relatum [3]. At dissimulat narrationem integram optimæ notæ, in editione Labbeanâ conciliorum insertam [4]. Ait postea narrationis hujus non adeo *indubitatam esse veritatem* [5]. Sed id pronuntiasse non sufficit; docere oportebat. Addit « monachos Cluniacenses privilegiis apostolicis usos fuisse, quantumvis renitentibus, sed tandem cedere coactis episcopis. » Quis enim hæc nescit; et, gliscente licentiâ, prævaluisse in multis contra canones absolutam illam et arbitrariam potestatem? Id ex Ansano concilio notum esse volumus, majores nostros, sæculo quoque undecimo, canonum ac priscæ disciplinæ memores, extraordinariis illis imperiis, quoad fieri salvâ pace potuit, obstitisse.

Quare nihil ad nos illud quod idem anonymus memorat « Joannem XIX et monachos privilegia jam concessa defendisse. » Neque magis ad rem illa Joannis XIX epistola ab anonymo memorata, quâ Burchardo Lugdunensi Ansani concilii præsidi, « gratum animum testetur, quòd Cluniacensi monasterio faveret contra Gauslenum. » Quâ epistolâ anonymus ad infringendam Ansani concilii auctoritatem frustrà utitur. Potuit enim, Burchardo Lugdunensi licet præside refragante, adversùs Cluniacense privilegium Patrum vicisse sententia : potuit idem Burchardus ab eâ sententiâ recessisse, quam in Ansano concilio protulisset. Quibus modis à Joanne XIX grati animi

* Nempe Burchardus Viennensis, ut legitur in actis « veniam petens à Gausleno, loco satisfactionis firmavit,.... ut unoquoque anno, quandiù ambo viverent,.... sufficientiam olei de olivis, ad conficiendum chrisma, ipsi persolveret. » (*Edit. Paris.*)

[1] *Thomass., Discipl. de l'Egl. touch. les Bénéf.*, t. II. part. IV. lib. I. cap 42. p. 194 et seq.— [2] *Anon., de Libertat.*, etc., lib. XI. c. 7. n. 9 et seq. — [3] *Marc., de Concord.*, etc., lib. IV. c. 8. n. 1.— [4] *Tom.* IX. *Conc.*, col. 859.— [5] *Anon., loc. cit.*, n. 10.

significationem retulerit, illæsâ Ansani concilii veritate, illud interim constiterit, et privilegium contra canones Chalcedonenses datum, gallicanis episcopis usque adeo nullum fuisse visum, ut Burchardus Viennensis, quòd eo usus esset, Gausleno Matisconensi satisfecit.

Neque hic quærimus an et quibus casibus Papa potuerit, absque illâ potestate, hujusmodi privilegia concedere, repugnantibus episcopis; quam quæstionem anonymus invidiosè movet: sed id tùm volumus, quòd gallicana Declaratio docet, illam plenitudinem apostolicæ potestatis per canones moderandam; idque à Patribus nostris, lapsis Ecclesiæ rebus, atque etiam undecimo sæculo, viri parte propugnatum fuisse.

Hic laudat anonymus Petrum Cluniacensem duodecimo sæculo hæc scribentem [1]: « His additis et multâ invectione extollitis, quod proprium episcopum habere refugimus: nos verò respondemus, id veritati contrarium oppositâ fronte existere; quoniam patet nos proprium episcopum habere. Quis rectior, quis dignior, romano episcopo episcopus potest inveniri? » Hæc quidem scripsit Petrus illo *venerabilis* ad beatum Bernardum, seu potiùs, modestè licet, adversus ipsum et Cistercienses. Nunc lector videbit, Petrine Cluniacensis an Bernardi Claravallensis potior sit auctoritas. Paucos equidem non reor qui Petro non anteponant Bernardum accusantem eos, quibus specie ab episcoporum auctoritate recesserint. Nempe conqueritur is, « istis emancipationibus, monachos dissolutiores fieri, imò et pauperiores; peccare licentiùs vagum ac malè liberum vulgus; nugis libertatis geminam sobolem esse, paupertatem et sæcularitatem, sanctitatis nomine in monasteria introductam. Cætera omnibus hæc commemorare nihil attinet. Cæterùm eventus docuit, haud frustra hæc conquestum esse Bernardum. Quòd enim monachi passim omnium quidem et omnibus præsidentem; sed tamen longè positum, et omnium Ecclesiarum sollicitudine occupatum, habere voluerint peculiarem episcopum; hinc maximè provenisse vidimus, ut tot monasteria prope jam immedicabili vulnere prostrata jaceant. Sed hæc aliis tractanda et deploranda relinquimus; quæ à nobis sunt inchoata prosequimur.

CAPUT VIII.

Concilium Lemovicense II: Gregorius VII: concors romanorum Pontificum et episcoporum professio de regendo et obediendo secundùm canones.

Anno Christi 1031, paulò post Ansanam synodum, habitum est Lemovicense secundum concilium, in quo hæc legimus [3]: « Episco-

[1] *Anon., ibid.; Petr. Clun.*, lib. I. ep. XXVIII. *ad Bern. Cist.* — [2] *Bern., de Consid.*, lib. III. c. IV. n. 16. tom. I. col. 432. — [3] *Conc. Lemovic.* II. *Sess.* II. tom. IX. *Conc.*, col. 906.

pus Petraccoricensis de quodam canonico suo tantùm clerico, qui uxorem duxerat, inquirendo proposuit, dicens, ut judicarent quid de eo ageretur. Ad hoc verbum in concilio responsum est : Canones judicent : quomodo enim possumus nostro arbitrio judicare quidquam ? » Quâ regulâ, etiam à romanis Pontificibus gesta æstimabant [1] : « Inconsulto, inquiunt, episcopo suo, ab apostolico pœnitentiam et absolutionem accipere nemini licet. » Ac subdunt, neque Petrum ipsum aliter facturum fuisse. « Certè beatus Petrus, si sciret illum (quem absolvit) esse à beato Martiale excommunicatione obligatum, potiùs eum damnaret, quàm absolveret. Sic apostolici romani episcoporum omnium sententiam confirmare, non dissolvere debent, quia sicut membra caput suum sequi, ita et caput membra sua necesse est non contristare. »

Neque aliter romani episcopi sentiebant. In eodem enim concilio refertur Pontium comitem Arvernensem à suo episcopo excommunicatum, à Papâ absolutionem accepisse ; conquestumque episcopum, hoc responsum à Papâ tulisse [2] : « Debueras certè mihi antequam illa mortua ovis Romam veniret, ejus causam tuis innotescere apicibus ; et ego eam omnimodo abjicerem, tuamque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus consacerdotibus meis, ubique terrarum adjutorem me et consolatorem potiùs esse quàm contradictorem : absit enim schisma à me, et à coepiscopis meis. Itaque illam pœnitentiam et absolutionem, quàm tuo excommunicato ignoranter dederam, et ille fraudulenter accepit, irritam facio et cassam ; ut de illâ nihil aliud speret quàm maledictionem, quoad satisfactum tu justè absolvas. »

Aliud exemplum afferunt Papæ episcopum * « rogantis, ut pœnitentiam, quam imposuerat, affirmaret [3] ; » episcopi verò renuentis, his verbis : « Non credere possum hoc mandatum ab eo exortum, » quod canonibus repugnaret. Quibus commemoratis : « Dixerunt episcopi, hoc ab ipsis apostolicis romanis, et cæteris Patribus cautum tenemus, » quod contra canones elicita, robore careant, ac præter sententiam apostolicæ Sedis expressa videantur.

Neque eo minùs pontificiam auctoritatem reverebantur sancti et humiles episcopi, qui Papam caput suum ubique prædicant, asseruntque illud : « Judicium enim totius Ecclesiæ maximè in apostolicâ romanâ Sede constat. » Sed illud judicium canonico ordine proferri volebant, non mandatis extraordinariis præter canonum sententiam.

Hâc disciplinâ Gregorius VII vixit : « Solet, inquit, sancta et apo-

[1] *Conc. Lemovic.* II. *Sess.* II. tom. IX. *Conc.*, col. 909. — [2] *Ibid.*, col. 908.
* Engolismensem.
[3] *Conc. Lemov.*, II. *Sess.* II. tom. IX. *Conc.*, col. 909.

stolica Sedes pleraque consideratâ ratione tolerare; sed nunquam i suis decretis à concordiâ canonicâ, hoc est, à canonum consensio discedere. » Alibi commendat « statuta romanæ Ecclesiæ, quæ à tra sanctorum Patrum non recedit [1]; » reprehenditque episcopos, « qu niam sanctorum Patrum decreta, et ecclesiasticæ religionis st non eâ, quâ oportet diligentiâ custodirent [2]. » Sic canonum vantiâ ipsum religionis statum fulciri putabant.

Itaque episcopi in ipsâ consecratione romano Pontifici pro tur « canonicam obedientiam, et secundùm canones, et, ordine suo [3]; » quæ professio etiam nunc in episcopali conse viget. Romani verò Pontifices, ritè appellatis octo universali ciliis, dato jurejurando profitebantur, se, « quæ prædicav statuerunt, omni modo sequi et prædicare; omnia decreta cessorum apostolicorum Pontificum, quæcumque ipsi sy habuerunt, et probata sunt, confirmare, et indiminuta serv sicut ab iis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire [4]. » totius disciplinæ ratio antiquis constitutis nititur: profitentur episcopi, ut *secundùm canones* pareant; et romani Pontifices, *cundùm canones* regantur, ac regant.

Hæc Papæ professio Diurno romanorum Pontificum continetur post octo prima concilia, post octingentos annos vi suâ stabat Ivonis Carnotensis, imò et Gratiani tempore, viguit, quippe memorarunt, et in canones transtulerunt [5].

Quàm autem viguerit illa, quam episcopi romano Pontifici tebantur secundùm canones obedientiam, testatur Hincma mensis in Tricassinâ synodo, Joanne VIII præside, ipsi ac Se stolicæ facta professio, in hæc verba [6]: « Quod in omnibus se sanctarum Scripturarum tramitem, sacrorumque canonum d Sedes romana tenet per omnia et in omnibus, pro scire et pos perpetuum prosequor et teneo. » Quam professionem aptiori tegram retulimus [7].

CAPUT IX.

Libertas in jure antiquo et communi : Pragmatica-sanctio sancti Ludovici anonymo idoneis probationibus falsi arguatur.

At postquam, labente disciplinâ, ambitione atque adulatio cente, ab eâ regulâ deflexum est, ac romani Pontifices extraordinariis, reservationibus ac decimis, gravia onera, pecuniaria imponere, et trahere ad se paulatim episcoporum

[1] *Greg. VII*, lib. I. ep. XII. *ad Guill. Papiens.*, tom. X. *Conc.*, col. 14. — [2] *Ibid.*, *ad Ep. Brit.*, col. 69. — [3] *Pont. Rom.* — [4] *Diurn. Rom. Pont.* — [5] *Iv. Carn.*, *epist.* IX, [6] *Conc. Tricass.*, II. tom. IX. *Conc.*, col. 307. — [7] *Sup.*, lib. IX. c. 21.

que jura cœperunt; sanctus Ludovicus Pragmaticam edidit, quâ novos ausus cohiberet. Primi capitis hæc verba sunt[1] : « Statuimus et ordinamus, ut Ecclesiarum regni nostri prælati, patroni et beneficiorum collatores ordinarii, jus suum plenarium habeant, et unicuique sua jurisdictio servetur. » Caput secundum : « Item Ecclesiæ cathedrales, et aliæ regni nostri liberas electiones habeant, et earum effectum integraliter prosequantur. » Quartum : « Item promotiones, collationes, provisiones, et dispositiones prælaturarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum regni nostri, secundùm dispositionem, ordinationem et determinationem juris communis, sacrorum conciliorum Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum fieri volumus et ordinamus. » Anno 1268 *.

Hæ sunt illæ, quas vocamus, gallicanæ Ecclesiæ libertates : regi jure communi, conciliorum auctoritate, ac Patrum institutis. Hanc Pragmaticam vetustissimis actis et regestis inscriptam, à multis jam sæculis laudatam, memoratam **, commendatam; idque ab ecclesiasticis, à magistratibus, à legatis, ab universi regni ordinibus congregatis, ac per tot sæcula nulli suspectam, quidam etiam Galli nostris temporibus, aut totam, aut partem ejus aliquam, in dubium revocant, nullo documento; postquam nempe audemus insimulare falsi quidquid gustui non sapit.

Quid autem habet novi, ut falsa habeatur? Nempe illa jus commune, conciliorum auctoritatem, ac Patrum instituta prædicat; his adversantia valere non sinit. Quid autem aliud sonant tot Patrum, maximè Gallicanorum gesta, quæ legimus? Cur ergo falsa sit, quæ usque adeo Gallorum ingenium sapiat? Quid quòd si falsa esset, tamen haud aspernanda videretur, quæ nostris moribus traditionibusque congruat, et tam pronis animis accepta sit. Sed tamen videamus quid auctor anonymus, qui de Libertatibus nuperrimè scripsit, super hâc falsitate dixerit, ut vel ex eo pateat, quàm futilibus argumentis agant.

Primum argumentum : « Pragmatica illa à nemine allegata fuit per ducentos annos[2]. » Facilis responsio; non enim causa adfuit : ac si illa probatio admittitur, quot bona legitimaque acta conciderint?

[1] *Prag. sanct. S. Lud.*, tom. XI. *Conc.*, col. 907, 908; *Boch.*, *Decr. Eccl. Gall.*; *Preuv. des Libert. de l'Egl. Gall.*, tom. II. c. 15. n. 36. p. 76. ed. 1731.

* Hoc est anno 1269, ante Pascha.

** Memoratur in illo libello Curiæ Parisiensis ad Ludovicum XI, art. VI, quem reperies *Trait. des Libert.* édit. 1731; tom. I, p. 1. Memoratur etiam inter acta comitiorum trium ordinum, quæ Turonis an. 1483 celebrata sunt : item in instrumento appellationis Universitatis Parisiensis an. 1491; quod instrumentum extat, *Preuv. des Libert.* cap. XIII, n. 16. (*Edit. Paris.*)

[2] *Anon., de Libert.*, etc., lib. I. c. 15. n. 7.

Secundum argumentum : « Nec etiam tunc in lucem edita fuit; sed tantùm anno 1515 [1]. » Quid autem est, *in lucem editu?* An fortè vulgatam typis oportuit, cùm necdum typi essent? An verò negabunt more solemni promulgatam quæ in vetustissimis parlamenti regestis extet? An etiam necesse est, post tot sæcula, acta promulgationis afferri? Quis tam iniquas conditiones imponere possit?

Tertium argumentum : pluries typis excusa est sine quinto capite, « quo exactiones et onera gravissima per curiam romanam imposita prohibentur [2]. » At quid hoc ad primum, secundum et quartum caput, quæ nunc laudamus? De quinto verò fatemur à Margarino de La Bigne [3], quem alii secuti sint, in editione Bibliothecæ Patrum fuisse prætermissum [*]; sed mancum, ut fit, exemplar nactus est, ex integrioribus jam supplendum exemplaribus : seu viro bono religioni fuit sancti Ludovici nomine quidquam edi, quo curia romana reprehendi videretur; seu typographi metuerunt, infixis censuræ notis, creari sibi incommoda. Cæterùm et ille quintus articulus longè antea laudatus ac memoratus fuit.

Quartum argumentum : « Non esse verisimile sanctum regem, tantæ erga Sedem apostolicam reverentiæ, edicto solemni romanæ curiæ officiales comprimere voluisse [4]. » Tum illud : « necdum fuisse morem inductum auctoritatem regiam sanctæ Sedis ordinationibus opponendi; » tanquam exactiones illæ adp ietatem aut ad Sedis apostolicæ dignitatem pertineant.

Quintum et sextum argumentum : anno 1268, sanctus rex « ad secundam in Terram Sanctam expeditionem, cum summi Pontificis consilio, se accingebat [5]; » monitisque potiùs cum amicissimo Pontifice, quam edictis egisset. Neque is erat Clemens IV [**], qui his coercendus videretur, innocentissimus atque abstinentissimus Pontifex : ac si « quod tum fuisset exactum subsidium, non nisi ad ju-

[1] *Anon., de Libert.*, etc., lib. I. c. 15. n. 8. — [2] *Ibid.*, n. 9. vid. quoque n. 5. — [3] *Tom.* VI. *Bibl. PP. Margar. de La Bigne.*

[*] Joannes DU TILLET curiæ Parisiensis scriba primarius, opusculum edidit cum hoc titulo : *Mémoire et avis de* M. Jean DU TILLET... *sur les libertés de l'Eglise gallicane*, cui adjunxit varia monumenta ex commentariis curiæ Parisiensis extracta, atque imprimis Pragmaticamsanctionem sancti Ludovici, de quâ lectores admonet his verbis : *Nous avons voulu ajouter ici l'ordonnance du bon roi saint Louis, appelée vulgairement* LA PRAGMATIQUE, *toute entière et au vrai, comme elle se trouve ès anciens registres, et comme elle a été ci-devant imprimée ès plus vieils styles du parlement de l'an* 1515, *et même en un livre de M. Hélie, jadis archevêque de Tours, pour le concordat, imprimé à Tolose en* 1518; *pour le moins avec plus de conscience et de religion que n'ont eu ceux qui l'ont osé corrompre, et insérer, retranchée d'articles entiers, entre les statuts synodaux d'aucuns évêques de Paris, et depuis encore en un gros ramas intitulé :* BIBLIOTHECA SS. PATRUM : *voire et aucuns en deux éditions des Ordonnances et Edits des rois de France.* Vid. *Trait. des Libert.* tom. I, p. 44; *et Mém. de* DU TILL. *évêq. de Meaux*; Par., 1607, p. 355. Hanc Pragmaticam multis et gravibus rationibus sancto Ludovico assertam reperies quoque, *Preuves des Libert.* tom. II, cap. XV, n. 35, not. p. 77. (*Edit. Paris.*)

[4] *Anon., ibid.*, n. 10. — [5] *Ibid.*, n. 11, 12, 13.

[**] Natione Gallus.

vendum in expeditione bellicâ regem impendendum fuisset. » Quæ omnia sponte concidunt, si dicamus Ludovicum, non præsentibus malis, sed, quâ erat providentiâ, futuris, ac pridem expertis occurrere voluisse : Clementem verò IV quò erat abstinentior, eò æquiore animo tulisse, prohiberi ea, à quibus ipse abhorreret.

Ita verò probatione nullâ, tam futilibus conjecturis, celebratissima acta falsi insimulare liceat, prudens lector judicet. Certè auctor anonymus, quo causam tueatur suam, nihil affert verius quàm istud : virum egregium, Ludovicum Thomassinum Gallum, in eâdem esse sententiâ [1]. Hujus ergo conjecturas colligit, quas modò refutavimus. Nos verò eum virum, ut doctrinâ clarum, ita pacis studio multa, ac, ferè dixerim, nimia cogitantem, ac, ne quemquam lædat, ubique metuentem, nec lædere ipsi volumus. Atque hic de Pragmaticâ sancti Ludovici Sanctione dicendi finem facimus.

CAPUT X.

Edictum Caroli VI : decretum Florentinum : nulla sunt, quæ contra canones ; romanus Pontifex contra canones agere nolle præsumitur, ne ipse adversetur sibi : locus insignis concilii Basileensis.

Ex eodem fonte manavit Caroli VI constitutio, « clero agente, ac plaudente, edita anno 1406, quâ sublatis reservationibus *, sive expectationibus (hoc est expectativis gratiis) personas ecclesiasticas regni, ac Delphinatûs ad suas franchisias et libertates in perpetuum reducit, secundùm antiqua jura communia, et concilia generalia [2]; » quæ ex sancti Ludovici Sanctione deprompta sunt.

Hæc verò omnia concilii etiam Florentini auctoritate sancita invenimus. Decretum retulimus [3], quo utrìusque Ecclesiæ, Græcæ scilicet ac Latinæ consensione firmatur, à Petri successoribus pasci ac regi universalem Ecclesiam ; sed ad eum modum, qui conciliorum gestis ac sacris canonibus continetur.

Quid si adversùs canones statuunt? an continuò ad generale concilium appellandi? Nequaquam, nisi omnem solverent disciplinam. At in minoribus ac particularibus causis id sufficit, decretum contra canones editum esse nullum. Sic enim sanctus Zozimus jam relatus [4] :

[1] *Anon.*, n. 6 ; *Thomass., Discip. de l'Egl.*, part. IV. lib. II. c. 10. n. 11 ; *Ibid.*, c. 41. n. 4 ; et lib. III. c. 24. n. 17.

* *Reservationes* eæ erant, quibus Papa Sedes episcopales et alia beneficia *suæ dispositioni reservabat, quando vacarent*, simul vetabat ne ii quibus jus erat nominandi aut eligendi, suo jure uterentur. *Expectativas gratias* sic describunt : Papa litteras dabat *de mandato gratioso*, quibus litteris conferebat beneficium, vivo adhuc beneficiario ; ut ille, in cujus gratiam hujusmodi litteræ conscriptæ fuerant, haberet beneficium post beneficiarii obitum. Vid. Rebuf. Prax. Benef p. 53, 56, et alibi pass. Hi abusus gravissimi sublati sunt à concilio Basileensi. (*Edit. Paris.*)

[2] *Preuv. des Libert.*, etc., c. XXII. n. 10. t. III. p. 13 et seq. et passim. — [3] *Sup.*, lib. VI. c. 11. — [4] *Sup., hoc lib.*, cap. III ; *Zoz., ep.* VII. *ad Episc. Prov. Narbon. et Vienn.* tom. II. *Conc.*, col. 1570.

« Contra statuta Patrum concedere, vel mutare, ne hujus quidem sedis potest auctoritas. » Et sanctus Leo Magnus [1] : « Ut omni penitus auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum canonum (videlicet Nicænorum) fuerit constitutione diversum. » Atque iterum [2]. « Infirmum atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum canonibus discreparit. » Et sanctus Martinus [3] : « Canones ecclesiasticos solvere non possumus, qui custodes canonum sumus. »

Id majores nostri, epistolâ ad Adrianum II, hâc etiam ratione firmant [4] : « Quòd apostolica Sedes non potest esse sibi contraria. » Esset autem, si canonum ex officio custos, canones solveret. Quo fundamento, si quid à Papâ prodit minùs canonicum, sic est interpretandum, ut voluntas potiùs, quàm facultas desit.

Neque verò Ecclesia romana canonum est custos, tanquam alienorum boni, sed profectò tanquam sui : canones enim sunt Ecclesiarum omnium ; maximè verò Romanæ omnium matris, cujus etiam auctoritate firmantur.

Scitum enim apud Socratem [5], « canone ecclesiastico juberi, ne absque romano Pontifice canonizentur, » hoc est regulentur, gubernentur, suoque ordine componantur, et constituantur *Ecclesiæ* : « μὴ κανονίζειν τὰς ἐκκλησιάς. » Quod ipsum Sozomenus clarioribus verbis expressit [6] : Lege pontificiâ pro irritis haberi, quæ præter sententiam episcopi romani fuerint gesta. » Id etiam attestantur alia ecclesiastica monumenta.

Itaque Sedes apostolica canonibus adjicit vim, *robur*, τὸ κύρος; sibique adversaretur, si eos solveret, quos ipsa firmasset, aut etiam condidisset.

Id præclare explicat Basileense concilium de Papâ agens [7] : « Quidquid enim statuitur in sacris conciliis, suâ etiam (Pontificis scilicet) auctoritate statuitur, quæ semper ibi refulget, ut prima et principua, præ omnibus, caput et directrix. Et cùm, aut personaliter, aut auctoritativè semper in synodis universalibus intersit, ipseque Ecclesiæ rector sit et pastor ; decreta conciliorum, etiam sua, et Sedis apostolicæ, non immeritò dici possunt : nos enim unum Ecclesiæ corpus sumus, et ipse hujus corporis caput sub capite Christo. Quidquid igitur fit ab hoc corpore ecclesiastico, etiamsi omnia membra in idem concurrant, sicut in corpore naturali accidit, magis tamen, ac præcipuè oratio quævis capiti appropriatur et adscribitur, ab ipsoque magis, quàm ab alio corporis membro procedere censetur. Itaque non secus synodalia decreta pro suo debito et honore

[1] *Leo. Mag., ep.* LXXX. al. LIII. *ad Anat. C. P.*— [2] *Ibid., epist.* LXXXVII. al. LXI. *ad ep. Conc. Chalc.* — [3] *Mart I, epist.* IX. *ad Pantal.*, tom. VI. *Conc.*, col. 35 ; *Vid. sup.*, c. III. — [4] *Epist. Carol. Calvi ad Adr. II, int. Hincm. epist.* XLIII. t. II. p. 708. — [5] *Socr.*, lib. II. c. 17. p. 75. *ed. Vales.*— [6] *Sozom.*, l. III. c. X. p. 415. — [7] *Conc. Basil., ep. syn.*, n. 5. t. XII. *Conc.*, col. 28.

æqui debet, ac per alios servari facere, quàm si ab ore proprio dictata et promulgata essent : dum enim ipse præsens inest, ipse concludit, ipse statuit ; et sub nomine suo ac personâ ejus omnia decernuntur : dum abest, sui præsidentes, qui vice ejus funguntur, locumque apostolicum tenent, et personam Pontificis repræsentant, per sacrum concilium deliberata concludunt. »

Hæc pro pontificiâ auctoritate magnifica et sublimia, à Juliano cardinale, concilii Basileensis præside, pronuntiata, atque ab ipso concilio, diplomate edito, promulgata sunt. Quæ profectò efficiunt, ut Ecclesia romana sibi adversetur, dissolvens canones suâ primitus auctoritate firmatos. Quod eo minùs præsumi potest, quò sæpius et clariùs nulla et irrita pronuntiat, imò sua inficiatur esse, quæ sacris canonibus adversa, suo etiam nomine proponantur. Hinc Hilarus, quem cæteri longo ordine consequuntur [1] : « Nihil adversùm venerandos canones, nihil contra sanctæ memoriæ decessoris mei judicium valeat, quidquid obreptum esse nobis constiterit. »

CAPUT XI.

De decretalibus epistolis, deque consuetudine receptâ, et canonum origine.

Canonibus annumeramus decretales romanorum Pontificum epistolas, quanquam illæ serò, Dionysii Exigui operâ, Ecclesiæ codici et canonum corpori adjunctæ sint ; idque in Occidente tantùm : atque initio ducto à beati Siricii epistolis, quarto sæculo per provincias missis. Namque anteriores interciderant, aut remanserant penès Ecclesias, Sedem apostolicam consulentes, neque in unum corpus collectæ erant, quæ innumerabiles hinc inde dimissæ certis casibus providebant.

Cur autem postea in unum collectæ corpus, ad Ecclesiæ canones accesserint, in promptu erit juris ecclesiastici origines repetenti. Namque Ecclesiæ primitus traditione regebantur. Hinc ex traditionibus apostolicarum Ecclesiarum conscripti canones apostolorum, qui à Latinis serò, neque simul omnes, in auctoritatem adsciti.

Conditi verò postea sunt canones per provincias, aut in universalibus synodis, cùm vel labente tempore, à priscis institutis deflecteretur, vel aliquid novæ difficultatis occurreret. Sibi Ecclesiæ id honoris mutuò exhibebant, ut statuta ab aliis aliæ plerumque ut sua ducerent, à communi scilicet profecta spiritu. Utebantur ergo singulæ Ecclesiæ canonibus, vel universalium conciliorum, vel suis, vel adoptatis, et consensu receptis. Hæc origo canonum. Horum executionem prima et apostolica Sedes ubique terrarum urgebat.

[1] *Hilar. Pap., ep.* IV. tom. IV. *Conc.*, col. 1038.

Hinc ortæ epistolæ decretales, de quibus Hincmarus hæc : « Sunt leges et canones ac decreta Sedis apostolicæ ex iisdem canonibus promulgata [1] : » ac paulò post : « In decretis suis (scilicet romanorum Pontificum), ex sacris canonibus promulgatis, etc. » Quæ quidem totidem verbis in Pontigonensi synodo * repetuntur [2]; ut non uniùs Hincmari, sed omnium episcoporum gallicanorum esse constet.

Manant hæc ex anterioribus Sedis apostolicæ decretis, quale est illud quod sanctus Sixtus III scribit ad illyricanos episcopos [3] : « A canonum præceptis vestrûm nemo discedat, nec ab his deviet, quæ juxta regularum ordinem frequens ad vos directa Sedis apostolicæ decrevit auctoritas. » Sic ea quæ scribebant, ac per universas mittebant Ecclesias, et è canonibus prompta erant, et canonum executioni serviebant.

Cæterùm ratio postulabat, ut qui canones firmarent et exequerentur, iidem, cùm opus esset, interpretarentur, et dubia jura reserarent, et pro tempore sancirent, quæ canonibus congrua viderentur. Itaque meritò in auctoritatem admissæ decretales, sed quæ canonibus congruæ, quæ eorum executioni profuturæ, quæ denique probatæ et usu receptæ essent. Quò pertinet illud in professione romanorum Pontificum supra memorata : « Ut custodirent decreta canonica prædecessorum apostolicorum Pontificum, quæcumque ipsi synodaliter statuerunt et probata sunt : » hoc est, communi usu et consensu recepta. In constituendâ enim ecclesiasticâ disciplinâ universalem assensum ab antiquis Pontificibus postulatum, supradicta [4] satis probant, et qui ampliora velint nostros consulant. Nobis in re tritâ, summa quæque capita proferre est animus.

Consuetudines, ac mores universalis Ecclesiæ usu receptos, vim canonum obtinere constat : quandoquidem plerique canones, si rerum originem attendamus, primùm consuetudines fuerunt usu receptæ et probatæ. Nicæna synodus sedium jura sanciens, canone VI : « Antiqua consuetudo servetur [5]. » Et canone VII : « Quoniam obtinuit consuetudo et antiqua traditio, ut Æliæ (hoc est Hierosolymorum), episcopus honoretur, etc. » Sanctus Basilius ille canonum vindex, canonicâ epistolâ ad chorepiscopos, canonibus accenset « consuetudinem, quæ in Ecclesiis versabatur [6]. » Epistola etiam ad Diodorum, *consuetudinem* quæ in Ecclesiis Cæsariensis tractûs obti-

[1] *Hincm., ep.* XLI. *ad Adr.*, t. II. p. 692.

* Pontigo sedes regia, seu vicus, in Campaniâ provinciâ, non longè distans à Victoriaco. (*Edit. Paris.*)

[2] *Conc. Pont., Sess.* I. tom. XI. *Conc.*, col. 281.— [3] *Sixt. III, ep. ad Illyric. Episc. in Synod. Rom.*, c. XXVII. *in coll. Holst.*, part. I.— [4] *Sup., hoc lib.*, cap. VIII.— [5] *Conc. Nicæn.*, can. VI, VII. t. II. *Conc.*, col. 32.— [6] *Bas., ep.* LIV. al. CLXXX. t. II. p. 148.

mebat, *vim legis habere* decernit; « propterea, inquit[1], quòd hæc statuta à sanctis viris sunt nobis tradita. »

Jam in citatis locis consuetudines canonibus æquiparatas passim audivimus; laudantque omnes beatum Augustinum[2], cui *mores populi Dei et instituta majorum* pro lege sunt. Unde ad intolerandissimam insaniam refert contemptum eorum, quæ sunt universalis Ecclesiæ consuetudine roborata, epistolâ ad Januarium[3], et alibi sæpius. Ac passim in decretalibus et in conciliis, conjuncta hæc duo, tanquam æqualis ponderis, *de jure vel consuetudine*. Atque hæc de universalis Ecclesiæ regulis.

CAPUT XII.

Jura, canones, consuetudines particularium Ecclesiarum retinenda : in iisque pars libertatis ecclesiasticæ : cæterarum gentium eam in rem cum Gallis concors sententiâ.

At ecclesiasticam disciplinam libertatemque nostram, non solùm tuemur universalibus canonibus ac moribus, sed etiam iis, qui per singulas Ecclesias valeant; quod secundo loco in Declaratione gallicanâ est positum. Hoc quidem ex antedictis jam confectum putamus. Laudata est Basilii epistola *de consuetudine* particularium etiam Ecclesiarum, « quæ vim legis obtineat, eò quòd hæc statuta (etiam particularia) à sanctis viris sint tradita[4] : » laudatus est Zozimi locus de servandis Patrum constitutis; quem locum ad peculiaria jura Ecclesiarum pertinere vidimus[5] : laudata est Nicæna synodus, primis sedibus, ex ipsâ consuetudine, sua jura servans, canone VI et VII[6].

Accedit Ephesina, à Cypriis*, et aliis quibuscumque Ecclesiis potentiores episcopos, qui eas invaderent prohibens; « ne Patrum canones proterantur; neve sub sacerdotii prætextu, mundanæ potestatis fastus irrepat; ne clam paulatim libertas amittatur, quam nobis donavit sanguine suo Dominus Jesus Christus, omnium hominum liberator[7]. » Alludit ad illud Pauli : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*[8]. Hæc ergo pars comparatæ Christi sanguine libertatis, ut non hominibus, sed canonibus serviatur.

Sic igitur et jura peculiaria Ecclesiarum servanda : et id pertinere ad Ecclesiarum libertatem, synodus œcumenica definivit; referunturque ad universalis Ecclesiæ jus, etiam particularia jura; quippe quæ à synodis universalibus confirmentur.

Eodem ferè sensu Chalcedonensis synodus primo id capite de-

[1] *Basil. epist.* CLX, *aliàs* CCCVII, *n.* 2; *Ib.*, p. 249.— [2] *Aug.*, *ep.* XXXVI. al. LXXXVI. n. 2. t. II. c. 23. — [3] *Ibid.*, *ep.* CXVIII, CXIX. al. LIV, LV. col. 123 et seq.— [4] *Sup.*, cap. præced.— [5] *Sup.*, *hoc lib.*, c. III.— [6] *Sup.*, cap. præced.

* De Cypriorum episcoporum causâ jam dictum est lib. VIII, not. ad cap. VIII, quam vide; *sup. pag.* 391, 392.

[7] *Decret. Conc. Eph.*, act. VII. tom. III. *Conc.*, col. 801. — [8] 1 *Cor.*, VII. 23.

cernit : « Regulas à sanctis Patribus, in unaquâque synodo, usque nunc prolatas teneri statuimus [1]; » quibus regulis non tantùm communia, sed etiam propria cujusque Ecclesiæ jura asseruntur.

Sanctus Gregorius Magnus ad Dominicum Carthaginensem : « Sicut, inquit [2], nostra defendimus, ita singulis quibuscumque Ecclesiis jura servamus. » Atque alio loco [3] : « Absit hoc à me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in quâlibet Ecclesiâ infringam : quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo. »

Neque tantùm majores nostri laudaverunt universales canones, conciliorum generalium auctoritate conditos ; sed etiam gallicanos [4]; « quoniam venerandi et sancti viri eos ediderunt, quorum vitam et sanctitatem crebra miracula commendarunt. »

Valere autem, ut canones, ita etiam consuetudines, non modò Ecclesiæ universalis, sed etiam particularium Ecclesiarum, antedicta firmant. Huc accedit Ratramnus Corbeiensis, libro jussu regis et episcoporum gallicanorum, contra Græcos edito, quo particulares consuetudines laudat, de quibus etiam hæc scribit [5] : « Institutà verò majorum suis quibuscumque locis edita, sicut non omnibus eadem, sic unitatem fidei nullo modo divisere. »

De his consuetudinibus retinendis, Jordani Lemovicensis episcopi, in concilio Lemovicensi, præclara sententia est [6] : « Non enim una eademque lex omnibus Ecclesiis, sive populis, sive civitatibus, sive gentibus, semper potest congruere ; sed quædam pro qualitate locorum, et gentis et animorum, quamvis diverso, tamen congruenti ordine, in consuetudinem deducuntur. » Cujus rei multa exempla commonstrat.

In eamdem sententiam Fulbertus Carnotensis [7] : « Nec nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. » Quod sumptum ex sancto Gregorio, Numidarum peculiares consuetudines firmante his verbis [8] : « Consuetudinem quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus. »

Notum omnibus beati Ambrosii dictum, à beato Augustino tanti cum laude memoratum [9], de consuetudinibus regionum. At clerus gallicanus, ne consuetudinis nomine eas comprobare videatur, quæ in jure vocentur, *corruptelæ*, ac, *vetustas erroris*; consuetudines eas ad Ecclesiæ gallicanæ disciplinam libertatesque pertinere volunt,

[1] *Conc. Chal.*, act. XV. can. I. tom. IV. *Conc.*, col. 756. — [2] *Greg. Mag.*, lib. II. *ep.* XLVIII. al. XLIX. tom. II. col. 611. — [3] *Ibid.*, *epist.* LII. al. XXXVII. col. 618, 619. — [4] *Agobard.*, *lib. ad Ludov. Pium. Imp. adv. Leg. Gund.*, n. 12. tom. XIV. *Bibl. Pat.*, pag. 266. — [5] *Ratram. Corb. adv. Græc.*, lib. I. c. 2; *Spicil.*, t. II. p. 3 et 4; *Vid.* quoq. pass., lib. IV. — [6] *Conc. Lemov. II. Sess.* II. t. IX. *Conc.*, col. 895. — [7] *Fulb. Carn.*, *ep.* II. *ad fin.*, t. XVIII. *Bibl. Patr.*, p. 4. — [8] *Greg. Mag.*, l. I. *ep.* LXXVII. al. LXXV. *ad Episc. Numid.*, t. II. col. 561. — [9] *Aug.*, *ep.* XXIII. al. LXXXVI. n. 32. t. II. col. 81.

« quæ Sedis apostolicæ et Ecclesiarum consensione firmentur [1] ? » Sic nostræ libertates vel maximè Sedis apostolicæ auctoritate constant : quippe quæ canonum executrix custosque sit. Unde noster Gerson docet omnem statum ecclesiastici ordinis « subesse rationabili voluntati Papæ, quæ rationabilitas regulanda est per determinationes conciliorum generalium, præsertim jam factas, de consensu et auctoritate summorum Pontificum [2] : » adeo nostri æquo jure omnia metiuntur, totoque studio Sedis apostolicæ auctoritati consulunt. Summa doctrinæ est, Ecclesiam ubique consensione regi.

Cæterùm ne nobis quisquam eâ causâ succenseat, habent, non modò Galli, sed etiam Hispani, Belgæ, Germani, alii omnes, suas consuetudines, sua jura, vel usu firmata, vel pactis. Hæc Sedes apostolica servat in Ecclesiis quibusque gubernandis : quæ pars est vel maxima ecclesiastici regiminis, dicente apostolo : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* [3]. Habent eædem gentes suos ritus. Aliena, nova, noxia respuenda, si fortè obtrudantur. Id sibi præ aliis Ecclesia gallicana vindicat, ut jure communi regatur, hoc est, quoad fieri liceat, jure antiquo, a quo dimoveri invita non possit. Quale jus, si reliquæ gentes vindicare sibi velint, nihil profectò prohibemus.

CAPUT XIII.

Jura novella necessaria : ad vetera collimandum : Patrum gallicanorum eâ de re in concilio Tridentino sensus : ipsum Tridentinum concilium eodem animo fuit.

Cùm autem vetusta laudamus, atque in iis arcem nostræ disciplinæ libertatisque collocamus : non propterea contendimus immutabilem esse Ecclesiæ disciplinam. Agnoscimus enim à patribus nostris in concilio secundo Vasensi commendatos [4], non tantùm *antiquos*, sed etiam *novellos canones*. Hos merito laudat Agobardus, factos videlicet « pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus conciliis non habentur [5]. »

Et tamen ad antiqua semper niti nos oportet ; præcipuumque id fuit Gallorum studium in concilio Tridentino. Itaque oratores regis, id, præ aliis omnibus, mandatum acceperant : in Ecclesiâ reformandâ, « primùm id videri, ut ad Ecclesiæ initia redeatur, ut Ecclesiæ status ad originis suæ puritatem quàm maximè accedat [6]. »

Id verò Tridentini Patres, quoad iniquitas temporum tulit, egregiè præstiterunt. Unde hæc habent passim : « Sancta synodus antiquorum canonum vestigiis inhærendo decernit [7], etc. » Ac rursus :

[1] *Decl. Gall.*, c. III.—[2] *Ger.*, *de statib. Eccl. stat. Præl.*, *consid.* IV. t. II. p. 432.—[3] *1 Cor.*, IX. 22. — [4] *Conc. Vas.* II. malè à *Bin.* III. an. 529 ; *Præf.*, t. IV. *Conc.*, c. 1679. — [5] *Agob.*, *lib. ad Lud. Pium*, n. 12. t. XIV. *Bibl. Patr.*, p. 266. — [6] *Instr. à M. de Lansac, avril* 1562 ; *Mém. pour le Conc. de Trente*, p. 173.—[7] *Conc. Trid.*, *Sess.* XXIII. *de reform.*, c. VII. t. XIV. c. 867.

« Sancta synodus vestigiis VI canonis concilii Chalcedonensis inhærendo statuit [1], etc. » Denique id semper agit, eòque collimat ut antiqui canones, « qui temporum atque hominum injuriâ penè in desuetudinem abierunt, innoventur; » universamque disciplinam cleri restituit ex iis, « quæ aliàs à summis Pontificibus ac sacris concilis sancita fuerant [2]. » Tum præcipit ordinariis, « si quæ [illegible] in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo [illegible], pœnas persolvant [3]. »

Si ergo sanctissima atque omni veneratione digna synodus [illegible] disciplinam non omnino restituit, id factum vel maximè quòd [illegible] porum ratio non sineret. Quâ in re memorabilis est Caroli [illegible] à Lotharingiâ, archiepiscopi Rhemensis, unà cum episcopis [illegible] canis, de Tridentinâ reformatione declaratio et protestatio, [illegible] 1563 [4] : « Cùm nudiustertius meam de reformationis articulis [illegible] rem sententiam, præfatus sum etiam me valde cupere, ut pri[illegible] ecclesiastica restitueretur disciplina : sed cùm his corrupti[illegible] temporibus et moribus, intelligam non posse ea, quibus [illegible] opus est, protinus adhiberi remedia, interim assentiri et pro[illegible] quæ nunc sunt decreta : non quòd ea judicem satis esse ad int[illegible] ægrotantis reipublicæ christianæ curationem, sed quòd spera[illegible] priùs lenioribus fomentis adhibitis, cùm graviora medicamen[illegible] potuerit Ecclesia, Pontifices maximos, et maximè sanctissimu[illegible] minum nostrum Pium, pro suâ insigni pietate et prudentiâ di[illegible] curaturum, ut ea quæ desunt implens, et efficaciora inveni[illegible] media, in usum veteribus jamdiu abolitis revocatis canonib[illegible] maximè quatuor veterum illorum conciliorum, quæ quantu[illegible] poterit observanda esse censeo; vel si expedire videbitur, fre[illegible] tiori conciliorum œcumenicorum celebratione, morbum ab E[illegible] propulsans, eam suæ pristinæ restituat sanitati. Hanc autem [illegible] mentem et sententiam, tum meo, tum omnium Galliæ epi[illegible] rum nomine, in acta referri volo, et ut id fiat, à notariis p[illegible] postulo. »

Est ejusdem generis et spiritûs protestatio [5] circa ejusdem c[illegible] caput, *Causæ criminales :* et caput; *Causæ omnes*, quibus e[illegible] gallicani, christianissimi regni *privilegia, jura, sacrasque c[illegible] tiones tuentur* *.

[1] *Conc. Trid., Sess.* XXIII. *de reform.*, cap. XVI. col. 870.— [2] *Ibid., Sess.* VI. *de refo[illegible]* col. 769.— [3] *Ibid., Sess.* XXII. *de reform.*, c. I. col. 857.— [4] *Déclar. et protest.*, etc.; [illegible] *le Conc. de Trente*, p. 571. — [5] *Ibid. Vid. Conc. Trid., Sess.* XXIV. c. V. et XX, de [illegible] col. 883, 892.

* Concilium Tridentinum loco in textu citato, cap. V, statuit ut « causæ criminales [illegible]

CAPUT XIV.

Ecclesia gallicana antiquam et sanctam, sub Aurelio et Augustino, africanam Ecclesiam sequitur : Christiani Lupi hallucinationes : summa doctrinæ de libertatibus.

Quâ in re Ecclesia gallicana eodem spiritu agitur, quo nobilis illa quondam Ecclesia africana. Notum quid ab eâ sanctus Zozimus papa, missâ legatione, postularet, quid Patres africani responderint. Duo tantùm observamus : primum illud, papam Zozimum, cùm appellationes Ecclesiæ africanæ suæ sedi vindicaret, protulisse canones, eosque Nicænos, in Africa quidem, ut toto orbe terrarum receptos : alterum, africanos Patres apertè professos se ita probaturos appellationes eas, si canonibus Nicænis juberentur [1].

Ergo neque Zozimus absolutâ voluntate agebat; neque africani Patres eâ se gubernari sinebant : sed in receptis canonibus pars utraque vim omnem reponebat.

Interim africani præsules Sedi apostolicæ, de Nicænis canonibus adhibent fidem, donec disquisitio fieret [2]. Posteaquam constitit canones à Zozimo bonâ quidem fide laudatos, non esse Nicænos [*], collectâ synodo scribant nobilem illam, ad sanctum Cœlestinum post Bonifacium Zozimi successorem, epistolam : quâ nova, neque receptis canonibus, probata repudiant; atque sic in antiquo jure perstant.

Hæc egit Ecclesia africana, eo tempore, quo tot orbis christiani lumina suo sinu alebat; Aurelium, Alipium, alios, et, qui unus omnium instar esset, Augustinum.

At Lupus tantæ Ecclesiæ, tantæque synodi epistolam *infelicissimam, et scatentem erroribus* [3]; synodum ipsam, *erraticam, deviam ac prævaricatoriam*, appellare non veretur; cujus causâ factum sit, ne Aurelius, vir maximus, « non appareat in romanis sanctorum tabulis : nempe, inquit Lupus [4], propter hunc finalem lapsum. » Qui si revivisceret, profectò videret à doctissimo ac religiosissimo viro Joanne Mabillonio nuper editum Ecclesiæ africanæ antiquissimum martyrologium [5], quo sanctos inter episcopos, Gratum, Augusti-

» contra episcopos... quæ depositione aut privatione dignæ sint, ab ipso tantùm summo romano » Pontifice cognoscantur et terminentur. » Idem cap. xx, talem jubet adhiberi « rationem tractandi causas ecclesiasticas, » quâ episcoporum et gallicanæ Ecclesiæ juribus non parum noceatur; quâque, si eâ uteremur, lites, multis in casibus, non resecarentur, sed fierent sempiternæ. (*Edit. Paris.*)

1 *Conc. Afr.* vi. c. iii et seq. tom. ii. *Conc.*, col. 1590 et seq. — 2 *Vid. Conc. Afr.* vii. *ibid.*, col. 1603; *et collect. can. Afr.*, *ibid.*, can. ci et seq. col. 1670 et seq.

* Erant enim hi canones iii, iv et v synodi Sardicensis, quæ synodus pars et appendix concilii Nicæni Romæ habebatur; sed erat Afris ignota, imò ab illis credita arianorum conciliabulum. (*Edit. Paris.*)

3 *Christ. Lup. de Gall. Eccl. Rom. app.*, cap. xii. p. 116. — 4 *Ibid.*, *de Afr. appel.*, cap. xxx. p. 707, 708. — 5 *Mabill.*, *Analect.*, tom. iii. p. 396.

num, Quod-vult-Deum, Capreolum et alios; sanctus quoque Aurelius ille, si Lupo credimus, finaliter lapsus, adscribitur sub finem mensis Julii, his verbis : XIII kalendas Augustas, depositio sancti Aurelii episcopi. »

Quod autem Lupus notat [1], « Augustinum, Alipium, Possidium, ac alios meliores episcopos retraxisse manus, et infelicissimis litteris subscribere noluisse; ac solos juvenes Aurelio adhæsisse : » viri docti me miseret tot ac tantas ineptias congerentis. Primùm enim constat quæ in eâ synodo gesta sunt, consentire cùm iis, quæ in anteriore synodo sanctus Augustinus tunc, ut in his actis legitur [2], legatus provinciæ Numidiæ dixit : Et hoc nos servaturos profitemur, salvâ diligentiore inquisitione concilii Nicæni. » Ex quo sequebatur ne servaretur ampliùs, postquam à Nicæno concilio abesse compertum est, quòd synodus Aurelii sanxit. Quid autem requiramus in ejus synodi epistolâ, sancti Augustini et aliorum manum? Nempe illi aberant : neque enim provincia Numidiæ, aliæque, eosdem semper legatos mittebant. At si improbassent, utique adversùs *erraticam et deviam synodum* reclamandum erat : quod contrà factum est : ea enim in aliâ synodo Africanâ [3], unà cum aliis synodis sub Aurelio actis, *recitata*, repetita et comprobata est; neque prætermissa est illa epistola, quam optimus Lupus *scatentem erroribus* reputat; neque Augustinus unquam ab Aurelio secessisse legitur, uti Lupus memorat. Quin potiùs Aurelium, et vivum et mortuum, ni fallor, miris ubique laudibus commendavit [4]. Hujus etiam memoriam, hujus epistolas Africanorum conciliorum dictatas nomine, sequens ætas celebravit. Testis vir egregius Ferrandus diaconus, in vitâ sancti Fulgentii : « Sanctæ, inquit [5], memoriæ Aurelius Carthaginensis Ecclesiæ antistes, inter sua privilegia meruit, ut litteras ex Africano concilio dandas ipse solus scriberet. » Quod item sancto Fulgentio contigisse memorat : tam sanctum habebatur illud officium?

Fingit bonus Lupus juvenes tantùm episcopos adhæsisse Aurelio; neque illud saltem cogitat, post ipsum Aurelium statim in epistolæ fronte apparere Valentinum, Numidiæ scilicet primatem [6] : quem primatum ætati datum esse nemo nescit. At enim ille etiam retrocessit unà cum Augustino, aliisque Numidis, si Lupo credimus [7]. Nempe fefellit eum sancti Augustini epistola ad sanctum Cœlestinum de Antonio Fussalensi [8]; quam si attentè legisset, profectò invenisset, sub ipsa initia Cœlestini scriptam, antequam ab Oriente de Nicæno

[1] *Lup., de Afr. app. loc. cit.*— [2] *Conc. Carth.* VI. c. VII. t. II. *Conc.*, col. 1592.— [3] *Conc. Afr. sub Cœl.*, can. CI. col. 1670 et seq. — [4] *Vid. Aug. pass. et imprim. Serm.* CCCLV. al. XXXI. *de vit. et morib. Cleric.*, n. 5. t. V. col. 1383.— [5] *Vit. Fulg. per Ferrand., ante ejus oper.*, t. II. n. 40. p. 20. *ed.* 1684. — [6] *Vid. Conc. Afric., seu coll. Conc. Afric.*, can. t. II. *Conc.*, col. [illegible]. — [7] *Lup., de app. Afric.*, c. IV. p. 609.— [8] *Aug., ep.* CCIX. al. CCLXI. t. II. col. 777.

canonibus responsa venissent; quo tempore ab Afris permissas appellationes, *salvâ diligentiore concilii Nicæni inquisitione*, prout sanctus Augustinus interlocutus erat, ut in concilio sexto Carthaginensi vidimus [1]. Hæc verò nos de Lupo monenda esse duximus, ut viris bonis appareat, quàm inepta, ne dicam impia, adversùs sanctos viros, imo adversùs sanctissimam africanam Ecclesiam suaserit falsa et præpostera pietas. Quid postea in Africâ, labentibus rebus, gestum sit, nihil nostrâ: hoc enim abundè est, nobis esse communem, cum tam claro sæculo tantisque viris, receptorum canonum, atque in eo positæ ecclesiasticæ libertatis, defensionem.

Summa ergo sit nostræ libertatis, sic novella jura, piâ aut necessariâ institutione stabilita, servare, ut antiquiora respicere, iisque sustentare labentem disciplinam; certè *jus communè*, atque in eo venerandas juris antiqui reliquias omni ope servare, jusque arbitrarium, et mandata extraordinaria repudiare studeamus; in eâque partem maximam reponamus nostræ erga Ecclesiam catholicam reverentiæ; quippe qui intelligamus, quò quisque est studiosior antiquæ disciplinæ, eò magis cordi habere Ecclesiæ catholicæ ac Sedis apostolicæ majestatem.

CAPUT XV.

Libertates quo sensu privilegia dicantur, nempè ut jura antiqua, libertatum radix: an Petrus de Marca audiendus, qui conciliorum superiorem potestatem à libertatibus separat.

Omittimus notum illud, libertates nostras non privilegia, sed libertates dici; ut quæ non veniâ et indulgentiâ, sed ipso antiquo jure nitantur; quanquàm jura Ecclesiarum apud antiquos passim privilegia etiam appellantur; vulgatumque illud, τὰ πρεσβεία, hoc est, antiqua et vetusta, quæ nostri *privilegia* vocant, ipsâ antiquitatis commendatione fulta, suâ vi stare oportere.

Radix autem libertatis ecclesiasticæ eo maximè constat, quòd in ipsâ catholicâ Ecclesiâ vigeat supremâ illa vis et indeclinabilis, quâ ipsa catholica Ecclesia gubernetur; valeatque illud beati Hieronymi, quod est à majoribus nostris toties celebratum: « Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe [2]. »

Haud me fugit virum illustrissimum atque doctissimum Petrum de Marca, dum romanis auribus parcit, aliam ac novam de libertatibus gallicanis protulisse sententiam. Is enim profitetur confutari à se communem opinionem, quæ docet, præcipuam libertatum regulam hanc esse, ut concilium œcumenicum superius romano Pontifice dicatur [3]; quamvis tamen hæc sit scholæ gallicanæ sententia, non

[1] *Conc. Carth.* VI. c. VII. jam cit.— [2] *Hier., ep.* CI. *ad Evan.*, al. LXXXV. *ad Evagr.*, tom. IV. col. 803.— [3] *Marc., de Concord.*, lib. III. c. 7. n. 1.

esse unam ex libertatibus gallicanis : illam niti eo fundamento, quod sit expendendum, an nova constitutio vel novum rescriptum [illegible] Gallicanis consulat aut noceat : ac fruatur licèt summus Pontifex, aut æquo jure cum conciliis generalibus, aut superiore, nihil [illegible] ad libertatem ; cùm et eâ perinde utamur erga conciliorum [illegible] erga Pontificum nova decreta : quod certum fieri aiunt, ex [illegible] cationibus Basileensi concilio, ac deindè Tridentino adhibitis, [illegible] omnino sufficere illud, ut romani Pontifices canonibus derogare [illegible] non censeantur, etsi fortasse, formulis rescripti ex stylo curiæ [illegible] cautum sit.

Hæc docet vir summâ doctrinâ, summoque ingenio ; at quod [illegible] neget, versatili, et in utramque partem æquè composito. Profectò verum sit id quod exponit, nihil tamen vetabat libertatem gallicanam duplici fundamento niti : nec à Gallo jurisconsulto ac præsule [illegible] libertatem antiqua et vulgata rejici oportebat, dum ei [illegible] nova fulcimenta quærit.

Nam neque consultum id erat, ad scholam referre tantùm [illegible] tram de conciliorum potiori potestate sententiam, quæ Constantiensibus canonibus innitatur. Cùmque nostra libertas conciliorum, maximè œcumenicorum, canonibus contineatur non erat infirmandum ejus partem vel maximam in canonibus Constantiensibus [illegible] repositam, quos Ecclesia gallicana non modò summâ pietate [illegible] perit, verùm etiam, ut conderentur, omni studio procurarit. [illegible] illud libertati erat congruum, ut adversùs extraordinaria [illegible] certâ præscriptione uterentur, quòd esset in canonibus firmum [illegible] quid et invictum constitutum ab ipsâ Ecclesiæ potestate, quæ [illegible] tificiam potestatem, si quando extra limites efferretur, [illegible] quin etiam interdum, in gravibus scandalis, castigare posset. [illegible] enim alio firmiore telo usa est Ecclesia gallicana ad tuendam [illegible] tem, quàm appellatione? At illa nulla est, nisi concilium [illegible] potiore potestate esse. Quin Ecclesia gallicana clarè et aperte [illegible] timæ defensionis fundamentum in Constantiensium canonum [illegible] toritate reposuit. Id docent ea verba appellationis capituli Parisiensis et Joannis Dauvet procuratoris regii, quæ suprà memorav[illegible] placetque hæc addere haud minori emolumento futura. Ca[illegible] quippe Parisiense, repetitis, ut suprà descripsimus, Constantiensibus sessionis quintæ et aliarum canonibus, hæc subdit[1] [illegible] à synodo Constantiensi esse decreta, « ut romanis Pontificibus [illegible] gregandi concilii universalis occasio necessitasque inesset, [illegible] que Christi universali Ecclesiæ sic congregatæ, id honoris [illegible] risque præeminentiæ locum deferre consuescerent : ut si quid [illegible]

[1] *Sup.*, lib. x. c. 28.—[2] *Appel.* II. *cap. Paris*; *Preuv. des Libert.*, cap. XIII. n. 20.

um arduum contingeret, quod omnes tangat, universorumque tatum, commodum aut incommodum spectare videatur, ipsius niversali concilio atque veritate testante, supremo infallibilique udicio deliberandum determinandumque committerent; eoque acto, non se jam rerum dominos et omnipotentes, et quibus nemine dici possit, Cur ita facis? Sed Domini sui Christi sponsæ amulos se, servorumque Dei servos, non verbo et linguâ, sed opere t veritate faterentur. » Hoc ergo fundamento, nempe invictâ auctoitate Constantiensium canonum de supremâ et absolutâ concilii ecumenici potestate, ipsa libertatis adversùs imperatam pecuniam lefensio nitebatur. Quanto magis uteremur illâ defensione, si nobis præriperentur ea jura, quæ omni auro contrà æstimamus?

Neque Patres nostri unquam ab eâ sententiâ discesserunt. Audimus enim cardinalis Lotharingii è concilio Tridentino scriptam pistolam, quâ Papæ quoque ipsi testatum esse voluit, Gallos ad ecem usque in eâ sententiâ perstituros, quæ Constantiæ atque asileæ, de conciliorum potestate firmata est, *quippe quâ omnia egni privilegia innitantur* [1].

Idem professus erat Henricus II, cùm in ipsis concilii Tridentini nitiis, hæc suis oratoribus declarat ac mandat, tanquam rerum uo nomine agendarum certissimum fundamentum [2]: « Nos pro nostro munere ac titulo, quem à majoribus accepimus, cupientes ecclesiasticam libertatem sartam-tectam manere, et sacrorum generalium et œcumenicorum conciliorum, et Sedis apostolicæ auctoitatem illæsam conservari, simul et gallicanæ Ecclesiæ, regni ac ominiorum nostrorum jura ac libertates salvas esse et incolumes, tc. » Ecclesiæ igitur universæ, ac privatim Ecclesiæ gallicanæ libertates, cum apostolicæ quidem Sedis, sed primùm cum œcumenicorum conciliorum auctoritate conjungit: quæ à viris eâ tempestate maximis limata, atque ex intimo totius Ecclesiæ gallicanæ sensu esprompta esse constant.

Ergo Gallis non placent, à Gallo homine et præsule, gallicanæ exposita libertates diversissimo modo, quàm antea fuerat à Gallis ummâ consensione factum: perstititque Facultas, ut omittam cæteros, in pristinâ sententiâ, quam exposuimus [3], cùm de Vernantii et uimenii censuris ageremus.

Atque haud scio an probari debeat universim ea libertas, quam vir lustrissimus statuit, ut in novis morum decretis, ab œcumenicorum etiam decretorum auctoritate liberè recedatur. Factum id quidem semel in recipiendo concilio Tridentino, non solùm à Francis

[1] *Lett. du card. de Lorraine à Breton son sec.; Mém. pour le Conc. de Trente*, p. 556. — *Pouvoir envoyé par le roi Henr. II à son ambass.*, etc., *ibid.*, p. 20. — [3] *Sup.*, lib. VI. c. 27.

nostris, sed etiam à Belgis ditioni Hispanicæ subditis : cujus rei multæ causæ sunt, et quædam à nostris tactæ in ipso Tridentino concilio[1]; peculiares illæ quidem, nec trahendæ universim ad generalia concilia; neque satis cautum aut honestum videtur passim in eo restringere libertatem, ut ab universalis Ecclesiæ decretis recedere liceat. Atque id quidem monere interim; at excutere penitus, alicui non libet. Quòd sanè aiunt, ab Ecclesiâ gallicanâ certis conditionibus ac modificationibus receptum esse Basileense concilium, suprà ostendimus eas ita esse adhibitas, « sub spe scilicet, quòd per illas concilium admittentur[2]. »

CAPUT XVI.

Hæc doctrina non obest dispensationibus apostolicæ Sedis : concilii Basileensis et Gersonis doctrina à sancto Bernardo ducta.

Neque verò putent, à nobis tantâ canonum et conciliorum auctoritate constitutas Sedis apostolicæ dispensationes esse sublatas, quasi sit : has enim nemo catholicus, nemo veri regiminis scientiæ, nemo rerum ecclesiasticarum gnarus abstulerit. Has toto animo confitetur, ea quam pontificiæ potestati maximè adversari putant, Basileensis synodus. Sic enim loquitur[3] : « Per concilium autem illam in nullo derogant suæ potestati, quin pro tempore, loco, causis et personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari dispensare que possit, atque uti summi principis ἐπιείκειᾳ, quæ ab eo auferri quit. » Anno 1435.

Itaque in decretis synodalibus Papæ auctoritatem exceptam obligunt[4], nisi aliter caveatur[5]. Quam exceptionem Gerson ita explicat, atque ita vult dari locum pontificiæ dispensationi, « non sit effræna libertas, sed si necessitas, vel evidens utilitas postulet, nec recursus pateret ad generale concilium; alioquin non esset plenitudine potestatis, sed abuti plenissimè[6]. »

Quâ sententiâ vir doctissimus juxtà ac modestissimus moderebat viam : « Ne talis esset restrictio papalis potestatis, ut semper concilium recurrendum esset propter raritatem; nec talis lex, quæ conciliorum robur enervaret[6]. »

Grave illud ac memorabile, quod idem christianissimus dixit

[1] *Vid. Mém. pour le Conc. de Trente*, p. 531 et seq.—[2] *Sup.*, lib. VI. c. 12; *Vid.* [illegible] t. XII. *Conc.*, 1429 et seq.—[3] *Conc. Basil., epist. synod.*, n. 5. tom. XII. *Conc.*, col. [illegible]

[4] Hanc difficultatem Patres Basileenses sic solvunt : « Respondetur illud verum esse, [illegible] persona Papæ specialiter non includitur; sed si specialiter includeretur; non [illegible] sed in decretis concilii Constantiensis specialiter dicitur : *Quilibet, etiam papalis dignitatis, obedire tenetur præceptis concilii* : » ergo persona Papæ in eo certè articulo non potest [illegible] Vid. loc. cit. (*Edit. Paris.*)

[5] *Conc. Basil., epist. synod.*, n. 3. p. 691.—[6] *Gers., de potest. Eccl., cons.* X. t. II. p. 20[illegible]—[6] *Ibid., Serm. de viag. Reg. Rom.*, t. III. part. direct. II; *ibid.*, p. 279.

coram Alexandro V apostolicâ libertate prædicabat [1] : « Leges rectè latas, quantâlibet importunitate petentium fatigeris, nunquam dispensabis, nisi aut necessitas urgeat aut communis provocet utilitas. Alioquin fuerit potiùs crudelis dissipatio, quàm justa dispensatio. Cavebis dispensationem ipsam lege communiorem facere : ne turpe sit, si regulam sua vincat exceptio. » Quo ferè loco res esse, boni omnes lugent.

Cæterùm eruditus lector in oratione Gersonis, beati Bernardi verba recognoscit. Notum id melliflui doctoris [2] : « Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est : ubi utilitas provocat, laudabilis dispensatio est. Utilitas, dico, communis, non propria : nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. »

His igitur causis, multa in jure permissa sunt sublimioribus ac litteratis personis ; multa episcopis, ut episcopatûs non tam dignitatem quàm onera sustinere possint ; multa principibus, quorum rationes publicis atque etiam ecclesiasticis rationibus prosint : cujus generis est illud Tridentini concilii : « In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam [3]. »

Nec desunt quæ indulgere privatis, publica etiam utilitas postulat, ne pereant, *ne abundantiori tristitiâ absorbeantur* [4] ; ne Ecclesia infirmis materna viscera claudere videatur, excidatque ab ecclesiastico regimine apostolicum illud : *Infirmum autem in fide assumite* [5]. Sed nobis non vacat prosequi singula ; summa attigisse sufficiat.

Illud prætermittere non possumus, aliud esse quod Ecclesia jubeat, aliud quod indulgeat, aliud quod toleret. Id jubet, ut quàm maximè observentur canones : id indulget, ut causis necessariis interdum relaxentur : id tolerat, quod sine gravi perturbatione punire non potest : quæ quidem tolerantia pars quædam est ecclesiasticæ disciplinæ ; sed ea quæ peccantes non excuset, imò etiam gravet ; quippe qui divinæ ultioni reserventur.

Bernardo et Gersoni adjungere longo ordine poteramus scriptores antiquiores. Verùm posterioris ævi doctores, hoc loco, vel maximæ auctoritatis esse omnes fatebuntur : quippe ex his æstimare liceat quid primis sæculis Ecclesia senserit, cùm priscus canonum obtineret vigor ; oportetque omnino immota esse ea, quæ corruptissimis quoque temporibus, ac profligatâ disciplinâ, suo tamen pondere steterint.

[1] *Conc. Basil., Serm. coram Pap., ibid.*, p. 140. — [2] *Bern., de Consid.*, lib. III. c. 4. n. 18. col. 433 ; *Vid. quoq. lib. de Præcep. et Disp.*, c. IV. *ibid.*, col. 503, 504. — [3] *Conc. Trid., Sess.* XXIV. c. V. *de reform.*, t. XIV. col. 878. — [4] 2 *Cor.*, II. 7. — [5] *Rom.*, XIV. 1.

CAPUT XVII.

Dispensationes *sine causâ*; canon Lugdunensis in earum gratiam à Petro de Marca citatus, an id efficiat.

Quam autem ex Bernardi Gersonisque temporibus projecta ac prolapsa sint omnia, vel ex eo patet, quòd dispensationes, etiam *sine causâ*, valere tam multi sentiant, quorum auctoritas apud cordatiores nulla est.

Omnino enim, quæ ratione constituta sunt, quæ publicâ utilitate, non debent sine ratione, sine publicâ utilitate laxari; tales autem sunt leges; non ergo sine ratione, sine publicâ utilitate laxari possunt.

Ligant ergo potiùs quàm solvunt, ille nunc à multis tanto studio celebratæ dispensationes *sine causâ*: ligant, inquam, non modò impetrantem, sed etiam dantem: et cùm Dominus incipiet rationem ponere cum servis suis[1], et egredietur illud ab altâ Christi sede: *Redde rationem villicationis tuæ*[2]; non credo valebit illud postremis demum temporibus natum: *Pro arbitrio feci*. Meminisse enim oportebat sancti Cœlestini dicentis: « Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur[3]. »

Præpositis Ecclesiæ dominantur regulæ, primùm, cùm eas exequuntur; deinde cum certâ ratione solvunt. At profectò regulis dominantur, cùm pro arbitrio solvi à se posse confidunt.

Vir illustrissimus Petrus de Marcâ satis sibi disciplinæ cavisse videtur, si dispensationem *sine causâ* diceret, *in his, quæ vel jura tertii, vel statum publicum lædunt, nec licitam esse, nec validam*; alioquin *absque crimine* suscipi et concedi[4]: tanquam *status publicus* non statim lædatur aut verò ullo modo possit consistere, solutis etiam *sine causa* legibus.

Profert ille quidem Lugdunense concilium sub Gregorio X, quod, inquit[5], ad romani Pontificis arbitrium retulit, « æstimare quem modum beneficii sui esse velit: » ex quo infert licere summo Pontifici « sine causæ cognitione aliquem canonibus solvere, dummodo status publicus non lædatur. » Quò etiam refert nomen *beneficii*, eoque significari vult, « gratiam ex merâ Principis liberalitate collatam. » Sed profectò hanc gratiam et liberalitatem meram, in exequendis canonibus, Ecclesiæ traditio non agnoscit.

Ego verò diligentiùs expensum vellem illud, *æstimare*, quid sit. Non enim, quod infert, *sine causæ cognitione aliquem canonibus solvere*; sed considerare, ponderare, quæ sit mens canonum, et qua-

[1] *Matth.*, XVIII. 24. — [2] *Luc.*, XVI. 2. — [3] *Cœlest.*, *ep.* I. *ad Illyric. Ep. Coll. Holst.*, part. I. — [4] *De Concord.*, etc., lib. III. c. 15. n. 3. — [5] *Marca*, *ibid.*; *Vid. Conc. Lugd. II*, *const.* XVIII. t. XI. col. 985.

tenus boni publici intersit eos temperari certis et extraordinariis casibus, pensatâ eâ, quam Ivo noster celebrat [1], *honesta vel utili compensatione*, unde existat illa, quam ipse Ivo memorat, *provida dispensatio*; aut, ut idem definit, *auctoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio*; quæ synodus Lugdunensis, *æstimandi* voce, complexa est.

Cæterùm illa canon Lugdunensis agit de iis qui plures dignitates et Ecclesias ex dispensatione obtinent; quod unum vel maximè, certè atque optimâ causâ fieri oportere, et omnia jura clamant, nec ipse Maron inficietur.

CAPUT XVIII.

De dispensationibus *sine causâ* sententia cardinalium sub Paulo III; concilii Tridentini decreta memoranda.

De dispensationibus *sine causa*, ac merâ Papæ voluntate factis, optimum esset legi, altèque animis infigi ea, quæ egregii cardinales, Gasparus Contarenus, Joannes Petrus Theatinus, postea Paulus IV, Jacobus Sadoletus, Reginaldus Polus, unà cum episcopis ac theologis suo ævo maximis, ad Paulum III edidere, anno 1538, cùm ejus Pontifici, jussu de emendandâ Ecclesiâ tractarent [2]. Primum illud: « Principium malorum inde fuisse, quòd nonnulli Pontifices prurientes auribus, ut inquit apostolus Paulus, congesserunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab iis discerent quid facere deberent, sed ut eorum studio et calliditate ratio inveniretur, quâ liceret id quod liberet. » Tum illud: « Principatum omnem sequitur adulatio, sicut umbra corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures principum: quâ doctorum adulantium fallaciâ contigerit, ut voluntas Pontificis qualiscumque ea fuerit, sit regula, quâ ejus operationes et actiones dirigantur: ex quo procul dubio efficitur, ut quidquid libeat, idem etiam liceat. » Subdunt: « Ex eo fonte, sancte Pater, tanquam ex equo Trojano, irrupere in Ecclesiam Dei tot abusus, et tam gravissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem ferè salutis laborasse, et manasse harum rerum famam ad infideles usque. » Denique illud: « Nec putemus nobis licere dispensare in legibus, nisi urgenti de causâ et necessariâ. Nulla namque perniciosior consuetudo in quâvis republicâ induci potest, quàm hæc legum inobservantia, quas sanctas majores nostri esse voluerunt, eorumque potestatem venerandam et divinam appellaverunt. »

Non vacat commemorare quæ de dispensationum atque indulgentiarum abusu viri gravissimi protulerunt; quorum summa est,

[1] *Ivon. Carn., præf. Decr.* — [2] *Cons., de lect. Cardin., etc.; de emend. Eccl. Paul III, exhib. an. 1538; Fid. Sleid. Comm., lib. XIII.*

dispensationes nullâ necessitate factas, solvendis legibus, ac dissipandæ Ecclesiæ esse comparatas.

Hinc illud gravissimum atque sanctissimum de dispensationibus moderandis concilii Tridentini decretum [1] : « Sicuti publicè expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus [illegible] et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius legem solvere, exemploque potiùs quàm certo personarum [illegible] delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm universalis leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant [illegible] sacratissimos canones exactè ab omnibus, et quoad ejus fieri potest, indistinctè observandos. Quod si urgens justaque ratio, et [illegible] quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum [illegible] id, causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis à quibus [illegible] que ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque [illegible] dispensatio subreptitia censeatur.

Hâc lege confitemur ex eodem concilio, in omnibus mo[illegible] cretis « Sedis apostolicæ auctoritatem salvam et esse et int[illegible] quod avos nostros ita commovebat, ut vel eâ causâ synodum [illegible] tinam admittere recusarent; cùm negarent à Papâ relaxari [illegible] synodorum universalium decreta, nisi ipsæ synodi permiserint.

At rectè æstimanti sufficere potest, « quòd nisi justâ et [illegible] ratione, causâque cognitâ, ac summâ maturitate, et gratis [illegible] dispensatio, subreptitia, » adeoque irrita et nulla *habeatur*.

Hæc pœna decernitur, non adversùs dispensantes, sed [illegible] impetrantes: quo fit, ut in ejusmodi dispensationibus irritandis [illegible] semper recurri debeat ad ipsum dispensationis auctorem. [illegible] impetrans conscientiam primùm adhibere judicem, atque [illegible] se reputare, retractanda, imò etiam persæpe punienda divino [illegible] cio, quæ humano judicio intacta fuerint.

CAPUT XIX.

Natura ipsa dispensationis ex sancto Symmacho et sancto Gelasio, [illegible] pontificibus. Hinc dispensationes *sine causâ* evertuntur.

Hujus verò doctrinæ de dispensationibus, fons radixque [illegible] dispensationis natura, et vox. Non enim dispensare est relaxare [illegible] solvere, quod jam animo conceptum habent; sed distribuere [illegible] gere, administrare pro locorum temporumque ac rerum ratione [illegible] ex quo interdum juris relaxatio consequatur: unde quod [illegible] οἰκονομίαν, nostri dispensationem vocant.

Atque hæc quidem vox *dispensationis* et res ipsa, est ex [illegible]

[1] *Conc. Trid., Sess.* XXV. *de reform.*, cap. XVIII. col. 916.—[2] *Ibid.*, cap. XXI. col. 917.

mente profecta juris interpretatio, in causis extraordinariis et necessariis, quas ipsa lex exceptura fuisse præsumitur, si animo prævidisset.

Quâ de re extat brevis illa quidem, sed aurea, quam Dacherius Lucas, vir doctissimus ac religiosissimus edidit, sancti papæ Symmachi epistola ad Avitum * : « Licet, inquit [1], confusionem provinciæ ** à prædecessore nostro sanctæ memoriæ Anastasio episcopo, præter Ecclesiæ consuetudinem, et antiqua prædecessorum nostrorum statuta, factam esse dixerimus, et non esse tolerandam; attamen si ea quæ fecit, rationabiliter fecisse fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil esse ab eo contra canones attentatum; quia quod fit præter regulam, modò sit EX JUSTA CAUSA, non infringit regulam, quam sola pervicacia et antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis à Patribus statuta diligenti observatione et observanti diligentiâ sunt custodienda, nihilominùs propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur; quod et ipsa lex cavisset, si prævidisset; et sæpè crudele esset insistere legi, cùm observantia ejus esse præjudiciabilis Ecclesiæ videtur; quoniam leges eâ intentione latæ sunt ut proficiant, non ut noceant. » Quâ unâ epistolâ diligens lector omnia nostra firmata comperiet.

Præluxerat sancti Gelasii auctoritas, quæ « in dispensationibus necessariis, adhibitâ consideratione diligenti, decreta metiri, librare, temperare » jubet [2]. Atque hæc illa est ἐπιεικείας ratio, unde ortæ dispensationes; librando, metiendo, considerando, æstimando. Quam proinde ἐπιείκειαν qui liberalitate merâ, ac pro libitu, sine certâ gravique ratione administrari posse credat, cùm sit ipsa summa ratio, profectò desipiat. Ex quo sequitur in dispensationibus, quæ *sine causâ* esse dicantur, ipsam dispensationis rationem ac nomen everti. Hæc verò usque adeo certa esse credimus, ut ea qui semel animo perceperit, nullo modo negare possit.

CAPUT XX.

An auctor anonymus *Tractatûs de libertatibus*, ad tertiam propositionem Declarationis gallicanæ rectum aliquid, aut ad rem dixerit.

Nunc erit facillimum ex dictis aperire, quæ, de libertatibus galli-

* Avitus Viennensis ab Anastasio papâ *per subreptionem* impetraverat concedi sibi ordinationes quorumdam episcoporum, qui antea metropolitica jurisdictione Arelatensis Ecclesiæ regebantur. De eâ re, Æonius Arelatensis relationem misit ad Symmachum, qui quidem decretum Anastasii rescidit, quod nempe *confusionem provinciæ faceret* et *antiqua statuta violaret*. Tum Avitus graviter conquestus est hanc causam à Sede apostolicâ, *inauditâ parte*, fuisse judicatam. Hujus querelis respondet Symmachus in eâ epistolâ. Vid. Symm., epist. I, II, IX, X, etc. (*Edit. Paris.*)

[1] *Symm.*, *ep.* XII. tom. IV. *Conc.*, col. 1312; *et Spicil.*, tom. V. p. 582.

** Arelatensis.

[2] *Gelas.*, *ep.* IX. *ad Ep. Lucan.*, cap. I. tom. IV. *Conc.*, col. 1188.

canis, auctor anonymus, vel perperam vel extra rem, et hanc [illegible] toto volumine disseruit, et præsertim ad caput tertium [illegible] Declarationis.

Quo loco statim illud occurrit [1] : « Potestatis usum, non [illegible] tem ipsam summi Pontificis moderandam censent illustr[illegible] tistites. » Ac paulò post : « Sed videtur, quemadmodum pot[illegible] ita potestatis usum, solus, qui concessit, posse moderari, [illegible] facultatem alteri permiserit. » Denique : « Scimus equidem [illegible] stolicæ Sedi rerum spiritualium plenam potestatem, ut habet[illegible] propositio ; sed à quo possit illius potestatis usus impediri ad [illegible] quo habemus ? Dissimulat Scripturæ locos, quibus suprem[illegible] atque omnino indeclinabilem auctoritatem in ipsâ Ecclesia [illegible] sione esse positam, nostri ostendunt : dissimulat constan[illegible] Ecclesiæ catholicæ Sedisque apostolicæ eâ de re traditionem [illegible] mulat locos innumerabiles, quibus ipsi romani Pontifices [illegible] canones se nihil posse prædicant. Hæc ergo expendere, [illegible] interrogatiunculâ solvere, ac velut diffiare oportebat.

Quod Declaratio gallicana non ipsam pontificiam potest[illegible] illius usum moderandum esse docet, à majoribus sumptum ; [illegible] locos toto hoc opere sæpè referimus. Concedimus enim in [illegible] dem ecclesiastico, Papam nihil non posse, cùm necessitas [illegible] larit. Quis sit autem in his modus, præscribunt canones *tot[illegible] reverentia consecrati;* quod jam non ad potestatem illam in [illegible] ad usum pertinet. Id si expendisset auctor, gallicanos Patres, [illegible] gentissimè et accuratissimè ex majorum sententiâ locutos, [illegible] non inanibus vexasset cavillationibus et quæstionibus.

Dispensationes necessarias esse docet anonymus [2]. Quis [illegible] nescit, aut quis negat ? Quæ sit illarum ratio aut modus, [illegible] rem pertinebat, levissimè transilit. Nempe illud unum volebat [illegible] tare Gallos, ut quis assiduè dispensationes implorarent, tanq[illegible] reliquo orbe christiano plus canones obtinerent.

Litem movet anonymus episcopis gallis, quòd instituta con[illegible] dent *à regno et Ecclesia gallicana recepta :* quasi fraus aliqua [illegible] verbis lateat ; « nisi fortè, inquit [3], regnum et Ecclesia co[illegible] sumantur, quod magis crediderim ; » quasi verò aliter sumi [illegible]

Metuere se fingit anonymus, ne probari videantur « [illegible] contra jura Ecclesiæ à magistratibus inducti. » At Patres [illegible] studiosissimè monent statuta et consuetudines, quæ pro [illegible] obtinere debeant, eas esse, « quæ apostolicæ Sedis et Eccle[illegible] consensione firmentur : » quo nihil est clarius. Quare anon[illegible] nihil hic habuit, quod objiceret, nisi istud [4] : « Operæ autem [illegible]

[1] *Anon., de Libert.*, etc., l. VI. c. 1. n. 1. — [2] *Ibid.*, n. 2, 3. — [3] *Ibid.*, n. 4. — [4] *Ibid.*, n. 5.

tium esset statuta ejusmodi et consuetudines percensere :.... alioquin nequaquam tollitur suspicio, ne, sub honestorum verborum specie, occultetur animus sanctæ Sedis decreta propriis rationibus accommodandi : » quid igitur? Gallicanos antistites non generales regulas exponere, quod in animo habebant; sed omnia statuta, consuetudines omnes, percensere oportebat; ac nisi statim canones omnes compilarent, omnes probatas consuetudines recenserent, suspicari licebit eos, decreta sanctæ Sedis ad suas voluntates accommodare velle. Quid aut ineptius, aut malevolentius fingi potuit?

At illud etiam gravius, quod alibi scribit anonymus [1] : « Posset etiam fortasse aliquis suspicari illustrissimos antistites gallicanos, has quoque libertates, seu veriùs servitutes probasse verbis illis tertiæ propositionis : *Valere etiam regulas, mores et instituta à regno et Ecclesiâ gallicanâ recepta.* » Quasi metuendum sit, ne antistites gallicani omnia Fevreti *, Puteani **, omnia ab antecessoribus rejecta toties, probasse videantur, eo quòd non Ecclesiam tantùm sed etiam regnum nominarint.

Has postquam gravissimas in tot ac tantos antistites suspiciones injecit, excusare voluit, dum subdit, id non præsumendum. Tunc id tantùm? At illustrissimi præsules non præsumptionibus, sed apertissimis verbis has suspiciones propulsarunt, disertèque expresserunt, commendari à se « statuta sanctæ Sedis et Ecclesiarum consensione firmata. »

Cur ergo regnum pariter et Ecclesiam appellarunt? Quærant imperiti; non quærent, qui sciunt Ecclesiam in regno esse, regni paci consulere, regni tutelà ac defensione uti.

Jam secundo capite quærit anonymus *de auctoritate summi Pontificis in Ecclesiam gallicanam* [2]. Quis enim hanc negat? aut quid necesse erat operam in his perdere auctorem Declarationis gallicanæ amplam discussionem pollicitum? An non enim satis clarè gallicani antistites eam auctoritatem agnoverant?

[1] *Anon., de Libert.*, etc, lib. x. *Præf.*, n. 1.

* Carolus Fevret in curiâ Divionensi patronus, librum edidit, cui titulum fecit : *Traité de l'Abus, et du vrai sujet des appellations qualifiées du nom d'Abus.* (*Edit. Paris.*)

** Petrus Dupuy, vir inter Gallos de Ecclesiâ deque republicâ optimè meritus, anno 1638, unâ cum fratre suo Jacobo, publici juris fecit librum, cui titulus est : *Traité des droits et libertés de l'Eglise gallicane*; eique libro alterum adjunxit sub hoc titulo : *Preuves des libertés de l'Eglise gallicane.* In illo altero libro, varia monumenta collegerat ex tabulariis Franciæ et supremæ curiæ Parisiensis, ex collectionibus canonum, actis conciliorum, capitularibus et decretis regum Galliæ, ac demum ex historiis. Sed statim atque excusus est ille liber, hunc nuntius apostolicus proscribi petiit; et quidem, illius impulsu, concilium regium eodem anno cavit edicto ne venderetur; quia nempe excusus fuerat nullo regiæ majestatis privilegio munitus. Anno autem 1639, episcopi numero XIX, hunc librum, latâ sententiâ, proscripserunt; non quòd regni jura simul proscripta esse vellent, et Ecclesiæ gallicanæ libertates, sed quòd in eo quædam nimia, quædam etiam parum accurata reprehendebant. Itaque fratres Dupuy opus suum ad incudem retraxerunt, quod, multis monumentis auctum, theologis retractandum commiserunt; sicque iterum prodiit, anno 1651, cum regis privilegio. (*Edit. Paris.*)

[2] *Anon.*, lib. VI. c. 2.

Quæ deinde non pertractat anonymus? Tanquam enim ea est gallicana Declaratio, quæ omnia commoveret, incipit agere de immediatâ jurisdictione Papæ in foro externo, interno; de causis judicandis; de ordine judiciario; deque citationibus, et prohibitionibus, de exigendis subsidiis; de jure summi Pontificis circa [illegible] et quid non? Quâ in tractatione quis commemoret, quot [illegible] quot certa dubiis miscuerit? quàm nihil à novellis antiquis [illegible]rit? quàm parum adverterit vera quoque et certa, quem [illegible] modum? Sed hæc ad discussionem gallicanæ Declarationis [illegible] profectura, si pertractare aggredimur; nempe huc omnia [illegible] scribi oportebit.

Unum est quod auctorem volo esse monitum. Si quidem [illegible] se suasurum Gallis, ut arbitraria jura, et omnia curiæ scita [illegible] habeant; ne agat ratiociniis è cerebro sumptis, ut facere [illegible] auctoritatibus et canonibus: ne confecta omnia putet, si [illegible] cos tantùm canonistasve nominet; si denique Gallos aliquos [illegible] re victoriam plerumque collocat, pro se afferat et laudet. [illegible] nos fugit multos etiam Gallos in posterioris ævi adulationem [illegible] tos. Scholasticos canonistasve in honore habemus, suo qui[illegible] sed nemo graviter feret, si Patres anteponimus; si ad eccle[illegible] origines convertimus oculos, quas posterioris ævi scriptores, [illegible] litterarum præsidiis, ut omittam reliqua, destitutos, non [illegible] rasse constat.

Absurdissimum illud est, quod ad illimitatum pontificiæ [illegible] usum, referre videatur insignem de exemptionibus sancti [illegible] locum[2]: « Sic factitando, inquit Bernardus[3], probatis vo[illegible] plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non ita. Facitis [illegible] potestis; sed utrum hoc debeatis quæstio est. » Subdit an[illegible] « Adeo certum habebat sanctus ille abbas Pontificem in ch[illegible] omnes etiam laicos jurisdictionem immediatam habere: » [illegible] dem nemo negat; sed summæ potestati adhibendum [illegible] dicimus, modum sanctus Bernardus docet, dum in his ple[illegible] deesse justitiæ, quò modestiùs, eò efficaciùs ostendit; de[illegible] illud subdit[4]: « Vides quàm verus sit sermo ille; *Omnia* [illegible] *sed non omnia expediunt*[5]. Quid si fortè non licèt? Ignosce [illegible] facilè adducor licitum consentire, quod tot illicita partu[illegible] Bernardus docet, cujus auctoritatem venerandam Gallis [illegible] dicat anonymus. Sic extraordinaria et arbitraria inter illicita [illegible] Hanc Eugenio III proponit regulam.

[1] *Anon.*, lib. VI. cap. 3 et seq. — [2] *Ibid.*, n. 6, 7. — [3] *Bern.*, *de Consid.*, lib. III. [illegible] tom. I. col. 432. — [4] *Ibid.*, n. 16. col. 432, 433. — [5] 1 *Cor.*, X. 22.

CAPUT XXI.

Auctor anonymus libro primo nihil agit; à scopo quæstionis aberrare se docet.

Nunc percurrimus ab ipso initio ingens opus, ac paucis ostendimus auctorem anonymum in discutiendâ Declaratione gallicanâ, nihil ferè aliud quàm vana et extra rem, atque aliena sectatum. Et libro quidem primo multa ludit de definitione libertatum Ecclesiæ gallicanæ: quo loco de Justelli, Leschasserii, Marcæ, Puteanorum, aliorumque definitionibus quærit. Ad quid hæc ad gallicanæ Declarationis discussionem pertinebant? Habebat in manibus Declarationem ipsam, quâ profectò quid vellent gallicani præsules satis perspicuè demonstrabant.

Et ille quidem ait propositionem primam de regum potestate, nihil ad libertatem Ecclesiæ pertinere[1]; quod confutavimus[2].

Ut secundam propositionem, quæ de conciliorum potestate agit, à libertatibus separet, illustrissimum virum Petrum de Marcâ laudat[3]; cui loco satisfecimus, et conciliorum supremam potestatem libertatis ecclesiasticæ fundamentum diximus[4].

Propositionem quartam discussurus, quæ ad fidei quæstiones definiendas pertinet, hunc librum sic aggreditur: « Putaveram hactenus libertates Ecclesiæ gallicanæ nullatenus ad fidem pertinere[5]: » quasi nihil omnino pertineat ad ecclesiasticam libertatem quo pacto doceatur fides, quidve ibi vel maximè Ecclesiæ consensio valeat.

Quòd si ad strictiorem sensum ecclesiasticam libertatem placebat accipi, adverteret auctor id quod ab ipso scriptum est[6]: « Frequentiùs apud Gallos libertatis significatio ea esse dicitur, quæ, juxta concilium Ephesinum, canone ultimo, in observandis canonibus, et conservandâ cuique Ecclesiæ suâ jurisdictione consistit. »

Hæc ergo si quærebat, quæ frequentiora apud Gallos confitetur, ac libertatem gallicanam ad illa jura revocabat: habebat in manibus, et in ipsâ Declaratione, quam discutiendam susceperat, claram eorum jurium definitionem. Nempe gallicani Patres ea obtinere volunt, « quæ totius mundi reverentiâ consecrantur; quæ in regno et Ecclesiâ gallicanâ recepta sunt; quæ Sedis apostolicæ et Ecclesiarum consensione firmata. » Quin illud aggrederis? Quid Marcam, Launoium, Chopinum, Puteanos sollicitas? Quin clerum gallicanum, quem discutiendum polliceris, ipsum per sese loquentem oppugnas? Nempe hæc cleri doctrina invicta erat; nihil metuebat argumentationes, aut si verum amamus dicere, cavillationes tuas: hinc ad aliena digrederis, et extra lineam ludis.

[1] *Anon.*, lib. IV. c. 1.— [2] *Vid. sup.*, part primam integram. — [3] *Anon.*, lib. V. c. 1.— [4] *Sup., hoc lib.*, c. XV.— [5] *Anon.*, lib. VII. c. 1. n. 1.— [6] *Ibid.*, lib. I. c. 2. n. 12.

Atque is, qui veram et claram à clero gallicano prolatam libertatum definitionem prætermittit, alia Declarationis verba aucupatur: « Conventus Parisiensis, inquit [1], libertatum Ecclesiæ gallicanæ fundamenta sacris canonibus et Patrum traditione niti, jam in [illegible] limine declarat, ut tanquam certum supponere liceat, Ecclesiam gallicanam suas libertates in antiqui juris observatione constituere. Ac deinde nos oppugnat; tanquam novella jura inter nos [illegible] libertatum notione arceamus: neque saltem cogitat quid [illegible] *niti*. Vel ipsa Declarationis verba perpendat: « Ecclesiæ gallicanæ decreta et libertates à majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris canonibus et Patrum traditione [illegible]. En, vir optime, fundamenta libertatum dicimus: quò collimandum sit docemus: non proinde novella jura apud nos recepta sperantes: id tantùm volumus, ne extraordinariis atque arbitrariis [illegible] Ecclesiæ gubernentur, in eoque reponimus ecclesiasticam libertatem.

Quare, quæ auctor anonymus de antiqui juris insufficientia ad constituendas libertates gallicanas toto ferè libro primo studiosè quærit, supervacanea sunt. Neque propiùs rem est quod de [illegible] gallicanarum libertatum cum Marcâ disceptat [2]. Non enim [illegible] Marcam, atque, ut uno ictu omnia incidamus, non Joannem [illegible]noium, non Edmundum Richerium, non Carolum Fevretum, [illegible] *Tractatum de juribus et libertatibus gallicanis*, non ejus *Probationes*, non alios in quibus confutandis toto ferè opere desudat anonymus, clerus gallicanus tuendos susceperat. Si quid ad rem pertinens de sancti Ludovici Pragmaticâ-sanctione dixit [3], suo loco expendimus [4].

At postquam auctores, de quibus non agitur, satis à se confutatos putat, ipse quæstionem aggredi velle se simulat capite XVI, sub hoc titulo: *Vera origo et progressus libertatum Ecclesiæ gallicanæ*. Quis non hic existimet rem seriò agendam? At auctor nihil aliud quam ludit. Summa est: in lugendo schismate, post Gregorium XI, exortas esse libertates gallicanas; quippe cùm utrique Pontifices « beneficiariis gravissima onera imponerent, beneficiorum collationem sibi reservarent, multaque contra disciplinam antiquam committerent [5]. » Tum à clero regiam opem imploratam, « adductamque in [illegible] libertatem Ecclesiæ contra Pontificum exactiones ac beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus et canonibus contrariis, ac sensim contra cætera omnia quæ nimis gravia videbantur, [illegible] invasisse animos studium quoddam librandæ pontificiæ auctoritatis

[1] *Anon*, lib. I. c. 2. n. 13; *Vid. Decl. præf.* — [2] *Idem ibid.*, c. III et seq. usque ad [illegible] — [3] *Anon.*, lib. I. c. 15. — [4] *Sup., hoc lib.*, c. 9. — [5] *Anon.*, lib. I. c. 16. n. 2.

ne ultra positos sibi à Christo limites in præjudicium cleri ac regni produceretur. » Hanc ille narrat fabulam; quasi nusquam antea adversùs extraordinaria et arbitraria mandata etiam pontificia, recepti canones allegati essent; atque id fieri cœpisset in lugendo schismate sub Carolo VI, ætate ac mente debili, ut auctor commemorat. Cæterùm probationes nullæ : auctor anonymus de tripode pronuntiet.

Exinde memorat Pragmaticam-sanctionem, 1438, sub Carolo VII, olim à Gallis habitam ut arcem libertatis[1]; abrogatam deinde illam, et factum concordatum sub Leone X et Francisco I : Gallicanam Ecclesiam adversùs pontificia mandata sæculari tutelâ usam, in miseriorem servitutem incidisse, « Pragmaticam-sanctionem judicibus sæcularibus ad opprimendam et ferè extinguendam jurisdictionem ecclesiasticam viam stravisse[2] : » quod etiam acta cleri anno 1673 edita doceant.

Et quidem acta ab eo laudata docent regios magistratus, post Pragmaticam-sanctionem, jura ecclesiastica acriùs invasisse, inductis etiam illis appellationibus, quæ *ab abusu* vocentur[3] : non quòd Pragmatica-sanctio quidquam tale dixerit; sed quod magistratus regis Pragmaticæ-sanctionis tutelam sibi commissam, ad omnia ecclesiastica extenderent. Quæ ut vera sint, non nisi invidiosissimè ac malevolentissimo animo adversùs Declarationem gallicanam adducantur : tanquam illa Declaratio sæcularis potestatis invasiones probet. Interim de tuendis canonibus receptis, *Sedisque apostolicæ et Ecclesiarum consensione firmatis*, in quo ea Declaratio veram libertatem collocat, altum ubique silentium. Sic ab anonymo promittitur Declarationis ampla discussio : summa ipsa rei omittitur; vana et aliena copiosissimè pertractantur.

CAPUT XXII.

Anonymi liber II : primùm multa agit extra rem : tum in eumdem sensum nobiscum congruit.

Postea quàm ex anonymi libro primo constitit ab universo quæstionis statu aberrasse eum, cætera expediemus promptiùs.

Libro ergo II hic impositus est titulus : *De justitia libertatum Ecclesiæ gallicanæ*. At sub egregio titulo quid ad rem dixerit videamus.

Statim quidem profitetur duplicem à se tractandam quæstionem[4] : alteram, *De facultate retinendæ antiquæ disciplinæ canonicæ*; alteram, *An jus sit examinandi novas leges, easque repudiandi, si cum*

[1] *Anon.*, *ibid.*, n. 3 et seq. — [2] *Ibid.*, n. 9. — [3] *Vid. Traité de la Jurisdict.*, *etc.*; *et Act. du Clergé*, 1673, t. I. part. I. tit. II. c. IX. p. 791. — [4] *Anon.*, *Præf.*, lib. II.

utilitate conjunctæ non sint? Ac primo loco demonstrat, interdum necesse antiquis legibus derogari[1]; quod nemo nostrum negaverit. Postea adversùs Marcam disceptat, an vis legum ab acceptatione pendeat. Quæ, utcumque se habent, nihil ad quæstionem. Non enim necesse est de omni lege quærere generatim, sed an Ecclesia in suis Christo constituta, ut suprema ejus et indeclinabilis auctoritas ipsâ consensione sit posita; quod ita se habere toto hoc opere [illegible] vimus; ac generalem illam de acceptationis vi quæstionem omittimus.

Quæ deinde pertractat auctor, nihilo magis ad Declarationem gallicanam pertinere, ipsi capitum tituli indicabunt: nisi quod capite [illegible] ultimo id quærit: *Quæ sint vera justitiæ libertatum Ecclesiæ gallicanæ fundamenta?* Quo loco hæc scribit[2]: « Nihil deferre gallicanam [illegible] nem à cæteris in acceptandis vel recusandis legibus ecclesiasticis [illegible] quidem nulli non licet legum executioni supersedere, si vel [illegible] Ecclesia vel pensatis rerum, locorum ac personarum conditionibus, injustum sit ejus mandatis ad litteram servire. » Ac deinde [illegible]: « Si sine causâ repudiatæ sint à Gallis constitutiones (pontificiæ, de quibus hic agit) ab aliis receptæ, non nisi ob tacitum Ecclesiæ consensum, ab inobedientiæ peccato immunes sunt. Si autem is erat in Gallia rerum status, ut ei, sicut cæteris provinciis orbis christiani, leges non convenirent; jure naturali et ipsâ legislatoris intentione, ab earum executione liberi extiterunt: nec enim nocet disciplinæ diversitas, dum eam exigit morum dissimilitudo. » Quo concesso, quid erat quòd cum Petro de Marcâ tantopere litigaret? Neque enim vir illustrissimus contendebat, ut à Gallis novellæ leges sine causâ repudiarentur; sed ideo certè, si non convenirent. Cæterùm, si anonymus nihil hic agit aliud, quàm ut gallicana libertas naturali [illegible] lege asseratur, ac cæteræ christianæ gentes communi nobiscum libertate gaudeant, non invidemus. In repudiandis noxiis, Ecclesiæve aut rempublicam turbaturis legibus, sui cuique ritus moresque; quos si probat anonymus, næ ille iniquè agit, qui solos Gallos à apostolicæ Sedi suspectos insectatur.

CAPUT XXIII.

De reliquis libris à III usque ad XII et ultimum uno verbo transigitur: [illegible] quòd in toto opere vix tertia pars ad confutandam Declarationem spectat.

Jam de reliquis anonymi libris rem uno verbo conficimus: [illegible] libro quidem III perspicua res est. Primùm enim quod in libertatibus explicandis, canonibus, potiùs quàm exemplis, ac si exemplis, probatis duntaxat agendum; nihil erat necesse, ut nos singulari [illegible]

[1] *Anon., Præf.*, lib. II. à cap. 2 ad 9.— [2] *Ibid.*, c. 12. n. 4.— [3] *Ibid.*, n. 5.

auctor commoneret[1]. Quæ deinde toto libro de Gregorio Turonensi et Hincmaro narrat[2], ad curiosa; quæ de Petro de Marcâ, de Joanne Launoio, de Edmundo Richerio, de Puteano tractat[3], ad aliena; quæ adversùs episcopos gallicanos anno 1681 Parisiis congregatos impotenter agit[4], ad facta particularia referimus. Declarationis gallicanæ doctrinam, quam unam hic tuemur, his minimè tangi res ipsa clamat. Pauca quæ de Joanne Gersone atque aliis parisiensibus theologis rem propiùs spectent[5], suo loco pertractavimus.

Libros anonymi IV, V, VI, VII, ad rem pertinere fatemur; toto tamen libro V, ubi est *comparatio summi Pontificis cum concilio generali*, ab ipso quæstionis statu aberratur : cùm auctor profiteatur loqui se de concilio, à quo absit Pontifex; falsòque supponat Declaratione gallicanâ nihil aliud agi, quod est falsissimum, et rem suo loco ostendimus[6] : hic tantùm admonemus, quod jam suprà demonstratum est[7], librum sanè VI, quo cœtûs gallicani propositio III expenditur, unum habere caput primum, atque illud fallacissimum, quod ad Declarationem faciat.

Jam librum VIII, *de Origine jurisdictionis ecclesiasticæ*, quo episcopalem à Papâ, non à Christo deducit, libro nostro VIII expendimus; atque ibidem docuimus, quàm pauca hic dicat anonymus quæ ad rem conducant. Quatuor postremos libros; IX, quo Richerius; X, quo Puteanus, libri *de Libertatibus gallicanis* ac *Probationum* volumina duo; XI, quo Petrus de Marcâ ac Stephanus Baluzius; XII, quo appellationes *ab abusu*, Marca quoque ac Carolus Fevretus iis patrocinantes oppugnantur, ad Declarationem cleri gallicani nihil pertinere constat, præter paucissima, quæ suis notamus locis. Reliqua partim contemnimus, partim ab instituto nostro aliena, aliis tractanda relinquimus. Ac si quæ sint quæ vera gallicana jura lædant, speramus è Gallis vindicem non defuturum. Nec desunt in ingenti opere, quæ etiam probemus, ac tantùm validiora ac moderatiora esse cupiamus. Sanè constat illam tanto hiatu promissam Declarationis discussionem ejusmodi esse, ut vix tertia pars ad eam confutandam saltem collimarit.

Hæc igitur sunt quæ universum hunc tractatum, non satis solidum aut theologicum probent. Illud neque theologicum, neque christianum, quod auctor modestiam professus, sævire, non docere, ac de Gallis ubique falsa comminisci; si quæ etiam, ut in rebus humanis, vera mala sunt, ea non medicâ aut leni manu tractare, sed animo hostili insectari et exprobrare videatur. Quæ nos partim contemnimus, partim, ubi ad rem nostram pertinere visa sunt, suo loco confutavimus.

1 *Anon.*, lib. III. c. 1. — 2 *Ibid.*, à cap. 2 ad 7. — 3 *Ibid.*, c. 7, 11, 12. — 4 *Ibid.*, c. 13, 14. — 5 *Ibid.*, c. 8, 9, 10. — 6 *Sup.*, lib. X. — 7 *Sup. hoc lib.*, c. 20.

CAPUT XXIV.

An auctor anonymus gallicanas libertates, odiosas, meritò, esse dixerit.

Libertatis nomen, quo perduellis et pessimus quisque abutuntur, suspectum evasisse legitimis potestatibus, etiam ecclesiasticis docet nonymus; in eoque initio totius operis fundamentum jacit. Addit hujus nominis auctam invidiam, « quòd aut nunquam, aut ferè nunquam allegatur Ecclesiæ gallicanæ libertas, nisi adversùs summum Pontificem; quasi supremus Ecclesiæ pastor et pater amantissimus, tyranni loco à christianissimâ illâ gente haberetur [1]; » quod est, non jam in Gallos, sed in ipsos romanos Pontifices invidiosissimè et insidiosissimè dictum. Cùm enim tot ac tanta contigisse constet, quibus romanos etiam Pontifices, non modò à Gallis, sed etiam ab aliis, summâ cum reverentiâ, absit verbo invidia, cohiberi oportuerit; an illi omnes ex anonymi sententiâ pro tyrannis habebuntur? An verò ignorat, adhibitis legibus coerceri oportuisse etiam patriam potestatem? Neque illud verum est, quod est ab eodem anonymo dictum, de iis qui Pragmaticâ-Sanctione sancti Ludovici utantur: « odiosum poni principium; cùm romani Pontifices ab antiquâ disciplinâ primùm recessisse supponantur, ut beneficiorum collationem usurparent, tantosque in eo fuisse abusus, ut sanctissimus rex eos suis edictis cohibere coactus sit [2]. » Hæc à viro erudito dici potuisse miramur; cùm è contra certissimum sit, ut suprà ostendimus [3], romanos Pontifices diutissime omnium canonibus servisse, atque in ecclesiasticâ disciplinâ perstitisse. Cui etiam sarciendæ tam firma jecerunt fundamenta, ut cùm postremis sæculis extra lineas prosilirent, non aliunde ipsis fuerit adhibendus modus, quàm ex propriis suisque canonibus: neque id piis christianisque regibus indecorum, ut eos modestissimè ad sua et antiqua revocarent. Id quidem Galli docent, qui de libertatibus accuratè scribunt. Quo quidem liquido constat, romanos Pontifices ecclesiasticæ libertatis, hoc est, canonicæ disciplinæ auctores potiùs ac primos defensores, quàm primos oppugnatores, atque, ut ità dixerim, violatores exstitisse; pessimoque animo actum ab anonymo, qui contrariam sententiam nobis exprobrarit.

Quid illud, quod objicit [4]: « Si quis consideret quæ hodiè gerantur in Galliâ, libertates gallicanas non ineptè definierit, oppressionem jurisdictionis ecclesiasticæ à laicâ, et depressionem auctoritatis romani Pontificis à clero gallicano. » Quàm infenso, quàm amarulento animo dictum? Quàm ad Declarationem nostram parum attinet! An quia clerus gallicanus vetera retinet ac renovat; ideo pontificiam

[1] *Anon.*, lib. I. cap. 1. n. 1, 2. — [2] *Ibid.*, c. 15. n. 2. — [3] *Sup.*, *hoc lib.*, c. 3 et seq. — [4] *Anon.*, lib. I. c. 13. n. 6.

oppimit potestatem? cùm potiùs ea doceat, quibus maximè constet, sitque invictissima. De laicis quòd anonymus queritur, pridem intelligimus quàm hostili animo ista tractentur à multis, qui regni Gallicani splendorem ac pacem molestè ferant. Nos autem queri juvat, cùm decet et prodest : remedia enim, non discidia quærimus. Id quidem confidentissimè profitemur, nusquam verèis ac sanctiùs libertates veras ac germanas fuisse tractatas : nusquam luculentiùs falsas ac spurias fuisse rejectas, quam in Declaratione nostrâ, ubi disciplinæ ratio in iis collocatur, quæ Sedis apostolicæ et Ecclesiarum consensione firmata sint.

Quis ergo jam ferat auctoris anonymi haud invidiosam minùs, quàm ludicram definitionem libertatum? « Vocantur, inquit[1], non incongruè libertates Ecclesiæ gallicanæ, arbitrium ex antiquis Ecclesiæ decretis retinendi, et ex novis admittendi ea, quæ videntur utilia. » Quem impugnat aut quem irridet vir lepidissimus? An soli Galli sunt, qui ex antiquis novellisque ea retinent, quæ, usu probata, publicæ utilitati pacique congruant? Quis ipse docuit eâ in re omnium gentium æquam esse libertatem[2] : sed quoquo modo Gallos derisos atque invidiosissimè traductos oportuit.

COROLLARIUM.

QUOD DOCTRINA NOSTRA PRIMATUS ROMANUS NON OBSCURATUR, SED ILLUSTRATUR ET CONFIRMATUR.

I. — Regimen ecclesiasticum in duobus positum ; docendâ fide, administrandâ disciplinâ : Mennæ patriarchæ dictum in Constantinopolitanâ synodo : hæc duo à nobis illustrari.

Jam exacto opere gloriari libet in Domino, non modò vindicatam Declarationis gallicanæ, majorumque doctrinam ; sed etiam, quod ab initio polliciti sumus[3], adversùs hæreticos, schismaticos, et quoscumque obtrectatores, primatum romanum ac Sedis apostolicæ majestatem, optimâ et exquisitissimâ ratione à nobis propugnatam, confirmatam, illustratamque fuisse. Id ita conficimus. Ea est optima et exquisitissima ratio tuendi et illustrandi romani primatûs ac papatûs, quæ cùm absurda, incommoda, invisa, ad hæc inania fugiat, maxima, plenissima, ac sufficientissima æquè docet. Talis autem est ea doctrina, quam, Galli præsertim, tuemur. Nostra ergo doctrina papatum romanum, optimâ et exquisitissimâ ratione, confirmat et illustrat. Istud argumentum cùm pertractavero, perorabo. Res autem

1 *Anon.*, lib. I. c. 13. n. 7.—2 *Ibid.*, lib. II. c. 1, 2, 12.— 3 *Vid. sup. in Dissert. præv.*

planissimè conficietur paucis; cùm ad id intelligendum non nova promere, sed antedicta repetere, et mente complecti oportet.

Ut autem procedamus clariùs, præmittimus ecclesiasticum regimen, cujus romanus Pontifex caput sit, duobus contineri. Primum, docendâ fide, tum regendâ disciplinâ. Hæc igitur sunt, quæ in Sede romanâ eminere debeant; hæc sunt quæ de illâ Sede, sancta etiam orientalis Ecclesia, et sacer ille Mennas Constantinopolitanus antistes, in Constantinopolitanâ synodo prædicabat his verbis [1]: « Non mirum, si sua sequitur magna et apostolica Sedes, sacras sanctiones omnium Ecclesiarum inviolatas conservando, et quæ rectæ sunt fidei defendendo, et his qui peccaverunt clementem veniam tribuendo. »

Quibus quidem ea duo, quæ protulimus [2], paulum inversa ratione continentur, uti à romanâ Sede recta doceatur fides, regatque disciplina, quæ duobus item constat; servandis canonibus, atque, ubi necesse sit, relaxandis : quod ad veniam, sive indulgentiam, atque ad eam quam vocamus dispensationem pertinet. Hæc ergo apostolica, pontificia, ac verè romana sunt; hæc à nobis illustrari, confirmarique luce clariùs ostendemus. Nam de directâ indirectâve temporalium potestate nihil hìc ultrà dixerimus; quippe quam Ecclesiæ catholicæ, Sedique apostolicæ minimè profuturam, plerique ultro fateantur. Satis enim illi quidem, Davidem armis pastoralibus expeditiorem ac fortiorem futurum, alienis armis gravari et impediri, potiùs quàm ornari intelligunt.

II.—De fide : in quot absurda adversarii se induant, è re ecclesiasticâ esse ea recensere; ac primùm in antiquis.

Primum igitur, ad fidem quod attinet; à nobis tribuuntur romanæ Sedi, ac romano Pontifici, quæ, remotis incommodis, sive absurdis, tum etiam invisis, denique inanibus; maxima et ad fidem docendam sufficientissima sint. Ea sic ordine colligimus.

Et quidem, qui à nostrâ abhorrent sententiâ, incommoda et absurda multa sectantur, quæ nos fugimus : incommoda, inquam, et absurda sectantur; primùm, in antiquâ traditione explicandâ, deinde etiam in explicandis postremæ ætatis decretis ac dogmatibus.

Antiqua memoramus, quæ octo primorum conciliorum testantur, hoc est, octo ferè primis sæculis comprehensa, usque ad Photianum et Græcorum inchoatum schisma. In his, si, quæ falsa dixerint adversarii, commemorare vellemus, totum opus replicare oporteret : quæ autem apertè absurda sint hæc notamus.

Imprimis episcopos in fidei quæstionibus finiendis romano Pontifici consultores, non condecernentes et conjudices assedisse, aut in re-

[1] *Conc. Constantin. sub Menn.*, act. I. t. V. *Conc.*, col. 47.—[2] *Vid.* lib. I. sect. I. c. I.

mani Pontificis auctoritate, potiùs quàm in ipsâ consensione vim positam; quæ si quis tueri velit, tot absurda dixerit, quot argumenta solvat.

Quid enim absurdius, quàm Nicænos illos Patres sancto Sylvestro tantùm consultores datos; aut ut suum symbolum assererent, illius expectasse sententiam; aut in ejus sententiâ intellexisse vim positam, non quòd omnes per orbem Domini sacerdotes, in eamdem consentirent fidem [1]?

Quid autem Constantinopolitani Patres? An sancto Damaso consultores dati, qui in diversâ orbis parte collecti edebant Symbolum [2]; non autem id agebant, ut Occidentis Orientisque consensu, fides vera constaret?

Item quàm absurdum est, ut sancti Cœlestini ac sancti Leonis de Nestorio et Eutychete judicia, vel non totâ Sedis apostolicæ auctoritate lata, quemadmodum Bellarminus [3]; vel certè cum cæteris, pro summâ et irretractabili fidei regulâ fuisse habita; et tamen ad examen æquè ac aliorum privatam publicamve sententiam revocata dicamus [4]?

Idem de sancti Agathonis, sanctique Gregorii II, atque Adriani I, deque Nicolai I et Adriani II, decretalibus epistolis esto judicium; quæ et totâ auctoritate prolatæ, et tamen examinatæ rursus, nec sine synodicâ cognitione probatæ sunt [5].

An etiam placebit absurdum illud, elucidationis tantùm, non etiam auctoritatis causâ, factum istud examen, definitiones editas, dicta anathemata, ac de novo quæsitum, rectène an secus, romani Pontifices dixerint, docuerint, judicarint [6]?

Jam in uno Honorii facto, quot absurda congerunt? Vel pro privato doctore egisse, cùm trium patriarcharum consultationibus responderet; vel rectè dixisse, quem vera falsaque juxtà improbantem, sexta synodus æquè ac cæteros hæresis condemnavit; vel falsata esse sanctæ synodi acta; falsata, inquam, toto orbe vulgata, toto orbe inscio, legatis apostolicæ Sedis, qui gestis interfuerant, consentientibus, nec mussitantibus; falsatas quoque Leonis II epistolas, queis acta firmentur; dolosque Græcorum ad extremam usque latinitatis oram pervasisse, omnibus obdormientibus, sive potiùs emortuis [7]? Hæc omnino dicenda sunt, ac præfractè tuenda, adversam sententiam defensuris.

Quid quòd nec ista profuerint? cùm vel si sit ab omni errato purus Honorius, sufficiat tamen tantùm ejus erratum, aut à sextâ synodo

[1] *Vid. Conc. Nicæn.*, t. II. *Conc.* — [2] *Vid. Conc. C. P.*, I. *ibid.* — [3] *Bell.*, lib. II. *de Conc. auct.*, c. XIX. — [4] *Sup.*, lib. VII. c. 13. — [5] *Sup.*, *ibid.*, c. 24, 30, 32 — [6] *Ibid.*, c. 18. — [7] *Ibid.*, c. 21 et seq. usque ad 28; *Vid. quoq. Dissert. præv.*, n. 54 et seq.

credi potuisse; aut si sextæ synodi acta falsata sint, sufficiat id quoque, pro veris fuisse habita; totamque Ecclesiam in id consensisse, ut tribus patriarchis pro officio rescribens erraverit Honorius.

An verò quia ista assiduè vexantur in scholis, et vanis distinctiunculis eluduntur, ideo viros graves ad ea cogi oportet? Non ea cogitanda quæ Orientalibus Occidentalibusque schismaticis, ad nos utique, si Deus dederit, reversuris, suaderi possint? Non pudet denique in his causæ catholicæ collocare summam, quæ doctis invita, scholæque altercantis ludibria; non docentis sapientisque responsa habeantur.

Vel de Vigilio quid dicent? Egissene perperam sanctam synodum quintam, quæ ipso vetante, nedum absente, de tribus capitulis quæstionem habuerit, quæque hæresis condemnarit Ibæ epistolam, quam idem Vigilius, *Constituto* ad omnes Ecclesias edito, comprobarit [1]? Ac si synodus quinta egit perperam, cur ejus judicium secuti Pontifices, Pelagii duo, et ipse Gregorius non reprehenderunt, sed ut legitimum comprobarunt?

Hæc ergo tot ac tanta egisse episcopos romano Pontifici tantùm consultores datos? Aut si ab adversariis extorquemus fuisse judices, inferiores licèt, etiam concilio habito; qui factum, ut concilio habito, de romani Pontificis judicio toties judicarent?

Quid Cyprianus? quid Firmilianus, totque africani et asiani Patres? Nonne sancti Stephani papæ rebaptizationem vetantis, decreto per omnes Ecclesias divulgato, factis etiam conciliis obstiterunt [2]? An et illud placebit, pro indifferentibus hæc habita; quæ cùm apostolicâ traditione constarent, tamen à diversâ parte, apertissimis Scripturarum testimoniis adversa haberentur? An eò decurremus: quòd Stephanus ageret pro privato doctore, qui, teste Augustino, pro officio præceperat? aut, ut ait Bellarminus [3], *quòd noluerit rem de fide facere,* is, qui dissentientes communione abstineret? Et hi tamen ab ipso quoque Augustino excusantur, quòd in ambiguâ re Ecclesiæ universalis sententiam expectarent, non scilicet elucidationis causâ, sed auctoritatis. Aut fortè contumaces, quibus cùm æqua et sufficientia romani Pontificis judicia non satisfacerent; superflua ex Ecclesiæ totius auctoritate remedia, tanquam ægris ac desperatis concederentur? Hæc de martyribus cogitari? hæc sancto Augustino probari? in his summam fidei adversùs hæreticos collocari potuisse?

Omnino enim aut ista tuenda sunt, aut causa deserenda. An ergo catholicos non pudeat talibus præsidiis nixam, non privatorum dec-

[1] *Sup.*, lib. VII. c. 20.—[2] *Sup.*, lib. X. c. 3 et seq.; *Ibid.*, c. 6.—[3] *Bell.*, l. IV. *de R. P.*, c. 7; *Sup.*, lib. IX. c. 4.

torum, sed universalis Ecclesiæ causam esse? Absit hoc dedecus ab Ecclesiæ catholicæ majestate.

Cætera omittimus, quibus post decreta romanorum Pontificum, viros etiam sanctos, nationesque integras catholicas toties hæsitasse constat, romanis Pontificibus non ægrè ferentibus[1]. Nondum hæc novitia in mentem venerant. Hærebat animis antiqua traditio à beato Leone papâ[2], à beato Simplicio, post illum tertio, explicata[3] : fixa esse, quæ apostolico ministerio definita essent; *cùm ea* (Deus scilicet) UNIVERSÆ FRATERNITATIS FIRMARET ASSENSU : stare inconcussum, quod *apostolicis manibus*, sed CUM ECCLESIÆ UNIVERSALIS ASSENSU constabilitum esset. Quid autem aliud jam Galli postulant, qui pontificia decreta summâ quidem et indeclinabili auctoritate constare profitentur; sed, *cùm Ecclesiæ consensus accesserit*[4]? Quæ totidem verba à sanctis Pontificibus dicta, nunc pro novis ac suspectis haberi, omni absurdo absurdius est.

III.—De posterioris ætatis monumentis, quæ Constantiensem synodum antecesserunt, adversarii quot absurda congesserint.

Postquam Orientales à Sedis apostolicæ communione sejuncti sunt, in Occidente fere solo remansit Ecclesia. Quâ in Ecclesiæ parte romani Pontificis potestatem, non modò summi primatûs ratione valuisse constat; sed eo etiam, quòd à priscis temporibus, romanus episcopus Occidentali Ecclesiæ peculiari titulo præsideret. Et tamen antiquam de Ecclesiæ catholicæ summâ et irretractabili auctoritate doctrinam, non modò integram remansisse, sed etiam, occasione datâ, ab ipsâ Ecclesiâ in Constantiensi concilio definitam esse, luce meridianâ est clarius.

Quo loco adversarii ad incommoda illa et absurda coguntur : nostram sententiam occasione magni illius post Gregorium XI schismatis natam esse; cùm etiam oblitteratis, quod absit, antiquæ Ecclesiæ monumentis, hæc ante Gregorium XI ex novellâ quoque ætate prodantur.

A Papâ ad concilium sæpè appellasse Anglos; appellasse Gallos; appellasse Franciscanos certum est[5] : nihil eâ gratiâ à romanis Pontificibus reprehensos; quibus certò constet, conciliarem auctoritatem absque controversiâ habitam esse potiorem.

Ad hæc Clementis V tempore, cùm is in eo esset, ut Viennense generale concilium celebraret, Guillelmum Durandum episcopum Mimatensem, ejus ævi virum maximum, ejusdem Pontificis jussu, de concilio celebrando tractantem hæc scripsisse[6] : quòd Ecclesia *in*

1 *Sup.*, lib. IX. c. 23 et seq. — 2 *Leon.*, *ep. ad Theod.* XCIII. al. LXIII. *Sup.* lib. VII. c. 17. — 3 *Simp.*, *ep.* IV. *ad Zen.*, t. IV. *Conc.*, col. 1072; *Sup.*, lib. IX. c. 14. — 4 *Decl. Gall.*, c. IV. — 5 *Sup.*, lib. X. c. 25. — 6 *Sup.*, lib. VII. c. 38; *Vid. Dissert. præv.*, n. 50.

capite et membris à sacro concilio *reformanda sit : quòd non nova à* Pontifice, *sine concilio* decerni oporteret : quòd *quovis decennio* generale concilium celebrandum esset [1], etc.

Addimus, subortâ postea quæstione, de paupertate Christi à Joanne XXII propositiones duas hæreticas judicatas, editâ decretali *Cùm inter nonnullos :* hinc ei objectam decretalem *Exiit :* quâ Nicolaus III contraria determinasset : ac denique hunc nodum à viris et ætate præcipuis fuisse solutum, quòd romanum Pontificem, etiam determinando circa fidem et mores, errare contingeret : quòd ejus responsa adversa Scripturæ, nullius momenti sint : denique quòd unius Pontificis determinata, etiam circa fidem, à successoribus immutari possint [2] : quæ nunc pro erroneis aut schismaticis haberi, nihil aliud esset, quàm prodere omnibus fœdam in dogmatibus tradendis levitatem et inconstantiam.

Quid quòd ipse Joannes XXII, decretali *Quia quorumdam*, cùm fratres minores objicerent, contrarium ejus quod ipse definisset ab ejus antecessoribus definitum; primùm quidem id negat : tum si vel maximè id fecissent, totum illud respondet esse irritum [3]. Sed verba placet ponere : « Procul dubio, inquit [4], falsa asserunt dicendo, prædecessores nostros definivisse talia, et adhuc sic loquentes, dum per talia constitutiones nostras impugnare satagunt, constitutiones illas, quibus se adjuvant, ostendunt (si eorum falsa assertiones veræ existerent) FORE INVALIDAS ERRONEAS ET INFIRMAS. » Nunc autem, si Deo placet, erronea erunt atque schismatica, quæ is Pontifex editâ decretali docuit.

Huc etiam pertinet, quod Joannis XXII decretalem suprà memoratam, *Cùm inter nonnullos;* quanquam est definitio de fide, glossa quidem romana tolli cupit, remque in medio relinqui ut liberam [5]. At sanctus Antoninus, potestatis pontificiæ assertor eximius, ideo pro certo firmoque decreto haberi vult, quòd per prælatos et doctores *acceptata, approbata et examinata fuerit* [6] : quæ Declarationi gallicanæ aut gemina sunt, aut etiam fortiora et explicata clariùs. Sic antiqua traditio in postremis quoque sæculis manet; sic Sedis apostolicæ studiosissimi, pontificias definitiones, prælatorum et doctorum, non modò *acceptationi et approbationi*, sed etiam *examinationi* subdunt. Nunc ea subitò sunt erronea et schismatica.

Hæc igitur XIII, XIV, XV sæculo dicta, facta, edita sunt : nec mirum; cùm Gratiani dictis congruant, quæ omnium manibus tere-

[1] *Durand., de Conc. celebr.*, etc. — [2] *Dissert. prævv.*, n. 47, 48; Extrav. *Cùm inter nonnullos* tit. XIV. *de Verb. signif.*, cap. IV. *sext. Decr.*, lib. V. tit. XII. *de Verb. signif.*, c. III. *Exit* — [3] *Sup.*, lib. IX. c. 44. — [4] Extrav. *Quia quorumdam*, *de Verb. signif.*, c. V. § *Ex premissis* — [5] *Gloss. in Clement. Exivi*, lib. V. tit. XI. *de Verb. signif.*, c. I. § *Proinde.* — [6] *Antonin.*, *Sum. Theol.*, part. IV. lib. XII. c. IV. § XVIII. p. 208.

bantur. His nempe constabat, *orbem Urbi*, etiam auctoritate esse *majorem* : « Si enim auctoritas quæritur, orbis major est Urbe, » dist. XCIII legimus[1]; hoc est, glossâ interpretante : « Statuta concilii præjudicare statutis Papæ, si contradicerent. » Nunc salva sunt omnia, si orbis extensivè quidem, non autem intensivè major esse dicatur : quasi de extensione, non de ipso pondere auctoritatis ageretur.

Neque minùs clarum erat in Gratiani dictis vulgaribusque glossis, quædam statuta papalia *fuisse contra Evangelium*[2]; quasdam epistolas *decretales*; quædam responsa authentica, « evangelicis præceptis, evangelicæ et apostolicæ veritati penitus esse adversas. » Nunc eas sanctiones, ea responsa, ea decreta, privata esse somniant; Pontificemque pro officio consultum, etiam ab Ecclesiis, tamen pro privato doctore respondisse. At Melchior Canus Gratianum accensebat iis, qui pontificiam infallibilitatem negasse videantur[3] : nunc, credo, damnabitur, quem juris pontificii fontem, romani Pontifices esse voluerunt.

His igitur constat quàm falsò dixerint, opiniones, quæ pontificiæ infallibilitati et superioritati derogent, fœdi illius post Gregorium XI schismatis esse fœtus, cùm eam doctrinam per manus traditam, ad extrema quoque sæcula devenisse, tot acta demonstrent. Quo etiam factum est, ut Ecclesia schismati provisura, œcumenicam synodum imploraret, non ut eam, cui extraordinaria potestas in schismate daretur; sed ut eam, « à quâ, et in quâ solent gesta etiam romanorum Pontificum quæcumque pertractari, decerni, et judicari[4]. » En quàm consuetum esset illud remedium, quod nunc extraordinarium et schismati proprium esse contendunt. En quid synodis liceat in quæcumque gesta romanorum Pontificum.

IV.—In Constantiensi synodo nihil novum; sed antiqua in rei judicatæ auctoritatem necessariâ causâ translisse : id qui negent in quot absurda cogantur.

Nunc posteaquàm omnium sæculorum traditione constitit, vim Ecclesiæ supremam et indeclinabilem in ipsâ consensione esse positam; intuendum sanè, quomodo datâ occasione, causâque necessariâ, tanta res Constantiæ in rem judicatam transierit.

Qui id judicium incauti aspernantur, incredibile est in quot quantaque sese manifestò conjiciant incommoda.

Ac primùm quidem, ut sanctæ synodi mentem obscurent, sic verba torquent, ut *quilibet, quâcumque dignitate, etiam papali*, præditus, sit tantùm Papa dubius : tum, ut *cujuslibet concilii generalis*

1 *Grat.*, dist. XCIII. c. 24, *ex Hieron.*, *ep.* CI. *ad Evang.*, al. ep. LXXXV. *ad Evagr.*—2 *Diss. præv.*, n. 52, Caus. XXXII. q. VII. c. 18.—3 *Melch. Can.*, *de Loc. Theol.*, lib. VI. c. 1; *Diss. præv.*, *loc. cit.*—4 *Sup.*, lib. V. c. 9; *App. Card. Greg. apud Rain.*, t. XVII. an. 1408, n. 9.

legitimè congregati nomine, intelligatur concilium in schismate habitum : denique, ut ad causam schismatis concilii auctoritas constringatur, quàm Patres non tantùm ad *schisma*, sed etiam ad *fidem, et ad reformationem in capite et in membris* patere definiunt[1].

Hæc igitur ludibria vim illatam synodo tam apertè clamant, ut Turrecremata, hujus glossæ auctor, id ipse fateatur[2] : clarissimèque patuit ex gestis, Constantiensem, eamque secutam Basileensem synodum, non modò potestatem sibi vindicasse in Papam etiam certum ; sed etiam exercuisse, romanis pontificibus Martino V et Eugenio IV consentientibus[3].

Ex quo infirmantur ea quæ de Constantiensium decretorum fluxâ auctoritate commenti sunt.

Primùm enim constitit à ducentis Patribus communi consensu, sessionum IV et V canones, de quibus agitur, fuisse conditos, synodicoque decreto, non modò celeberrimas orbis academias, plurimum Parisiensi, omnesque religiosos ordines ; verùm etiam longè maximam Ecclesiæ catholicæ partem adhæsisse[4] ; tum horum canonum conditores eos fuisse, qui primi omnium extinguendo schismati manum admoverint, qui cæteros à schismate redeuntes in [illegible] susceperint, qui hæreticos Viclefum, Hussum, aliosque compresserint : ut profectò pudere debeat aspernari ; imò fœdis erroribus ac schismatis notis tantum infamare cœtum, vel si etiam, quod [illegible], pro œcumenicâ synodo non valeret.

Cùm id negare nemo possit, tum verò Constantiensem synodum pro œcumenicâ jam inde ab initio valuisse, sessionumque IV et V canones conciliariter factos, totâque Ecclesiâ approbatos, tot actis Martini V, Eugenii IV, Pii II, probavimus[5] ; tot deinde decretis Senensis, Papiensis, Basileensis Florentinique œcumenicorum conciliorum ; ac profecto Basileensis, dum etiam ab Eugenio pro legitimo œcumenicoque concilio habebatur[6], ut id in dubium revocari nihil aliud sit, quàm contemnendis synodis viam pandere, tot retrò Pontificibus illudere ; ut unus Papa, summâ semperque indeclinabili auctoritate polleat, conciliis, ipsis Pontificibus, totique Ecclesiæ eam auctoritatem detrahere ; uno verbo fidem evertere.

Jam quod aiunt, Constantienses canones in Florentinâ Lateranensique synodis antiquatos : primùm quidem satis constitit, ac nominatos quidem, nec de illis quæsitum ; imò pro certis esse suppositos, cum eorum auctoritate in Florentinâ synodo, etiam Basileenses premerentur[7] ; atque interim Græci Latinique, ipseque

[1] *Diss. præv.*, n. 38 et seq. lib. V. c. 2 et seq.; *Conc. Const.*, t. XII. *Conc.*—[2] *Turrec.* [illegible] *ad Basil.*, part. II. n. 2 et 4. t. XIII. *Conc*, col. 1711, 1712. — [3] *Vid.* l. V et VI. — [4] *Sup.*, lib. V. c. 21. et pass. tot. lib.—[5] *Sup.*, lib. V. c. 29, 31. — [6] *Ibid.*, c. 14 et seq. et toto lib. VI. — [7] *Sup.*, lib. VI. c. 9, 10, 11.

Eugenius IV, dictis factisque firmarent, summam tractandæ fidei auctoritatem, non in solo Papâ, sed in Ecclesiæ consensione esse positam [1].

De Lateranensi verò sub Leone X synodo, quod aiunt; tantùm abest, ut Constantienses canones abrogarit, ut ne Basileenses quidem, nisi post secundam dissolutionem [2], hoc est post sessionem XXIV; anteriores verò sessiones, præsertim usque ad XVI, integras reliquerit; quibus certè sessionibus Constantienses canones tot decretis, atque Eugenii IV non modò consensione et approbatione, sed etiam executione atque obedientiâ firmati sunt [3].

Omnino enim Eugenius, et synodum dissolverat, et continuatam damnaverat; et tamen ad obedientiam sessionis V Constantiensis auctoritate adactus, Basileensibus hæsit; decreta sua rescidit, edito diplomate. An verax ac rectè decernens? confecta ergo res est. An errans? haud minùs confecta res; erroremque semel fassus, frustra deinde infallibilitatem obtenderis.

Quo ex loco duo fiunt: primùm, ut Constantienses canones, invictâ auctoritate; tum ut in Pontificem certum quoque et indubium, qualis erat Eugenius, valeant; stentque omnino synodi Constantiensis, et sensus, et auctoritas; neque jam revocari possint in dubium ea, quæ Patres gallicani suâ Declaratione complexi sunt [4].

V.—Constantienses canones postremis quoque romanis Pontificibus intactos, quàm absurdum à privatis configi: quàm item absurdum ea, quæ Tridentina synodus, ac nostra etiam ætas tuta esse censuerit, repentè damnari, et de Papæ auctoritate postulari plura, quàm ipse Duvallius allique romanæ Sedis studiosissimi poposcerint.

Quæ cùm ita sint, si quid romani Pontifices contra Constantiensium canonum auctoritatem moliti essent, irritum caderet; utpote tot anterioribus firmisque decretis contrarium [5]. Nunc autem certum est, nihil ab ullo romano Pontifice, contra eos canones gestum esse: imò tota Constantiensis synodus, æquè ac cæteræ concilii generalis titulo insignita, in editione romanâ Pauli V jussu prodiit. Unus Binius tanto concilio ausus est hanc notam apponere: *Concilium Constantiense ex parte approbatum* [6], nullis ecclesiasticis gestis, nullâ auctoritate nixus; uno, scilicet Bellarmino [7], præeunte. Quæ si privatis liceant, nihil est quod Theologi adversùs hæreticos, conciliorum œcumenicorum fixa et irrevocabilia decreta jactemus.

Tantùmque abest, ut Constantienses canones, ullo Ecclesiæ decreto læsi sint, ut Patres nostros eam fidem professos, synodus Tridentina ac Pius IV susceperint [8]: ex eâ doctrinâ suos canones,

[1] *Lib.* VII. cap. 37.—[2] *Lib.* VI. c. 18.—[3] *Sup.*, lib. VI. c. 1, 2, 3, 4.—[4] *Declar. Gall.*, c. II.—[5] *Sup.*, lib. V. c. 1 et pass., et lib. VI.—[6] *Bin.*, t. VII. part. II. p. 1134.—[7] *Bell.*, *de Conc.*, c. VIII.—[8] *Dissert. præv.*, n. 14.

ipsamque adeo fidei professionem temperaverint, diligentissimèque caverint, ne ea doctrina vel in speciem læderetur. Quæ si jam jaceant, nempe nihil in Ecclesiâ firmum fixumque est; dogmata quoque, quod absit, temporibus serviunt; omnisque ecclesiastica prostrata est auctoritas.

Jam illud quis non doleat, tot Ecclesiæ lumina, Alliacensem cardinalem, Gersonem, pium illum Dionysium sanctissimi Carthusiani ordinis decus, Tostatum Abulensem Hispaniæ lumen, cæteros innumerabiles, ipsumque Adrianum VI, nusquam hactenus reprehensos, imò summâ cum laude nominatos; quin ipsam Parisiensem Academiam studiorum decus ac lucem, repente damnari [1]? Quid Turrecrematam? quid sanctum Antoninum? quid alios tot ac tantos eximios potestatis pontificiæ defensores commemorem, qui ultimum fidei robur in communi Ecclesiæ auctoritate collocarunt; qui in fidei negotio, rebusque universam Ecclesiam tangentibus, concilium Papæ prævalere docuerunt? Quid autem hæc memorem? cùm ipsum Turrecrematam; Turrecrematam illum, quo capite tot illa absurda et nimia profluxerunt, planè et apertè docuisse constet, fieri posse « ut Papa errorem definiat solemniter, et à christianis asserat tenendum tanquam catholicum [2]. » Ergo Eugenii IV tempore, cum summa omnia peterent, ab hoc tamen temperabant, ne mortalis unus infallibilis haberetur. An in eos quoque censura sæviat; novisque nova semper superstrui placet? Quid verò privatos memorare libet, cùm ipsas synodos, earumque sacrosancta decreta susque deque habita lugeamus?

An quia Bellarminus suam de pontificiâ superioritate sententiam, *ferè de fide*; Parisiensium, Adrianique VI, de infallibilitate sententiam, *videri sibi erroneam, atque hæresi proximam* dixerit [3], nova ac trepida privati doctoris censura; atque illud *videri*, pro certâ firmâque Ecclesiæ catholicæ fide habeatur : aut quia alii nunc de fide esse dixerint [4], eorum sententiam pro certâ auctoritate tenemus; ac *nunc* illud habeamus illius loco, *quod ubique, quod semper*? quam catholicæ fidei tesseram, cum Vincentio Lirinensi [5] omnes catholici celebrarunt. Absit hæc ab Ecclesiæ catholicæ gravitate ac majestate levitas.

Quid Andreas Duvallius? Nonne cùm Edmundum Richerium et Simonem Vigorium adortus est, Parisienses doctores *à parte conciliorum generalium stetisse*, atque ad ea *ultimam analysim fidei retulisse* confitetur? nonne summi muneris loco postulat, ut non ea

[1] *Dissert. præv.*, n. 13 et seq. usque ad 31. — [2] *Turrecr., summ. de Eccles.*, lib. IV. part. II. cap. 16. — [3] *Bell., de Conc. auct.*, c. XVII; *de R. P.*, lib. IV. c. 2. — [4] *Ibid.*, et *Suar. de fid.* disp. V. sect. VIII. num. 4; *Tapp., orat. theol.* III. *Wig. Stap.*, etc. pass. — [5] *Vinc. Lirin. Comm. I.* cap. III. tom. VII. *Bibl. Pat.*, p. 250.

doctrina de fide habeatur? nonne ipse palam edixit sententiam, quæ concilium Papæ anteponat, neque esse hæreticam, neque erroneam, neque temerariam? pontificiam verò infallibilitatem, quàm apertè, quàm clarè non *videri de fide*, dixit? Neque tantùm dixit, sed argumentis probavit non esse de fide, et contraria argumenta studiosissimè solvit[1]. Hæc cùm anno 1612, 1614, 1636, doceret ac scriberet, tamen pontificiæ dignitatis acerrimus vindex Romæ quoque est habitus. Hunc cardinalis Ubaldinus Sedis apostolicæ nuntius præcipuè fovit. Notæ in Urbe sunt, ac doctorum inter manus ubique versantur ejusdem cardinalis litteræ, quibus id conscribitur; constatque Duvallii adversùs Richerium libros, Româ probante, Româ instigante, compositos et editos. Nunc adversarii Romam incendunt atrocibus dictis, ut quæ nostrâ ætate pro indifferentibus habuit, acri censurâ configat. Quo operæ pretio? An ut novitia hæc repente de fide fiant, ipseque jam Duvallius dignitatis apostolicæ proditor habeatur? Absurdum. Imò si hæc fierent, quod illi contendunt, nihil aliud ageretur, quàm ut novum experimentum novumque monumentum extaret publicum, Pontificem falli posse.

VI.—De Pontificum lapsibus agnitis vel prævisis; deque conciliorum congregandorum causâ, quàm vana et absurda dicta sint.

Antiquorum Pontificum lapsus alios negant; quàm inani operâ res ipsa docet: alios, etiam corpori Juris insertos confitentur; sed romanos Pontifices non eo animo egisse, ut docerent universalem Ecclesiam, neque pro cathedrâ dixisse contendunt; quâ quidem in responsione miris se involvunt ambagibus. Primùm enim ea errata vidimus, quæ ad universalem Ecclesiam ederentur: tum absurdum illud est, romanum Pontificem jussum universim confirmare fratres, officio fungi, cùm universos docet, non autem cùm singulos; imò cùm ritè consultus respondet Ecclesiis aut religiosis cœtibus; atqui eo ritu consultos Stephanum II, Gregorium II, Cœlestinum III, Innocentium III, aliosque, egregios licèt Pontifices, falsa et erronea respondisse in confesso est. Ergo apostolico officio confirmandi fratres defuisse constat; eò quidem magis, quò viam salutis quærentibus; cùm certa et infallibilia possent, dubia et errori obnoxia rescripta miserunt.

Jam illud toties dictum à doctoribus ipsoque Augustino; dictum ab ipsis Pontificibus, ipsoque Gelasio, Innocentio III, Joanne XXII, cæteris[2]; dictum ad ipsos Pontifices in conciliis sedentes; siquidem ipsi prava definirent, nihil id veritati, nihil Ecclesiæ nociturum:

[1] *Dissert.*, n. 17 et seq.; *Duval. Elench.*, p. 9, 68, 105; et *in Tract. de R. P.*, etc., part. IV. q. VIII. p. 582; *ibid.*, part. II. q. I. p. 210. — [2] *Sup.*, n. 3 et lib. IX. c. 18, 19, 26, 27, 44; lib. X. c. 8, 9; et *Diss. præv.*, n. 47. 48.

an elevari putant, cùm responderint : non id tanquam dubios, ut ipsa verba præferunt, *sed per impossibile* voluisse dictum? quem verò non pudeat, doctrinæ catholicæ summam, ad hæc minuta et subtilia deduci?

Denique illud quàm invictum inconcussumque est : frustra convocari generales synodos, si tota definiendæ veritatis ratio in uno Pontifice constat. Quo uno argumento attoniti, ac velati palabundi in diversa fugiunt : sed undique præcipitia, neque quidquam perfugii est.

Hi nempe respondent consultores dari judicaturo Papæ. Consultores verò ei qui jam judicasset, ut de sancto Cœlestino, de sancto Leone, de sancto Agathone aliisque certum [1] : consultores ei, qui tam longè abesset, qui legatos mitteret, non ad se relaturos, aut suam expectaturos sententiam, sed statim cum Patribus judicaturos : consultores eos, qui profectò non consultatoriam, sed decretoriam sententiam promerent. An non pudet episcopos toto orbe convocatos, non alio loco esse, quàm Academias ac theologicas Facultates, consultatoria decreta proferentes?

At fortè illud melius : convocari synodos elucidandæ rei? Cur ergo non tractatus et elucidationes, sed definitiones, sed anathemata, sed judicia et decreta jam irretractabilia produnt?

Denique decurrunt ad illud : convocatas synodos, quâcumque in quæstione, non ex necessitate, ad solvenda dubia ; sed ex abundanti, ad frangendos contumaces. Frangendos verò, an potiùs adjuvandos ; si post infallibile, ut illi quidem volunt, Pontificis judicium, quæstio innovetur? Vel enim illusoria deliberatio est, ludibriumque sit de re jam confectâ quærere ; vel vera seriaque habetur quæstio. Jam dubitante synodo, non modò contumaces, sed etiam modesti, probique dubitare coguntur.

His victi alii, neque quidquam aliud habentes, quod concilio tribuerent ; respondent, Papam quidem per sese esse infallibilem ; sed congregatâ synodo, ad totam synodum infallibilitatem transmitti, nec jam Papæ fas judicare soli. Quæ primùm nec sibi constant : absurdum enim est à Papâ, convocatâ synodo, abdicatam innatam potestatem : neque quæstionem solvunt ; et remanet quæstio, cur operosa moliantur, cùm prompta et expedita suppetant. Denique qualis Papa in adunatâ Ecclesiâ, talis in diffusâ est : neque enim habet aliud adunata Ecclesia, quàm ut toto orbe diffusam repræsentet. Quare quæ in adunatâ virtus, ejus profectò radicem in diffusâ esse oportet.

Quæ cùm ita sint, quæstionem nostram ipsâ conciliorum con-

[1] *Sup.*, lib. VIII. c. 11.

vocatione finitam contendimus. Compendiosa sanè et explorata demonstratio, quæ in ipso concilii nomine continetur.

VII.— Quàm grave sit Ecclesiæ catholicæ causam in tot absurdis collocari, cùm præsertim ea invidiosissima sint.

Hæc igitur absurda sunt, in quæ, nosque, seque, totamque Ecclesiam, quantùm in ipsis est, conjectum eunt. Quis autem non videt, quàm eadem invidiosa sint, summam Ecclesiæ ac fidei, uni homini summo quamvis, summâque dignitate prædito, sed mortali tamen, ne quid dicam ampliùs, permittendam? convocari episcopos ac viduari Ecclesias, ut unum audiant? rem per se tantam, tam incredibilem, atque hac usque pro dubiâ saltem habitam, pro certo Ecclesiæ fundamento collocari? denique ut id fiat, everti formulam ab apostolicâ usque ætate firmissimam, nempe illam : *Visum est*, non Petro, sed *Spiritui sancto et nobis* [1]? Quanta autem audent, qui Petro negata, Petri successoribus tribuunt.

Atque hanc apostolici concilii formam sanctus Cœlestinus, et sancta quinta synodus ad omnia deinde concilia pertinere putant [2]. Unde septima synodus : « Dominus Deus noster nos sacerdotii principes, beneficio suo undique convocavit, quatenus deifica catholicæ Ecclesiæ traditio, communi decreto recipiat firmitatem [3]. » Et octava synodus, quâ nulla sancta Sedi obedientior extitit : « Sanctissimi vicarii senioris Romæ, et nos qui reliquarum sedium vicarii sumus, hæc omnia dissolvimus *, gratiâ Domini nostri Jesu Christi, qui dedit nobis summi sacerdotii potestatem justè et congruè ligandi et solvendi [4]. » En qui Papæ consultores atque vicarii habeantur. Tum illud : « Spiritus enim sanctus, qui locutus est in sanctâ romanâ Ecclesiâ, credimus, quòd et in nostris Ecclesiis locutus extiterit. » Meminerant enim illud : *Visum est Spiritui sancto et nobis* : quæ legati apostolici pronis animis suscepere ; atque adjecere insuper ad imperatorem [5] : « Sanctissimus Papa nos famulos suos direxit in hanc urbem, ad manifestationem veri et justi judicii in conspectu imperii vestri, et sanctæ universalis synodi ; ita ut non habeant (Photiani scilicet) vocem appellationis vel repedationis ; sed quemadmodum jam judicati sunt et dejecti, in sæculum maneant. » En in quo vim summam collocarent ; cùm scilicet capiti universa se Ecclesia conjunxisset. Quam modestiam omni elatione firmiorem qui infringere satagunt, Sedis apostolicæ principatum extollunt in spe-

[1] *Act.*, xv. 28.— [2] *Cœlest.*, *ep. int. act. Conc. Eph.*, act. ii. tom. iii. *Conc.*, col. 614; *Conc.* v. coll. viii. tom. v. col. 662; *Sup.*, lib. vii. c. 6. — [3] *Sup.*, *ibid.*, c. 30; *Conc.* vii. act. vii. t. vii. col. 554.

* Nempe sacramenta quibus se Photio obligarant. (*Edit. Paris.*)

[4] *Sup.*, lib. vii. c. 33; *Conc.* viii. act. vi. tom. viii. col. 1049. — [5] *Ibid.*, col. 1056.

ciem, re ipsâ deprimunt, invidiamque tantùm non veram auctoritatem conciliant.

VIII. — Hæc absurda et invidiosa, etiam esse inania, neque prohiberi posse quia ad Ecclesiæ consensum necessariò recurratur : ex cathedrâ pronuntiari, quid sit.

At illa importuna, nimia, invidiosa sectati, nec sic proficiunt : huc enim illis res redit, ut quantumlibet judicante Pontifice, tamen ad ultimum fidei stabiliendæ robur consensus Ecclesiæ requiratur; quod ita conficimus.

Sanè qui Pontificem ut Pontificem, errare posse negant, non eamdem ineunt viam; neque omnes conveniunt, illud, *pro cathedrâ pronuntiare*, quid sit. Turrecremata sic docet : « Si romanus Pontifex efficitur hæreticus; ipso facto quo cadit à fide Petri, cadit à cathedrâ et sede Petri, ejusque judicium non esset judicium apostolicæ Sedis [1]. » Quid ergo? Repetendum, donec verum pronuntiet? Unde autem vera dixisse constabit, nisi cùm Ecclesia consenserit?

Nihil horum refugimus : placet non imputari Sedi apostolicæ, si quid erit noxium, si quid erroneum, si quid alienum; quæ sanctus Antoninus paulò enucleatiùs explicare visus est. Is quidem sic distinxit : « Papam ut personam particularem, ex motu proprio agentem, errare posse in fide : at Papam ut personam publicam errare non posse [2]. » Personam autem publicam sic interpretatur, « utentem concilio et requirentem adjutorium universalis Ecclesiæ, quæ non habet maculam neque rugam. »

Sit ergo Pontifex ex officio interpres Ecclesiæ : quoties avita et Ecclesiæ tradita interpres attulerit, toties è cathedrâ dixerit; toties Pontificem, personamque agat publicam : privatus habeatur doctor, teste Antonino, cùm *ex motu proprio* in fidei negotiis egerit.

Hinc idem Antoninus pontificiam definitionem valere quidem dicit summâ et ultima firmitate; sed *acceptatam, examinatam, approbatam*, quemadmodum mox retulimus [3] : ut cùm varii varia, de eo quod sit pro cathedrâ dictum, attulerint, certissimum signum sit, pro cathedrâ esse dictum, cùm Ecclesiæ consensus accesserit.

Decorum magnificumque Pontifici, ut pari ferè loco, atque concilia generalia habeatur. Certum est apud catholicos concilia generalia infallibilia esse; at cùm dubitari possit, conciliumne aliquod generale sit, id ex Ecclesiæ consensione repetatur; ita certum firmumque, si velint, habeatur, Pontificem pro cathedrâ docentem esse infallibilem; at cùm dubitari possit, an pro cathedrâ dixerit, adhibitis omnibus conditionibus, ultima nota ac tessera sit Pontificis ex

[1] *Turrecr., Summ. de Eccles.*, lib. II. cap. 112. fol. 260. mal. 258. — [2] *Ant., Summ. Theol.* part. III. c. 3. § 4. p. 418, vers. — [3] *Sup.*, n. 3; et *Anton.*, part. IV, etc.

cathedrâ docentis, cùm Ecclesiæ catholicæ consensus accesserit.

Id si Romæ placeat, paciique profuturum sit, haud equidem contradixerim; sed alia Bellarmino ac Duvallio placent. Placet quippe Pontificem, quoties adhibitâ formulâ aliquid Ecclesiæ proposuerit, saltem cum anathemate, esse infallibilem. An vel sic Ecclesiæ consensum excludent? Non sanè Andreas Duvallius, cujus verba, alio loco relata, adversùs Richerium disputantis, audivimus [1].

Neque verò Bellarminus, tametsi in speciem asperior, summâ ipsâ discrepat. Is enim est, qui dixerit [2], « definitiones de fide præcipuè pendere ex traditione apostolicâ et consensu Ecclesiarum : ut autem cognoscatur, quæ sit totius Ecclesiæ sententia, et quam traditionem servent Ecclesiæ, non esse aliam meliorem rationem, quàm ut conveniant episcopi ex omnibus provinciis, et quisque referat Ecclesiæ suæ consuetudinem. » Addit, necessaria videri concilia ; « quia nonnulli apertè dicunt, summum Pontificem potuisse errare : » quorum nullam rationem haberi oporteret, nisi aut vera, aut saltem probabilia dicerent.

Quare quidquid illud est, quod Bellarminus dixerit, Parisiensium sententiam sibi *videri erroneam, atque hæresi proximam ;* sanè intellexit suum illud, *videri*, minimè prohibere quominùs ea sententia adeo probabilis videatur, ut in celebrandis conciliis, et quæstionibus summâ et indeclinabili auctoritate finiendis, ejus rationem haberi necesse sit.

Neque aliud, si satis attendimus, Patres gallicani voluerunt. Hic enim patere volumus gallicanæ Declarationis arcanum; gallicanos Patres non id edixisse, ne romanus Pontifex infallibilis haberetur, de quo in scholis tantæ rixæ sint. Procul has scholæ voces rixasque habuerunt; non id episcopale suumque æstimarunt. Ad praxim maximè respicere placuit; atque illud pro certo figere, utcumque scholastica ac subtilis quæstio se habeat, tamen convenire inter omnes catholicos, pontificium decretum non haberi pro irreformabili, neque ultimum robur esse consecutum, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. Quo dogmate constituto, tota infallibilitatis quæstio, speculativas inter vanasque quæstiones habeatur.

Hunc in sensum si accipi placet gallicanam Declarationem, non ipsi gallicani Patres, credo, refugient. Ego verò toto hoc tractatu id egi, ne tantoperè pro eâ infallibilitate litigent, quæ dubia saltem (pro dubiâ enim habemus in fidei negotio, quæ fide certa non sit) nunquam conciliare possit pontificiis decretis certam et indeclinabilem auctoritatem; ut et illud omittam, nimis incredibile et absurdum videri, infallibilitatem, tantum munus à Christo Pontifici tra-

[1] *Diss. præv.*, n. 21.— [2] *Bell.*, lib. IV. *de R. P.*, c. 7; *Sup.*, lib. VIII. c. 20.

ditum, necdum Ecclesiæ revelatum fuisse. Interim quæ Sedis apostolicæ majestatem decerent, et certâ traditione constarent, asserui clariùs [1], quàm ut in dubium revocari possint. Nempe in Sede apostolicâ semper vivere ac victurum Petrum fidei principem; neque successionem ejus unquam à fide abrumpendam, et catholicam fidem ad finem usque sæculi, non aliam quàm romanam futuram: ex quâ fide quoties romanus præsul dixerit, tunc ex cathedrâ dictum videri. Atque his confido, me talem exhibuisse papatum, qui resecatis dubiis, incommodis, invidiosis omnibus, ad hæc inanibus; sanctus et sanus, omnibus gratus, venerandusque habeatur; præterea tam sit ad fidem stabiliendam sufficiens, ut neque Duvallius, neque Bellarminus, quantumlibet infensus atroxque esse videatur, aliam postulent sufficientiam.

IX.—De regendâ disciplinâ discrepantes in speciem sententias summâ ipsâ convenire. Duvallii loci. Item locus anonymi, qui de gallicanis libertatibus scripsit.

Jam ergo *magna et apostolica Sedes*, ex Declaratione gallicanâ, secundùm Mennam, circa fidem obtinuit, quod suum est; nempe ut eam tueretur; quod est præcipuum ecclesiastici regiminis officium. De altero, quod ad servandos dispensandosque canones spectat, audiamus.

Hìc verò, sat scio, nihil difficultatis occurret, si quæ in confesso sint advertantur: namque Ecclesiam, et canone regi, et canones interdum relaxari oportere constat [2]; neque quis diffitetur.

At enim fortè id postulant, ut Papa pro plenitudine potestatis, supra omnia concilia in omnibus, pro arbitrio dispensare possit. At non ita Antoninus; tametsi enim negat Papæ à concilio præfigi posse legem, id tamen addit [3]: « Dico quòd in concernentibus universalem statum Ecclesiæ, non potest Papa disponere contra statutum concilii, si statuendo decoloraretur status Ecclesiæ. » Ita Turrecremata; ita omnes etiam pontificiæ potestatis studiosissimi confitentur.

Quid Duvallius? Quæstione, an sit absoluta Ecclesiæ monarchia, hæc habet [4]: « Non potest suprema illa potestas (romani Pontificis) statum ecclesiasticum in toto aut in parte minuere, nedum evertere: verbi gratiâ, uni eidemque sexcenta beneficia conferre: pueros ad episcopatum promovere; ritus etiam generaliter per Ecclesiam ab omni ævo inviolabiliter observatos abolere, etc. Sic enim Ecclesiæ dignitas et splendor maximè minueretur, et ad certissimum exitium devolveretur. »

Enumerant theologi canonistæque canones longè plurimos quos

[1] *Sup.*, lib. x. integ. — [2] *Sup.*, lib. xi. integ. — [3] *Anton.*, *Summ. Theol.*, part. iii. tit. xxi. c. 2. § 6. p. 416. — [4] *Duv.*, *de Sup. R. P.*, etc., part. i. quæst. ii. pag. 58; part. iv. q. xi. p. [illegible] edit. 1614.

romanus Pontifex rescindere nequeat : verbi causâ, canonem *latæ sententiæ* * adversùs percussores clericorum ; quod, eo rescisso, ecclesiasticus status decolorari videretur : quasi non aliud sint innumerabiles, quibus conculcatis honos Ecclesiæ deflorescat magis.

Quin addit Duvallius, Benedicto XIII « meritò denegatam obedientiam, non modò quòd schismaticus esset, sed quòd de ecclesiasticis beneficiis, contra jus fasque, in detrimentum Ecclesiæ statuere præsumeret [1]. » En quot canones romanæ potentiæ invictos esse constet. Quid eos qui non universam, sed tamen singulares pessumdent Ecclesias? An romanus Pontifex abolere, et alios canones pro arbitrio statuere potest? Anonymus libertatum gallicanorum oppugnator audiatur. Is uno verbo rem conficit ; sic namque decernit : « nihil differre gallicanam nationem à cæteris, in acceptandis, vel recusandis legibus ecclesiasticis ; siquidem nulli non licet legum executioni supersedere, si vel annuat Ecclesia, vel pensatis rerum, locorum ac personarum conditionibus, injustum sit ejus mandatis ad litteram servire [2]. » En quid de abolendis statutis veteribus, novisque inducendis sanciant, qui nos vexatos volunt.

An autem supersedere tantùm, non verò novam legem in totum respuere liceat, sequentia demonstrabunt [3] : « Si is erat in Galliâ rerum status, ut ei sicut cæteris provinciis orbis christiani, leges illæ non convenirent, jure naturali et ipsâ legislatoris intentione, ab earum executione liberi extiterunt. » Quid Gallos exagitant libertatum defensores, si cæteræ gentes, alio sub titulo, aliove ritu, idem jusobservent et exerceant.

At enim, inquies, se tutos Galli putant, non modò naturali jure, aut intentione Pontificis, sed etiam concilii generalis auctoritate superiori? Quid autem ? An ideo in nos Vaticanâ ab arce fulmina detonabunt, quòd concilii generalis decreto legem naturalem, ac Pontificis intentionem congruere rati, omnia in unum conjungimus, ac disciplinæ ecclesiasticæ servire cogimus?

Nempe, inquiunt, in Pontificem canonum eversorem, à concilio pro potestate, animadverti posse dicitis. Quò enim pertinebat concilii Constantiensis allegatus canon? Nonne ut constaret Pontificem concilio contumaciter inobedientem, *debitè puniendum* [4] ? Jam ergo non nos Galli, sed tanta synodus, pacis ecclesiasticæ instauratrix, vapulat.

At enim Constantiense concilium de dubio Pontifice interpretandum erat. Absurdum. Fac tamen, ut mollioribus auribus parcere-

* *Latæ sententiæ* excommunicatio non est diversa ab eâ quam canonistæ vocant, *ipso jure*, *ipso facto*. Vide Eveill. *Trait. de l'Excom.* chap. XII, p. 117. (*Edit. Paris.*)

1 *Duv.*, etc., p. 89.—2 *Anon.*, *Tract. de Libert. gallic.*, lib. II. c. 12. n. 4 *Sup.* lib. XI. c. 22. —3 *Ibid.*, n. 5.—4 *Conc. Const.*, *Sess.* V.

mus, vim concilio illatam, tortaque ejus verba. Quid deinde proficiunt? Nempe ostendimus, scandalosum et contumacem, utpote jam hæresis suspectum, pro dubio, imò pro nullo Pontifice haberi ab optimis ac pontificiæ potestatis studiosissimis doctoribus [1]. Quid quòd mitiores ne sententiâ quidem, si rectè advertatur, sed verbis tantùm ab aliis discrepant? Hoc ergo peccamus, quòd Parisiensium, imò concilii Constantiensis simplicitate magis, quàm aliorum ambagibus ac subtilitate delectamur? Certè bonus et æquus Pontifex nihil metuit ab illis extraordinariis casibus, qui vix mille annis eveniant, uti ex Joanne Majore discimus. Sed tamen mortalem tantâ potestate præditum, tot tentationibus obnoxium, tantâ adulatione circumdatum, aliquo canonum metu coerceri oportet.

X. — Sedis apostolicæ majestas et potestas.

Hic subit admirari romanam potestatem, uniendæ Ecclesiæ natam, unde perducamur ad æternam charitatem, quâ in Deo unum simus. Petrus ergo et Petri successor, ne inter se dissentiant Ecclesiæ, communis traditionis interpres; ne incertis motibus fluitent, communium canonum executor, Sede apostolicâ auctore vel probante confectos custodit et vindicat. Hæc habens et exercens apostolica Sedes, tantâ antiquitûs auctoritate viguit, ut postea, fidens dixerim, immunuta magis quàm aucta esse videatur.

En ille Leo Magnus ex Patrum traditione influentem in omnium animos edit epistolam *; imperatorem adversum nactus, ad Ephesinam generalem synodum, invitus, nec suo loco positus, cogitur, nec auditur. Itaque antiqua condemnatur fides. At ille latrocinalem synodum valere non est passus; imperatoriâ potestate fretum Alexandrinum Dioscorum fregit; ad instaurandam cognitionem imperatorem perpulit; Chalcedonensis synodi auctor, ac deinde executor, ad constabiliendam communem Ecclesiæ fidem, invicta potentiâ stetit.

Eâdem exequendi auctoritate freti, Gelasius, ac deinde secuti romani Pontifices, adversùs imperatores, ac regiæ urbis antistites, in Chalcedonensem synodum rebellantes, nullâ novâ synodo indigere se professi, tantâ egere confidentiâ, tantâque vi, ut imperatorem totamque orientalem Ecclesiam, ad condemnandos perduelles, solâ jam Sedis apostolicæ auctoritate perpulerint.

Quid ubi nulla synodus intervenit? Ecclesiarum consensione freti, haud minùs fiducialiter egerunt; pelagianos nullo loco consistere

[1] *Dion. Carth., de auct. Pap.*, etc., part. I. art. 34. fol. 342, *verso*; *Dried., de libert. Gall.*, dist. XL. cap. 6; *Bell., Rosel.*, et alii pass.

* Ad Flavianum.

passi sunt; ac superbis ne illud quidem solatium reliquerunt, ut ab œcumenicâ synodo damnati viderentur. Quis autem Pontifex posteriore ætate, quâ nonnullis potestate aucti videntur, tantâ auctoritate tanta gessit? Tanta potest, auctore et executore Petro, capiti connexa Ecclesiarum fides!

An ideo putamus infirmam Sedis apostolicæ auctoritatem, quia Ecclesiarum consensum postulamus? Imò firmiorem. Id enim tantùm tribuimus Ecclesiis, ut agnoscant, ut sentiant, an communis interpres, satis ex communi traditione dixerit; in eâ acquiescant *, in eâ Spiritûs sancti magisterium collocatum, neque unquam defuturum, certâ fide credant.

Nec minùs invicti fuerunt romani Pontifices, cùm canones ab Ecclesiis, Sede apostolicâ, sive auctore, sive probante, susceptos vindicarunt. His Constantinopolitanos præsules alta spirantes, et principum gratiâ ferocientes, et à nestorianis, acacianisque usque temporibus, Ecclesiæ graves, tanquam in schisma erupturos animo providerent, quâ gravitate poterant, coercebant; orientali Ecclesiæ, quæ novæ Romæ faveret, Nicænos canones opponebant; invictos se rati, quandiu, ut ipsi profitebantur, secundùm canonum regulas paternorum rem gererent.

Itaque eorum tanta vis fuit, ut Agapetus papa exul **, et supplex Constantinopolitanum præsulem ***-ad pristinam Trapezuntinam sedem, contra canones dimissam, amandaret; ab hâc quoque dejiceret, nisi rectam profiteretur fidem; ejus sociis certis conditionibus veniam indulgeret: ex quo illud, quod hujus corollarii initio posuimus [1]: « Magna et apostolica Sedes antiquum obtinet, rectam fidem

* Multoties audivi quosdam palam dicere, doctrinam Ecclesiæ gallicanæ à Bossuet, in illo tractatu, non tam suis nervis instrui, quàm quibusdam veluti integumentis involvi. Credo equidem eos, qui talibus calumniis virum maximum insectantur, gallicanam doctrinam non habere satis cognitam, et penitus ignorare quibus nervis instructa esse debeat theologica oratio. Hæc enim nisi nescirent, non redarguerent Bossuet, qui, cùm nitidiùs quàm quisquam antea gallicanæ doctrinæ capita proponit, validiùs defendit, accuratioribus argumentis confirmat, tum temperat diligentissimè ab illis decretis apertè nimiis, quibus plurimùm delectantur multi neoterici scriptores; ratus nimirum, nefas esse viro theologo illos transgredi terminos quos posuerunt patres nostri. Quòd autem hic Ecclesiis tribuere videatur hoc tantùm, *ut agnoscant, ut sentiant an* Papa *ex communi traditione dixerit*, et sic *acquiescant*, nulla esse potest difficultas iis, qui hunc tractatum attentè, non cursim legerunt. (*Edit. Paris.*)

** Non erat exul Agapetus, quanquam non omnino suâ sponte Romam reliquerat. Hoc enim tantùm memorat Liberatus. (*Breviar.* cap. II.) Agapetum gravibus minis Theodati Gothorum regis territum, pro conciliandâ pace, legationem ad imperatorem Justinianum suscepisse. (*Edit. Paris.*)

*** Anthimus Eutychianus, Trapezuntinus episcopus studio et favore Theodoræ Augustæ, post obitum Epiphanii C. P. in ejus locum suffectus est, consensu etiam imperatoris, cui ille, multa dissimulando, se esse catholicum persuaserat; ita ut Justinianus ejus ordinationem ab Agapeto, tunc Constantinopoli degenti, approbari cuperet. At Agapetus nec Anthimum videre voluit, neque cum eo colloqui; quod causa fuit cur imperator illum interrogaret de duabus in Christo naturis. Tunc Anthimum deprehensum Eutychianum Justinianus in exilium misit, et Agapetus Mennam magni monasterii abbatem, patriarcham consecravit. Vid. Anast. vit. Agap. tom. IV. Conc., col. 1787; et epist. Agap. ad Pet. Hieros. tom. V, col. 47. (*Edit. Paris.*)

1 *Conc. C. P. sub Menn. Vid. sup.*, n. 1.

tuens; sanctarum Ecclesiarum sanctiones servans; » ubi oportuerit *indulgentiâ utens.*

Interim cum episcopis rectam fidem et regulam secutis, æquo propemodum jure agebant. Eulogius Alexandrinus episcopus scripserat se sancti Gregorii papæ jussa capessere. At ille ea verba jussionis vocem procul à se amolitus, hæc ait [1] : « Quod verbum jussionis peto à meo auditu removete : loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicavi.

An non ergo ille se superiorem sentiebat? Id hæretici, id imperiti jactent : non enim intelligunt quænam à Domino constituta sit ecclesiasticæ potestatis ratio ac vis. At Gregorius tam modestus, quàm fortis intelligebat : « Nam quod, inquit [2], se dicit * Sedi apostolicæ subjici, si quâ culpâ in episcopis invenitur, nescio quis ei episcopus subjectus non sit : cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt. » Quam communem regulam omnibus præpositis esse voluit : « Sit, inquit [3], rector bene agentibus per humilitatem socius; contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus; ut et bonis in nullo se præferat, et cùm pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratùs agnoscat. » Quod ille multis exemplis, Scripturarumque testimoniis prosecutus, sic denique concludit : « Summus itaque locus bene regitur, cùm is qui præest vitiis potiùs quàm fratribus dominatur. » Itaque ille Gregorius, tam humilis, tam modestus, tam æquo cum cæteris jure usus, summa potestate Constantinopolitanorum præsulum superbiam contulit [4] acta synodica per Sedem apostolicam dissoluta cassataque memorat **, et antecessoris eâ de se sententiam vindicat : neque ullus unquam Pontifex majore constantiâ apostolicam auctoritatem exercuit. Quid ita? quia canones, quia priscas consuetudines, quia omnium fratrum jura æquè ac sua servabat, ut vidimus [5].

XI.—Quàm fœdam ecclesiastici regiminis pontificiæque potestatis ideam, adversarii, præsertim auctor anonymus proferant, quàmque hæreticis faveant, dum papatui favere velle videntur.

At auctor anonymus, qui de gallicanis libertatibus scripsit, aliam papatûs ideam informavit [6]. Libro enim VI, quo caput III gallicanæ

[1] *Greg. Mag.*, indict. I. lib. VIII. ep. XXX. t. II. col. 919; al. lib. VII. ep. XXX. — [2] *Ibid.*, l. [illegible] ep. LIX. col. 976; al. lib. VII. ep. LXV.

* Byzacenus primas.

[3] *Greg. Mag.*, *Reg. Past.*, part. II; *Ibid.*, col. 20, 22.— [4] *Lib.* IX. ep. XII; al. l. VII. ep. [illegible] pass. in ejusd. ep.

** Nempe acta Constantinopolitani concilii an. 585, quæ Pelagius II, Gregorii [illegible] ideo rescidit, quòd Joannes, dictus *Jejunator*, C. P. antistes, se *episcopum universalem* [illegible] lasset. Miror sanctissimum patriarcham Mennam illo superbo nomine ubique appellari [illegible] cilio C. P. an. 536. (*Edit. Paris.*)

[5] *Sup.*, lib. XI. c. 12.— [6] *Anon.*, *de Libert.*, etc., toto lib. VI.

eclarationis aggreditur, id agit, ut quia romanus Pontifex, omnium delium pastor etiam immediatus habeatur, omnia pro arbitrio ad se ahere possit, nullis obstrictus canonum, vel avitæ probatæque onsuetudinis vinculis. Ac primum quidem eos affert locos, quibus niversa Ecclesia, atque etiam gallicana, romano Pontifici subjecta i, quod nemo nostrûm negat. Atque id ille sensit. Subdit verò [1]: Hæc quidem ita in communi dicta negantur à nemine, quia nemini unt incommoda; sed cùm ad praxim deducenda sunt, auctoritas oncilii generalis, libertas Ecclesiæ, canones et similia opponuntur: uasi verò illa excepta intelligantur in verbis Christi, aut etiam in eclarationibus solemnibus *. »

Eò ergo nos adigit, ut non modò ex solemnibus obedientiæ romano ontifici præstandæ declarationibus, sed etiam ex Christi verbis ad nnia extraordinaria et arbitraria teneamur : ut, quia Christus generalibus verbis Petro dixerit, *Quodcumque ligaveris, quodcumque lveris*; jam neque Ecclesiæ libertatem, neque canones, neque conlia generalia allegare liceat.

Sanè ille prævidit obstitura sibi primorum sæculorum tot ac tanta ocumenta, quibus romanus Pontifex, antecessorum quoque aucritate, canonibus servire jubeatur : quæ nos libro XI executi sumus. uo loco id etiam ostendimus, promissam sanè obedientiam, sed ecundùm canones, et jure servato ; cui etiam professioni, romanoum Pontificum antiqua professio responderet [2]. At anonymus, ne risca illa traditio, verborum Christi interpres sibi objici possit, comento illo cavet, quod jam confutavimus [3].

Ergone, inquies, nulla tunc canonum relaxatio ; imò aliqua, non romiscua ; extorta necessitate, non ad libitum profluа, provida et odesta, non quæ se super omnia jura superferret. Hæc ad undemum usque sæculum permanasse ; hæc omnium cordatiorum, prærlim verò Gallorum animis inhæsisse ; hæc in concilio Constanensi stabilita esse ; hæc paulò ante Constantiense concilium, à urando Mimatensi, Clemente V jubente, scripta esse vidimus [4]. Ille r dispensationes et exemptiones, impunem regnare licentiam, ac rdita esse omnia conclamabat ; ille per synodos generales his adhiri modum, utque Ecclesia romana, *non omnia ad se traheret*, ne *nia perderet*, postulabat [5]. Cætera alibi memorata, ac præsertim regiam illam, jubente Paulo III, de reformandâ Ecclesiâ summoum virorum consultationem [6], atque ipsa decreta Tridentina præ-

Anon., de Libert., lib. VI. c. 2.

Quibus episcopi Papæ obedientiam profitebantur.

Sup., lib. XI. c. 8; *Vid.* quoq. lib. IX. c. 21. — [3] *Diss. præv.*, n. 80, 81, 82. — [4] *Vid.* lib. XI. 16, 17, 18, 19. — [5] *Sup.*, lib. VII. c. 18; *Durand., de modo celeb. Conc.*, etc.; *Vid. Dissert. rev.*, n. 1. — [6] *Sup.*, lib. XI. c. 18.

termittimus. Quidnam ergo illud esse dicemus, quo potestatis pontificiæ, secundùm anonymum, totus sese *fulgor explicuit?* An cùm non jam ferè tutandis canonibus, sed exemptionibus, dispensationibus, reservationibus, denique extraordinariis arbitrariisque mandatis et imperiis eminere cœpit auctoritas, cùm Papa longè positus, tot capitula, tot monasteria, de quibus ne cogitare quidem vacat, immediatè regenda suscipit, proprios arcet episcopos, atque ab iis suum quoque clerum avellit; cùm episcopalem jurisdictionem in monachos atque in mulieres effundit, aut effusam tutatur; cùm denique romana curia episcopos veluti adversos habere, in tot exemptis præsidium ac firmamentum ponere voluisse visa est? Hiccine ille est Ecclesiæ romanæ fulgor explicitus? an fumus potiùs? At nos ex eo fumo dari lucem votis omnibus supplicamus. Id in concilio Tridentino, pro temporum quidem necessitate, inchoatum, Ecclesiæ gratulamur; certòque statuimus, nunquam Ecclesiæ catholicæ, nunquam Sedi apostolicæ suam dignitatem constituram, nisi defensis canonibus, adscitisque episcopis, quos ipse Christus adjutores dederit.

XII. — Quam falsò asserant gallicanâ Declaratione contentam doctrinam dissidiorum occasione proditam aut innovatam : cleri Facultatisque Parisiensis antiqua monumenta replicantur : nova etiam produntur quædam Gallis malevolentissimi a anonymo objecta refelluntur : votum auctoris ejusdemque erga Ecclesiam catholicam Sedemque apostolicam devotus animus.

Jam luce est clarius pessimè objectum Gallis, quòd de Sede apostolicâ malè sentiant, cujus dignitatem confirmare et illustrare non cessant. Sed quandoquidem auctor anonymus Tractatu de Libertatibus gallicanis eâ de re mendacissimè ac malevolentissimè scripsit, non feremus christianissimi regni impunè violari majestatem.

Ac primùm grave illud est, quòd semel atque iterum inculcat [1], à Bonifaciani dissidii tempore, Gallorum in Sedem apostolicam studia refrixisse : cùm, ut cætera omittamus, id etiam imperitissimis ex historicæ notum sit, post ea dissidia, sub Benedicto XI et Clemente V, aliisque pontificibus, curiam pontificiam translatam ad Gallias, atque Avenione toto fere sæculo residentem, cum gallicano regno conjunctissimam, ejus obsequiis floruisse. Sed nos insulsissimum commentum jam confutavimus [2].

At anonymus graviora protulit. Nempe et id scribere ausus : quæ à gallis scriptoribus de romani Pontificis auctoritate proferuntur, « avitum ac ferè ingenitum testari illius nationis erga sanctam Sedem studium magis fortè quàm modernorum affectum [3] ; » tanquam ab eo studio moderni desciverint. Postea : « Quòd Galli aliquibus scri-

[1] *Anon.*, lib. I. cap. 15. n. 2; lib. III. c. 9. n. 3. — [2] *Sup.*, lib. III, c. 23, 24, 25; lib. IV. c. 5; lib. X. c. 25. — [3] *Anon.*, lib. VI. c. 2. n. 1, 2.

maticorum nomine suspecti sunt, aut inimicorum esse invidiam aut politicorum minas;... aut fortè justum piorum metum; ne si crescat pontificiorum mandatorum neglectus, in contemptum transeat, qui à schismate solet non longè abesse : » quasi jam Gallis solemne sit pontificia mandata negligere. Gravius et acerbius illud [1] : « Fere pœnitere Galliam, quòd olim sanctam Sedem tantâ reverentiâ prosecuta fuerit, tantâ humilitate audierit, tanto zelo defenderit. » At illud dirum et abominandum de gallicanis etiam antistitibus dictum [2] : Frustra antistites gallicani auctoritati pontificiæ gravissimum vulnus illaturi honorificâ præfaciunculâ ferrum occultant : » ut parum esse videatur, quòd romano Pontifici adversentur, nisi etiam blandientium ac venerantium specie, parricidiales manus inferant. Quo argumento? quâ probatione? nullâ : nisi quòd avitam, Ecclesiæ catholicæ Sedique apostolicæ salutarem, certè tot retro sæculis, à studiosissimis Sedis apostolicæ defensoribus pro innoxiâ habitam, sententiam, nullâ cujusquam offensione proponunt.

Et quidem toto anonymi tractatu sparsum illud [3] : priscas illas de Ecclesiæ catholicæ et conciliorum generalium auctoritate sententias, in Galliâ tunc esse prolatas, « cùm reges à romano Pontifice dissiderent. » In his igitur Gallos « aulæ desideriis obsecutos, atque alicujus spei vel timoris impulsu » esse permotos; quin ipsos episcopos gallicanos, anno 1682, « odiosam et importunam objecisse doctrinam, ut summum Pontificem ab executione Lugdunensis de regaliâ canonis deterrerent. » Sed hæc quàm falsa sint, quàmque iniquo animo exprobrata, alia Ecclesiæ gallicanæ acta testantur.

Vetusta omittimus; posteriorum sæculorum exempla proferimus. Nullum sanè erat christianissimo regno cum Martino V dissidium, cùm sacra Facultas Joannem Sarrazinum, qui conciliarium statutorum vigorem in summo Pontifice reponeret, repellebat, et ad ista adigebat; quòd tota auctoritas dans vigorem statutis conciliaribus, residet, non in solo Pontifice, sed principaliter in Ecclesiâ catholicâ, et Spiritu sancto [4]. »

Nullum erat dissidium cum romanis Pontificibus, eo tempore quo eadem Facultas ad hæc lutheranos compellebat, ut Ecclesiæ catholicæ et conciliorum generalium determinationes absolutè admitterent; decreta verò romanorum Pontificum ita, « si ab Ecclesiâ recepta et approbata » essent [5].

Nullum erat dissidium, cùm editis adversùs Lutherum articulis, ecclesiasticam potestatem exponere aggressi, Pontifici quidem suam;

[1] *Anon.*, lib. IX. *præf.* — [2] *Ibid.*, lib. VII. c. 1. n. 3. — [3] *Ibid.*, lib. III. c. 8. n. 9, 10; lib. VIII. *præf.*, n. 1; *ibid.*, c. 8. n. 2; lib. IX. c. 10. n. 3, 4; *in conclus. oper.*, n. 13, et pass. — [4] *Sup.*, lib. VI. c. 21. — [5] *Ibid.*, c. 23.

at, ut errare non posset, non nisi Ecclesiæ catholicæ et conciliis generalibus tribuebant.

Nullum erat dissidium, cùm toti orbi christiano Tridenti collecto, atque ipsi Pio IV testatum volebant, se in Constantiensibus, iisque conjunctis Basileensibus decretis persistere, ac porrò perstituros, neque laturos unquam, ut sacrosancta decreta ullâ vel ambiguâ formulâ læderentur [1].

Recentiora ac nostri sæculi exempla postulas? Nullum erat dissidium anno 1614, cùm gravis illa extitit de tertii ordinis articulo, ac regum supremâ auctoritate dissensio : et tamen in actis ordinis ecclesiastici conscriptum legimus [2] : lecto articulo, Patribus visum « eo articulo sterni viam ad schisma ; ac fieri ut civiles ordines nullâ auctoritate, nec potestate legitimâ de verbo Dei judicent, decernantque quid illi congruat; damnent ac ligent conscientias ; quæ auctoritas concilio generali et Ecclesiæ universæ spirituali potestati reservata est. » Quo etiam die promeridiano conventu iteratum ; « hujus quæstionis judicium concilio œcumenico reservatum. »

At enim, inquies, non hic tractabant quæstionem, neque conciliarem potestatem cum pontificiâ comparabant. Rectè. Tantò ergo magis, quæ animis erant insita, nullo contentionis studio proferebant; arduam questionem, summâque inter catholicos dissensione agitatam, ubi etiam de Papæ auctoritate quæreretur, *concilio œcumenico*, sive ut explicitiùs in superiori congregatione dictum erat, nec jam repetere necessarium, *Concilio œcumenico et Ecclesiæ catholicæ potestati* reservabant ; de fidei quæstionibus terminandis communem cleri consensum simplice animo testabantur ; sancti et orthodoxi mirificas laudes à Paulo V summo pontifice, brevi speciali edito, referebant.

Nullum erat dissidium anno 1625, cùm clerus gallicanus Stephani Louytrii decani Nannetensis, apostolicæ Sedis auctoritate prolatam sententiam adversùs episcopum Leonensem, declaratione editâ, impiam, sacrilegam, nullam esse censuit * : accepto deinde nuntio

[1] *Diss. prævv.*, n. 14. — [2] *Proc. verb. de la Chambre ecclés.* 1614, *du mardi* 30 *déc.*; *Mém. du Clergé*, tom. I. p. 198, edit. 1673.

* Rem ut gesta est narrabimus, summus Pontifex doctores Gallemant et Duval, ac P. de Berulle congregationis Oratorii præpositum generalem, tam in spiritualibus quàm in temporalibus, præfecerat omnibus monasteriis monialium carmelitarum in Galliâ constitutis. Plurimi autem episcopi intercesserant, ne bullæ et brevia apostolica, eâ de re missa, executioni darentur, quos inter D. de Rieux episcopus Leonensis enixe contendebat, episcoporum auctoritatem in moniales eam esse, quam Papa nullo decreto, nullâ bullâ posset convellere. Itaque moniales carmelitas Morlæenses suæ diœcesis, quæ ultro episcopali suæ jurisdictioni se submiserant, transtulit primùm in domum suam episcopalem, et indè in castellum Brestiæ. Verùm D. de Louytre, delegatus à cardinalibus de La Rochefoucauld et de La Valette, ut in ea causâ Papæ nomine judex esset, venit Leonem; ibique, latâ sententiâ, jussit moniales anathemate innodari, Ecclesiam cathedralem Leonensem interdici, et ipsum episcopum ab omni ministerio episcopali suspendi, nisi intra decem dies dictas moniales ad Papæ obedientiam re-

declarationem à summo Pontifice esse abrogatam, regi christianissimo totius cleri nomine supplicavit [1] : si res pacificè neque Romæ, neque in Gallia componi posset, « permitteret nationale concilium, ut consuleretur quid factu opus esset, et ut concilium œcumenicum peteretur. » Concessum à rege, cum legato actum, missum Romam * commonitorium, allatumque imprimis, « non potuisse à Papâ contra tot episcopos decerni, nisi illis auditis, datâque commissione in partibus, juxta concordata et privilegia Ecclesiæ gallicanæ; ab episcopis gallicanis postulatum nationale concilium; ac nisi breve apostolicum premeretur, daturos ibi operam, ne quid libertates et privilegia Ecclesiæ gallicanæ detrimenti caperent [2]. » Quid plura? Pressum breve; Louytrius à sententiâ destitit; Leonensi episcopo satisfecit.

Nullum erat dissidium anno 1650, cùm occasione viri illustrissimi Renati de Rieux de Sourdeac, episcopi Leonensis, à commissariis apostolicis depositi, atque aliorum commissariorum sententiâ * restituti, veritus est clerus ne provinciarum juri et canonico ordini noceretur. Itaque solemni protestatione editâ, et nuntio ritè intimatâ, id egerunt, « ut episcoporum judicia, congregatis in synodo provinciæ Patribus, salvo jure appellationum ad romanam Sedem, antiquâ canonum auctoritate reservarentur; neve apostolicis litteris ullum sibi præjudicium fieri possit; neve trahantur eadem in exemplum, quo quisquam sibi putet contra salutarium reverentiam regularum temerè quid liceret [3]. » Sic cavebant ne adversùs canones extraordinaria et arbitraria mandata valere putarentur.

Nullum erat dissidium anno 1656, cùm sacræ Facultatis jussu, postulantibus ac probantibus episcopis, in ordinario ac frequenti concessu Lutetiæ congregatis, è Francisci Guillovii thesi hæc præ-

ducere conaretur. At clerus gallicanus indignè ferens D. DE LOUYTRE hæc tam multa tantaque nullo jure fuisse molitum, illud egit, quòd hic à BOSSUET narratur. (*Edit. Paris.*)

[1] *Mém. du Clergé*, tom. I. part. I. c. 50. n. 14, 15; *Vid. Rec. des Pièc. concern. l'Hist. de Louis XIII*, tom. IV. p. 310 et seq.

* Ad oratorem regium.

[2] *Mém. du Clergé*, tom. I. part. I. tit. I. c. 50. n. 26.

* Reus majestatis postulatus fuerat D. DE RIEUX episcopus Leonensis; eo quòd operâ suâ et consiliis favisset Mariæ Mediceæ regis matri è regno fugienti; ipse apud Belgas absque regis licentiâ esset commoratus, quo tempore rerum non parvam conturbationem in regno creaverat reginæ matris et Gastonis fratris regis fuga. Quapropter de sede suâ dejectus est anno 1655, judicio DD. DE BARRAULT archiepiscopi Arelatensis, BOUTHILLIER Turonensis coadjutoris, DE NOAILLES Floriopolensis, DE HARLAY DE SANCY Macloviensis episcoporum, quos Urbanus VIII commissarios in hâc causâ delegaverat. Quievit quidem D. DE RIEUX, quandiu vixit cardinalis DE RICHELIEU, quem in illo negotio sibi adversarium sentiebat, et cujus non immeritò ultricem potentiam ulteriùs experiri verebatur : gallicani verò præsules, licèt ferrent ægerrimè hoc judicium, cùm injustum, tum nullo ordine canonico latum, iisdem de causis siluerunt. Sed mortuo cardinale, episcopus Leonensis, interjectâ appellatione, postulavit ut Innocentius X judicium in se latum juberet retractari; qui Pontifex, anno 1646, septem episcopis causam retractandam et supremâ auctoritate judicandam commisit; atque tunc demum episcopus Leonensis innocens omnium sententiis absolutus est. Vid. *Mém. du Clerg.* Gall. Christ. *Hist. de Louis le Juste*, auct. Dupi. (*Edit. Paris.*)

[3] *Mém. du Clergé*, tom. I. part. I. tit. I. c. 50. n. 37, 41.

sertim erasa sunt [1] : « Concilia ad melius convocari; in his, à Pontifice auditis episcoporum sententiis ac judiciis, pro suâ auctoritate certoque et infallibili charismate, verbum fidei pronuntiari. » Substitutum illud : « Episcoporum jurisdictionem esse juris divini, et esse immediatè à Christo, eosque in conciliis generalibus verè esse judices; atque in his ex eorum judicio summum Pontificem pronuntiare. »

Denique nullum erat dissidium, cùm per eadem ferè tempora tot adversùs Jansenium acta confecta sunt, laudatique à romanis etiam Pontificibus episcopi gallicani; cùm tamen priscæ disciplinæ traditionisque memores, pontificias constitutiones ita admitterent, exequendasque mandarent, ut à se factâ deliberatione, datoque judicio, acceptatas et interpretatas, ut ex actis publicis fusè docuimus [2].

Memorat anonymus lib. VIII, inculcari frequenter ab episcopis gallicanis, jurisdictionem episcoporum ita esse de jure divino, ut eam « à sanctâ Sede neutiquam accipiant; eo fine, ut summum Pontificem à proferendo circa controversiam de regaliâ judicio deterrerent; aut si quid pronuntiaret, minoris videretur esse auctoritatis [3] : » Tum in eodem libro hæc habet [4] : « Abstinuissemus ab hujus quæstionis tractatione, non solùm propter ejus difficultatem, sed etiam quia, cùm sacrum hunc ordinem maximè veneremur, displicent nobis quæcumque venerationem illam possunt quâvis occasione imminuere : nisi animadvertissemus illustrissimos episcopos Parisis congregatos suam in Deum jurisdictionem referre tum maximè conatos, cùm justis summi Pontificis decretis repugnabant. » Quis ferat derisorem, reverentiæ specie, talia exprobrantem? Qui si Ecclesiæ gallicanæ et sacræ Facultatis acta toties publicata et à nobis relata [5], amico animo perlegisset; profectò fateretur jurisdictionem episcopalem, nullo non tempore, ut à Christo immediatè profectam apud nos prædicatam; neque nostrâ aut avorum memoriâ unquam contigisse, ut quisquam hominum contrariam sententiam impune propugnaret. Quæ nunc, si Deo placet, vir amicissimus et erga episcopalem ordinem obsequentissimus, adversùs Pontificem comparata esse prædicat.

Hæc quidem sunt iniquissima; hoc verò absurdissimum, quòd appellationes ad concilium generale factas eo nomine elevat, quod, « occasione dissidiorum, vel schismatis, natum sit genus illud appellationum, tum si Papa negaret, quod ex parte regis rogaretur, aut vellet contra ipsum ejusve subditos procedere [6]. » Quis enim appellaret, nisi aliquod existeret gravamen aut dissidium? An appel-

[1] *Sup.*, lib. VI. c. 26. — [2] *Sup.*, lib. X. c. 17, 18. — [3] *Anon.*, lib. VIII. *præf.* — [4] *Ibid.*, c. 2. n. 4. — [5] *Sup.*, lib. VIII. t. XIV, et pass. toto lib. et seq. — [6] *Anon.*, lib. X. c. 6. n. 6.

latum vellet ab eo qui omnia largiretur? Cæterùm de illis appellationibus, quàm schismate antiquiores sint, quàmque non tantùm à Gallis, sed etiam ab aliis frequentatæ, suo loco ostendimus [1]. Hic quidem commonere volumus, quàm non modò iniqua, sed etiam insulsa auctor anonymus contra Gallos scripserit.

Cujus etiam generis illud est quod passim exprobrat de dispensationibus apud Gallos maximè frequentatis [2] : quasi alibi canones purè obtineant; nullæ translationes; nulla pluralitas; nullæ commendæ sint; uni tantùm Galliæ in dispensandis gratiis desudet curia? An quia non quemadmodum illi laicorum invasiones assiduè improperant, ita nos ad invidiam usque objicimus, oppressam ab inquisitoribus ordinariam potestatem; erepta episcopis de fide judicia, quibus maximè episcopatus constat; ecclesiasticos reditus, per gravissimas pensiones, easque resignabiles in frusta concisos ac beneficiariis nudum propemodum relictum titulum; aliaque hujus generis innumerabilia, à quibus puri sumus, ideo disciplinam apud nos profligatam confiteri oportet; florere apud eos, quos inter extraordinaria et arbitraria imperia sine more modoque vigent? Et quidem utinam omnes prophetarent? Cæterùm, si gloriari oportet, id dicam, quod exteros audimus sæpè memorantes : nullum esse regnum, in quo magis religio floreat, quàm hoc christianissimum; nullum, in quo sit clerus doctior, sanctius sacerdotium, monastica disciplina castior ac severior, morum doctrina purior, Scripturarum et antiquitatum ferventius studium; nullam denique gentem, quæ accuratam disciplinam, si quis id fortiter aggressus sit, æquiore animo passura videatur.

Desinant ergo nos incessere calumniis, tanquam ea quam Galli tuemur, doctrina è dissidiis orta sit. Cogitent potiùs nostrâ memoriâ, aulicis artibus pressam, ultro postea erumpere, ac facilè promi, quod est pectori insitum. Faxit autem Deus, ediscant Ecclesiæ regendæ principes, ecclesiasticum regimen, non aulæ flatibus ac motibus, sed æternâ veritate ac Patrum traditione niti oportere.

Denique quod objiciunt, cæterarum gentium consensione nos premi, ac posse à Pontifice securè damnari Galliam, decreto ex nostris quoque dogmatibus totius Ecclesiæ consensu valituro; tanquam Ecclesia gallicana, tanta Ecclesiæ pars, eaque florentissima nihil sit, His quidem objectis, inscitiam, hostilemque animum, non modò adversùs Galliam, sed etiam adversùs Ecclesiam universam produnt. Nempe dum rex optimus, ac pietate major quàm armis, tot egregiis ac immortalibus titulis, id etiam addit, ipso regnante, excisam hæresim in Galliis, tum ipsam Galliam, sub tam pio principe, erroris aut

[1] *Sup.*, l. v. c. 8, 9; lib. x. c. 23, 24 et seq.— [2] *Anon.*, lib. vi. c. 1. n. 2 et alibi pass.

schismatis damnari posse confidunt. Sed frustra sunt. Non ita œcumenici Constantiensis concilii jacebit auctoritas : non ita Ecclesia catholica repente mutatur ; nec per cæteras gentes, usque adeo prostratam veritatem arbitramur, ut ejus apud se tot vetusta, tot recentia monumenta oblitterari sinant. Quòd si tanta quæstio, tantis catholicorum altercationibus nobilis, in quâ conciliaris papalisque auctoritatis summa vertitur, jam finienda est, non sine œcumenico concilio eam finiri posse sentiunt : aderit omnium sæculorum firma traditio : evigilabunt sui memores episcopi ; ac Spiritus sanctus veritatem vindicabit.

Illud etiam exprobrant, gratam hæreticis esse eam, quam episcopi gallicani de concilii auctoritate Declarationem ediderunt. At nos contrà experimur, obstinatis hæreticis eam esse molestissimam, quâ calumniandi causas detractas esse sentiant. Qui verò modestiores sunt ac pacatiores, hos in Ecclesiam catholicam, Sedemque apostolicam propensiores evadere, toti Ecclesiæ gratulamur.

His ergo intelligimus Petrum ab alto vocari, quemadmodum dicitur in Actis [1], ut comedat *quadrupedia et serpentia terræ et volatilia cœli*; mundaque æquè ac immunda in sinum congerat, in corpus trajicit, unitati servet aut reddat.

Jam qui Declarationem gallicanam veram quidem esse, sed tamen præposteram objiciunt, neque ecclesiasticæ rei conducere, ut ultrò catholici nova et contentiosa tractent ; hos quidem confutavimus [2]; neque iterare piget, à nobis non nova proferri, sed à majoribus quæsita, imò etiam definita, quæ catholicæ Ecclesiæ, Sedisque apostolicæ æquitatem dignitatemque commendent.

De regaliâ, cujus gratiâ Declarationem gallicanam exortam esse volunt, alii dixerint. Ego hoc tantùm extensam fortè nullo malo animo, sed ex prætenso, ac dudum præconcepto jure ; regalia haud tantam esse rem propter quam jusque fasque videretur, ex apostolicâ Sede tantos intentari metus, tanquam omnia ruerent.

Quod aiunt, Declaratione provisa esse remedia, si quid gravius imminaret ; arcanorum inscius quid dicam ? Neque viri graves fortè succenseant, sit tot inter minas, christianissimo regno, ex antiquis consuetisque dogmatibus, aliquid præsidii comparetur ; quæ præsidia qui Gallis erepta esse velint ; cogitent evenire posse ea tempora quibus ipsis Ecclesiæque, ac Sedi apostolicæ necessaria esse videantur.

Nunc postquam de susceptâ quæstione dicta sunt omnia, de eâ uno verbo dicam. Ac primùm, Deo teste, profiteor, eum esse me, qui Sedi apostolicæ ac pontificiæ majestati impensissimè faveam ; id confido fore ut, si qui bono animo hæc quærant, id sentiant ; Sed

[1] *Act.*, x. 12. — [2] *Dissert. præv.*, n. 7, 8, 9, 10, 11.

apostolicæ sua et antiqua et tuta, humilis pacificusque reddo; hostibus, ne per aliena et falsa eam oderint, consulo; catholicis hominibus, ne utrinque fortè sint nimii, vera et æqua præmonstrare satago; Gallos meos, ac præsertim episcopos, nonnullis suspectos, tanquam Sedi apostolicæ aliquid detractum velint, ab eâ contumeliâ vindico; tuta ab illis esse omnia, priscis exemplis monumentisque probo; Petrum has super aquas tutum incedere, neque frustra trepidare moneo et hortor; uteumque est, securus hanc causam ad Christi tribunal perfero. Si Sedes apostolica utrique parti, æquo jure consulens, silere interim edixerit, polliceor pariturum; denique ad supremum usque halitum, in Ecclesiæ catholicæ, romanæque et apostolicæ Sedis, in eâque sedentis romani Pontificis potestate esse me futurumque profiteor. Ita me Deus salvum velit; ita me Petrus; ita me Pater sanctissimus habeat oviculam ad ejus pedes pro pace ecclesiasticâ suspirantem; sub quo incurvari peto altitudinem sæculi frustra intumescentis, Turcicamque barbariem, hæreticamque et schismaticam, quocumque loco vel se exerit, vel latet, superbiam; atque id suplico ab his nostris abesse temporibus, ut hæc tam antiqua, tam sana, audens dixerim, tam pacifica, tam modesta, ferre non possint.

APPENDIX

AD DEFENSIONEM DECLARATIONIS

CLERI GALLICANI

DE ECCLESIASTICA POTESTATE,

ANNI M. DC. LXXXII.

PRÆFATIO.

Postea quàm edita est *Cleri gallicani de ecclesiasticâ potestate Declaratio*, multa adversùs eam scripta prodierunt. Ac primùm divulgati libelli duo, quorum alteri titulus: *Ad illustrissimos et reverendissimos Galliæ episcopos, Disquisitio theologico-juridica super Declaratione Cleri gallicani, factâ Parisiis* 19 *Martii* 1682. Alter inscribitur: *Doctrina quam de primatu, auctoritate et infallibilitate romanorum Pontificum tradiderunt Lovanienses sacræ theologiæ magistri, ac professores tam veteres quàm recentiores, etc. Declarationi Cleri gallicani de ecclesiasticâ potestate nuper editæ opposita.*

Uterque anonymus. Ab utroque Cleri gallicani Declaratio non tantùm impugnatur, verùm etiam proscribitur, « ut quæ faveat hæreticis, romanum Pontificem dignitate primatûs, divinâ ei ordinatione constituti, exuat, et Sedem apostolicam labefactet [1]; quin etiam exsuscitet Viclefi errores, à Constantiensi concilio condemnatos [2]. » Miram rem, ut quod synodus Constantiensis de supremâ conciliorum auctoritate sanxerit, in Viclefo ipsa proscripserit! Cæterùm Nicolaus Dubois, sacrarum litterarum in Universitate Lovaniensi professor primarius, se *Disquisitionis* auctorem professus, alias scriptiunculas sparsit, ut si non vi ac pondere, nos numero saltem premere velle videatur. Atque hæc apud vicinos Belgas, magnis acta sunt clamoribus. Sic enim auctores illi de summâ catholicæ fidei agi vociferantur [3]; quasi hæ quæstiones in Ecclesiâ nunc primùm audiantur, non autem à multis sæculis, nullo erroris, nullo schismatis metu pertractatæ fuerint. Verùm ex longinquo gravioris belli metus; nec jam disquisitio aut tractatio, sed censura. Nempe illustrissimus Georgius * Strigoniensis archiepiscopus, ac regni Hungariæ primas, ostentatâ primùm concilii nationalis auctoritate (credo ut clero gallicano parem cleri Hungarici auctoritatem opponeret), ipse interim, *dum præfata synodus suo tempore celebretur*, cum quinque fortasse vel sex episcopis, non est veritus tot gallicanorum episcoporum, ipsiusque adeo Ecclesiæ gallicanæ « decreta configere, propositiones interdicere, proscribere, prohibere; ut quæ christianis auribus absurdæ, ac planè detestabiles, atque à satanæ ministris disseminatæ, blandæ pietatis specie schismaticum virus instillent [4]: » etiam eam, si Deo placet, ut jam cæteras omittamus, quæ regiam potestatem à depositionis sententiis tutam illæsamque præstat; etiam eam quæ canonibus moderandum apostolicæ auctoritatis usum profitetur. Sic omnia subvertuntur: nec tantùm majestas regia, verùm etiam ecclesiastica libertas omnis è medio tollitur; nec jam canone, sed ad nutum regitur Ecclesia, ac majorum scita tot romanorum Pontificum decretis firmata evanescunt. Sic innocui Galli avitas libertates, avitam doctrinam, publica Ecclesiæ regnorumque jura, absque ullâ cujusquam contumeliâ, ullâve censurâ propugnantes, indignis proscinduntur modis. Frustra canonum, frustra Patrum implorant opem. Ecce enim ille *Disquisitor* ab episcopis gallicanis, « minimè fuisse discussos Patres ac canones, ac quos in hâc Declaratione fit relatio, sed simpliciter allegantibus creditum » sibi persuadet [5]. Qui si sacro cœtui, totque privatis conventibus per quatuor menses

[1] *Doct. Lov. præf.* — [2] *Disq.*, art. IV. p. 21, 22. — [3] *Doct. Lovan.*, in fine.
* Zelepechimi.
[4] *Cens. Arch. Strigon.*; *Vid. in Vind. Maj. Schol. Par.* — [5] *Disquis.*, art. XI. p. 11.

habitis adfuisset; si disserentes audisset illustrissimos archiepiscopos Pariensem et Rhemensem, sacri cœtûs præsides, totque alios episcopos doctrinæ atque eloquentiæ laude conspicuos, eos verò maximè, qui ad id negotium deputati, Tornacensem * dico, Meldensem, reliquos omnes sacræ theologiæ Facultatis Parisiensis doctores, atque in sacrâ doctrinâ versatissimos; qui quidem, non nisi perpensis sacræ Scripturæ Patrumque omnium locis, atque ecclesiasticis ab ipsâ christianitatis origine gestis, evolutis dixere sententiam: adhibitis quoque aliis secundi ordinis deputatis; Parisiensibus doctoribus et omni eruditione præstantibus viris; hos, inquam, si audisset, ipsumque adeo Tornacensem episcopum, tantâ pietatis ac doctrinæ laude celebratum, ad universum cœtum suâ et collegarum sensa referentem; non profectò hæc unquam incauta et temeraria de gallicanorum episcoporum supinâ credulitate profudisset.

Interim, cùm alii subinde adversùs gallicanam Declarationem tractatus, in Italiâ, in Germaniâ, in Hispaniâ ederentur, *Emmanuel* etiam *Schelstratus* ** nova acta produceret, eaque se retecturum arcana jactaret, quibus Basileensia simul et Constantiensia decreta statim conciderent; viri boni gravesque gallicanos episcopos doctoresque hortabantur, ne avitam doctrinam, quâ prisca Ecclesiæ jura ac dogmata continentur, indefensam relinquerent; neque modò confutarent recentiores istos, qui plerumque, levi operâ, nihil aliud quàm Turrecrèmatæ, Cajetani, Bellarminique aliquot argumenta repetebant, verùm etiam rem totam ab origine panderent, atque ecclesiastica monumenta proferrent, quibus clerus gallicanus, tantâ doctrinæ pietatisque famâ conspicuus, Declarationem suam munitam credidisset.

Ego qui deputatis adscriptus, publicis privatisque conventibus interfui, nec tantùm audivi religiosissimos episcopos, sed etiam quæcumque insigniora, ac memoratu digniora dicerentur, diligenter exscripsi, atque ipsius episcopi Tornacensis doctissimam juxta atque eloquentissimam relationem gestis insertam attentè perlegi; præcipua hic momenta percurram, ut intelligat christianus orbis, à clero gallicano nihil novi prolatum; sed vetustam atque

* Gilbertus de Choiseul du Plessis-Praslin Convenensis, deinde Tornacensis episcopus, pietatis studio et plurimæ doctrinæ laude clarissimus, scripsit *de religione* multa commentaria, et *de potestate ecclesiasticâ* egregiam epistolam ad D. Steyaert Lovaniensem doctorem, quæ virum demonstrant in rebus theologicis versatissimum. Et quanquam illa non superessent hujus viri monumenta, satis esset ad ejus gloriam sempiternam illa gravissima et doctissima *relatio*, anno 1682, coram amplissimo cleri gallicani cœtu habita, quam hic laudat Bossuet. (*Edit. Paris.*)

** Emmanuel Schelstratus, Vaticanæ bibliothecæ præfectus, antiquitatis ecclesiasticæ habitus est investigator industrius et diligens. Is cùm vidit gallicanam Declarationem eo imprimis commendari quòd niteretur Constantiensibus decretis, statim vetustos quosdam codices concilii Constantiensis, à se hinc inde exquisitos, sibique optimæ notæ visos, vulgavit, ut concusso Declarationis fundamento, ipsa Declaratio rueret. Vide sup. lib. v. (*Edit. Paris.*)

constantem scholæ Parisiensis totiusque adeo Ecclesiæ gallicanæ, imò et universæ, sententiam repetitam; eamque à Scripturarum fonte, atque apostolicâ traditione manantem. Atque ea me dictum confido, quæ planè sufficiant ut hæc duo probentur: primùm doctrinam gallicanam verè catholicam esse, et ab omni censurâ et notâ liberam: tum eam doctrinam absolutè esse veram; ac si [illegible] adhibenda sit, adversam sententiam eâ animadversione [illegible]. Addam, corollarium, quo clarum perspectumque sit, primatum beati Petri, et romanæ Sedis, doctrinâ gallicanâ non modò non obscuratum, verùm etiam illustratum confirmatumque esse, [illegible] censores nostros ad eum primatum propugnandum, falsa et [illegible] cum certis æquè congerentes, id omnino efficere, ut eam [illegible] doctrinam convellant, quam se præ cæteris tueri glorientur.

Speramus autem Lovanienses, viros doctos ac pios, cùm hæc legerint, non modò ab iniquâ censurâ temperaturos esse, [illegible] etiam nobiscum ultro consensuros; certè coercituros, si quibus id valeant, professorem suum *Nicolaum Dubois*, qui cùm alia [illegible], tum illud præsertim æquè impotenter ac imperitè scribit[1]: « [illegible] municatos nos esse, aut saltem in periculo ad cautelam [illegible] vendos. » Romanos quoque et Italos credimus, si jam liberas [illegible] christianas tamen ac modestas, atque ab ipsâ antiquitate de[illegible] audire sustineat, non adeo exarsuros: Pontificem certè, [illegible] jestatem in terris maximam, majorum more, tanto studio, [illegible] religione ac fide colimus, facilè intellecturum, quàm sinc[illegible] Sedem apostolicam prosequamur; quippe quam invictam [illegible] tam, non cæcâ pietate, aut humanis ratiociniis, sed mani[illegible] veritate, ac traditionis robore, et canonum haud minùs au[illegible] quàm moderatione præstemus. Neque verò velimus, quod [illegible] omnes, summique Pontifices meritò perhorrescant, Eccle[illegible] corporis imbecille esse caput, ipsum scilicet romanum Po[illegible] sed firmissimum, valentissimum, conciliorum auctorem, [illegible] executorem, canonum custodem, atque ubi res postulat, [illegible] interpretem, et dispensatorem providum, imò etiam con[illegible] fidei et traditionis toto orbe terrarum assertorem à Chri[illegible] tutum; denique adversùs contumaces quosque, sive episco[illegible] alios, in Christi nomine, contemptæ Ecclesiæ præsentem [illegible]. Quæ cùm in romano Pontifice, ut à Christo profecta, v[illegible] nihil quidquam ab ejus sede metuimus, sed ad Eccle[illegible] cessura omnia, Deo auctore, confidimus. Nos enim hic [illegible]

[1] *Consul.* XXII. p. 69.

[*] D. Dubois verba referam. « Timendum vobis est, inquit, ne incideritis in [illegible] tionem; et consequenter debetis petere absolutionem, ad minimum eam quam [illegible] cant AD CAUTELAM. » (*Edit. Paris.*)

argumenta, sed majorum testimonia et acta referemus; eaque integra et tota, ne fraudi et insidiis locus esse possit. Placuit enim in tantâ re perspicuitati potius quàm brevitati consuli; et acta quidem recensemus, non cleri gallicani, aut Universitatis Parisiensis (quanquam et hæc quoque, ut quæ cum Ecclesiæ catholicæ, Sedisque apostolicæ traditione conjuncta sint); sed ipsius Ecclesiæ: neque illa recondita aut latentia, sed quæ in omnium sint manibus, imò quæ ab adversariis lecta, allegata, exscripta sint; sed tantâ occupatione animorum, ut interdum non legisse, sed cursim transiliisse videantur. Quæ si quis attenderit, rem confectam, judicatam, definitam dabimus, majorum sententiis; neque, uti faciunt qui contra sentiunt, conciliaria decreta cum pontificiis, vel etiam conciliaria cum conciliaribus; Constantiensia scilicet, cum Florentinis aut Lateranensibus collidemus, quòd hæretici rideant; sed quæ ad summam attinent, omnia coalescere, atque uni omnino formæ reddi demonstrabimus; undè existit illa dogmatum consensio, ac planè unitas, in cujus amorem admirationemque hostes Ecclesiæ, vel inviti, rapiantur. Quòd si quid quæstionis supersit, fateantur omnes amicè disceptari pertractarique debere, uti inter fratres decet, qui non sua protervè tueantur, sed communi studio in unius matris Ecclesiæ auctoritate acquiescant.

Cæterùm eam secuti sumus scribendi rationem, quæ maximè perspicua sit. Ipsam rationem, licèt per se continuam, in capita distinximus; probationes atque documenta in sua quæque loca contulimus; præfixâ summâ juvamus memoriam, rerumque seriem indicamus. His quidem sublevare conamur attentum diligentemque lectorem. Nam qui tantas res claras perspectasque esse volunt, etiamsi mentis aciem nec adhibere curent, atque oculos tantùm hàc illàcque circumferant, hos non modò ab hâc tractatione, sed etiam ab omni theologicâ graviorique re alienos esse decernimus.

Verbis autem utimur vulgatissimis atque notissimis, nihil scilicet veriti fastidiosas aures, quæ nihil nisi ex Tulliano Terentianove penu depromptum admittant, hujus eloquii plerumque imperitissimi. Nos profectò, ut non sumus eorum numero, qui theologicam veritatem nonnisi horridâ incultâque ac scholasticâ oratione explicari posse putant; sic ab iis abhorremus, qui ne id quidem æquo animo patiantur, novas res, novis designari vocibus. Itaque *investituras*, *hominium*, *feudos*, aliaque hujuscemodi tanquam venena horrent; at dum refugiunt *infallibilitatem*, *superioritatem*, ejusdemque generis in scholâ receptas usitatasque voces, in eos se verborum circuitus induunt, unde evolvere se non possit oratio. Sed hæc satis superque. Jam cleri gallicani acta referamus.

APPENDIX

AD DEFENSIONEM DECLARATIONIS

CLERI GALLICANI

DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

In quâ probatur Declarationem gallicanam ab omni censurâ esse liberam, et eam romani Pontificis auctoritati nihil nocere.

LIBER PRIMUS.

ID PROBATUR EX PROFESSIONE FIDEI, ET DOCTORUM CATHOLICORUM NOBISCUM SENTIENTIUM AUCTORITATE.

CAPUT PRIMUM.

Cujus sit generis ea quæstio quam tractamus? Nullum hic patere locum ad nos vehæreseos, vel erroris in fide incusandos : professio fidei à Pio IV edita ex concilii Tridentini mente, ut vera et sufficiens regula proponitur : articuli Parisienses anni 1542, adversùs Lutherum, huic præluxerunt, ejusdemque sunt spiritûs.

Solet Ecclesia catholica exortis erroribus statim opponere plenam ac luculentam veritatis à Deo revelatæ declarationem, quà nodum ipsum difficultatis expediat. Unde illud beati Augustini [1] : « Dicatur ergo verum, maximè ubi aliqua quæstio, ut dicatur, impellit. » Sic sacræ doctrinæ inserviunt omnia, et per hæreses quoque Ecclesia proficit. « Didicimus enim, ut præclarè idem sanctus Augustinus addit [2], singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. » Quâ diligentiâ fit illud, quod ait Vincentius Lirinensis [3], « ut intelligatur illustriùs, quod antea obscuriùs credebatur. » Quare, cùm postremis hisce temporibus Lutherani, et alii christianæ et catholicæ unitatis æquè ac veritatis hostes, Sedem apostolicam tantâ insaniâ oppugnarint, necesse plane erat ut Ecclesia catholica, plenâ et clarâ fidei professione, errorem elideret. Non quòd illi primi de Petri primatu quæstionem moverint; nam Viclefistæ et Hussitæ jam, et antea Valdenses et Photiani seu Græci in eam petram impegerant. Sed cùm hæretici hujus temporis

[1] *Aug., de Don. Persev.*, lib. II. cap. 16. n. 40. t. X. col. 843. — [2] *Ibid.*, cap. 20. col. 851. — [3] *Vinc. Lirin., Common.* I. c. 32. tom. VII. *Bibl. Patr.*, p. 259.

in sacrosanctam potestatem vehementissimè debacchentur, ipsa veritas postulabat ut, quâ perspicuitate ac plenitudine Ecclesia catholica cæteros articulos Luthero et Calvino adversos proponebant; veram quoque et antiquam de primatu Petri, ejusque successorum romanorum Pontificum profiteretur fidem. Huc enim vel maximè pertinebat illud à jure desumptum, et in hoc argumento sæpè considerandum : « Error cui non resistitur, approbatur; et veritas (maximè lacessita et impetita) cùm minimè defensatur, opprimitur [1]. » Quod à Felice III, in causâ fidei primò pronuntiatum [2], ac deinde in iisdem causis ab ejus successoribus, et ab omnibus doctoribus magno consensu frequentatum est.

Hinc Pius IV post concilium Tridentinum plenam fidei professionem edidit, quâ omnes articuli à novis hæreticis oppugnati ad sacræ synodi mentem exponantur. De Sede verò apostolicâ hæc habet [3] : « Sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam romanam, omnium Ecclesiarum matrem ac magistram agnosco, romanoque Pontifici beati Petri apostolorum principis successori, ac Jesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. » Hâc fide, qui intra Ecclesiam sunt, ad Ecclesiæ dignitates ipsasque adeo episcopales cathedras promoventur : hâc fide qui extra sunt, ad Ecclesiæ catholicæ castra revocantur. Si quid ultrà ad fidei plenitudinem exigitur, decipitur Ecclesia; decipiuntur hæretici ad Ecclesiam quotidie hâc fide redeuntes, et catholica veritas à catholicis quoque Pontificibus proditur. Hæc verò sunt de quibus nulla inter catholicos controversia esse possit. Hâc stante fidei summâ, cætera, quæ deinde incurrunt, jam non in fide, sed in quæstione sunt posita, inter catholicos pacifico animo disceptanda. Quare clerus gallicanus ea, ut sibi certa, ut Ecclesiæ gallicanæ familiaria, ut Ecclesiæ universæ utilia, ut ab ipsâ antiquitate deprompta, non ut eâdem fide credenda proponit. Habent hoc maxima quæque etiam mysteria, ut cùm de summâ constet, de modo tamen innoxiè; imò etiam utiliter disputetur. Sic de modo exponendæ apostolicæ potestatis, cùm de re apud omnes constet, amico et fraterno animo quærere nos oportet.

Hanc verò fidei catholicæ summam à clero gallicano fundamenti loco sincerè esse positam, nemo negaverit; cùm romanos Pontifices *Petri successores, Christique vicarios* ubique prædicent; cùm *primatum beati Petri, ejusque successorum romanorum Pontificum, à Christo institutum, iisque debitam ab omnibus christianis obedientiam*, atque in iisdem, utpote *Christi vicariis, rerum spiritualium plenam potestatem* agnoscant [4].

[1] *Decr.*, dist. LXXXIII. cap. *Error*. III. — [2] *Fel. III, ep.* I. *ad Acac.*, t. IV. *Conc.*, col. 1051. — [3] *Vid. Pii IV fidei Prof.* — [4] *Decl. Gall., præf.* et cap. I et II.

Quod in fidei professione est scriptum : « Sanctam, catholicam et apostolicam romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem ac magistram » esse, quidam ipsam universalem Ecclesiam intelligunt; quæ proinde propriè, ac strictè, ut aiunt, *catholica* sit, quæ [illegible] *apostolica*, quòd apostolicâ successione gaudeat; quæ *omnium Ecclesiarum* particularium, uti omnium fidelium *magistra* et [illegible] meritò appelletur; quæ et romana sit, vel maximè quòd [illegible] romanam ac Petri cathedram principem fidei et caput communionis agnoscat.

Alii romanæ, catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ nomine designatam volunt Sedem ipsam romanam à Petro et Paulo fundatam, [illegible] apostolicam, catholicam quoque, eo sensu, quòd « ab eâ in [illegible] venerandæ communionis jura dimanent[1] : » omnium Ecclesiarum matrem ac magistram, quæ nos lacte alat doctrinæ salutaris [illegible] que tradat, quâ vivamus omnes, romanam fidem. Quis [illegible] fateatur? quis pro his non fundat sanguinem? Et utrumque [illegible], ut summâ et sententiâ unum, suâ Declaratione complexi Patres [illegible] licani, « Sedis apostolicæ in quâ fides prædicatur, et unitas [illegible] Ecclesiæ, venerandam omnibus gentibus majestatem » [illegible] « in fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis [illegible] tes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere [illegible] fitentur[2]. Quid plura postulas? Non *præcipuam*, inquis, [illegible] atque in se omnia continentem ejus auctoritatem necesse [illegible] camus; et ab « ipso ut capite..... accipere Patres in concilio [illegible] menicis congregatos, quòd sine errore recta decidant[3]. » [illegible] summam esse prædicas, quâ eversâ omnia quatiantur? [illegible] quidem ad fidem Ecclesiæ : nova profers : nos refugimus [illegible] Spiritu sancto doceri credimus in synodis œcumenicis Domini [illegible] dotes; quòdque recta decidant, non à summo Pontifice [illegible] sed à Spiritu sancto, quo auctore dicant illud apostolicam : *Visum est Spiritui sancto et nobis*[4]; sed à Christo doctore à quo audierint : *Ego vobiscum sum*[5]. Hæc tu interpretaris pessimè, ut nos quidem credimus. Verùm ea quæstio tantisper in suspenso sit, interim id audias velim. Sanè non ignorabant summi Pontifices, in Ecclesiâ catholicâ, de his rebus maximas esse quæstiones, nec verba deerant quibus multiplices nodos amputarent. Hæc omiserunt : romano Pontifici veram deberi obedientiam decreverunt : id profitendæ fidei sufficere censuerunt.

Majores quidem nostri jam idem senserant. Anno enim 1542, postea quàm lutherana pestis in hoc quoque christianissimum regnum

[1] *Ep. Conc. Aquilei*, ann. 361, tom. II. col. 999. — [2] *Decl. Gall.*, *Præf.* et cap. IV. — [3] *Conc. Strigon. Vid. Doct. Lov.*, p. 1 et 90. — [4] *Act.*, XV. 18. — [5] *Matth.*, XXVIII. 20.

grassari cœpit, doctores Parisienses, collectâ Facultate, hos articulos edidere [1] :

« XVIII. Tenetur quilibet christianus firmiter credere unam esse universalem Ecclesiam, in terris visibilem, quæ in fide et moribus errare non potest, cui omnes fideles, in iis quæ sunt fidei et morum obedire astringuntur.

« XXII. Certum est concilium generale legitimè congregatum, universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei et morum determinationibus errare non posse.

« XXIII. Nec minùs certum est unum esse jure divino romanum in Ecclesiâ Christi militante Pontificem, cui omnes christiani parere tenentur. »

Hæc fidei tessera ab episcopis et Ecclesiis omnibus gallicanis tradita, regiâ quoque auctoritate *, atque omnium ordinum consensu excepta, divulgata et custodita est. Vides quàm diversis verbis de Ecclesiâ ac synodis œcumenicis, deque summo Pontifice egerint : *Ecclesiam et synodos errare non posse* dicunt : at *summo Pontifici jure divino ab omnibus christianis esse parendum*. Hæc sine consilio ita distincta scilicet? Neutiquam. Non condebant, sed tradebant fidem ; quæ cuique competerent, non ex privatis opinionibus, sed ex communi omnium sensu tribuebant. Sic factum, ut iisdem quoque verbis romanus pontifex Pius IV sedis suæ auctoritatem astrueret, et quidem cætera omitteret, nihil verò aliud jure divino, quàm *veram obedientiam* postularet.

At illa obedientia, inquis, omnimodam superioritatem, atque ipsam adeo infallibilitatem infert. Iterum atque iterum admoneo, ad communem fidem addis tua : ad ea quæ consequi putas, longâ nos et dubiâ, imò etiam falsâ, argumentatione deducis ; atque id ex tuis quoque rationibus efficiam clarè. An enim contendes obediendum nemini, qui non sit infallibilis ; non episcopo, non synodo provinciali, non nationali, non legato apostolico, non denique ipsi Pontifici, nisi de fide *ex cathedra* decernenti? Absurdum. Nullumne ergo discrimen inter Papam et alios? Certè maximum. Nam aliis suus quisque grex ; Papæ omnes obedire oportet ; et id signanter ipsa fidei professio ab omnibus poscit. Quid, si quis jam dixerit, eo quòd romano Pontifici jure divino ab omnibus obedientia vera debari fide catholicâ credatur, quidquid ille scripserit, edixerit, jusserit, quocumque in negotio, in jure, in facto, in Ecclesiâ, in republicâ, nihil nisi obediendum esse ; neque unquam obrepi posse, aut mala suaderi, occupatissimo licet ; sed standum ubique jubentis voluntati,

[1] *D'Argentré, Coll. Jud.*, etc., tom. I. p. 413 ; *et ap. Dried.*, tom. III. fol. 171.
* Francisci I.

in eoque veram repositam esse pietatem? Insaniat, inquis. Ergo illi obedientiæ tam justæ, tam necessariæ, sua quoque habenda cautio est. Quænam illa sit; quousque pateat; quid [illegible]; quid canones; quid ipsi romani Pontifices; quid denique [illegible] et Scripturæ interpres traditio poscat; quoniam ambigua res [illegible] pacificè et amicè quærere; non statim omnia clamoribus [illegible] deceat. Atque interim certum est à Pio IV pontifice confessionem [illegible] requirente, ea selecta esse verba, quæ quæstiones omnes, in [illegible] quidem catholicis utrinque disputatas, relinquant integras; [illegible] tem ad fidem spectent, apertè et sine ullâ tergiversatione [illegible].

CAPUT II.

De Pii IV professione diligentiùs quæritur : in synodo Tridentinâ consilio [illegible] quæ inter catholicos controversa essent : Pallavicinus cardinalis testis [illegible] de Florentinâ formulâ, quòd *romanus Pontifex regat universalem* [illegible], Tridenti in medium allatâ, atque omissâ, ne nostra sententia vel sub [illegible] videretur : Claudii Sanctesii, et Caroli cardinalis Lotharingiæ epistolæ [illegible] responsum egregium : ea tantùm in concilio Tridentino definienda, in [illegible] catholici conspirarent.

Neque verò mirum est in professione orthodoxæ fidei à Pio IV [illegible] termissa esse illa, quæ inter catholicos controversa essent, [illegible] professionem ex concilii Tridentini decretis, et ad eorum [illegible] esse à se editam ipse testetur. Cui quidem concilio, attestante [illegible] vicino, è societate Jesu cardinali, illius synodi nobili historico, [illegible] que centum in locis, nihil fuit antiquius, quàm ut à controversiis Ecclesiâ catholicâ quæstionibus abstineret; quod quidem [illegible] sissimè, in eâ quam tractamus quæstione, factum esse idem [illegible] cus profitetur. Scribit enim sic, Joanne Giattino, ejusdem [illegible] interprete [1] : « Potissima legatorum (pontificiorum) cautio [illegible] dum ageretur de rebus unde videbantur vincula posse injici [illegible] pontificiis, impingeretur in seditiosam quæstionem de [illegible] inter ipsum et concilium. » Hæc autem ad Pii IV pontificatum [illegible] nent; cùm postea, eodem Pontifice, de sacramento ordinis [illegible] instarentque permulti, Hispani præsertim, quibus se nostri [illegible] gebant, definiendum esse jurisdictionem episcopalem à Christo [illegible] mediatè esse profectam, legati postulabant, ut quemadmodum [illegible] episcopis, ita etiam de Papâ vera exponeretur fides, et [illegible] canones nostris propositi erant. « Tum cardinalis Lotharingiæ [illegible] Paleotum * accivit, eique significavit se non potuisse, quam[illegible]

[1] *Pallavicin., Hist. Conc. Trid.*, lib. XIX. cap. 11. p. 113, *ed. Antuerp.*, 1673.

* PALEOTI, jurisconsultus nobilis, in concilio Tridentino de romanâ Sede [illegible] Pio IV ad cardinalatum evectus est. Multos habemus PALEOTI libros piè doctèque [illegible] imprimis tractatum cui titulum fecit, *de bono Senectutis*. Hujus viri laudum par [illegible] nima, quòd familiaris fuerit SS. Carolo Borromæo, Philippo Nerio, et ferè omnibus, [illegible] sæculo sanctitatis et doctrinæ gloriâ floruerunt. (*Edit. Paris.*)

hibitâ diligentiâ, suos et episcopos et theologos (gallicanos scilicet, quorum ipse dux antesignanus esset), adducere ad decretum illud canonesque acceptandos, quòd imprimis non admittebant ea verba, *inesse potestatem summo Pontifici regendi Ecclesiam universalem*, cùm illa officerent sententiæ neganti eum esse superiorem concilio; ac proinde, loco *Ecclesiam universalem*, ponendum esse, *omnes fideles et omnes Ecclesias*[1].

Neque tamen nostri ignorabant ea verba à concilio Florentino, Græcis quoque approbantibus, in decreto unionis esse edita, atque optimo sensu, neque ipsis repugnante, intelligi posse, uti postea videbimus. Sed cùm in diversam sententiam ab adversariis ea verba traherentur, nostri episcopi ac theologi summo consensu vehementissimè refugiebant. Adeo verebantur ne, vel ambiguis verbis, ab antiquâ atque animis penitus infixâ doctrinâ discedere viderentur. Quorum sententia à Paleoto perlata ad legatos, et ad Pium IV statim perscripta est. Neque ita multò post regis christianissimi oratores, legatos pontificios eâ de re conveniunt. Quid autem egerint narrat Lansacius unus oratorum, duabus epistolis ad Lislium Romæ legatum[2]. Sed præstat audire ipsum cardinalem ita referentem.

« Tum, inquit[3], Ferrerius (oratorum unus) quasi pro certissimo posuit, concilium supra romanum Pontificem esse; religionem et Ecclesiam gallicanam non modò id sentire, sed profiteri, et jurejurando affirmare, tanquam articulum necessarium; idque jure optimo ex Constantiensis concilii auctoritate: præscribi quidem sibi in mandatis regiis, ne hujusmodi controversiam excitarent, sed simul ne liberum sinerent aditum cuilibet verbo, quod illi ipsorum religioni opponeretur; ac propterea hujus rei declarationem à se retardatam fuisse, donec ab ipso tempore ac negotio cogerentur. » Ad hæc verò legati, pontificiam quidem supra concilium auctoritatem efferre; concilii Constantiensis decreta interpretari; apertè significare se minimè à proposito discessuros. Cæterùm in speciem ista; cùm et viderimus, quàm in eum scopulum impingere vererentur; et certum sit ea verba, quæ nostros movebant, in synodi decretis consultò prætermissa esse.

Neque id sine conscientiâ Pii IV factum esse, cùm ex se perspicuum est, tum si quis addubitet, idem historicus memorat. Eo namque teste, Pius IV eâ de re monitus ita rescripsit, ut quanquam rationibus Florentinum decretum tuebatur, » subderet tamen, ubi arduitas in eo quoque ostenderetur sine dissidio insuperabilis: satis futurum Pontifici, si nec de suâ, nec de episcoporum potestate quicquam

[1] *Pal. Hist. Conc. Trid.*, lib. IX. cap. 13. p. 127.—[2] *Lett. de Lans.*, etc.; *Mém. pour le Conc. de Trente*, p. 379, 381.—[3] *Pall., loc. cit.*, cap. XIV. p. 131.

exprimeretur, *illis tantùm editis definitionibus, in quas Patres unanimi consensu conspirarent*[1]. » Quominùs admirere, in fidei professione non esse appositam illam formulam ab eo Pontifice, qui [illam] quoque in synodi Tridentinæ decretis abstineri voluerit.

Cæterùm quod Pius IV scripsit, « ut eæ definitiones ederentur, quas Patres unanimi consensu conspirarent, » id verò tanti [illi] tantoque Pontifice dignissimum fuit. Neque enim in fidei [illa] quid privati quique seorsim sentiant; sed quid communis [illa] omnes doceat, attendendum est. Quare Pius IV non agit pugna[illa], neque ea sibi tribuenda contendit, quæ multi privato sensu [illa] quæ omnes communi fide tribuerent, atque à formulâ Flore[illa] rectâ licèt, si bene intelligatur, sed tamen dubiâ, Gallis in [illa] omnem ambiguitatem recusantibus, temperandum putat.

Quid autem Gallos nostros ad eam formulam Tridenti omitt[illa] moverit, unus, omnium quotquot in eâ synodo aderant Pari[illa] theologorum doctissimus et sanctissimus Claudius Sanct[illa], postea Ebroicensis episcopus, fidei catholicæ adversùs luther[illa] calvinistas, scriptis quoque editis, defensor egregius, fuc[illa] demonstrabit. Is enim ad Claudium Espencæum** doctorem [illa]risiensem, virum eâ ætate doctrinæ ac pietatis laude comme[illa]simum, hæc scribebat 15 Junii 1563, quo tempore hæc Triden[illa]ximè tractarentur[2]: « Rogo ut rescribas an placeat Papam defi[illa] appellari *pastorem universalis Ecclesiæ, habentem plenam pote[illa] regendi et pascendi universalem Ecclesiam*. Neque hic ignoramus [illa] nullos romanos Pontifices ita locutos esse, et id recto sensu [illa] posse; sed quæstio est, an in concilio tam celebri, quàm ist[illa], determinari possit absque periculo; ne, quod aliquos velle videm[illa], hæc verba trahantur in eam sententiam quæ concilium Papæ [illa]jicit. » Vides apertè non modò quid nostri refugerint, sed [illa] quo postea Tridentina synodus, romano Pontifice auctore, [illa]rarit.

Et eam quidem formulam ex Florentinâ synodo sumptam in [illa] epistolâ testatur Sanctesius. Sed nostri, Basileensi synodo [illa], synodum Florentinam eò factam putabant, « ut romani Pontifice[illa] concilio tantùm, sed etiam omni reformatione superiores esse[illa] ».

Atque in hâc sententiâ cum cæteris episcopis cardinalem [illa]

[1] *Pall.*, cap. XV. p. 136.

* Claudius Sanctesius, quem *hæreticorum Flagellum* vulgò appellabant, inter [illa] ævi controversistas, cùm doctrinæ ubertate, tum argumentorum vi ac pondere [illa] (*Edit. Paris.*)

** Espencæum, qui cum Sanctesio erat in famulatu cardinalis Lotharingi, ea [illa] commendat, quòd animi lenitatem, à quâ tum abhorrebant Sorbonici doctores, [illa] coluerit. (*Edit. Paris.*)

[2] *Mém. pour le Conc. de Trente*, p. 112.

Lotharingum * fuisse, docet ea epistola, quam his temporibus ad Bertonem suum secretarium, tum Romæ cardinalis nomine agentem, dedit. Quâ quidem epistolâ hæc summo Pontifici suo nomine significanda scribit [1] : « Quod ad illum titulum spectat, quem summo Pontifici ex Florentinâ formulâ dare satagunt, se quidem Gallum; neque inficiari velle se in Parisiensi Universitate educatum, in quâ doceatur concilii auctoritatem pontificiâ superiorem esse, atque hæresis notentur qui contrà sentiant, et totam Galliam in concilii Constantiensis, ut œcumenici, decreta omnia consentire; Basileensem sequi; Florentinam, neque œcumenicam, neque legitimam habere; certumque Gallis mortem pati potiùs quàm se ab eâ sententiâ dimoveri sinant. Quare abstinendum jam esse ab iis vocabulis, ac theologos quidem ad cœlum usque vocem sublaturos : regni privilegia hâc veritate niti; ita subverti omnia, si contraria sententia statuatur; expectare verò ut gallorum ullus antistitum in id consentiat, stultum errorem esse. Oratores quoque regios solemni contestatione questuros, ac schismatis initium imminere. »

Quibus omnibus liquet quo tum loco res essent, et nostros quidem omnes, in antiquâ Parisiensis Academiæ, totiusque adeo Ecclesiæ gallicanæ sententiâ publicè perstitisse, idque Pio IV renuntiatum esse; atque adeo abfuisse nostros ab illo decreto probando, quod pontificiam superioritatem adstrueret, ut Florentinam quoque formulam, quâ illam adstrui quibusdam videretur, omitti vellent; Pontificem verò in ea omnia ita consensisse, ut ab eâ formulâ non modò in synodo Tridentinâ, verùm etiam in edendâ fidei professione consultò abstinere.

CAPUT III.

Circa Florentinam formulam solemnis distinctio : quòd romanus Pontifex regat universalem Ecclesiam *distributivè*, non *collectivè* : de eâ distinctione Andreæ Duvallii locus : ea distinctio non merè scholastica, sed à concilio Constantiensi, Martino V expressè approbante, deprompta.

Ut autem pleniùs intelligatur rectus ille bonusque sensus, quem in Florentinâ formulâ nostri etiam agnoscerent, placet interpretem haud sanè suspectum adhibere, Andream Duvallium, qui inter theologos Parisienses antiquæ sententiæ abolendæ primus auctor extiterit, ac *Duvallistas*, suo nomine fecerit. Is verò refert Eugenii IV ac synodi Florentinæ verba in decreto unionis, quibus definitur [2] : « Romano Pontifici, ut Christi vicario, Petri successori, totius Eccle-

* Cardinalem Lotharingum principem magnificum et munificum quis non novit? Hunc romani vocabant *Papam ultramontanum*; quippe qui eum viderent divitiis abundantem, insuper suâ auctoritate omnia apud Gallos posse. (*Edit. Paris.*)

[1] *Lett. du card. de Lorr. à Brel. son secr.*, *ib.*, p. 556.—[2] *Tom.* XXI. *Conc.*, *post. Sess.* XXV. *Conc. Flor.*, col. 515.

siæ capiti, omnium christianorum patri, ac doctori, pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam plenam potestatem à Christo esse traditam. » Sic autem interpretatur : « Satis, inquit [1], concilium Florentinum auctoritatem Papæ supra concilium [illegible] finivisse. Nam etsi definiat eum esse Christi vicarium, totius [illegible]siæ caput, et à Christo illi traditam potestatem regendi univ[illegible] Ecclesiam ; *hoc tamen nemo eorum, qui contrà sentiunt, nega*[illegible] enim potestatem in Ecclesiam universalem, ubique locorum [illegible]sam admittunt, et omnium christianorum patrem et doctore[illegible] agnoscunt ; sed contendunt concilium non propterea definiv[illegible] in Ecclesiam universalem, quatenus est *legitimè congregata*, [illegible] *concilio aliquo generaliter per suos prælatos unita et consentie*[illegible]testatem habere. Tunc enim, inquiunt, Ecclesia universalis [illegible]tum quoddam, id quamlibet sui partem, etiam præcipuam, [illegible] est romana Ecclesia, auctoritatem habens : ideoque cùm no[illegible] (*universalis Ecclesia*) dupliciter sumatur, *distributivè* quid[illegible] omnibus Ecclesiis per orbem diffusis, et *collectivè*, id est p[illegible]cilio generali ; priori modo, aiunt, concilium Florentinum de[illegible] summum Pontificem in Ecclesiam universalem habere auctori[illegible] non tamen posteriori. » Perspicuè ille quidem, ut solet. Cater[illegible] distinctio *distributivè*, *collectivè*, ne vana ac nimis scholastica [illegible]tur, eam adversùs Viclefum synodus Constantiensis et Mar[illegible] totaque Ecclesia catholica docuit.

Sic certè statuit sessione VIII Constantiense concilium : sic [illegible]tum legimus decretali *Inter cunctas*, quam contra Viclefum, [illegible] concilio Constantiensi approbante, Martinus V edidit [2]. Pro[illegible] Viclefi XLI : « Non est de necessitate salutis credere romanam [illegible]siam esse supremam inter alias Ecclesias. Error est, si per romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares. » En illud *distributivè* à concilio Constantiensi et Martino V disertè probatum : en quo sensu tanta synodus, tantesque Pontifex decernant pontificiam potestatem in Ecclesiâ primam et supremam esse ; hoc est ita supremam, non quòd sit super omnem conjunctim et *collectivè*, ut aiunt, Ecclesiam ; sed quòd sit super omnes Ecclesias particulares separatim ac *distributivè* sumptas. Hæc tamen, si placet, non urgeamus adhuc totis viribus : sit tantisper in suspenso quæstio, an Pontifex adunatæ et ex toto orbe collectæ Ecclesiæ obediat, an imperet : concilii Constantiensis decreta taceamus, et illam à concilio in Pontifices, etiam in fidei causis assertam potestatem. Certè concilium Florentinum in decreto unionis eâ voce ali-

[1] *Duv., Tract. de sup. R. P. auct.*, part. IV, q. VII. — [2] *Tom.* XII. *Conc.*, col. 265.

tur, quæ utrique sententiæ possit accommodari; adeo ab alterutrâ condemnandâ abhorrebat.

Atqui illud est unionis decretum, quo Constantiensia et Basileensia decreta penitus elisa esse, et Cajetanus et Bellarminus postea, et nunc Lovanienses aliique inclamant[1]. Nos ultima decreti verba, quæ nobis favent, consultò prætermittimus, et in alium rejicimus locum: ea tantùm promimus, quibus nos maximè urgeri putant, atque in his ipsis verbis à nostrâ sententiâ condemnandâ studiosissimè temperatum fuisse luce clarius, atque ipso Duvallio fatente, intuemur.

Quid ad hæc responderi possit haud equidem intelligo. Certè enim decreta Constantiensia præcesserant, et Florentini concilii tempore Basileense habebatur, et de potestate concilii supra Papam, vel Papæ supra concilium, summâ utrinque contentione agebatur, et eâ disputatione omnia personabant: an romanus Pontifex ita toti præesset Ecclesiæ, ut adunatâ quoque et collectâ superior esset: an ita, ut omnibus quidem particularibus præstaret Ecclesiis, sed in unum congregatis, et generale concilium facientibus obediret? Quid ergo quæstione ortâ factum oportuit, si decidi placebat? An non Florentinis et Eugenio IV idonea verba suppetebant, quibus alteri parti omne præcluderetur effugium? Cur ergo adhibent communes utrique parti voces? Nempe rem in integro saltem relinqui volebant, quodque in confesso esset Pontifici asserebant: summam illam in concilio potestatem omittebant, quam si ipsi vel maximè admitterent, neque Græci unquam, neque reliquæ Ecclesiæ probaturi essent.

Et tamen illa etiam in Florentino concilio inter utramque sententiam librata ac temperata verba, postquam pontificiæ superioritatis assertores ea sibi planè favere jactarunt, non modò episcopi ac theologi gallicani, verùm etiam tota synodus Tridentina, et ipse Pius IV, cùm in synodi decretis, tum in fidei professione omissa voluere: ne scilicet parum veritati consulerent, si cuiquam videri possent definire voluisse ea, quæ in scholis utrinque disputata, non satis firma constansque traditio attulisset.

Quod quidem divino planè consilio factum esse constat. Cùm enim hæ duæ formulæ, illa Florentina scilicet, et ista Pii IV re ac summâ conveniant, eumdemque primatum alia aliis verbis, ambæ tamen pariter ac sufficientissimè prædicent, sanè oportebat anteferri eam, quæ cùm hæreticos æquè convelleret, catholicis aptior congruentiorque haberetur; ut quemadmodum veritas, ita etiam pax et charitas in Ecclesiâ catholicâ coleretur.

Neque nostros quidquam ampliùs flagitasse Pallavicinus refert. Tametsi enim post Constantienses canones sententiam suam ad fidem

[1] *Doct. Lov. et Disq.*

pertinere crederent, simul intelligebant, aliud esse quod ipsis videretur, aliud quod toti Ecclesiæ catholicæ definiendum putarent. Quare fovere pacem, et catholicos omnes charitate complecti, æquum arbitrabantur. Quæ quidem secuti eorum successores, in hac extremâ Declaratione, simul et avitam sententiam, Ecclesiæ catholicam, ne quid jam dicamus ampliùs, utilem, defenderunt, et ab omnigenus censurâ temperarunt.

At in eos tam doctos, tam modestos, tam paci catholicæ studentes, Strigoniensis archiepiscopus, aculeatæ censuræ gladium stringit; eorum articulos absurdos, detestabiles, schismaticique pronuntiat, ut eam doctrinam, quam visam, agnitam, inculcatam et Pontifices, tot synodi intactam saltem illæsamque reliquerint, tam ille audacior validiorque conficiat.

CAPUT IV.

Ex antè dictis probatur cleri gallicani Declarationem jam in tuto esse, nihilque licèt prolatis probationibus; Leonis X in concilio Lateranensi et adversùs Lutherum acta, nihil ad rem facere, Tridenti acta, et Pii IV professio probant.

Vide interim, lector candide, quantùm è jure nostro decedatur. Nondum quæstionis arcana reseramus : quid Eugenius à synodo Basileensi postularet, in quibus convenirent, in quo dissiderent; quid postea addiderunt, et quæ jam à nobis extorquere velint pontificiæ potestatis immodici atque improvidi, eoque jam nomine, non satis idonei defensores, hæc nondum explicamus; probationes nostras, instrumenta causæ, Constantiensia decreta sessionum IV et V nondum producimus : illa, inquam, decreta quibus Patres totaque universalis synodus *declarant, statuunt, definiunt* conciliis œcumenicis quibuscumque potestatem à Christo immediatè datam eam, cui etiam Papa *obedire teneatur*[1] : neque tantùm in causâ schismaticis, quam tractabant; « sed etiam in iis quæ pertinent ad fidem et ad reformationem Ecclesiæ in capite et in membris; » hoc est, in omnibus causis, quæ generales essent, quæ ad statum universalis Ecclesiæ pertinerent, et maximè in fide, quæ sit omnium fundamentum. Hæc nondùm urgemus, necdum asserimus, uti profectò, Deo dante, luce clarius faciemus, Constantiensis concilii, motâ quæstione, sensum perspicuum, judicium firmum, certam et inconcussam auctoritatem. Nondum proferimus decreta pontificum Martini V, ipsius Eugenii IV ac Pii II, aut concilii etiam Florentini, quibus Constantienses canones apertissimè comprobentur. Decretum unionis tantùm, eamque decreti, quæ maximè nobis objici soleat, partem exponimus; et jam

[1] *Vid. Tom.* XII. *Conc.*

ab omni censurâ, ab omni periculo tuti sumus : tanta causæ vis et veritas inest?

Nondum, inquis, tuti. Nam etiamsi à Florentinis Tridentinisque decretis, ac Pii IV professione uti, ad Leonem X et Lateranensia sub eo decreta hæreatis necesse est. Pontificiam namque superioritatem à concilio Lateranensi assertam Bellarminus et alii contendunt; et Suarez nostram de pontificiâ infallibilitate sententiam à Leone X in Luthero damnatam, et quidem hæresis, confidenter affirmat[1]. Hæc quidem dispungemus statim; et quàm trepida Bellarminus, quàm vana Suarez dixerit ostendemus. Interim quærimus an non ea omnia Tridentina synodus, et Pius IV tenerent? Si transacta, confecta, definita res erat, cur omitti placuit? Nam profectò Lutherus eam quæstionem moverat; et à Leone X ritè damnatus, ad synodum universalem provocaverat; et Constantiense concilium obtendebat, et Parisienses auxilio advocabat. Id quoque censores nostri objiciunt[2], quasi necesse sit à nobis rejici ea omnia quibus sycophanta perditissimus abusus est. Ergo contemnamus theologicas Facultates, quas frustra appellavit; et episcopalem auctoritatem, quam in archiepiscopo Moguntino, et papalem quoque, quam in Leone X implorabat. An quia impurus nebulo sacra omnia nomina ordine invocavit, ut ausu sacrilego omnia conculcaret, nos catholici antiquam traditionem et judiciorum ecclesiasticorum ordinem evertemus? Sed profectò id verum, si contra fidem Ecclesiæ traditam, atque in legitimo concilio definitam homo audacissimus aliquid attentarit, id in Tridentinâ synodo, id in professione fidei quæ Luthero opponeretur, non dissimulatum, sed vindicatum oportebat. Tunc enim vel maximè valebat illud : « Error cui non resistitur, approbatur[3]; » et illud Augustini : « Dicatur ergo verum, maximè ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit[4]. » Cur ergo hic tanta synodus, tantusque Pontifex conticescunt? An ut Gallis parcerent, catholicam veritatem, agnitam ab Ecclesiâ, ac certâ sententiâ definitam, Luthero prodidere? Id velint scilicet Ecclesiæ hostes : id frater ille Paulus Soavis* pro magno compararit : ille, inquam, calvinista cucullatus, et catholici nominis specie, non modò synodi Tridentinæ, verùm etiam

[1] *Bell.*, l. II. *de Conc. auct.*, c. 17 et pass.; *Suar.*, *de fide*, disp. V. sect. VIII. n. 5. — [2] *Disq.*, art. IX. p. 42; *Doct. Lov.*, art. IX. p. 69. — [3] *Decr.*, dist. LXXXVIII. c. *Error*. — [4] *Aug*, *de don. persever.*, lib. II. c. 16. n. 40.

* Is est Fra-Paolo, adeo hæreticis amicus, ut lætaretur, si quando audiret prosperum quid illis contigisse; interim gemeret, quòd sibi non liceret eorum dogmata palam profiteri. Sanè Bossuet in eum acerbior videri posset, nisi ii qui ejus causam defendendam susceperunt, hic expressos veris coloribus hujus Servitæ mores non obscurè faterentur. Et quidem P. Le Courrayer in vitâ Fra-Paolo *Historiæ concilii Tridentini* præfixa docet, illum quàm impensissimè hæreticis favisse, et defendisse illam, quam vocant *religionem tolerantiam* : quâ re plus nocuit fidei, quàm nocuisset, si apertè ad partes reformatorum se junxisset. (*Edit. Paris.*)

fidei catholicæ insectator. Procul verò hæc à piis. Nempe ea omnia, quæ nobis objectantur, Tridentini Patres et ipse Pius IV omissa voluere, quòd ea omnia vel intellecta esse perperam, vel pro fidei decretis frustra venditari judicarent.

Atque hæc suo loco fusiùs exequemur; neque Lateranensibus nostra impugnari, sed asseri potiùs, quàm seriò dicimus, tam perspicuè demonstrabimus; et anteriores synodos, anteriores Pontifices, qui nostra confirment, innumerabiles proferemus. Interim, ex his quæ diximus, satis superque constat, quæ synodi, quique Pontifices, post exortam eam quam tractamus quæstionem de pontificiâ potestate, adversùs hæreticos et schismaticos decreverint, definiverint, fidei professionem ediderint, ab iis ita voces esse temperatas, ut nostram sententiam auditam, cognitam, totâque Ecclesiâ personantem, ab omni censurâ illæsam relinquerent.

CAPUT V.

Parisiensium doctorum veneranda auctoritas : horum antesignani Petrus de Alliaco Cameracensis cardinalis, et Joannes de Gersone Parisiensis Ecclesiæ et Universitatis cancellarius, viri omni doctrinæ ac pietatis laude cumulati : hujus rei multi testes : de Joanne Gersone professoris Lovaniensis castiganda audacia.

Qui tot synodorum, totque Pontificum auctoritate contemptâ, nihil jam in nos nisi censuras meditantur, cogitare oporteret quantâ virorum illustrium copiâ, quanto præsidio fulciamur. Ac, ne jam prisca sæcula replicemus, satis constat à Constantiensis, imò etiam Pisani primi concilii * temporibus, re scilicet discussâ, et in quæstionem vocatâ, multis jam sæculis eam sententiam, quæ in generalibus atque etiam in fidei negotiis conciliorum auctoritatem pontificiæ anteferret, doctissimis quibusque et sanctissimis viris placuisse, ut quæ et Scripturæ auctoritate niteretur, et vetustissimâ traditione constaret, et à concilio Constantiensi facto decreto approbata esset.

Possumus commemorare scriptores egregios, qui hæc summâ gravitate defenderint, imprimis Parisienses, et eorum antesignanos Petrum de Alliaco Cameracensem cardinalem, et Joannem Gersonem, quorum sententiam nullus ignorat : sed qui viri fuerint non omnes æquè sciunt.

Petrus Alliacensis ** is est, qui obscuro genere oriundus, ex tenuissimâ re Parisiis theologiæ doctor, regii Navarrici collegii magister, Universitatis cancellarius, tum Cameracensis episcopus, ad Pisanum concilium Burgundi ducis nomine legatus, à Joanne XXIII

* Habiti an. 1409.

** Vide ejus vitam ante Gersonis opera, edit. Dupin, atque etiam apud Labb. act. Conc. Pa. et Const. Compendiosè quidem Alliacensis historia hic narratur à Bossuet ; sed adeo accurate, ut nihil nobis addendum supersit. (*Edit. Paris.*)

cardinalis factus, concilii Constantiensis, totiusque Ecclesiæ lux, et optimi cujusque consilii auctor, rebus ibi præclarè gestis, extincto schismate, viclefianâ hussitanâque hæresibus ejus maximè operâ debellatis, à Martino V legatus in Galliam * missus, piè sanctèque obiit **. Dictus *Aquila Galliæ*, et *hæreticorum Malleus indefessus*, et à Bellarmino quoque [1], non sine laude inter scriptores ecclesiasticos recensitus, nec minùs pietatis, christianæque prudentiæ, quàm doctrinæ laude commendatus.

Joannes Charlierius, à natali vico in Rhemensi tractu de Gersone dictus, Petri de Alliaco discipulus, et in cancellarii Parisiensis officio successor [2], vir *doctus ac pius* à Bellarmino appellatus [3], omnium hæresum insectator, difficillimis Ecclesiæ reipublicæque temporibus, dum factio Burgundica totâ Galliâ desæviret, impiamque doctrinam Joannis Parvi *** de occidendis tyrannis in Ecclesiam induceret, regiæ majestatis atque familiæ, ad hæc catholicæ veritatis invictissimus propugnator, *Doctoris Christianissimi* nomine est illustratus: qui postea in concilio Constantiensi Caroli VI christianissimi regis, Ecclesiæ gallicanæ, et Academiæ Parisiensis legatus, sacrique conventûs pars maxima fuit: denique tam sanctè vixit ac scripsit, ut dignus haberetur, qui omni suaviorem unguento, *de Imitatione Christi* libellum edidisset. Cæterùm vera ejus scripta sanctitatem æquè ac doctrinam spirant, veræque pietatis non modò scientiam, sed etiam sensum gustumque præ se ferunt, atque ejus instaurandæ incredibile studium. Nec sine magno emolumento leguntur præsertim illa: *De simplificatione cordis*: *De probatione spirituum*: *De examinatione doctrinarum* [4]; quibus permotus Sixtus Senonensis ****, hæc de Gersone scribit: « Is, inquit [5], ita scholasticas subtilitates dulcibus theologiæ mysticæ affectibus miscuit temperavitque, ut addubitandum sit an eruditione pietatem, vel pietate eruditionem superaverit. » Eâ Gerson apud omnes existimatione fuit. Demum vir maximus atque

* Sive potius in Germaniam. Vide ejus vitæ historiam.

** Avenione.

[1] *Bell., de Script. Eccles.*, an. 1410. — [2] *Vid. vit ejus. vit. in edit. Dup.* — [3] *Bell., loc. cit.*

*** Fleury, et ille qui ejus Historiam Ecclesiasticam supplevit, Joannem Parvum addicunt Franciscanorum familiæ, quod falsum esse firmis rationibus probat P. Le Mercier ipse franciscanus. Ut ut sit, Joannes Parvus primùm pro doctrinâ gallicanâ de extinguendo schismate pugnaverat, et aliquid existimationis sibi comparaverat, quam deindè ipse violavit, libro edito, quo hanc propositionem defendit: Aurelianensem ducem justè à sicariis quos apposuerat dux Burgundionum fuisse occisum. Hanc doctrinam synodus Constantiensis hæreticam judicavit et damnavit. Haud scio utrum quisquam ante Joannem Parvum hanc parricidalem doctrinam in Ecclesiam invexerit. (*Edit. Paris.*)

[4] *In edit. Dup.*, tom. I et III.

**** Sixtus Senensis ex judaismo ad fidem conversus, ac prædicatum familiæ addictus, auctor est libri cui titulum fecit *Bibliotheca sacra*. In eo libro exponit *auctores sacrorum librorum*, et de horum interpretibus fert judicium, multasque præterea quæstiones tractat. (*Edit. Paris.*)

[5] *Sixt. Senens., Bibl. sanct.*, lib. V. p. 333.

sanctissimus in pio officio docendi catechismi, Lugduni obiit, ubi ejus memoria in benedictione est, et *in odoris compositionem*; adeo ut, post indiculum sanctorum Lugdunensium, « inter pios Lugdunenses non vindicatos, ut sui sæculi omnium judicio rarum lumen, » miris cum laudibus à Theophilo Raynaudo jesuita * referatur [1].

Extant de eodem Gersone ab episcopo Basileensi ad clerum Lugdunensem, ejusdemque cleri ad episcopum Basileensem, anno 1504, conscriptæ epistolæ, quæ testentur Caroli VIII ejusque confessoris Laurentii Burelli carmelitæ, ac postea Sistaricensis episcopi, operâ, « erectum esse in divi Joannis Gersonis decus et laudem, devotum sacellum, ubi super altare ejus imago depicta est, magnusque populi concursus pro obtinendâ ope divinâ affluit, et plurimi se adjuvari beati Gersonis precibus prædicant et testantur [2] : » quibus motus Andreas Saussæus, Tullensis episcopus, in Martyrologio gallicano, de Gersone ad 4 idus Julii hæc habet [3] : « sed beatitudinis fama, ac cultum, Lugduni præsertim, ubi piam efflavit animam communi omnium ferè suffragio obtinuit. » Quo loco multa de Gersonis virtutibus miraculisque refert. Sed hujus viri postea, anno 1643, detectum sepulchrum, ejus celeberrimæ sanctitatis ac priscorum miraculorum, novis quoque additi, memoriam renovavit. Scripsit historiam *Stephanus* Piney Lugdunensis, et Alphonso Ludovico Richelio cardinali, Lugdunensi archiepiscopo, inscripsit [4]. Quæ non eo dicimus, ut inter sanctos publicâ religione invocandos Gersonem appellemus, nondùm à sanctâ Sede apostolicâ vindicatum; sed ut tanti viri piam memoriam commendemus.

At eam invadit Nicolaus Dubois ** professor Lovaniensis, atque etiam Gersonem miræ simplicitatis virum, et christianæ paupertatis, si quis fuit unquam, amantissimum, « Vertumnum, faventis auræ sectatorem, ac beneficiorum appetentem, [5] » haud minùs imperitè quàm ineptè scripsit; eoque processit amentiæ ac stuporis, ut vitio quoque Gersoni vertat, quòd « exosus factus omnibus, è Galliâ in

* Theophilo Raynaudo nullus fuit altero sæculo fœcundior, ut satis probant viginti volum. in-fol. ab eo scripta, de rebus ut plurimùm extraordinariis, quæque admiscuit variâ doctrinâ et multiplici eruditione. Stylum habet facilem, sed mordacem. (*Edit. Paris.*)

1 *Theoph. Rayn. Mantissa*, etc., pag. 391. — 2 *Vit. Gers.*, pag. 171. — 3 *Vid. hoc Mart.* — 4 *Ant. Gers.*, *op.*, p. 189.

** Nicolaus Dubois hæc de Gersone dicit, loc. cit. n. 17 : « Dum ubique auram quam ipse » putat favere sectatur, et sæpe conqueritur quod ipsi de beneficiis ecclesiasticis [illegible] » non provideatur, factus est exosus omnibus, è Galliâ in exilium pulsus; ipsi quoque [illegible] » simo Burgundiæ duci, contrà quem in concilio declamaverat, aliisque Germaniæ principibus » invisus, » etc. Gersonem antea levitatis arguerat, eo quòd postquam Benedictum XIII pro vero ac legitimo pontifice coluerat deinde ad partes Alexandri V transierat. Quâ in re D. Dubois prodit se accusatorem temerarium et falsum, aut certè virum historiæ hujus sæculi omnino ignarum. Et enim Gallia atque adeo Gerson Benedictum XIII coluit pro pontifice usque ad concilium Pisanum, in quo concilio Benedictus loco motus est, eique suffectus Alexander V, quem statim Gallia et Gerson susceperunt. (*Edit. Paris.*)

5 *Pars* I. *refut.*, art. IV. n. 15, 16, 17.

exilium pulsus, ipsi quoque serenissimo Burgundiæ duci, contra quem in synodo Constantiensi declamaverat, invisus fuerit. » Hæc de Gersone nostro Nicolaus Dubois, melior profectò Burgundus, quàm theologus; qui non ferat in œcumenico concilio perorantem Gersonem adversùs serenissimum ipsius ducem Joannem Audacem, Ludovici Aurelianensis cæde manantem, qui necem infandam horrendâ hæresi tueretur. Hæc scribere non puduit theologiæ professorem, atque insuper sancto viro exprobrare exilia pro catholicâ fide tolerata, à nefario duce, qui regis sui conculcatâ majestate, fratrisque ejus fuso sanguine, rerum in Galliâ potiretur.

Hæc de Alliacensi ejusque discipulo Gersone dicenda habebamus. Neque quod quidam objiciunt, eorum auctoritatem infringi putamus, quòd schismatis tempore scripserint. Imò verò eo firmari potiùs, quòd scripserint motâ quæstione; quòd « re discussâ et eliquatâ, ut ait Augustinus, adque ad plenarii concilii auctoritatem roburque perductâ [1]; » denique quòd ei doctrinæ schisma quoque ipsum tam tetrum, tamque inveteratum cesserit.

Hos verò post sanctos Patres et post sacratissimas œcumenicas synodos Pisanam et Constantiensem, hos, inquam, schola Parisiensis suæ sententiæ duces habuit; neque illos quidem, ut nonnulli jactant, in hoc argumento suspectos; imò verò apostolicæ Sedis ac pontificiæ majestatis contra Viclefum et Hussum studiosissimos defensores; atque extincto schismate instauratores egregios; ut quæ de conciliorum auctoritate dixerint, amore veritatis, tuendæque fidei, ac instaurandæ ecclesiasticæ disciplinæ studio dixisse constet.

CAPUT VI.

An, ut quibusdam videtur, quæstio de superioritate à quæstione de infallibilitate, secundùm Alliacensem et Gersonem, separari possit? Refertur caput *Si Papa*, atque ex decreto Gratiani loci et glossæ celebres, quæ Parisiensibus præluxerunt: hinc pro certo assumptum, Papam etiam ut Papam, esse fallibilem.

At fortè romano Pontifici, non ut supremam illam in concilia generalia potestatem; ita etiam infallibilitatem detrahebant. Video enim qui has quæstiones separandas putent. Verùm auctores nostri ne id cogitabant quidem; imò non aliâ magis ratione synodum universalem ipso Papâ superiorem putabant, quàm quòd hic *deviabilis* sive *fallibilis;* illa *indeviabilis* et *infallibilis* esset. Vel ut alio modo ex eorum sanè verbis exponit Bellarminus [2], summam et absolutam potestatem in Ecclesiâ ponebant, ut in « regulante, quia Ecclesiæ est regulare et dirigere Papam, cùm ipsa non possit errare; Papa

[1] *August., de Bapt.*, lib. II. cap. 4. n. 5. tom. IX. col. 98. — [2] *Bell., de Conc. auct.*, lib. II. cap. 14.

autem possit. » Quare alteram quæstionem, vel teste Bellarmino, ab alterâ suspendebant, nedum sejungi posse suspicarentur.

Atque illi quidem multa ex Scripturis, multa ex antiquitate testimonia et exempla referebant, quibus Ecclesiæ, adeoque concilii cum repræsentantis auctoritas potior haberetur. Multa repetebant ex decreto Gratiani et glossis, quibus rebus tum plurimum utebantur. Memorabatur imprimis caput *Legimus*[1], quod est Hieronymi : ex quo capite hæc verba promebant : « Si auctoritas quæritur, Orbis major est Urbe. » Scio responderi et alicubi in decreto ad marginem adscriptum : major *extensivè*, non *intensivè*, dignam Turrecrematæ subtilitate distinctiunculam. Cæterùm, qualiscumque est, huic loco non congruit ; quærebatur enim, non quis multitudine aut quantitate, sed quis auctoritate præstaret. Favet glossa ad verbum « *major est*, et est hìc argumentum, quòd statuta concilii præjudicant statuto Papæ, si contradicant. » Quem textum unà cum glossâ suâ Petrus de Alliaco et alii Parisienses vehementissimè inculcabant. Sed inter omnia argumenta illud imprimis urgebant : *deviabilem*, nempe Pontificem *indeviabili*, nempe Ecclesiæ atque concilio postponi oportere.

Porrò locutio hæc, *deviabilis* et *indeviabilis*, adeo usitata nostris, à capite *Si Papa* duxit exordium. Sic autem habet caput illud apud Gratianum[2] : « Si Papa suæ et fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis et remissus in operibus suis, et insuper à bono taciturnus (quod magis officit sibi, et omnibus), nihilominùs innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, hujus culpas istic redarguere præsumat mortalium nullus ; quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius. » Hinc nimirum illud *deviabile* in summo Pontifice, quòd ab Ecclesiâ *indeviabili* necessariò *reguletur*.

Neque verò cogitabant distinctionem illam, essetne *deviabilis*, ut privata persona, an etiam ut Pontifex : vel ut Melchior Canus loquitur[3], *errore personali*, *an judiciali* : hæc nondum cogitabant. Pontificem simpliciter nullâ reservatione, exceptione nullâ, posse esse *à fide devium* fatebantur.

Imò Gratianus etiam, *ut Pontificem et errore judiciali* à fide *deviare* posse apertè supponit, cùm de decretalium auctoritate multa locutus, hæc addit[4] : « Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus vel decretalibus epistolis, in quibus nec præcedentium Patrum decretis, nec evangelicis præceptis aliquid contrarium invenitur. »

[1] *Dist.* XCIII. c. 24 ; *Hier.*, tom. IV. ep. CI ; al. t. II. ep. LXXXV. — [2] *Dist.* XL. c. 6. — [3] *Mel. Can.*, *de Loc. Theol.*, lib. VI. cap. 8. — [4] *Dist.* XIX. c. 7.

Quo loco victus Melchior Canus[1], Gratianum accenset iis qui pontificiam infallibilitatem negare videantur.

Affert quidem Gratianus* hic probationem infirmam; et Anastasii II decretalem immeritò erroris insimulat; sed affert alio loco Gregorii II decretum authenticum, de quo meritò pronuntiet[2]: « Illud Gregorii sacris canonibus, imò et evangelicæ et apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum**. »

Extat etiam aliud à Gratiano relatum Pelagii II constitutum[3], de quo Gregorius Magnus hæc habet: « Quod mihi durum et incompetens videtur: » ad quæ verba glossa apertè dicit: « Illa constitutio fuit iniqua; » et ad verbum, *durum*: « Statutum Pelagii fuit contra Evangelium***. »

Hoc autem statutum Pelagii II esse, ejus qui Gregorium proximè antecedit, probat eadem glossa, ex capite, *Multorum*[4], quod est ejusdem Gregorii Magni.

Hos Gratiani locos excutere hic non est animus, sed tantùm explicare paucis quæ nostri pro *deviabilitate*, ut vocabant, Papæ, etiam circa fidem atque evangelicam veritatem, argumenta ducerent à jure communi, communibusque glossis, et communi sententiâ; atque ab eo etiam canonum collectore, quem tum potissimùm non modò nostri, sed tota etiam Schola, neque tantùm canonistæ, sed etiam theologi auctorem sequebantur.

CAPUT VII.

Quo sensu explicarent illud: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. XXII. 32. Eâ de re glossa notabilis, quâ maximè utebantur: sancti Thomæ, sancti Bonaventuræ et Nicolai Lyrani loci. Petri de Alliaco locus insignis: Gersonis sententia.

Neque ullo modo movebantur hâc pollicitatione Christi ad Petrum, *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Vulgaris enim erat interpretatio, hæc Christi pollicita referens, non ad fidem Petri aut romani Pontificis etiam de fide decernentis, sed ad fidem Ecclesiæ catholicæ, quæ Petri diceretur, quòd eam primus Petrus præ cæteris, ac pro

[1] *Can.*, lib. VI. cap. 1.

* Gratianus hoc loco recenset inter *decretales*, *Patrum decretis et evangelicis præceptis contrarias*, hanc Anastasii II decretalem multo judicio multâque prudentiâ factam, quâ decernit, eos quos Acacius *ordinaverat ritè fungi acceptis officiis debere*; quia nimirum minister *malè bona ministrando sibi tantum nocet*. (*Edit. Paris.*)

[2] *Caus.* XXXII. quæst. VII. cap. 18.

** Bonifacius Germaniæ apostolus hoc à Gregorio II responsum tulerat: « Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere..... vir si se non poterit continere, nubat magis. » Hanc epistolam Gregorii reperies quoque tom. VI. Conc. col. 1448. (*Edit. Paris.*)

[3] *Dist.* XXXI. cap. 1: *Ante trien.*

*** Pelagius II vetuerat ne Ecclesiarum Siciliæ subdiaconi, qui sacris nondum initiati nupserant, *ullatenus suis uxoribus miscerentur*. Nemo nescit continentiam, non nisi serò per totam Ecclesiam subdiaconis fuisse imperatam. (*Edit. Paris.*)

[4] *Caus.* XXVII. quæst. II. cap. 20.

cæteris prædicasset, maximè cùm diceret communi apostolorum nomine : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* [1].

Hanc interpretationem firmabat glossa notabilis in caput, *Avisa*, quòd est in decreto Gratiani [2], quæ sic habet ad verbum *novitatis*: « Quæro de quâ Ecclesiâ intelligas quod hìc dicitur, quòd [illegible] errare non potest? Si de ipso Papâ, qui Ecclesia dicitur? Sed [illegible] est quòd Papa errare potest. Responde : ipsa congregatio [illegible] hìc dicitur Ecclesia, et talis Ecclesia non potest non esse; [illegible] Dominus orat pro Ecclesiâ : *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides*, et voluntate labiorum suorum non fraudabitur. » Clarum [illegible] intelligat non defecturam fidem : in Ecclesiâ catholicâ scilicet, [illegible] in ipso Papâ, qui errare possit. Loqui autem de Papâ ut est [illegible] persona, vel ex eo patet, quòd de Papâ loquatur, ut est aliqu[illegible] Ecclesia, quod Papæ, ut privata est persona, nullo modo [illegible].

Nonnulli hæc promissa Christi referebant ad Ecclesiam ro[illegible], etiam peculiarem, à Petro fundatam; in eâque fidem Petri, [illegible] fidem à Petro prædicatam, defecturam negabant.

Utrumque verò sensum antiquiores etiam scholastici docuer[illegible] primis sanctus Thomas dum ait : « Universalis Ecclesiæ fides non [illegible] deficere, Domino dicente : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides* [illegible] »

De fide autem particularis Ecclesiæ romanæ nunquam de[illegible], idem hæc scripserat, Commentario in Matthæum [3]. « Quam[illegible] Ecclesiæ vituperari possunt per hæreticos, Ecclesia tamen [illegible] non fuit ab hæreticis depravata, quia supra petram erat [illegible]. Unde in urbe Constantinopoli fuerunt hæretici, et labor apost[illegible] amissus erat. Sola Petri Ecclesia inviolata permansit. Unde Lu[illegible] : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* : et hoc non solùm [illegible] ad Ecclesiam Petri, sed ad fidem Petri, et ad totam occi[illegible] Ecclesiam. »

Congruit antè dictis sancti Bonaventuræ interpretatio in [illegible] verba [4] : *Rogavi pro te*, etc. Hìc rogavit Dominus, non ut Petrus non caderet; « sed ut non deficeret; quia quamvis ceciderit, resurrexit. Vel potest illud referri ad Ecclesiam Petri, pro cujus fide rogavit Dominus, secundùm illud : *Non pro eis tantùm rogo, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me* [5], et hæc Ecclesia, quæ designatur per Petri naviculam, licèt concutiatur, tamen non [illegible]fragatur. En hìc refert precationem, sive pollicitationem Christi, vel ad ipsum præcisè Petrum, vel ad universalem Ecclesiam.

His favebat Nicolaus de Lyrâ *, quem nostri multùm sequeb[illegible]

[1] *Matth.*, XVI. 16.— [2] *Caus.* XXIV. quæst. I. cap. 9.— [3] *Comm. in Matth.*, c. XVI.— [4] *Tom.* II, *Exp. in Evang. Luc.*, c. 22.— [5] *Joan.*, XVII. 20.

* Nicolaus de Lyrâ è franciscanorum familiâ, multa scripsit XIV sæculo, et imprimis [illegible] in omnem Scripturam, brevem quidem, sed concinnam, quam sæpe jam editam, Fer[illegible]

in eumdem locum Luc., XXII [1]. « Ex hoc patet fidem non deficere usque ad finem mundi, potissimè in Ecclesiâ romanâ, quæ à Petro post Christum fundata est. »

Cùm ergo nostri intelligerent precationem Christi sic accipi passim ab interpretibus suo ævo celeberrimis, ut ad Petri Ecclesiam referatur, cogitabant non defecturam fidem in eâ Ecclesiâ, cujus Petrus princeps ac fundator fuisset; non autem proinde ejus successores errare et deviare non posse; tanquam necesse esset iis errantibus, ruere Ecclesiam, eorumque culpam nullo aliunde auxilio resarciri.

Atque ex his omnibus Petrus de Alliaco sua illa deprompsit, quæ tractatu *de auctoritate Ecclesiæ;* per concilii tempus Constantiæ edito, docuit : non esse, scilicet in Papâ, tantam plenitudinem potestatis quanta est in concilio, « quia confirmatio in fide, de quâ dicitur, quòd Ecclesiam non potest errare, juxta illud : *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* illa non est in Papâ, quia hoc non est dictum de fide personali Petri, cùm ipse erraverit, sed de fide Ecclesiæ, de quâ dicitur : *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* [2], scilicet Ecclesiam. Non enim dictum est adversùs, te scilicet Petrum. Concluditque sic : « Igitur speciale privilegium est et singularis Ecclesiæ auctoritas, quòd non potest errare in fide [3]. »

Neque dicas loqui eum de *fide personali Petri,* hoc est de fide Petri, ut est privata persona; non autem de fide Petri, ut est summus Pontifex, edito decreto declarans veritatem. Non enim ea tum animo cogitabant. Certè Alliacensis ab eis procul aberat, cùm fidei personali Petri quæ deficere posset, opponeret eam quæ deficere non posset fidem, non Petri pro potestate decernentis, sed universalis Ecclesiæ.

Cæterùm nihil est dubium quin Alliacensis, cùm Papæ fidem deficere posse docet, agat de Papâ decernente et judicante. Eò enim clarè pertinet tota argumentorum series ac vis. Cujus rei gratiâ allegat glossam illam suprà memoratam : « Quòd statutum concilii præjudicet statuto Papæ [4]. » Quâ quidem in glossâ certissimum est opponi, non privatam Papæ personam ejusdem personæ publicæ; sed statuta statutis, decreta decretis, et ubique spectari personam publicam.

Hinc doctissimus cardinalis hæc subdit [5] : « Hoc privilegium (quòd Ecclesia errare non possit in fide) aliqui extendunt ad romanam Ecclesiam, aliqui ad concilium generale, aliqui verò restringunt ad

tius ejusdem familiæ theologus nobilis, et quidam alii doctores Parisienses cum glossâ ordinariâ rursum ediderunt Venetiis, an. 1603. (*Edit. Paris.*)

[1] *Lyr. in Gloss. ord.*, tom. V. ad c. XXII. *Luc.* — [2] *Matth.*, XVI. 18. — [3] *Tract. de auct.*, etc. part. III. c. 1; *Inter op. Gers.*, tom. II. p. 949. — [4] *Sup.*, c. VI. — [5] *Tract. de auct.*, etc., *loc. mox cit.*

auctoritatem universalis Ecclesiæ ; sed non potest extendi ad Papam, ut dictum est. » Quo excludere intendit Papam, sive ut privatam personam, sive ut judicantem : alioqui nihil agit.

Quo autem sensu per ea tempora aliqui, præsertim ex canonistis, rei theologicæ imperitissimis, de concilio dubitarent, non est nunc quærendi locus ; neque item requirendum quo sensu Ecclesiam romanam particularem à Papâ distinguerent. Id constat, pro certo habuisse cardinalem, quocumque sensu diceretur fidem Ecclesiæ minimè defecturam, id quidem ad Papam, sive ut privatam personam, sive ut decernentem, pertinere non posse.

Unde statim infert[1] : « Papam posse ab universali Ecclesiâ, vel à generali concilio eam repræsentante in multis casibus judicari et condemnari ; et ab eo ad concilium in multis casibus posse appellari, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus. » Addit : « Aliter, sequeretur ipsum Christum... Ecclesiæ caput..... eam non perfectè sufficienter ordinasse,.... in casu quo Papa per hæresim manifestam, et tyrannidem apertam, aut aliud notorium crimen coneretur eam subvertere, et nemo ei dicere posset : Cur ita facis? *per viam juris eidem resistendo, id est ab eo appellando*, eum accusando, et per concilium judicando, etc. »

Ipsa *appellationis* vox satis profectò indicat hìc intelligi Papam etiam judiciario ordine procedentem, adeoque pro Papâ agentem. Quò etiam pertinent quæ idem Alliacensis non suo tantùm, sed etiam totius Facultatis nomine, Avenione dixerat coram Clemente VII[2] : « In causis fidei à papâ ad concilium appellari posse. » Quæ nos alio loco aptiùs referemus.

Consentanea magistro scribit Gerson, cujus hæc sunt dicta[3] : « Non reperitur in terris altera talis infallibilis regula, nisi generale concilium legitimè congregatum. In causis fidei non habetur in terrâ judex infallibilis, vel qui non sit deviabilis à fide, de lege communi, præter ipsam Ecclesiam universalem, vel concilium generale eam repræsentans. In causis fidei nulla determinatio judicialis episcopi, imò nec Papæ solius, præcisè ut est episcopi vel Papæ, ligat fideles ad credendum quòd ita sit de veritate fidei. » Ac pro certo statuebat Papam errare posse, *sententiando contra fidem*. Unde passim infert Alliacensis, *indeviabilem* potestatem, concilii scilicet, *deviabili*, Papæ scilicet, anteferri oportere.

Hæc igitur docentes eos complectebantur omnes, nedum cuiquam suspecti essent ; cùm nempè constaret hæc ex Gratiano, Gratianique glossis vulgaribus, atque omnino ex communi tritâque sententia

[1] *Tract. de auct., etc., loc. mox cit.* c. IV. — [2] *Vid. in app.* t. I. *Gers.* — [3] *Gers., de Eccl. doct.*, cons. t. I. p. 8 ; *Tract. an liceat in caus. fid. appel. à Papâ*, prop. II et IV. t. II. p. [illegible]

esse deprompta; quodque longè est maximum, tantæ firmitudinis ut iis quoque Constantiensia decreta niterentur.

Sacra namque synodus, cùm Pontifici concilium anteponit, causam quâ anteponatur, primam ponit fidem; fidei ut capiti adjungit cætera : *in fide*, inquit [1], *in schismate, in reformatione generali* : quâ doctrinâ positâ, nostri nullum relictum putabant pontificiæ infallibilitati locum; cùm nec ullum viderent adeo veritati inimicum, qui *infallibili*, hoc est ipsi veritati aliquid anteferret. Sed hæc suo loco fusius. Nunc enim non ipsam quæstionem exponimus, sed quid Alliacensem cardinalem, et ejus discipulum Gersonem, atque horum sententiam secutos Parisienses, totamque adeo Academiam, de ecclesiasticâ potestate atque infallibilitate docuisse constet.

CAPUT VIII.

Scholam Parisiensem in Alliacensis et Gersonis sententia perstitisse, toti orbi notum : eam sententiam egregii viri ubique docuerunt: cur Parisiensium doctrina dicta sit.

Neque sola Parisiensis Academia in eâ sententiâ stetit, sed etiam Coloniensis, Erfordiensis, Viennensis academiæ in Germaniâ nobiles, Cracoviensis etiam, et Bononiensis, ipsa quoque Lovaniensis, et aliæ denique, quarum suo loco acta referemus.

Scholam Parisiensem omnium celeberrimam semper in eâ sententiâ perstitisse, annales nostri et ipsa gesta probant, suo postea ordine recensenda. Unde nostri doctores Jacobus Almainus * et Joannes Major **, sub Ludovico XII et Francisco I scriptores nobiles, hæc habent : Almainus quidem [2] : « Conclusio est quam tenent omnes doctores Parisienses et galli, quòd potestas Papæ est subjecta potestati concilii; » et hanc vocat, resolutionem scholæ Parisiensis et Ecclesiæ gallicanæ. » Hanc probat eâ maximè ratione, quâ Gersonem usum fuisse vidimus : quod potestas quæ est in supposito « deviabili, debet dirigi secundùm potestatem indeviabilem : » pontificia scilicet per conciliarem. Hæc Almainus. Quid Major? Postquam eamdem sententiam probavit, hæc addit [3] : « Et nostra Facultas à diebus concilii Constantiensis, in quâ plures exercitatos habebis theologos

[1] *Conc. Const., Sess.* IV, V. tom. XII.

* Jacobus Almainus, doctor Parisiensis celeberrimus, jussus est à sacrâ Facultate causam orare Ludovici XII adversùs Julium II pontificem, qui tam impotenter quàm injustè de arce Vaticanâ in regem et regnum detonabat. Deinde idem Almainus, jussu etiam Facultatis, contra Cajetanum defendit doctrinam scholæ Parisiensis de potiori conciliorum œcumenicorum potestate. Vid. Dup. XVI sæc. (*Edit. Paris.*)

** Joannes Major, Scotus, in Universitate Parisiensi, multis libris editis, claruit. Laudatur ejus commentarius in magistrum sententiarum, quem uberiori, quàm quisquam antea, eruditione ornavit. Scripsit præterea *Expositionem litteralem in Evang. Matt. Comment. in* IV *Evangelistas*, et multos tractatus de rebus controversis. Almainus, quem Major habuerat discipulum, prior è vivis excessit. Vid. Dup. loc. jam. cit. (*Edit. Paris.*)

[2] *Alm., de pot. Eccl. et Laic.*, cap. XVIII; *in App.*, tom. II. *Gers.*, p. 1070.— [3] *Maj. de auct. Conc. sup. Pap., sol. arg. Caj.*, *ibid.*, p. 1444.

quàm in duobus vel tribus regnis, sic hanc partem fovet, quòd nulli licuit asserere oppositum probabile, et qui tenuerit, in campo revocare cogitur. » Nota verba, *à diebus concilii Constantiensis non licuit :* hoc est non licuit, postquàm expressè discussa res est; sed antea quoque, Major et alii præcessisse traditionem docent.

Hos libros Almainus et Major jussu Facultatis ediderunt. Hæc verò cum docerent, et toti Ecclesiæ testarentur, nulli tum eversa omnia, et periclitari fidem, ac doctrinam illam *planè detestabilem ac schismaticam* inclamabant. Neque se romani Pontifices commovere, aut libros ullâ notâ censuere dignos, quippe qui intelligerent hæc verò esse decreta sacratissimæ ac probatissimæ Facultatis.

Placet considerare quid de nostræ Facultatis sententiâ [illegible] quoque exscripserint. Primus Albertus Pighius * dum adversus Constantiensia et Basileensia decreta pleno ore invehitur, hæc subdit [1] : « Horum decretorum auctoritatem asseruit Joannes ille [illegible] cancellarius Parisiensis, quem in hodiernum usque diem [illegible] illa schola sequitur. » Hæc scribebat anno 1538, is qui de pontificiâ potestate tam inaudita scripsit, ut eo nomine ferè ab omnibus contemnatur. Neque tamen scholam Parisiensem in Gersonis sententiâ, tantâ consensione permanentem, ullâ notâ suggillare ausus, Gersonem etiam *doctum* ac *pium* vocat.

Martinus ab Azpilcueta Navarrus, regno scilicet Navarrico [illegible], divini humanique juris consultissimus, postquam Salmanticæ [illegible] nimbricæ docuit, Romam profectus est, summisque pontificibus Pio V, Gregorio XIII, et Sixto V charus, Romæ multa scripsit [illegible] edidit [2]. Is in caput *Novit, de Judiciis*, hæc habet : « Non est [illegible] in præsentiâ definire cui principalis potestas ecclesiastica fuerit à Christo collata, an Ecclesiæ toti, an verò ipsi Petro, propter illam discordiam maximam Romanorum ac Parisiensium ; » romanorum curialium certè aut privatorum doctorum, non profectò Pontificum, à quibus nostra firmata docebimus. Pergit : « Illi (Romani scilicet) tenent Petro et successoribus datam esse hanc potestatem, atque ideo Papam esse concilio superiorem : hi verò, quibus Joannes Gerson adhæret, docent datam esse toti Ecclesiæ, licèt exercendam per unum; atque adeo in aliquibus saltem casibus concilium esse supra Papam : quarum illa (scilicet Romanorum) placuisse videtur sancto Thomæ, et Thomæ de Vio : altera verò placuit Panormitano **, qui

* Albertus Pighius, vir multæ eruditionis, nullius judicii, opinionum ultramontanarum, etiam absurdissimarum, defensor immodicus, earum quæ curiam romanam non æquè [illegible] gunt, assertor ultra omnem modum temerarius, multa scripsit de rebus controversis [illegible] incautè, ut jam amplectatur hæreticorum errores, jam in errores contrarios impingat; [illegible] quidem rectè annotavit Theoph. Raynaud. lib. de bon. et mal. n. 453. (*Edit. Paris.*)

[1] *Pigh.*, lib. VI. *de Hierarch.*, c. II.— [2] *Bell. et Labb., de Script. Eccl.*

** Is est Nicolaus TUDESCHI Catanensis, jurisconsultus celeberrimus, primùm [illegible]

pro Parisiensibus est, quem FREQUENTIUS nostri sequuntur, quem mordicus tuetur Jacobus Almainus è Sorbonâ theologus, et Joannes Major, capite XVIII in Matthæum, qui idem facit; aiens, Romæ neminem permitti tenere Parisiensium et Panormitani sententiam, nec rursus Academiam illam Parisiensem pati ut contraria opinio asseratur in eâ. » Iterum, *de Pœnitentiâ* [1] utramque opinionem Italorum et Gallorum pari refert æquitate : Itali et Galli diversa sentientes, æquè catholici, nulloque discrimine habebantur.

Adeo autem hæc de Gallis sententia toto orbe permanavit, ut Franciscus de Victoriâ * Hispanus scripserit [2] : « Notandum quòd de comparatione potestatis Papæ duplex est sententiâ : altera sancti Thomæ et sequacium multorum, et aliorum doctorum tam in theologiâ, quàm in jure canonico; quòd Papa est supra concilium : altera communis est sententia Parisiensium, et multorum etiam doctorum in theologiâ et canonibus, ut Panormitani et aliorum, contraria, quòd concilium est supra Papam. »

Neque verò soli Galli hanc sententiam scriptis editis propugnarunt. Nempe et Navarrum dicentem audivimus eamdem sententiam secutum celebrem illum Nicolaum Catanensem archiepiscopum Panormitanum, *Lucernam juris dictum* [3]; quem pro conciliorum etiam in Pontificem supremâ potestate multa scribentem, et concilio Basileensi semper inhærentem, adeoque à Felice Basileæ electo, cardinalem factum, Bellarminus tamen laudatum potiùs quàm condemnatum velit [4] : adeo non semper illam sententiam hostili animo insectantur qui eam vel maximè reprehendunt.

Panormitano in Italiâ præluxisse Panormitani magistrum Franciscum Zabarellam ** cardinalem Florentinum, virum maximum, Bellarminus fatetur [5]. Accedit è Germaniâ Nicolaus Cusanus ***, postea cardinalis. Prodiit ex Hispaniâ Alphonsus Tostatus **** episcopus

nensis, deinde Panormitanus archiepiscopus, qui fuit synodi Basileensis pars maxima, et quem Bossuet sæpè, in eo tractatu, meritis laudibus celebrat. Allegatur vulgò apud jurisconsultos sub nomine Panormitani, aut Nicolai abbatis. (*Edit. Paris.*)

[1] *Dist.* III.

* Franciscus *de Victoriâ* sic dictus ab urbe regni Navarrici Victoriâ, in quâ natus est : audivit discipulus in Universitate Parisiensi, in Salmanticensi magister docuit. Multus est in hujus viri laudes Bellarm. quem vide. (*Edit. Paris.*)

[2] *Vict., relect.* IV. *de pot. Pap. et Conc.*— [3] *Labb., de Script. Eccl.*— [4] *Bell., de Conc. auct.*, lib. II. c. XIV.

** Franciscum Zabarellam Patavinum Joannes XXIII Florentinum archiepiscopum, mox cardinalem fecit. Is in concilio Constantiensi plurimum valuit auctoritate et consilio, et ipse suasor fuit dejectionis Joannis XXIII. Scripsit multa in decretales et Clementinas. Dum Constantiæ esset, librum edidit *de Schismate*, qui liber, inquit Bellarminus de Script. Eccles. an. 1410, *in Indice librorum prohibitorum..... prohibitus est, donec corrigatur.* (*Edit. Paris.*)

[5] *Bell., de Script. Eccl.*, an. 1410.

*** Nicolaus Cusanus Brixinensis episcopus, deinde cardinalis, disciplinæ ecclesiasticæ studiosissimus fuit, et in theologiâ non parum doctus. (*Edit. Paris.*)

**** Alphonsus Tostatus scripsit commentaria copiosissima in Scripturam, quæ implent XX

Abulensis, tantâ doctrinæ opinione, ut Bellarmino miraculum fuerit, tot scilicet scriptis editis, *brevissimo tempore, cùm non vixerit nisi quadraginta annos* [1] : de quo meritò dictum sit, eodem Bellarmino teste : *Hic stupor est mundi*, nec minùs *sanctitate* clarus habebatur, ut idem Bellarminus memorat. Is in libro, qui dicitur *Defensorium*, fusè probat, « à Christo institutum tribunal superius Papâ ; nempe concilium, quòd Papam corrigere et judicare possit ; non solùm in fide, sed etiam in aliis casibus ; solumque illud tribunal id habere, ut errare non possit ; Papam autem errare posse, etiam in damnandâ hæresi [2]. » Quem librum Bellarminus cautè legendum monet, propter hanc sententiam ; sed alii libri ejusdem sunt spiritûs, neque hujus scripti tantique viri auctoritas, uno Bellarmini verbulo infringi queat.

Hic cæteros scriptores recensere non est animus. Nimia nos copia opprimeret, et multi alii suo loco proferentur. Hic quidem placuit appellare eos, qui in omnium ferè ore versarentur, quibus Alphonsum de Castro * Hispanum, patrum nostrorum memoriâ è minorum ordine theologum nobilem, et à nostro Feu-Ardentio, ejusdem ordinis, editum in lucem, Bellarminus accenset [3].

Hinc liquidò patet, quam Parisiensium sententiam vocant, non ideo Parisiensibus attributam, quòd in eâ tuendâ singulares essent, sed quòd eam singulari studio et eruditione tuerentur : cæterùm in omnibus Ecclesiis vulgatissimam extitisse, et à scriptoribus pietate ac doctrinâ præstantissimis ubique terrarum publicè, et cum laude esse defensam, nedum suspecta fuerit.

CAPUT IX.

Dionysius Carthusianus adducitur : ejus exemplum probat eos qui per eam ætatem pontificiæ auctoritati vel maximè favebant, summâ ipsâ in Parisiensium sententiam convenisse : Ecclesiæ soli eamque repræsentanti concilio generali ab eo doctare tributa infallibilitas : locus, *Rogavi pro te*, etc. Luc., XXII. 32. cum eâ doctrinâ facilè conciliatus.

Dionysii Carthusiani ** auctoritas in hâc quæstione maximi erit ponderis, cùm propter singularem viri gravitatem, tum quòd ejus exemplo constitutum sit omnibus, multos ubique terrarum scriptores gravissimos, qui à Parisiensium sententiâ abhorrere videantur, summâ tamen ipsâ in eam egregiè consensisse.

vol. in fol. et plurima opuscula duobus vol. Erat Tostatus magni ingenii vir, erat immensæ doctrinæ, et multæ in scribendo facilitatis. (*Edit. Paris.*)

[1] *Bell., de Script. Eccl.*, an. 1440.— [2] *Tost.*, t. XII ; *Defens.*, part. II. cap. 30, 79, 79, etc.

* *Alphonsum de Castro*, theologum doctissimum, historicum mediocrem commendat, præ cæteris ejus opusculis, liber *adversùs hæreses*, quo eas quidem omnes confutat ; sed ita præcipuè quas ultima ætas peperit. Vix ullum reperies controversiarum scriptorem, qui ut hujus auctoris brevem perspicuitatem accedat. (*Edit. Paris.*)

[3] *Bell., de R. P.*, lib. IV. c. 2 ; *Vid. Alph. de Cast.*, lib. I. *contr. hær.*, cap. 2 et seq.

** Is, RICHEL nomine, innumera scripsit opuscula, levi quidem stylo et sine ullo acumine. Vid. Dup. XV sæc. (*Edit. Paris.*)

Is igitur paulò post Basileense concilium sub Nicolao V, Eugenii IV successore, floruit, sanctitatis nomine ab Odorico Rainaldo commendatus [1]. Atque eo quidem tempore Basileensis concilii quæstio de superioritate, doctorum omnium sermonibus, celebris habebatur, eratque Dionysius hic unus omnium, qui Papæ superioritatem, in Ecclesiam etiam congregatam vehementissimè tueretur; edito in eam rem libro, *de Auctoritate Papæ et concilii generalis* [2]. Is tamen articulo, cui titulus, *Determinatio difficultatis præcipuæ, an scilicet Papa sit super concilium, an è contra*, habet [3] : « Arbitror respondendum, quòd ibi sit excedens, et excessum; id est, quòd in aliquibus, puta in his quæ propriè ac directè spectant ad forum generalis concilii, et propter quorum determinationem, seu expeditionem, illud celebratur, in his, inquam, concilium videtur esse super Papam, ita quòd concilium dando voces seu vota, est liberum, nec Papa potestatem coercitivam habet super illud in hujusmodi causis, magisque standum est determinationi concilii generalis, quàm Papæ. » En quo loco sit concilii auctoritas, in his causis propter quarum determinationem celebratur.

Quænam autem illæ causæ sint, quanquam obscurum non est, tamen à pio viro disertè explicatur. « Porrò, inquit [4], hæ causæ sunt; extirpatio hæreticæ pravitatis ac schismatis, declaratio fidei, atque editio symboli ejus, universalis reformatio Ecclesiæ in capite et in membris ejus. » Hæc quidem ipsissima sunt quæ clerus gallicanus ex concilio Constantiensi repetenda censuit. Pergit Carthusianus : « Itaque in expeditione istorum, major dicitur potestas concilii generalis quàm Papæ, quoniam Christus promisit Ecclesiæ, seu concilio ipsam repræsentanti, infallibilem directionem et gloriosam assistentiam incessantem; ita quòd errare non potest in fide, neque in his quæ ad bonos mores pertinent, eo quòd, in talium determinatione, regatur immediatè à Spiritu sancto. Unde et Papa in talibus tenetur stare determinationi Ecclesiæ, seu statutis concilii; tanquam ordinationi ac sententiæ Spiritûs sancti. *Cùmque Papa possit errare in fide et moribus ac cæteris quæ sunt de necessitate salutis, ejus judicio non videtur ultimatè ac certitudinaliter standum in istis, cùm non sit infallibilis regula, neque indeviabile fundamentum.* » Quid clariùs? At cùm concilio tanta tribuat, Pontificis tamen superioritati nihil se derogasse putat; quoniam, « infallibilis ista directio à Spiritu sancto, non videtur pertinere ad majoritatem potestatis ac jurisdictionis præsidentialis; sed potiùs est supernaturale donum Spiritûs sancti, actuale

[1] *Odor. Rain.*, tom. XVIII. an. 1450, n. 11. — [2] *Dionys. Carth.*, *edit. Col.* 1532, t. I. fol. 327; *Tract. de auct. Pap. et Conc.* — [3] *Ibid*, part. I. art. XXVII. fol. 340, vers. — [4] *Ibid.*, art. XXXI. fol. 341, vers.

magis quàm habituale; idcirco ex hoc non satis probatur potestas Ecclesiæ esse super potestatem Papæ, sed quòd major sit gratia atque perfectio universalis Ecclesiæ. » Denique sic concludit : « Præterea cùm Papa constitutus sit totius Ecclesiæ summus generalisque custos, Pastor et Pontifex, fideique defensor, ac præcipuarum difficultatum Ecclesiæ determinator, non sic ad generale concilium pertinet hæreses et schismata extirpare, totius Ecclesiæ reformationi intendere, fidem declarare ac fidei symbolum edere, quin etiam hæc ipsa ad Papam, ratione sui officii, directè pertineant. Ideo neque ex his satis ostenditur, quòd potestas concilii sit, absolutè loquendo, major potestate papali, sed quantùm ad aliquid; quoniam hæc certius seu expeditiùs fiunt per generale concilium, quàm per Papam duntaxat, eo quòd majoris gratiæ atque subsidii promissio sit facta Ecclesiæ quàm Papæ. »

Tum postquam protulit locum sancti Thomæ 2. 2. quæst. 1, art. x, determinantis, quòd ad Papæ auctoritatem pertinet editio Symboli, hæc addit[1] : « Sed contra hæc quidam objiciunt, quòd cùm Papa possit errare, non potest quis ejus determinationi atque sententiæ, absque omni formidine tam actuali quàm habituali, assentire; sed determinationi Ecclesiæ, quæ errare non potest, certitudinaliter statur. Idcirco ad generale concilium pertinere videtur ULTIMA DECISIO credendorum, quod verum reor. » En quæ pii doctique viri sententia sit; additque : « Nihilominùs ad auctoritatem Papæ pertinet istud; quamvis persona, cui tanta auctoritas concessa est, sit similis aliis, mortalis et fragilis, atque peccabilis : idcirco sententiæ ejus, secundùm quod à tali personâ procedit, non ita certitudinaliter statur, sicut sententiæ universalis Ecclesiæ non errantis, ad quam etiam pertinet declarare editionem Symboli à summo Pontifice factam, esse idoneam. » En quo sensu, et suam tueatur et sancti Thomæ exponat sententiam.

His cùm apertissimè doceat Papam in judicando de fide, esse fallibilem, locum illum de Petri nunquam defecturâ fide sic interpretatur ex communi sententiâ[2] : « Quoniam Petro specialiter fuit committenda Ecclesia. Unde quod dicitur, *ut non deficiat fides tua*, exponitur, ut non deficiat fides Ecclesiæ tibi committendæ; sicque ex verbis his sumitur argumentum, quòd fides romanæ Ecclesiæ, quam in eâ Petrus plantavit, sit usque in finem sæculi duratura. » Hæc scripsit in celebrem Evangelii locum, Luc. XXII. 32; quo exemplo constat hæc duo à doctoribus in romanæ dignitatis cultum propensissimis conciliari solita; et romanum Pontificem, etiam de fide judicantem,

[1] *Dionys., ibid.*, art. XXXII. fol. 342. — [2] *Ibid.*, *in Evang. Luc. enarrat.*, art. XLVIII. p. 225 vers. *edit. Par.*, an. 1536.

posse deficere; et tamen Ecclesiæ romanæ fidem nunquam defecturam.

CAPUT X.

Idem Dyonisius Carthusianus exponit quâ auctoritate in aliis præter fidem causis, romanus Pontifex à concilio judicari possit.

His expositis, idem auctor quærit quomodo Papa, quem Ecclesiâ totâ, etiam collectâ et adunatâ, superiorem esse vult, ab eâ deponi ac judicari possit, non tantùm hæresis, sed etiam aliarum culparum causâ. Quem nodum sic solvit [1] : « Dicendum quòd Papa, secundùm quod talis, ut puta in quantum summus Ecclesiæ Pastor et Pontifex, non est à concilio generali sententialiter judicandus, aut per depositionem puniendus, quia, ut talis, est superior et prælatus, ac judex Ecclesiæ; sed in quantum esset intolerabiliter vitiosus, seu criminosus, sic esset inferior, et concilium haberet super eum potestatem ac jurisdictionem à Christo, à quo immediatè claves accepit Ecclesia, quam repræsentat concilium, cui etiam Christus dedit potestatem Ecclesiæ, abjiciendi membrum scandalizans, infectivum ac putridum. Sic ergo generale concilium potestatem et jurisdictionem habet in Papam, in quantum Papa, ratione culpæ, inferior redditur ipso concilio : imò insuper, et in quantum Papa consideratur ut membrum, filiusque Ecclesiæ; puta ut determinata persona fidelis, seu unus christianus viator, peccabilis, et in quantum talis est, dicitur ei à concilio lex præfigi, ne suâ potestate abutatur, sed debitè dirigatur. » Concluditque sic : « Ex his patet ad objecta solutio. Par enim potestatem non habet in parem, in quantum est talis, id est æqualis, sed ut aliquo modo extat inferior. Similiter minor non ligat, nec absolvit majorem secundùm quod major est, sed in quantum est quodammodo minor. Sic nec judex judicatur ut judex, sed ut publicè reus. » Hæc ille. Tum, si doctorum insignium, qualis erat sanctus Thomas, objiceretur auctoritas, eam quidem commodâ, quantùm poterat, interpretatione molliebat; sed interim hæc erat prompta responsio [2] : « Ista ex præfato scribimus doctore, non quia nunc sic prorsùs tenendum est, præsertim propter generalis concilii Constantiensis ad oppositum determinationem, cujus auctoritas major est, quàm cujuscumque doctoris catholici. »

[1] *Dionys. Cart., de auct. Pap.*, etc., part. I. art. XXXIV. fol. 342, vers. — [2] *Ibid.*, lib. III. art. XIX. fol. 370. vers.

CAPUT XI.

De Lovaniensi Facultate : eam cum Parisiensi et Coloniensi circa Constantiensem Basileensemque doctrinam consensisse : Nicolai Dubois professoris Lovaniensis vana argumenta.

Tot egregiis toto orbe terrarum appellatis doctoribus, juvat de Lovaniensibus singularem habere quæstionem, cùm propter eximium ejus Facultatis splendorem ac famam, tum quòd adversarii, quæ ad eam Facultatem attinent, haud plenâ fide ac diligentiâ tradiderunt.

Et quidem Nicolaus Dubois [1], rerum quoque suarum ac suæ Facultatis ignarus, id agit, ut ea Facultas jam inde ab initio suæ fundationis, eam credatur amplexa sententiam, quæ extra schismatis causam concilio Pontificem anteponat : quam quidem sententiam hauserit ab Universitate Parisiensi et Coloniensi, à quibus originem duxit. Sed hæc quàm falsa sint, luce clarius est.

Ac primùm, certum est Universitatem Lovaniensem, post Constantiense concilium, Basileensis concilii tempore, fuisse conditam. Quin ipse Nicolaus Dubois profitetur, qui Lovanii in theologicâ Facultate gradum susciperet, ante annum 1439 fuisse neminem ; quo tempore maximè inter Eugenium IV et Basileense concilium efferbuisse dissidia nemo nescit. Neque minùs liquet, non modò Universitatem Parisiensem, sed etiam totam Ecclesiam gallicanam Basileensi concilio adhæsisse, quòd D. Dubois et ipse testatur. Quid autem Universitas Coloniensis per idem tempus senserit, hæc declarat ad Theodorum Coloniensem archiepiscopum, anno 1438, edita responsio. Prima propositio : « Ecclesia synodaliter congregata habet supremam jurisdictionem in terris, cui omne membrum Ecclesiæ, cujuscumque dignitatis fuerit, etiam papalis, obedire tenetur, quam nemo sine ipsius Ecclesiæ synodali consensu dissolvere aut transferre potest. » In secundâ propositione legitur : « quòd omnes obedire tenentur Christo, suæque sponsæ Ecclesiæ, in quâ prima præsidentia est Sedis apostolicæ super omnes alias Ecclesias particulares, et sedes inferiores, NON SUPER TOTAM UNIVERSALEM PRÆLATÆ. » Cætera ejusdem sunt spiritûs. Atque hæc doctrina est, quam, à Parisiensibus et Coloniensibus fundatoribus suis, Academia Lovaniensis, anno 1438, hoc est in ipso fundationis initio hauserit. Unde Æneas Sylvius hæc memorat * de Lovaniensibus ab Amedeo Lugdunensi archiepiscopo,

[1] *Disq.*, art. x. n. 132 et seq. p. 47.

* Rem ut acta est, ex ipso Sylvio paucis narrabimus. Cùm Basileenses id quàm maximè contenderent, ut Eugenius meritò deponendus videretur, editis octo conclusionibus, probare conati sunt eum esse contumacem, et in errore pertinacem ; quippe qui, quanquam sæpè monitus, nequaquam à Proposito dissolvendæ synodi deterreretur. Ab eâ sententiâ Panormitanus abscessit, et dixit : se quidem credere Papam concilio œcumenico submitti oportere; sed

regio oratore, viro omnium consensu doctissimo atque sanctissimo, ad Ludovicum * romanum protonotarium dicta : « Viros omnium doctissimos conclusiones nostras impugnare video, quæ certæ et verissimæ sunt, et ab illis qui nunc eas reprobant, aliàs approbatæ. Nec nos fugit Ludovicum protonotarium has veritates Lovanii ac Coloniæ prædicasse, easque illinc universalis studii auctoritate firmatas reportasse : quare si ipse nunc mutatus est, veritas tamen non est mutata [1]. » Quid ad hæc Ludovicus à tanto Pontifice compellatus? Pergit historicus : « Quo finiente illico Ludovicus assurgens : Verum est, ait, illas me apportasse veritates, vos tamen eas fidei veritates nuncupatis, quæ adjectio mihi subdubia est. » Hæc ille de Basileensibus illis conclusionibus, quibus conciliorum potior auctoritas asseritur. Cæterùm id tantùm *subdubitare* se dicit, hæ veritates an fide certæ sint : veritates esse saltem theologicâ demonstratione certas, atque à se prædicatas, *Coloniæque et Lovanii universalis studii auctoritate firmatas*, nec ipse diffitetur.

Hæc tacet Nicolaus Dubois : quæ nihil ad rem faciant studiosè colligit. At enim sic objicit [2] : anno 1448, Nicolao V Eugenii IV successori Universitas Lovaniensis declaravit se ipsi et Eugenio, ut legitimis Pontificibus adhæsisse, legatis Basileensibus nequicquam contraria suadentibus. Verum ; sed hoc nihil ad doctrinam concilii Basileensis, quam secuti Galli, Germanique, haud minùs Eugenio IV licèt deposito, adhæsere. Neque propterea concilio potestatem defuisse dicebant : sed an ea in Eugenium justè ac necessariò usi essent ambigebant, et ne schisma fieret verebantur. Acta suo loco referenda rem clariùs demonstrabunt. Interim professor multa pollicitus, nihil tamen attulit, quo suos Lovanienses à concilii superioritate abhorruisse comprobaret : nos certa adduximus, quibus in eam apertè consensisse constet.

CAPUT XII.

Adrianus Florentius, mox Adrianus papa VI, Facultatis Lovaniensis ornamentum, Parisiensium sententiam sequitur : quorumdam Lovaniensium cavillationes.

Post concilium Basileense, atque Academiæ Lovaniensis initia, primus inter theologos Lovanienses, nobilis scriptor extitit Adrianus Florentius Ultrajectinus, mox papa Adrianus VI, scholæ Lovaniensis

hanc suam opinionem haberi non posse pro certo fidei dogmate ; cùm expressè non legeretur in Symbolo, neque etiam in determinationibus Ecclesiæ. Tunc Amedeus DE TALANC, archiepiscopus Lugdunensis, Panormitani sententiam longâ oratione confutavit, quam sententiam Ludovicus DE BACHEINSTEIN protonotarius defendendam suscepit ; atque inde gravis exorta est inter Patres altercatio, quâ factum est ut, à se invicem divisi, plerique discederent. (*Edit. Paris.*)

* De Bacheinstein.

[1] *Æn. Sylv., de gest. Basil.*, lib. I. p. 37. — [2] *Disq.*, n. 137.

ornamentum, atque in eam effusissimè liberalis[1]. Is infimo genere ortus, primùm theologiam Lovanii magnâ cum laude docuit; tum ordine factus est Academiæ cancellarius, Caroli V Augusti præceptor episcopus Dertusanus, sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinalis, denique post Leonem X summus Pontifex : tantâ modestiâ, « ut nihil infelicius in vitâ duceret, quàm quòd imperaret[2]. » Is cum de confirmationis administratione disputaret, negaretque presbyteris permitti posse, sancti Gregorii celebrem locum sic solvebat[3] : « Ad secundum principale de facto Gregorii, dico, quòd si per Ecclesiam romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certùm est quòd possit errare, etiam in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo; plures enim fuere Pontifices romani hæretici. Item et novissimè fertur de Joanne XXII, quòd publicè docuit, declaravit, et ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent stolam, quæ est clara et facialis visio Dei; et Universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo poterat in eâ gradum in theologiâ adipisci, nisi primitus errorem hunc pestiferum jurasset se defensurum, et perpetuò ei adhæsurum. Item patet hoc de errore quorumdam Pontificum circa matrimonium, de quo in cap. *Licèt, de sponsâ duorum*. Item de errore quem ediderat Cœlestinus circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim, cujus error olim habebatur in aliâ compilatione juris, cap. *Laudabilem, de conversione conjugum*. » Vide quàm apertè doceat omnino fieri posse, ut Pontifex hæresim non jam ut homo privatus, sed ut Pontifex, *per suam determinationem aut decretalem asserat*; quàmque pestiferum errorem putet eum, quem Joannes XXII *publicè docuerit, declaraverit, et ab omnibus teneri mandaverit*. Neque hic curamus an Joannes XXII et alii excusari possint : quid de illis senserit Adrianus VI, quid fieri potuisse putaverit, id verò quærimus; imò non quærimus : quis enim in re tam apertâ quæstioni locus? Sed apertam tanti doctoris sententiam tenemus. Et notandum est quod addit jam ad Gregorium rediens : « Non tamen dico Gregorium hic errasse, sed evacuare intendo impossibilitatem errandi quam alii asserunt. » Quo quidem se demonstrat, nullâ tuendæ causæ quam susceperat necessitate adactum, ad hanc tamen sententiam deditâ operâ declarandam, solo veritatis amore adductum esse.

Neque verò eam sententiam Pontifex retractavit, uti profectò, si erroneam putasset, facere debuisset. Nam ideo Pius II, qui se Basileæ, cùm synodo privatus interesset, errasse credebat, solemni retractatione sua scripta confixit : « Hæc enim scripta, ait[4], fortasse scanda-

[1] *Labb., de Script. Eccl.*— [2] *Adriani VI epitaph.*, t. XIV. *Conc.*, col. 401. — [3] *Adr., in IV. Sent., quæst. de Confirm.*— [4] *Bull. Pii II, retract.* tom. XIII. *Conc.*, col. 1041.

lum parient. Qui hæc scripsit, inquient, in beati Petri cathedrâ sedit,... nec invenitur mutasse propositum : qui eum elegerunt, et in summo apostolatûs vertice collocarunt, ab iis scripta ejus approbata videntur... Cogimur itaque beatum Augustinum imitari. » Nihil simile Adrianus; suaque scripta adeo non retractavit, ut potiùs Romæ, statim atque Pontifex factus est, edenda curaret, anno videlicet 1522, cùm anno 1521 Pontifex esset creatus [1]. Nempe si ipse, aut alius Pontifex in fidei quæstione determinandâ defecisset, non ideo Petri fidem et Ecclesiam romanam defecturam putabat. Imò metuebat, ne illi errandi impossibilitati, quam privatus doctor olim improbaverat, vel Pontifex factus favisse videretur.

Hic Lovaniensis anonymus, in *Doctrinâ Lovaniensium* mira refert sub hoc titulo [2] : *Discutitur doctrina Adriani papæ VI.* Summa est : non hic egisse Adrianum « de pontificiâ definitione ex cathedrâ; sed de judicio super difficultatibus, quæ in facto occurrunt, donec si res sit ad fidem et mores tendens, pleniori examine ex cathedrâ definiatur. » Quid autem illud est, nisi in re gravi ludere, sibique ipsi illudere? An loquitur de difficultatibus quæ in facto occurrant, qui *de fide, de hæresi* tam apertis verbis agit? Quodnam verò examen plenius? Quam decisionem narras, post eam quâ *de fide determinatum est;* quâ Pontifex aliquid *publicè docuerit, declaraverit, ab omnibus teneri mandaverit?* Quæ verba Adriani Lovaniensem nostrum referre et exscribere puduit, quòd iis statim perlectis ejus responsio evanescat.

At enim, inquit Joannes Viggers, ab anonymo laudatus, non id postulabat ea, quam Adrianus solvebat, difficultas, ut de pontificiorum decretorum infallibilitate disputaret, cùm de Gregorii facto duntaxat ageretur. Certè; idque monet vel ipse Adrianus, sed hæc à se dicta, quòd illam aliquorum de *errandi impossibilitate* sententiam, deditâ operâ, *evacuatam* vellet, neque in asserendis his, vanis certè, dubiis Sedis apostolicæ privilegiis, veræ pietatis partem nullam reponeret.

Pergit tamen Lovaniensis noster : « At Adrianus asserit certum esse quòd Pontifex possit errare : hoc si intelligeret de Pontifice, ut definiente et proponente toti Ecclesiæ aliquid fide credendum, neutiquam est certum : » tibi quidem forsitan; sed ipsi Adriano est certum. At *è contra,* inquis, *id* nedum certum sit, « manifestè est falsum, ejusque oppositum adeo certum, ut ab aliquibus habeatur de fide. » Quid ad nos, si ab aliquibus? Non ab Adriano quidem, qui eam sententiam *evacuare intendit.* Quare non Melchior Canus, quantumvis acerrimus pontificiæ infallibilitatis assertor, non ipse Bellarmi-

[1] *Labb., de Scrip. Eccl.* — [2] *Doct. Lov.*, art. L. p. 59.

nus[1], ut Lovanienses illi tergiversandum putant. Verùm Adrianum VI nominatim accensent iis, qui pontificiam infallibilitatem non agnoscunt : neque eo secius Bellarminus, *virum optimum et doctissimum* appellat[2], « qui merito doctrinæ et pietatis, ex humili domo in tantam dignitatem conscenderit. »

Jam verò Nicolaus Dubois, postquam Adriani verba retulit de romano Pontifice ita affirmantis : *Potest errare, hæresim per suam decretalem asserendo ;* respondet[3] : *Distinguo : si de potentiâ metaphysicâ loquatur Adrianus, etiam hoc transeat.* Quàm doctè ! Erant scilicet qui assererent Pontificem nec *metaphysicè* loquendo aut de potentiâ absolutâ errare potuisse ; eaque erat *errandi impossibilitas,* quam Adrianus evacuare intendebat. Et pulchrè *transeat,* nam si professori bilem moveris, fortè asserturus est romanum Pontificem, nec potentiâ metaphysicâ errare potuisse.

Quæ addit, quoniam non ad explicandum, sed ad confutandum Adrianum pertinent, hujus loci non sunt. Pudet tamen interim Adrianum tantum virum à professore Lovaniensi temeritatis hinc incusatum[4]. At subdit Adrianum pontificem factum, ea quæ hic scripserat revocasse ; nempe, inquit, docuerat confirmationis sacramentum ex delegatione pontificiâ, non posse conferri à simplice sacerdote. Quid tum postea ? « Pontifex factus etiam ipsemet ejusmodi commissionem dedit ; » quod Pater Farvaquez ex Pallavicino probat[5]. Quid ad nos ? Id certè quærimus, an illam *impossibilitatem errandi,* quam nunc Lovanienses quidam veluti pro fidei fundamento ponere velle videantur, cùm privatus doctor *evacuare intendisset,* saltem Pontifex factus, constabilitam, ac sua auctoritate retractata vellet. Neque ab eo scopo aberrare oportebat theologiæ professorem. Verùm hominem equidem vidi neminem, qui, quæ ad rem non faciunt, in exiguo quamvis libello, majore studio colligat et congerat.

Quare certum omnino est Adrianum VI eorum de quibus agimus nihil retractare voluisse. Quid jam Lovanienses quidam vociferantur in nos, perdita omnia et conclamata esse, « ac de summâ rei christianæ agi, cùm de infallibili supremâque Pontificis in universam Ecclesiam auctoritate agitur ? » Neque intelligunt nos quidem peti ab ipsis per Adriani latus : nec nisi conculcato tanto Pontifice, doctissimo pariter atque sanctissimo, et quod pudere debeat, in se beneficentissimo, suæque facultatis ornamento, clerum gallicanum oppugnari potuisse.

[1] *Mel. Can.*, lib. IV. c. 1 ; *Bell., de R. P.*, lib. IV. c. 2. — [2] *Bell., de Script. Eccl.*, an. 1516. — [3] *Part.* I. *refut. arg.*, etc. art. XV. n. 159. p. 82. — [4] *Ibid.*, n. 156, 157, 160. — [5] *Farvac., de Conf.*, q. IV ; *Pallav.*, lib. IX. c. 7, n. 11, 12.

Quare Lovanienses ac Duacenos pios et doctos, quos oppidò diligimus et colimus, aliosque viros bonos, etiam atque etiam obsecramus, ut cogitent, tantine illa sit summi Pontificis aut superioritas, aut etiam infallibilitas, à tot tantisque viris catholicâ fide ac pace florentibus impugnata, ut in eâ summam rei christianæ, aut firmissimam nostræ contra lutheranos defensionis arcem, aut Sedis apostolicæ majestatem vimque Ecclesiæ, ac decus Israelis collocent. Nos certè alia, Deo dante, minùs licet inflata verbis, re illustriora, meliora utilitate, atque auctoritate firmiora promemus.

CAPUT XIII.

An sit verisimile Parisiensium doctrinam post Adrianum VI à Lovaniensibus condemnatam? Lovaniensium erga Adrianum reverentia singularis.

Etiamsi post Adrianum Facultas Lovaniensis ejusque doctores, à priscis institutis deflexissent, non propterea Parisienses vituperandi, aut etiam condemnandi, sed potiùs laudandi essent, qui in antiquâ sententiâ perstitissent; atque ambæ Facultates pacem colerent, et à censurâ mutuâ temperarent. Sanè Parisienses et Lovanienses sese mutuò suspexerunt, atque suspiciunt; et ea quæ jam inde ab initio intercessit animorum mira conjunctio, nullo unquam facto dictoque violata est.

Prima facultas Lovaniensis, anno 1519, certa doctrinæ lutheranæ capita censurâ notavit: secuta Parisiensis, anno 1521, concordibus animis atque sententiis. Rursus prima Facultas Parisiensis in eumdem Lutherum et alios hæreticos, Francisco rege jubente, anno 1542, articulos edidit: secuta Lovaniensis, anno 1544, jubente Carolo V. Visos Lovaniensibus Parisienses articulos, atque eodem spiritu in eumdem scopum collimatum fuisse, et temporis ratio, et accurata utrorumque lectio facilè comprobabit: adeoque nihil fuit quod Lovanienses in Parisiensium articulis improbarent, ut simul fuerint editi et excusi in Joannis Driedonis operibus[1], accurante editionem Ruardo Tappero, Academiæ Lovaniensis cancellario, ac sacræ Theologiæ professore, quippe cùm conjunctos oporteret articulos utriusque Facultatis, ut concordia in Lutherum de catholicâ fide testimonia.

Utramque Facultatem, in tradendâ de romani Pontificis potestate doctrinâ minimè dissensisse multa persuadent; imprimis summa Facultatis Lovaniensis reverentia in Adrianum VI, quem in Parisiensium fuisse sententiâ, Bellarmino etiam teste, jam diximus. Primùm enim quo tempore illa edita est Lovaniensis Facultatis in Lutherum

1 *Vid.* post. tom. III. *Joan. Dried.*, fol. 170.

censura, totum id Adriani, tum cardinalis Dertusani, judicio factum. Id Jacobus Latomus major, cùm pro eâ censurâ scriberet, in præfatione luculenter exposuit; et censuræ præfixa ejusdem cardinalis epistola testatur, de quâ quidem Latomus ita est præfatus[1]: « Sufficere debuit judicium reverendissimi cardinalis Dertusensis, cujus probitas et sapientia, non modò præclaris libris editis, sed et maximis rebus orbi nota est; » ut propterea diceret non videri necessarium articulorum reddere rationem. Ex quo intelligitur quàm probarent Adriani libros. Atque is annis post duobus ad Petri cathedram est evectus: ac facilè intelligi potest, quanto honore prosecuti sint Pontificem, qui non modò cardinalem, verùm etiam privatum tantopere suspexissent.

Edidit postea Joannes Driedo sacræ theologiæ professor apud Lovanienses, anno 1533, librum *de Ecclesiasticis Scripturis et dogmatibus;* neque ita multò post librum *de Captivitate et Redemptione generis humani:* in cujus præfatione Adrianum VI miro affectu celebrat: « Observandissimus, inquit[2], meus in studiis theologicis præceptor, qui me in filium eruditionis susceperat, et præsidens mihi pileum magisterii in theologiâ imposuit, anno nativitatis Domini 1512, die 17 mensis Augusti; qui et usque in tempus fermè illud Lovanii resederat, totius nostræ Academiæ lumen et decus, postea illius nominis Pontifex VI. » Ex quibus intelligimus quanto amori et honori fuerit Lovaniensibus, quem nunc Nicolaus Dubois apertè contemnit[3]. Sed jam Lovanienses, qui circa Adriani tempora scripserint, theologos audiamus quandoquidem eorum nobis tanto ambitu objicitur auctoritas.

CAPUT XIV.

Jacobi Latomi, doctoris Lovaniensis, sententia.

Primus ab auctore anonymo *Doctrinæ Lovaniensium* designatur Jacobus Latomus, qui pro pontificiâ infallibilitate scripserit, libro de *Primatu romani Pontificis adversùs Lutherum.* Ego verò summâ diligentiâ, nulloque partium studio, quippe cui liceret etiam adversantem repudiare Latomum, ejus libros, ac maximè eos ipsos quos objiciunt excutio locos; et quidem de primatu multa reperio, de infallibilitate ne unum quidem verbum. Quis autem ferat istos de primatu tanta testimonia congerentes, quasi quis primatum ullâ ex parte labefactatum, ac non potiùs omni ope constabilitum velit? Dic tu aliquando de infallibilitate, quandoquidem in eâ placet summam fidei collocari. Sed ipsum per se audire Latomum præstabilius est, postea

[1] *Lat., Def. cens. Lov. admon. et epist. dedic.* — [2] *Vid. hanc præf.* — [3] *Part.* I. *refut. ar.* art. XV. p. 79 et pass. — [4] *Doct. Lov.*, p. 2 et seq.

quàm constituerimus quo loco, cùm id scriberet, Lutheri res essent. Fuerat autem à Leone X hæreseos condemnatus. Sic ergo habet Latomus[1]: « Nec valet, si dicatur judicium finale, in rebus fidei, esse apud generale concilium, à quo nondum est hæresis lutherana judicata et damnata : ergo non est ab omnibus pro hæresi habenda et vitanda : non, inquam, valet; quia Lutherus non habet unam aliquam hæresim particularem novam, et quæ priùs non fuerit; sed habet hæreses olim in conciliis damnatas, valdensium, viclefistarum et hussitarum, et similium, in quibus non est opus novâ sententiâ, sed antiqua sufficit.... Dato etiam quòd novam hæresim fecisset, non tamen opus esset synodo ad ejus damnationem, ut apertè probant verba Augustini : » (nota illa scilicet quibus Augustinus ostendit sine synodo *factum* pelagianis *esse competens sufficiensque judicium*) quo judicio facto, subjungit Latomus ex Augustino[2] : « Ad sententiæ executionem procedendum est adversùs hæreticos. Aliud est enim judicium sufficientissimum, aliud sufficiens. Sufficiens est enim, quando debito ordine per judicem competentem exercetur : sufficientissimum verò, quando non solum per judicem *competentem*, sed per judicem *supremum* cæteris paribus sententia fertur. Hæc verba video ab anonymo prætermissa, quæ maximè ad rem faciant. Pergit deinde Latomus : « Igitur non ingrediendo difficultatem, an Papa sit supra concilium, vel è converso ; satis est præsenti proposito, quòd hæresis lutherana à Sede apostolicâ damnata est. Nemo enim, nisi nimiùm contentiosus, negabit apostolicam Sedem esse judicem competentem ; cùm cautum sit canonibus, causas fidei ad Sedem apostolicam esse referendas. »

Quæ omnia si candidè et sincerè, uti theologum decebat, anonymus protulisset, nemo non statim videret judicium Sedis apostolicæ non proponi à Latomo, tanquam *finale* (de quo tamen judicio præcisè in objectione agebatur), aut tanquam infallibile, aut etiam *supremum*, quod tum ab ipso maximè dici oporteret, si tale esse sentiret, sed contrà proponi judicium illud Sedis apostolicæ, ut *competens*, quod etiam inferiori judici convenire possit, utque *sufficiens*, ad sententiæ scilicet, ut ipse hìc dixit Latomus, *executionem* : concilii verò, ut quod esset *sufficientissimum et supremum*. Quæ utcumque se habent, certè cum pontificiâ infallibilitate stare non possunt, cùm post infallibile judicium, nihil ulterius aut superius à quoquam desiderari possit. Quod verò Latomus scribit hæc à se dici, *non ingrediendo quæstionem, an Papa sit supra concilium, vel è converso* ; ita videtur intelligere, quemadmodum à Carthusiano dictum vidimus :

[1] *Lat., de var.*, quæst. tit. *An Prim. R. P. sit à Christo*, ed. *Lov.* 1550, fol. 88, 89v—[2] *Aug.*, lib. IV. *ad Bonif.*, tom. X. col. 192.

nempe ita ut Papa, licet synodo absolutè superior, ei tamen tanquam potiori luce donatæ in fidei negotio credere teneatur. Quem sensum aliis quoque superioritatis pontificiæ defensoribus placuisse ostendemus. Cæterùm de quæstionibus fidei nobiscum sentit Latomus, qui pontificio judicio conciliare judicium tanto discrimine anteponit; quique τὸ *supremum*, ac proinde *finale*, de quo agebatur, sententiæ pontificiæ in se consideratæ detrahit, cùm ei tribuat tantùm ut sit *sufficiens et competens*; et quidem id tribuat, opponendo *ad supremum sufficientissimum*.

Quomodo autem Latomus intelligat *sufficiens* illud; quod non sit finale, neque *sufficientissimum* et *supremum*, responderet, credo, id quod jam indicavimus: *sufficiens* esse ad id quod volebat, nempe ad sententiam exequendam. Nos autem quid sit illud apud Augustinum *sufficiens* et *competens*, Deo dante, exponemus: hic quidem Latomi dicta à nobis referri, non autem præstari oportet.

Profert anonymus alium Latomi locum ex libro III adversùs Tyndalum *, titulo ultimo [1]: *De auctoritate et prælaturâ romani Pontificis super Ecclesiam et quodlibet membrum ejus*. Hæc autem exscribit verba: « Quibus bene perpensis, apparet sano intellectui, quòd non justè romani Pontificis auctoritati contradicatur negando eum esse supremum et ordinarium judicem omnium et singulorum christianorum, in fide, sacramentis, et aliis omnibus. » Quo loco videtur pontificiæ auctoritati dare *supremum* illud, quod antea denegaverat. Hæc ut concilientur, neque inducatur Latomus adversùs se ipsum indecorè pugnans, proferenda erant alia, quæ anonymus prætermisit. Sunt autem ejusmodi [2]: « Non itaque rationabiliter dubitari potest, nec nisi impudenter negari hoc: romanus Pontifex est ORDINARIUS JUDEX SUPREMUS super unumquemque christianum, et quodlibet PARTICULARE CONCILIUM Ecclesiæ catholicæ; quidquid de universali concilio plenario et totâ Ecclesiâ simul congregatâ. » Hic Latomus exponit, quo sensu voluerit papam *supremum* esse *judicem*: duplici videlicet sensu: alter est, ut sit *supremus super unumquemque christianum et quodlibet particulare concilium*; quem sensum vidimus concilii Constantiensis et Martini V: alter est, ut sit *supremus ordinarius*, quæ verba sunt Latomi; hoc est *inter ordinarios supremus*, qui ordinariè semperque sedeat, et judicet; cùm synodi universales, non nisi ex certâ causâ, et extra ordinem habeantur, quarum

* Is novæ reformationis doctor, Novum Testamentum in vernaculam suam linguam [illegible] cam infidelissimè transtulit. Deinde hæresis postulatus Bruxellis, ibi vivus combustus est. [illegible] illi vis quædam ingenii, sed nimiùm vehementis et mordacis. Vid. De Larr. Hist. [illegible] p. 313. (*Edit. Paris.*)

[1] *Doct. Lovan.*, pag. 4, 5; *Lat., adv. Tynd.*, lib. III. tit. ult. fol. 191, vers.—[2] *Ibid.* [illegible] quæst. fol. 87.

proinde auctoritatem, cùm de ordinariis tantùm agat Latomus, expressè reliquit integram. An verò hæc omnia dissimulari oportebat, premique nos ad invidiam usque auctoritate Lovaniensium, quorum clarissima quæque dicta omisisses?

Tertio loco proponit anonymus [1] Jacobi Latomi responsionem quamdam adversùs Lutherum ita objicientem: « Concilium Constantiense determinavit concilium esse supra Papam, cujus tamen auctoritas à multis contemnitur. » Unde Lutherus concludebat sic: « Via nobis facta est enervandi auctoritatem conciliorum: nam ut dicunt, si in uno articulo errasse deprehenditur, jam tota ejus vacillat auctoritas. » Quâ in objectione solvendâ haud mediocriter Latomus laborabat. Reverà enim Cajetanus adversùs Almainum nostrum ea recens scripserat, quibus Constantiensis decreti auctoritatem elevaret, neque ipse, neque alii catholici cogitabant quem hæreticorum calumniis aditum aperirent. At Jacobus Latomus, qui neque catholicos accusare, præsertim Cajetanum tanti nominis cardinalem, neque quæstionis aliò traducendæ occasionem Luthero præbere vellet, multis agit, ut is quocumque modo victus esse, ac perperam objecisse concilium Constantiense videretur. Quare ait primùm à Luthero non posse adhiberi ejus concilii auctoritatem, cujus decreta in Viclefum lata ipse contemneret. Tum addit non propterea vacillare synodi auctoritatem, etiamsi in uno obscuriore articulo defecisset, quod tamen Latomus minimè fatebatur synodo contigisse. Negabat enim à Luthero vera relata esse concilii verba, aut extare concilii Constantiensis tale decretum quod *loqueretur universaliter de quâlibet synodo universali* Papæ anteponendâ. Quæ quidem et alia multa Latomus, dum miserè nimis metuit, ne quid Lutherus bene objecisse videatur, inficiatur contra gestorum fidem. Neque illud melius, quod negabat concilium, quo tempore ista decreta condiderat, fuisse œcumenicum, cum nihilo magis œcumenicum esset, cum ea ederet adversus Viclefum decreta, quæ contra Lutherum Latomus tuebatur. Sed hæc aliàs. Id modò ad rem nostram pertinet, quòd Latomus dum posteriora Constantiensia anterioribus opponit, illud decretum affert, quo adversus Viclefum statuitur [2], « Papam habere supremam auctoritatem in Ecclesiâ, quòd, inquit Latomus, non stat simul cum eo, quòd concilium sit superius Papâ. » Addit, factâ in concilio Papæ electione, « supremam auctoritatem jam esse in electo; » et concludit: « quòd quamvis Ecclesia sit major simpliciter quàm Papa, puta perfectione gratiæ, et amplitudine virtutum, tamen potestate jurisdictionis unus peccator potest esse major multis justis, et Papa major

[1] *Doct. Lov.*, art. II. p. 69, 70; *Lat., de Prim.*, etc., cap. IV. fol. 81. 82.— [2] *Conc. Const.*, *Sess.* VIII.

toto residuo Ecclesiæ corpore. » Ubi vox *potest esse*, non est affirmantis, sed ejus qui demonstrare velit, quoquo modo se res habeat, Lutheri argumentum non ita esse efficax, ac ille jactabat.

Utcumque est, hæc duo apud Latomum vidimus : et nunc Papam concilio superiorem ; et alibi concilium in fide superius, cujus quippe judicium sit *sufficientissimum et supremum*, cum Papæ judicium sit tantum *sufficiens et competens*. Hic si anonymus Latomum suum Latomo repugnare velit, absolvet nos profectò ab ejus viri auctoritate, qui à se ipso dissentiat. Sin autem velit Latomum sapientem esse virum, qui iisdem semper placitis vestigiisque insistat, Latomum cum Latomo conciliabit ita, ut postremum hoc de concilii judicio *sufficientissimo et supremo* ad fidei negotium pertinere dicat. Cæterùm non concilium propterea absolutè superius esse, cùm Papâ inferius esse possit, convocatione ipsâ, aliisque rebus gravissimis, quas Latomus ad rem suam minimè facientes, haud pertractare velit. Atque hanc sententiam non modò Dionysius Carthusianus suprà memoratus, sed etiam Turrecremata et alii Eugenianarum partium, in Eugenii etiam aulâ propugnabant, ut statim demonstrabimus. Quæ cùm ita sint, Latomum in infallibilitatis quæstione apertè faventem, in aliis quæstionibus non adversum habemus : cùm id non agamus, ut semper, sed ut certis tantùm casibus, iisque gravissimis et extraordinariis, in Constantiensi decreto designatis, ad concilium recurratur. Quòd autem auctoritatem decreti Constantiensis Jacobus Latomus infregerit, ne Lutherus bene argumentatus esse videatur, parum certè curamus, et Constantienses canones à Latomo non satis consideratos esse ostendemus ; et melioribus argumentis, non quidem uti Latomus, inficiando quæ certa sunt, Lutheri audaciam retundemus.

CAPUT XV.

Joannis Driedonis Lovaniensis sententia, de fide Petri nunquam defecturâ.

Equidem intelligo fore quàm plurimos, qui nos in Jacobi Latomi explicandâ sententiâ plus laborasse sentient, quàm ejus viri, docti licèt, auctoritas postulabat. Atque iidem graviùs succensebunt, quòd in exponendo Joanne Driedone, multò plus opere collocaturi sumus. Sed cùm ea quæ dicemus, non modò ad intelligendos Lovanienses articulos, sed etiam ad hujus quæstionis statum animo informandum, multum opis allatura sint ; labori non parcimus, ut ea elucidentur ; speramusque futurum, ut lectores operæ in eâ positæ non pœniteat.

Joannes Driedo, quod ipse gloriatur, Adriani VI discipulus, anno 1533, opus edidit *De ecclesiasticis Scripturis et dogmatibus*, ex cujus operis libro IV, capite III, parte II et III, anonymus multa transcri-

bit[1], pleraque insincera, quod lectorum monemus, ut ipse perpendat, si rem tanti esse putet; pleraque extra rem. Sed nos quæ ad rem conferant diligentissimè seligemus.

Igitur ex IV libro memorato, postquam anonymus suo more, de primatu multa descripsit; hæc de Driedone subdit: « Deinde, inquit, parte tertiâ ejusdem capitis, pergens ad demonstrandam romani Pontificis infallibilitatem, etc. » Atqui Driedo de eâ ne unum quidem verbum, sed nimirum de primatu quæstione absolutâ, alteram quæstionem, quæ una ad rem nostram faciat, exponit his verbis[2]: « Jam operæ pretium considerare, quemadmodum sit accipenda sententia, ex Scripturis docens, fidem ad consummationem sæculi non deficere unquam à Petri cathedrâ seu Ecclesiâ Petri. » Hic ergo videamus an Driedo, vel semel dixerit, ita eam accipiendam esse sententiam, ut romanus Pontifex Petri successor, sive ut persona privata, sive ut persona publica, sit infallibilis.

Et quidem Driedo quæstionem soluturus, triplicem ponit intellectum hujus sententiæ, quòd fides Petri nunquam deficiat. « Sciendum est, inquit, quòd verbum Christi Patrem rogantis pro Petro, potest concipi sub triplici intellectu : vel primùm pro eo ut fides nunquam deficiat à corde Pontificis universalis Ecclesiæ, nec videlicet à personâ Petri, nec à personâ Pontificis :.... vel secundò, ut fides nunquam deficiat à generali cathedrâ, à sede, ab universali Ecclesiâ, seu ovibus ipsius Petri :... vel tertiò, ut fides non deficiat unquam à propriâ sede, vel diœcesi, quam Petrus peculiariter pascendam, dirigendam et gubernandam suscepit. » Hic nota divisionem quam Driedo ut adæquatam ponit : an fides sit defectura à personâ Pontificis, an ab Ecclesiâ universali quam regendam habuit, an à diœcesi quam peculiariter regendam suscepit. Personam autem Pontificis indistinctè ponit, nulloque discrimine, an considerare velit ut personam privatam, an ut personam publicam ; sed de Pontifice, quamcumque personam gerat, simul ac generatim quæstionem instituit : neque Pontificem ut privatam personam opponit Pontifici ut publicæ personæ, sed personam Pontificis generatim sumptam, opponit Ecclesiæ universali, ac diœcesi romanæ. Quâ divisione factâ, triplicique posito sensu, triplicem etiam proponit quæstionem. Ac primam, de Pontifice Petri successore, his verbis expedit : *Primus intellectus* (de fide non deficiente in corde et personâ Pontificis) *videtur esse extra intentionem Salvatoris*. Id probat, quia consequens esset, *omnes successores Petri ad perseverantiam fidei esse prædestinatos*; quod falsum esse supponit.

Absoluto primo verborum Christi intellectu, qui extra intentionem

[1] *Doct. Lov.*, art. I. p. 10, 11.— [2] *Dried.*, *de Eccl.*, etc., fol. 233, vers.

Salvatoris esset, jam se Driedo convertit ad duos intellectus, quos à Christo intentos esse docet : et secundum intellectum, de cathedrâ et Ecclesiâ universali Petri, hoc est ipsâ Ecclesiâ catholicâ, sic aggreditur : « Secundus intellectus, inquit, est fide tenendus propter verbum Salvatoris : *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* [1] : et, *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam* [2]. Ex quibus, inquit, consequens est Christum permansurum cum episcopatu, et Ecclesiâ, et sede Petri, usque in consummationem sæculi. Hoc autem non est sic consequens de episcopatibus seu Ecclesiis aliorum apostolorum, deficientibus jam à fide suis ipsorum gregibus. »

Patet ergo de secundo intellectu : nempe de fide esse, Petri episcopatum seu Ecclesiam nunquam defecturam ; quòd ille episcopatus et Ecclesia Petri nihil aliud sit quàm ipsa Ecclesia catholica : quâ in re, ipse Petrus multùm differt à cæteris apostolis ; quòd hi singularium Ecclesiarum duces, totum gregem amittere, Petrus verò toti præpositus, non magis possit oves suas omnes amittere, quàm Christus ; cùm Christus nullas habeat, quæ non etiam Petri sint sub Pastore Christo. Qui sensus planus est, et fide absolutè certus, ut meritò Driedo docet.

Jam ad tertium intellectum, an fides sit defectura in peculiari Ecclesiâ et diœcesi Petri, sic procedit [3] : « Aliud potest intelligi Ecclesia seu cathedra Petri, aliud Ecclesia seu diœcesis romana. Siquidem Ecclesia seu diœcesis romana potest intelligi esse destructa, permanente cathedrâ Petri, quæ est cathedra universalis Ecclesiæ. Unde et tertium intellectum pertinaciter hæretici refellunt. » Ac paulò post : « Fuerunt jam olim et alii, qui non pertinaciter, sed quasi probabiliter, sententiam defendere voluerunt, ex Scripturis nobis incertum esse, an diœcesis romana deficiat unquam à fide, et idcirco esse temerarium asserere alteram partem quasi articulum fidei, cùm neutra sit ex Scripturis necessariò consequens ; neque uspiam revelatum sit, quòd omnes christiani à Turcâ non expellentur unquam à romanâ diœcesi. » En tertius intellectus, quem ab aliquibus etiam non hæreticis, rejectum esse dicit. Atqui hunc intellectum confirmaturus ipse, primùm affert contraria argumenta, et addit : « Hæc et similia sunt, ex quibus hæretici et alii quidam nimiùm pertinaciter * arbitrantur stultum et temerarium esse, si quis doceat Ecclesiam romanam super alias Ecclesias præsidentem, sic à Christo esse privilegiatam, ut ab eâ non deficiat unquam, neque fides, neque primatus pontificalis. »

Vides profectò quod quærat : ac primùm nihil jam de Pontifice,

[1] *Matth.*, XXVIII. 20. — [2] *Ibid.*, XVI. 18. — [3] *Dried.*, *loc. cit.*

* Mox dixit Driedo hæc doceri *non pertinaciter*. Ergo ille pugnantia loquitur. (*Edit. Paris.*)

sive ut privato doctore, sive ut docente ex cathedrâ. Quæ ad personam pertinent, jam expedita sunt. Deinde nihil etiam de universali Ecclesiâ, cujus fidem deficere non posse, ex antè dictis constitit; sed quærit illud tantùm, an fides et cum fide primatus, in diœcesi Petri ejusque successorum, unquam interire possit.

Affert postea probationes, quæ nihil ad nos attinent; cùm non hic inquiramus rectène probaverit, sed quid concluserit. Concludit autem sic allatis Patrum testimoniis : « Non temerè igitur, sed piâ fide cum Patribus nostris prædecessoribus credimus, quòd fides et primatus Ecclesiæ et sedes seu cathedra Petri, claves regni cœlorum, potestas ligandi et solvendi, sunt à diœcesi romanâ inseparabiles; et quòd Deo providente, et beato Petro opem ferente, romanus Episcopus, seu populus sub romanâ diœcesi, non deficiet unquam totus à fide. »

Atque ut semel elucescat, ad quem scopum collimaverit, hæc ejus verba audienda sunt [1] : « Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui Jacobus præsedit; defecit Achaia, ubi Andreas; Asia, ubi Joannes; India, ubi Thomas; Persis, ubi Judas; Æthiopia, ubi Matthæus; Græcia, ubi Paulus : romana Sedes hactenus manet in fide Christi erecta. » Quæ quidem anonymum docere debuissent, quid Driedo aversetur; nempe id, si quis diceret romanam Ecclesiam, etiam particularem, aliis similem esse, quæ cùm Episcopo ipsâque episcopali sede à fine penitus excideret, fieretque cathedra jam erroris aut schismatis. Id quidem Driedo docuit nunquam Romæ eventurum, quod nos ultro amplectimur; atque insuper addimus, quantumcumque in Romam fremerent inferorum portæ, ac sacræ urbis, quod absit, fundamenta concuterent, non propterea prævalituras contra Petri cathedram; sed eam semel à Christo Ecclesiæ catholicæ datam, integram permansuram, Sedique sacrosanctæ, modo quo sciverit, provisurum Deum, neque futurum unquam ût ipsa Pontificum, qui Petri loco sint, successio ac series, à verâ fide avellatur; quod quidem et Driedo sensit, et omnes catholici confitentur.

Quod autem Driedo nunquam futurum docet, ut in urbe Româ, in romanâ diœcesi, in romano solo, fides et primatus intereant, id quidem non video, ut in nos intorqueri possit. Neque enim clerus gallicanus somniavit fore ut romana Ecclesia particularis, seu romana diœcesis cum Episcopo et plebe suâ penitus intercidat, populusque romanus totus cum suo Pontifice à fide abrumpatur, et primatus Ecclesiæ aliò transferatur, quæ hic Joannes Driedo adversùs quosdam, ut ait, catholicos, explicanda, probanda, tuenda suscepit, Neque verò id ullo modo pertinet ad concilii Constantiensis decreta.

1 *Dried., ibid., Vid. Doct. Lov.*, art. I. p. 12.

quæ clerus gallicanus suâ Declaratione complexus est; neque eam quæstionem synodus Constantiensis, vel leviter attigit. Neque si quis Pontifex suo officio malè functus aliquid contra fidem, etiam decreto facto docuerit, ideo populum totum, atque Ecclesiam totam particularem romanam cum eo defecturam consequens est: cùm nec Joanni XXII hæresim prædicanti crediderit; ac nihilo magis etiam definienti, uti tum res erant *, creditura fuisse videretur. Neque verò ille Pontificis, etiam contumacis, quantuscumque defectus, urbi Romæ, romanæque diœcesi fraudi esse posset, ut propterea Petri sedes loco moveretur, et primatus aliò traduceretur; sed pravum Pontificem statim amoveri, aliumque ab Ecclesiâ substitui oporteret, qui tamen haud secius sederet Romæ, uti Pisis primum atque iterum Constantiæ decretum factumque est. Quare immeritò quidem moderni Lovanienses, ista Driedonis, nihil sibi profectum, jactant.

Id verò ad nostram quæstionem facit, quòd ille enumerans quæ ad interpretationem spectent divinæ pollicitationis hujus: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* eum sensum prætermisit, quo diceretur fides etiam in Pontificis corde deficiens, in ejus tamen, non modò Ecclesiâ illâ universali, aut etiam diœcesi particulari, romanâ scilicet, sed etiam decretis permansura semper: quem sensum et prætermisit, et Dominicis promissis contineri non posse intelligit.

Rogo enim ad quam tripartitæ divisionis partem pertinere velint eum sensum quem venditant? An ad fidem quæ personæ Pontificis insit? an ad eam quæ universæ Ecclesiæ? an ad eam quæ romanæ diœcesi? Non quidem ad fidem primo modo consideratam. Ita enim est modus, quo fides deficere possit, in corde scilicet et pectore Pontificis: isti autem quærunt eam fidem quæ deficere nequeat: non ad eam quæ deficere non posse credatur, Ecclesiæ catholicæ, vel diœcesis romanæ fidem: aliud enim est in Pontificis sive privatâ, sive publicâ personâ; aliud in Ecclesiâ universâ, aut in diœcesi romanâ deficere non posse fidem. Nempe hæc duo sunt, quæ promissa à Domino fuisse Driedo asserit; ut ab Ecclesiâ catholicâ nunquam avellatur fides; ut à diœcesi romanâ, non fides, non Petri cathedra, primatusque apostolicus: quæ profectò stare vidimus, quidquid evenerit uni vel alteri romano Pontifici, eorumque fidei.

Nequè verò Driedo hìc cogitavit fidei declarationem publicam et authenticam, quæ in romano Pontifice labefactari non possit. Nec mirum: cùm enim hìc fidem interpretetur, non externam fidei decla-

* Populus romanus suis infensus Pontificibus, qui Avenione degebant, erat propensus ad Papæ decretum, etiam optimum respuendum, ne illi addictus, quàm ad malum recipiendum, ut in illo colendo studiosus videretur. (*Edit. Paris.*)

rationem, sed ipsam intus fidem, quâ in Christum creditur; ad eum profectò sensum, nuda illa et externa fidei declaratio minimè pertinebat; certumque omnino erat Christi promissione minime comprehendi omnes Petri successores, cùm eos infideles esse posse constaret. Quare haud immeritò illa nunquam defectura fides, à Driedone redigitur ad Ecclesiæ catholicæ, aut ad peculiaris Ecclesiæ romanæ fidem; quoniam Ecclesia catholica et peculiaris romana omnium Ecclesiarum caput, infideles esse non possint.

Sic igitur patet eum ab Adriani magistri sententiâ non recessisse, neque ab iis interpretationibus, quas ab antiquis glossis auctoribusque depromptas, Petro Alliacensi, ac Dionysio Carthusiensi aliisque probatas esse vidimus.

At enim existimavit, inquies, « in romanâ Sede hactenus nullum sedisse hæresiarcham, qui docendo definierit aliquid fidei nostræ repugnans, neque hæresim ullam illinc sumpsisse initium [1]. » At quod factum non sit hactenus, ille quidem dicit; an continuò dixerit nihil unquam tale evenire posse, demonstrandum tibi erat. Certè multa mala, quæ nundum evenerint, evenire posse Driedo confirmat. Neque enim dicit fidem in alicujus romani Pontificis corde defecisse; sed dicit tamen expressè, ne id unquam fieret, Christum non fuisse pollicitum. Neque ait unquam factum esse, ut aliquis in eâ sede contumaci animo hæresim docuerit, sed planè id fieri posse asserit; et tum nimirum, « si contumax fuerit, deponendum esse, vel declarandum propter contumaciam ab Ecclesiâ fuisse depositum, à tempore ex quo talia docere aut prædicare cœperit [2]. » An autem quod ille contumax crediderit, docuerit, prædicaverit, etiam pertinaciter sub anathematis pœnâ, quo nunc omnia redigunt, definire non possit, Driedo ne quæsivit quidem : adeo absonum et à Christi pollicitis alienum visum est.

At, inquies, dixit totum id quod docuerit de diœcesi romanâ indefectibili, Petri et successorum ejus privilegium esse. Certè et quidem maximum, quòd ei diœcesi præfecti sunt, quam nunquam à fide abrumpi posse arbitretur. Magna gregis dignitas, quæ in Pastorem redundet.

At enim ea dignitas gregi convenit ratione Pastoris. Respondeo non ratione Pastoris hujus, vel illius, in cujus corde vel prædicatione fides deficere possit, teste Driedone, sed ratione *dignitatis pastoralis*, ut jam ipse dicebat : ratione *primatus Petri* in eâ Ecclesiâ divinâ ordinatione collocati. Hinc enim efficitur, ut neque illa Ecclesia, neque episcopatus ejus à fide penitus avellatur unquam, ne in eâ scilicet, unà cum ipsâ fide primatus intercidat.

[1] *Dried., ibid.; Doct. Lov.*, art. I. p. 18. — [2] *Dried., ibid.*, cap. IV. fol. 240.

Driedonem secuti sunt Lovanienses alii, eodemque sensu commendarunt Petri non defecturam fidem, ut Judocus Ravestein Tiletanus, in *Doctrinâ Lovaniensium* relatus [1] : qui sanè, quanquam pontificiæ infallibilitati favebat, et romanos Pontifices ab aliquot historicis erroris incusatos, ab eâ notâ vindicandos putabat, non in eo tamen præcisè vim cathedræ ac fidei romanæ reponebat, sed in eo maximè, quòd « ut etiam concederetur, aliquos Pontifices romanos privato errore laborasse, semper tamen ipsa fidei veritas in successione, tanquam fidissimâ veritatis conservatrice, permansisse verissimè diceretur [2]; » quando errorem prædecessoris, succedens Pontifiex continuò emendasset.

CAPUT XVI.

Articuli Lovaniensis Facultatis, anni 1544, ex præcedente doctrinâ explicantur, et cum Parisiensibus, anni 1542, conferuntur : cathedra Petri nunquàm defectura.

Hæc certa et firma, atque à Driedone sunt præclarè explicata, ex quibus secuti Lovanienses, articulos composuerunt eos, quos aliquot annis post Driedonem mortuum, anno videlicet 1544, die 6 decembris, Carolo V jubente, ediderunt.

« XXI. Firma fide tenendum est, unam esse in terris veram atque catholicam Christi Ecclesiam, eamque visibilem, quæ ab apostolis fundata, in hanc usque nostram ætatem perdurans, retinet et suscipit quidquid de fide et religione tradidit, tradit, et traditura est. cathedra Petri, super quam ita à Christo suo sponso est ædificata, ut in iis quæ fidei sunt et religionis errare non possit.

XXV. Certâ fide tenenda sunt, non solùm quæ in Scripturis expressè sunt tradita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ catholicæ credenda accepimus, et quæ definita sunt super fidei et morum negotiis, per cathedram Petri, vel per concilia generalia legitimè congregata [3]. »

Quid sit cathedra Petri, Driedo exposuit : hoc est primo loco, cathedra universalis illa, Ecclesia scilicet catholica, primatu Petri gaudens, in quâ nullo modo defecturam fidem, ut de fide absoluta; ac secundo loco, cathedra particularis, seu diœcesis romana, in quâ etiam, ut romana est, non defecturam fidem, *piâ sanctâque fide atque ex fidei pietate* crederet.

Quare nec à cathedræ quidem particularis illius, quæ nunc Romæ, Deo auctore, constituta est, perpetuâ traditione certoque et constanti dogmate aberrandum esse pervulgata jam erat sententia, quam

[1] *Doct. Lov.*, art. I. p. 13, 14. — [2] *Judoc. Ravest., Apol. cont. Illyr.*, cap. I. — [3] *Act. Lov.* post. tom. III; *Dried.*, p. 170, 171.

tunc Lovanienses ex hujus viri apud se et doctrinæ ac pietatis laude florentis sensu, in suos articulos transtulere.

Sic certâ fide tenendum esse docent, quòd *cathedra Petri*, Ecclesia universalis, Petro ut capiti adunata, definiat : articulo XXV. Quod autem ibidem disjunctivè dicunt, *cathedram Petri, vel concilia generalia*, nempe significant non esse necesse semper ab Ecclesiâ congregatâ et concilio generali judicium proferri; sed valere omnino quæcumque Ecclesia catholica, universalis illa, et semper inconcussa Petri cathedra protulerit, sive expressè per se, in œcumenicâ synodo pronuntians, sive auctore romano Pontifice, et in ejus decreta consentiens. Atque hoc certè erat quod aliis verbis, articuli Parisienses superiùs relati [1] dixerant : nempe articulo XVIII, Ecclesiam universalem errare non posse : » item articulo XXII : « Concilium generale Ecclesiam universalem repræsentans errare non posse; » cujus quidem Ecclesiæ catholicæ nomine, Parisienses, Petrum etiam qui caput sit, ejusque cathedram comprehendunt; quemadmodum Lovanienses cathedræ Petri nomine universalem etiam Ecclesiam complectuntur, uti jam vidimus certissimis rationibus à Driedone esse confectum. Ita illud quòd concilium universale, sive illud, quòd cathedra Petri certò et absolutè errare non possit, unum idemque est, Ecclesia scilicet catholica; quandoquidem Pontifici ex traditione definienti, non desit Ecclesia consentiens, et rursus concilio judicanti adsit Pontifex, convocandi, agendi, decernendi auctor, ex cujus utriusque complexu existat illud, sub quo captivari omnem intellectum oporteat, Spiritûs sancti judicium.

Neque propterea cathedram universalem Petri ab ejus cathedrâ particulari, quæ nunc, Christo providente, Romæ est, ullo modo sejungimus; neque refugimus, imò complectimur quod iidem Lovanienses de cathedrâ singulari Petri credendum proponunt : nempe Ecclesiam ita « super eam à Christo esse fundatam, ut errare non possit [2]; cùm id profectò constet toti Ecclesiæ, hoc est, capiti et membris, fide et charitate connexis, à Christo esse promissum.

Suscipimus etiam cum Lovaniensibus « quidquid de fide et religione tradidit, tradit et traditura est cathedra Petri, » etiam illa singularis, hoc est profectò, non quod unus fortè Pontifex, sed quod ipsa Pontificum successio et series et Ecclesiæ romanæ Ecclesiarum matris, perpetua et constans et firma professio, pro certe fidei dogmate tenuerit, docuerit, prædicarit; cùm jam professi simus eam seriem ac successionem nunquam à fide abrumpendam [3]; ac si quid unquam, quod absit, erroris irrepserit, Deo adjuvante, fore ut, vel

[1] *Sup.*, cap. I.— [2] *Art. Lov.*, XXI.— [3] *Sup.*, cap. XV.

Sedes romana per se ipsa respuat, vel tota Ecclesia catholica pro capite connixa restituat.

Hæc summatim et breviter nondum ut planè explicemus, atque argumentis probemus; sed ut interim doceamus Parisiensis matris et Lovaniensis filiæ, ab initio ad postrema usque tempora, unam et cohærentem esse sententiam. Neque ambæ de summo Pontifice diversa docent, cùm et Parisienses docuerint « unum esse jure divino romanum Pontificem, cui omnes obedire tenentur; » et Lovanienses jam relatis articulis hos quoque interponant.

« XXIII. Unus est Ecclesiæ summus Pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus judicium controversiæ quæ super fide et religione existunt sunt referendæ.

XXIV. Summam hanc præposituram primus omnium gerit sanctus Petrus, verus Christi in terris Vicarius, et totius familiæ ejus Pastor: post Petrum verò, ex Christi institutione, omnes deinceps Pontifices, Petri in cathedrâ successores [1]. »

Vides in articulis Lovaniensibus, cùm romanus Pontifex nominatur, ei attribui ut obediatur, et ad eum quæstiones fidei referantur, ut summam in Ecclesiâ præposituram gerat; quæ ab omnibus catholicis admittuntur. Cùm ad eam devenitur auctoritatem, quæ errare non possit, jam non ipsum Pontificem, sed *cathedram Petri et generale concilium* nominari: quæ quidem rectène an secus distinguantur, nondum est disceptandi locus. Certè hìc distincta accuratè esse, et à Joanne Driedone sumpta perspicuum est: atque hæc ad fidem catholicam pertinentia, Lovanienses æquè ac Parisienses mentis hæreticis opponenda esse censuerunt: haud ita veritati reique sacrilegiæ consulturi, si opponerent ea quæ etiam inter catholicos spectare non ignorabant.

Neque abludebant aut ipse Driedo, aut reliqui Lovanienses magistri ab Adriani sui sententiâ, cujus apud ipsos tanta erat auctoritas. Dicturus enim Adrianus, etiam in fidei determinationibus, errare posse Pontificem, sic præfatus erat: « Si per Ecclesiam romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est quòd possit errare [2]: » ne scilicet dicere videretur, in Ecclesiâ romanâ sive universali, sive particulari statim defecturam fidem, si in Pontifice defecisset.

Quòd si obstinatè volunt per articulos Lovanienses damnatam esse doctrinam quæ Pontifici quoque infallibilitatem detraheret, ergo non modò Lutherum, aliosque hæreticos, quod sibi proposuerant, verùm etiam Adrianum VI, Jacobum Latomum, et Joannem Driedonem sui temporis viros maximos, ac suæ scholæ lumina condem-

[1] *D'Arg.*, etc.; tom. I. p. 413; et post. tom. III. *Dried.*, p. 171, vers.— [2] *Sup.*, cap. [illegible]

narunt : gratissimum facturi lutheranis, suæque censuræ elevaturi auctoritatem, quòd certa cum incertis æquè confudissent, et sanctissimorum virorum doctrinam cum infandâ hæresi unâ sententiâ reprobassent.

Neque Ruardus Tapperus post illos articulos scribens, Joannem Driedonem in his damnatum approbasset, cùm ejus librorum editionem accuraret : neque postea Joannes Viggers, id quod jam audivimus [1], cùm de Adriano VI tractaremus, diceret, *ab aliquibus haberi de fide*, quòd Pontifex sit infallibilis : neque tam contemptim *aliquibus* tantùm de fide esse diceret, quòd sua Facultas condemnatura Lutherum in suos articulos retulisset.

Eumdem Viggerum postea audiemus de eâdem infallibilitate dicentem, *communiter* hanc teneri, et contrariam sententiam judicari *improbabilem* [2].

Improbabilem verò tantùm, quam sua Facultas unà cum Lutheri erroribus proscripsisset? Nemo id sanus dixerit, adeoque Lovanienses aliò spectasse, eò nempe quò vidimus, quod et nos rationibus adstruximus necessariis.

CAPUT XVII.

Joannis Driedonis sententia de superioritate Papæ cum Parisiensium sententiâ congruit : horum reverentia in summum Pontificem : locus Majoris.

Plerique eorum qui Papam concilio anteponunt, sic agunt ut Parisienses non rejiciant, sed ut eos, summâ ipsâ secuti, verborum magnificentiâ vicisse videantur, ut illi inflatiùs tantùm, nostri simpliciùs candidiùsque dixerint. Id, in hâc quæstione imprimis intellectu necessarium, vel unus Driedo maximè comprobabit. Atque is quidem primâ fronte à nostris vehementissimè discrepare videtur; quippe qui doceat Papam, « ex jure divino habere quòd à nemine possit judicari, aut condemnari, neque ullam communitatem esse cui subjiciatur, neque subjici concilio ut superiori, et habenti sublimiorem potestatem supra ipsum [3]. »

At qui rem penitus inspexerit, facilè comperiet Driedonem eorum esse numero, quos diximus à Parisiensibus abhorrere visos, summâ tamen ipsâ, atque aliis verbis cum ipsis consentire.

Et primùm quidem docet Papam, « in causis fidei et schismatis personam ejus tangentis *, subjici judicio universalis Ecclesiæ :..... et si contumax fuerit deponendum, vel certè declarandum ab Ec-

[1] *Sup.*, cap. XII.— [2] *Fid. Doct. Lov.*, art. I. pag. 39.— [3] *Dried.*, tom. IV. *de Libert. Christ.*, lib. I. c. 9. p. 31.

* Loquitur hic Driedo de eo schismate quod Paparum crearet multiplex electio, tum cùm nosci non posset quis Papa esset, quis verò anti-Papa. (*Edit. Paris.*)

clesiâ fuisse depositum[1] : » quæ in idem recidunt. Ergo ex tribus casibus, quibus Parisienses concilium Constantiense secuti, Papam synodo subjiciunt, fidei, schismatis et reformationis generalis in capite et in membris, jam profectò in duobus, Driedone teste, Papa subjectus est. Nunc de tertio casu, reformationis scilicet, quid idem auctor sentiat audiamus.

Ac statim quidem occurrit ille locus ab anonymo Lovaniensi indignis mutilatus modis, quem nos integrum referemus[2] : « Concilium generale, quamvis neque potest neque debet plenitudinem papalis potestatis à Christo commissam Petro et successoribus ejus tollere, aut diminuere; sed de illâ gratias agere Deo qui dedit talem potestatem hominibus : potest tamen, pro ædificatione Ecclesiæ, *usum illius potestatis limitare certis legibus et statutis*, quibus ipse Papà debet acquiescere, nimirum subjectus æquitati naturali ac divini juris. » Quæ sunt manifestè à Gersone sumpta. Sic enim ait Gerson[3] : « Ecclesia vel generale concilium, quamvis non potest tollere plenitudinem potestatis papalis, à Christo supernaturaliter et misericorditer collatæ, potest tamen ejus *usum limitare, certis regulis et legibus*, in ædificationem Ecclesiæ; et in hoc est totius Ecclesiæ reformationis stabile fundamentum. » Neque verò nostri quidquam aliud volunt, cùm Papam in negotio generalis reformationis subesse concilio ex Constantiensi canone decernunt. Quare in reformationis casu, quod jam quærebamus, assentitur Driedo Parisiensibus, pontificiam potestatem conciliari potestate, limitari et temperari posse.

Atque hujus quidem loci primam partem, ea scilicet verba quæ Pontifici superioritatem omnimodam asserere videbantur, tanquam absolutè dicta essent, anonymus protulit : sustulit verò ea, quæ *usum limitarent* atque temperarent, ut profectò pudeat theologiæ professorem in allegandis theologis tam infideliter esse versatum.

Neque minùs fallaciter alios Driedonis locos retulit. Gravis ea est quæstio, et à canonistis in utramque partem pertractata, quibus causis Pontifex à concilio generali judicari possit. Et quidem qui pontificiæ potestati favere velle videntur, unum hæresis causam memorant propter quam Papa indubius ab Ecclesiâ judicetur. Hos Driedo sequi visus est, cùm dixerit, « Papam notoriè hæreticum, vel de hæresi suspectum et diffamatum judicari quidem posse; sed eo tantùm casu, si videlicet sit notoriè hæreticus, vel de hæresi suspectus et diffamatus[4]. » Quem locum anonymus urget rectè; sed sequentia dissimulat[5] : « Rationabiliter autem præsumitur suspectus

[1] *Dried., de Script.*, etc., lib. IV. c. 4. fol. 240; *Vid. Doct. Lov.*, art. II p. 72.—[2] *Doct. Lov.*, *ibid.*; *Vid. Dried., de Libert. Christ.*, lib. I. c. 14. cons. IX. fol. 40, vers.—[3] *Gers.*, t. I. p. [illegible]—[4] *Dried., loc. cit.*, fol. 40.—[5] *Doct. Lov.*, art. II. p. 72.

ipse de hæresi, quando adeo notoriè et incorrigibiliter scandalizat Ecclesiam, ut vita ejus sit Ecclesiæ tanquam exemplum, et doctrina hæresis, seu fidei prorsus à Christo alienæ. »

Nec mirum hæc sensisse, secutum alios canonistas multos, et glossam illam celebrem in caput, *Si Papa* : « Certè credo quòd si notorium est crimen quodcumque, et inde scandalizatur Ecclesia, et incorrigibilis sit, quod inde possit accusari : nam contumacia dicitur hæresis [1]. »

Jam de indubitato Pontifice hæc Driedo dicit magnificis sanè verbis : « Ecclesia quandiu tenetur habere Papam pro indubitato Papâ, debet ipsum ut Vicarium Christi, custodem suum et Pastorem nominare, et ipsum, juxta apostoli doctrinam, VELUT SENIOREM non increpare, sed obsecrare ut patrem [2], et honorare ut dominum : » quæ quidem anonymus statim arripuit; sed sequentia prætermisit : « Nihilominùs tamen hujuscemodi Vicarius, Ecclesiæ sponsus, si fuerit frigidus, maleficiatus, et adulter, adeoque sit ad generationem filiorum spiritualium inhabilis, ut nihil sibi sit curæ de sponsâ Ecclesiâ, potiùs generans filios spurios satanæ, jam existimari potest de hæresi suspectus; atque ita rationabiliter Ecclesia potest dubitare, an persona illa sit indubitatus Papa, sicuti rationabiliter tum dubitare potest, an sit pertinax hæreticus. »

Hæc Driedo [3] : ex quibus infert, contra ejusmodi Papam valere ea omnia, quæ in concilio Constantiensi contra dubios Pontifices scandalosos acta essent; atque hæc copiosissimè exequitur et probat : quæ lector, si tanti res est, ab ipso auctore repetat.

Hæc postquàm Driedo dixit, totum illud caput concludit his verbis : « Ex his diligenter consideratis perspicuum esse potest, quonam modo concilium universalis Ecclesiæ est supra Papam, et è contrario Papa supra concilium. » Sic mutuò sese exsuperant, sed diverso respectu : quæ ita conciliantur, ut Pontifex in ordinario regimine, et ordinariis casibus, concilium verò in extraordinariis, quæ à Driedone commemorata sunt, antecellat. Neque verò nostri, Cameracensis et Gerson, et alii omnes, aliter intelligunt. Unde Joannes Major noster Pontificem ait esse superiorem *regulàriter* in ordinario regimine : concilium autem *casualiter* certâ causâ, certis casibus; et addit : « Hic modus cuilibet sapienti Pontifici debet esse gratior, licèt dicamus concilium esse casualiter super Pontificem, et posse eum corrigere. Cum hoc enim dicimus Papam ex institutione Christi non esse deponibilem, nisi gravissimâ causâ; quæ vix ter contigit mille annis [4]. »

[1] *Dist.* XL. c. 6; *Dried., loc. cit.*— [2] 1 *Tim.*, v. 1.— [3] *Dried., loc. cit.*— [4] *Maj., de auct. Conc. sup. Pap., etc., in app.*, t. II; *Gers.*, p. 1139, 1140; *et Tract. de Eccl., ibid.*, p. 1145.

Cur autem isti casus tam rari prævidentur, an necessariâ ratione, an pravo animo, ac maledicendi libidine? non jam à nostris, sed etiam à Driedone et aliis omnibus quærere te oportet. Respondebant sanè Ecclesiam æternitatis suæ pariter atque infirmitatis humanæ consciam, canones condidisse, quorum operâ, adversùs insolites etiam et extraordinarios casus certa remedia compararet : eò verò canones Constantienses esse institutos, eosque à Driedone Lovaniensi ita esse intellectos, ut nemo Parisiensium graviora et fortiora dixerit.

Clerus verò gallicanus ne ea quidem attigit; sed tantùm Constantienses canones asseruit tanquam disciplinæ ecclesiasticæ et reformationis omnis certissimum ac necessarium fundamentum. Quare adeo Driedo nobis non est opponendus, qui aut nostra damnaverit, aut iis contraria sanxerit, ut potiùs eum ulteriùs quoque progressum esse videamus.

CAPUT XVIII.

Alii Driedonis loci exantiuntur. Iterum de cathedræ Petri auctoritate, ex eodem scriptore.

Ex his facile est reliqua intelligere quæ ex Driedone in hunc locum adducuntur.

Objicitur istud [1], quòd decreta Constantiensia exponens, concilii auctoritatem in Papam, ad hæresis vel schismatis casum redigere videatur. « Papa, inquit [2], in causis fidei et schismatis personam suam tangentis atque concernentis, subjicitur judicio universalis Ecclesiæ. Quamobrem si ipse fieret hæreticus aut schismaticus, aut argumentis probabilibus de his suspectus,... esset ab Ecclesiâ... monendus,... judicandus.... deponendus,... vel depositus... declarandus. » Cui loco addit anonymus, « sicut ante jam exposuerat libro *De libertate christianâ* : » ne id quidem cogitans, librum *De libertate christianâ* esse ultimum opus Joannis Driedonis, cui componendo sit immortuus, ut vel præfatio testatur. Id gravius quod sequentia tacet : « Quamvis primatus Papæ SUPER OMNES PARTICULARES ECCLESIAS sit constitutus jure divino, non hinc tamen oportet consequens esse eumdem Papam in causis propriis jus divinum concernentibus, non esse subjectum potestati universalis Ecclesiæ. » Ubi 1° notandum illud : *Papæ primatum jure divino constitutum*, non super universalem Ecclesiam, sed *super omnes particulares Ecclesias*, quod ex Constantiensibus deductum fontibus, Driedo ubique inculcat, ut legenti patebit. Tum illud : « Nihilo secius Papam esse judicandum ab universali Ecclesiâ, in causis propriis jus divinum concernentibus. » Quod quidem latiùs patet, quàm hæresis, vel

[1] *Doct. Lov.*, art. II. p. 72.—[2] *Dried., de Script.*, etc., lib. IV. cap. IV. fol. 240.

schisma, et jura tantùm positiva excipere videtur. Quæ hic generatim dicta, Driedo in libris *De libertate christianâ* fusiùs, postea, uti vidimus, et diligentiùs exequitur.

Objicitur et locus hic[1] : « Quemadmodum romana Ecclesia, in quâ residet apostoli Petri successor, est omnibus Ecclesiis prælata, ad quam fidei magistram et matrem, omnes majores totius Ecclesiæ causæ recurrunt, sumentes terminum seu finem, juxta sententiam ejusdem Ecclesiæ, cujus vis et potestas ecclesiastica est in Pontifice ejusdem Ecclesiæ; ita et romanæ Ecclesiæ sententia prævalet omnibus sententiis aliarum Ecclesiarum, à romanâ Ecclesiâ discrepantium, » particularium scilicet, uti mox audivimus ab ipso interpretatum, non autem *universarum* etiam in synodo collectarum. Neque tamen in omnibus casibus ad œcumenicam synodum recurri necesse est : rectè enim ait Driedo, « majores etiam causas sumere terminum seu finem juxta sententiam ejusdem Ecclesiæ romanæ, » regulariter scilicet et in ordinario regimine; in ordinariis casibus, non certò in extraordinariis, ut jam vidimus, in libro *De libertate christianâ* ab hoc auctore unà cum Parisiensibus summo consensu fuisse traditum.

In romanâ etiam Ecclesiâ fidei quæstiones haud secus atque aliæ regulariter finem accipiunt, cùm sit plerumque tanta consensio, ut ad synodum œcumenicam non necessariò recurratur : quæ omnia ex antedictis clara et aperta sunt, et in sequentibus clariùs elucescent.

Diximus etiam ita esse Ecclesiam catholicam constitutam, ut in capite suo, in Petri scilicet cathedrâ singulari prævalere et insidere non sinat hæresim, quâ per contumax propositum à fide abrumpatur penitus, adeoque omnem Ecclesiam à certo et constanti Ecclesiæ romanæ dogmate discrepantem, à fide alienam et schismaticam esse.

Et quidem certum est, quod ait Driedo, Ecclesiæ romanæ particularis illius *vim et potestatem ecclesiasticam in suo Pontifice esse.* Neque enim Ecclesia romana per se aut absolvit aut ligat; sed Pontifici romano, Petri successori, id juris à Christo concessum est. Si tamen, quod absit, fides in Pontificis alicujus corde, aut etiam doctrinâ, prædicatione, decreto, vel ad contumaciam usque defecerit (quod ne fieret, negat Driedo, uti vidimus, à Christo esse promissum), non propterea Ecclesia romana vim suam ac potestatem amitteret; nihilo profectò magis quàm, Pontifice mortuo, amittit; cùm semper supersit in Ecclesiâ semen, quo vis illa excitetur, seu potiùs explicetur; et Ecclesia romana mater Ecclesiarum neque à fide abrumpatur, neque primatu excidat.

[1] *Dried., ibid., Doct. Lov.*, p. 71.

Atque hæc erant quæ de Jacobo Latomo, et Joanne Driedone Lovaniensibus, pro lectoris expectatione, fortasse nimia; pro Lovaniensium articulorum intellectu, congrua; pro ipsius quæstionis summâ explicandâ et constituendo statu, necessaria diceremus. Quæ omnia, Deo dante, progressu orationis haud mediocriter illustranda et confirmanda esse confidimus. De aliis Lovaniensibus ætate posterioribus, quæ ratio postulaverit, loco suo exponemus.

LIBER SECUNDUS.

QUOD DECLARATIO GALLICANA AB OMNI CENSURA SIT IMMUNIS, PROBATUR EX AUCTORIBUS PARISIENSIUM SENTENTIÆ ADVERSANTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Joannes à Turrecrematâ pontificiæ potestatis sub Eugenio IV defensor præcipuus, in fidei quæstionibus concilii auctoritatem Papæ auctoritati anteponebat : communis erat tum illa sententia : Bulla, *Deus novit*, sub Eugenii nomine edita.

Hic quærimus an antiquiores scholastici et canonistæ, qui conciliorum superioritati vehementissimè omnium adversantur, à nobis omnino diversa senserint, et an in quibus dissentiant, pari immodestiâ cum recentioribus sævierint? Eugenii IV certè tempore, quo maximè efferbuit illa contentio, è fratrum prædicatorum ordine Joannes à Turrecrematâ *, sacri Palatii apostolici magister extitit : acris ingenii vir, quem Eugenius ipse unum Basileensibus vel maximè opposuit, et de se bene meritissimum evexit ad purpuram. Is ergo, cùm Papam concilio superiorem vehementissimè assereret, tamen in apologiâ sive responsione pro Eugenio IV, quam cum ipsis Basileensibus coram Pontifice tractans, ejusdem Pontificis jussu, vivâ voce primùm, deinde etiam scripto protulit, hæc habet : « Si talis casus contingeret, quòd Patres universi in synodi universali convenientes unanimiter aliquam definitionem fidei facerent, cui sola persona Papæ contradiceret : dicerem judicio, quòd synodo standum esset, et non personæ Papæ. Judicium enim tantorum Patrum universalis unius synodi, in materiâ fidei, meritò præferendum videtur judicio unius hominis : in quo casu optimè venit illa glossa quæ habetur in caput *Anastasius*, dist. XIX, *quòd ubi de fide agitur*,

* Joannes à Turrecrematâ sive TORQUEMADO, sic dictus ab oppidulo veteris castellæ *Torquemada*, in quo natus est, scholasticâ subtilitate haud scio an parem habuerit. Ejus præterea dicendi genus asperum est, seu potiùs ferreum ac penè barbarum. Erat in hodierno jure canonico non parùm versatus, in antiquâ Ecclesiæ disciplinâ et in doctrinâ Patrum non admodum doctus. (*Edit. Paris.*)

Papa tenetur requirere concilium episcoporum [1]; quod intelligendum est quando casus est valde dubius, et synodus convocari poterit, et tunc synodus major est Papâ, non quidem potestate jurisdictionis, sed auctoritate discretivi judicii et amplitudine cognitionis [2]. »

Quid sit judicium discretivum, canonistarum et theologorum ejus ævi sensu, facilè intelliget, qui apud ipsos passim legerit duplicem clavem, alteram *discretionis* ac *scientiæ*, quâ verum à falso discernitur; alteram, *jurisdictionis* ac *potestatis*, cùm aliquid pro potestate et sub pœnâ decernitur. Porrò decretum illud, seu judicium juridicum, maximè in rebus fidei, discretivo judicio niti constat. Neque enim quis de fide decernat aliud, quàm quod discretione et scientiâ verum esse perspexerit. Quare Turrecrematæ certum erat, concilii auctoritatem, quocumque tandem nomine appellandam, Papæ auctoritati omnino anteponendum esse.

Quid si Papa esset contumax? Nam id quoque prævidit. Audi quid post relata verba statim subdiderit : « Ubi autem id ita eveniret, inquit [3], quòd talibus quæ ad fidem pertinere tota synodus, per apertissima testimonia sacræ Scripturæ aut sanctorum Patrum doctrinam, unanimiter declararet, Papa acquiescere, OBEDIRE, et stare nollet, sed contumaciter contradiceret, talibus apertè ad fidem catholicam pertinere declaratis, jam utpote hæreticus, subjectus veniret concilio, sicut quilibet alius à fide devius. » Vides apertissimè Papam in fidei quæstione à synodi sententiâ contumaciter discrepantem; neque eo secius à sanctâ synodo, Papâ contradicente, supremo judicio quæstionem definitam, et in Papam pro potestate animadversum, et synodi stare sententiam. Hæc Turrecremata, cùm is pontificiæ auctoritati, quanta excogitare posset maxima, à Christo attributa esse vellet, ipso Pontifice audiente et approbante, dixit, ac jubente perscripsit.

Neque verò tum quisquam eâ de re ambigebat. Idem enim docet eâdem ætate Petrus de Monte *, episcopus Brixiensis, jurisconsultus nobilis, et Eugenianarum partium studiosissimus : nempè ubi agitur de fide et schismatis causâ, etiam indubium Pontificem à synodo deponi posse, ac « si contrariatur sententia Papæ sententiæ concilii, potiùs standum esse sententiæ concilii [4]. » Quin etiam edita est tum Eugenii IV nomine, bulla *Deus novit* [5], à Turrecrematâ, ut videtur,

[1] *Dist.* XIX. c. 9. — [2] *Turrecr., Apol. seu resp. ad Basil.*, t. XIII. *Conc.*, col. 1071. — [3] *Ibid.*, col. 1701, 1702.

* Petrus de Monte, Venetus, loco obscuro natus, plurimâ doctrinâ floruit. Charus fuit Eugenio IV, à quo factus est primùm protonotarius apostolicus, deindè, anno 1442, Brixiæ episcopus. Vid. Ital. sacr. tom. IV, pag. 754. Reperies in alterâ appendice Conc. Labb. tractatum Petri de Monte, *de Monarchiâ*. (*Edit. Paris.*)

[4] *Petr. de Mont., tract. de Monarc., in app.* II. *Conc. Labb.* — [5] *Bull. Eug. IV*, tom. XII. *Conc.*, col. 537.

dictata : adeo cum ejus scriptis, sensus, spiritus, ipsa denique verba conveniunt. Ibi, quantumcumque pontificiam potestatem in immensum extollerent, sic tamen dicebant : « Si Papa vel legatus ejusdem nollet disponere aliqua, contra concilium affectaret ; Papæ sententia, vel ejus legati personam Pontificis repræsentantis, non concilii voluntas sequenda foret ; cùm super omnia concilio Papa habeat potestatem ; *nisi fortè quæ statuenda forent, catholicam fidem respicerent*, vel si non fierent, statum universalis Ecclesiæ publicè perturbarent ; quia tunc *concilii sententia esset potiùs attendenda.* »

Video nunc plerosque eos qui conciliis Pontifices anteponant, ita animatos esse, ut pontificiam auctoritatem, eam quæ concilio attribuit, in fidei quæstionibus maximè eminere putent. At contrà Ingenii tempore, quo exarsit maximè illa de conciliorum auctoritate dissensio, cùm Pontificem synodo in omnibus anteferrent, generalia negotia, ac præcipuè fidei, excepta volebant : in iis concilium prævalere, ut certum supponebant.

Qui tamen si rogarentur an propterea concilio Papam subjicerent (mirum et incredibile), præfractè negabant. Nam tunc « synodum majorem esse Papâ, non potestate jurisdictionis, sed auctoritate discretivi judicii, et amplitudine cognitionis » audivimus [1] : et « licet reverâ sit ipso Papâ minor, majorem tamen dici, sed diverso respectu ; quòd Papa cùm per hæresim à papatu cadat, factus est omni fideli minor. » Et alia hujusmodi ex anterioribus canonistis et glossis, subtiliora quàm solidiora jactant. Quæ si ad fidem pertinere pugnaciter velis, ac Pontificem re subjectum, et in ordinem à synodo redactum, verbis tamen superiorem dici ; næ tu ad minuta et levia, christianæ doctrinæ gravitatem auctoritatemque deducis.

CAPUT II.

Alii Turrecrematæ loci de concilii potiori auctoritate in materiâ fidei ; quibus summus Pontifex erronea solemniter definire possit. De pontificiâ infallibilitate ludibria et cavillationes.

Hæc quidem sunt, quibus Turrecremata cum Basileensibus agens, superioritatem pontificiam tuebatur. Nec minùs memoratu digna sunt, quæ jam cardinalis edidit ingenti opere, cui titulus est, *Summa de Ecclesiâ.*

Hic, libro III, capite LXIV, quæstionem proponit, *Cujus judicio standum sit, si in concilio universali contingat Patres à Papâ vel ejus legato dissentire* [2] : quo loco varios casus ponit, sed hunc præcipuum, quo « prædicta contrarietas sit in materiâ fidei nondum defi-

[1] *Turr., ibid.*, col. 1701. — [2] *Ibid., sum. edit. Venet.*, 1560, fol. 352, vers.

nità, sed quæ noviter per concilium veniret definienda : tunc, inquit, in tali casu ponitur ista conclusio, quòd magis regulariter standum foret judicio Patrum totius concilii, quàm judicio romani Pontificis. »

Miraris Turrecrematæ conclusionem : audi probationes, imprimis verò hanc [1], « quòd ut Bernardus * dicit (canonista quidam) quæ major superbia, quàm quòd unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei? propter quod Archidiaconus ** approbans glossam præfati capitis *Anastasius*, dicit : Periculosum esset fidem nostram committere arbitrio unius hominis. » Hæc ait de Papâ, eo casu, quo *materia fidei noviter definienda veniret per concilium* ; quæ immane quantùm discrepant ab iis quæ nunc jactari audimus [2] : nempe quòd Papæ sententia totius concilii sententiæ anteponenda sit, et quòd in conciliis œcumenicis Patres à Papâ habeant ut recta decidant.

Quod autem Turrecremata dixerat, concilii sententiam anteponendam esse *magis regulariter*, sic explicat, « quia, inquit, non esset impossibile, quòd quandoque unus homo et maximè Papa, multiplici respectu, in aliquâ materiâ meliùs sentiret cæteris omnibus. » At profectò si crederet Papam, vel solum, in materiâ fidei, de quâ agit, esse infallibilem, et ab eo accipere Patres ut rectè decidant; neque Papam conferre debuisset cum alio quovis, neque verò sic dicere : « Impossibile non est quòd Papa melius sentiat cæteris omnibus ; » sed è contra : impossibile est quin Papa meliùs sentiat quàm cæteri omnes, à quo quippè habent cæteri omnes ut recta decidant.

Neque valet distinctio discretivi ac definitivi judicii. Planè enim quem necesse sit in definitivo judicio, eumdem in discretivo quoque sentire meliùs, necesse est. Cùm nisi priùs *discreverit*, verumque à falso subtilissimè separaverit, vera definire non possit.

Pergit Turrecremata : « Quando talis controversia in materiâ fidei orta esset inter Papam et Patres concilii » (nempe de quâ non ita perspicuum est utri meliùs sentiant, nec omnino videtur impossibile unum meliùs sentire cæteris, etsi id quoque certò non constet), tunc, « licèt universitas Patrum sequenda esset, utpote judicio discretionis præeminentior et superior, nihilominùs nihil videretur

1 *Turr., sum. edit. Venet.*, fol. 353.

* Bernardus Compostellæ, qui tertius numeratur decretalium collector, vixit XIII sæculo. Is decretalium priores libros commentarlis illustravit, quinque libris quæstiones addidit, ac præterea quorumdam aliorum librorum auctor ipse est. (*Edit. Paris.*)

** Archidiaconus Bononiensis (Guido Basius), qui Gratiani decretum commentatus est, vulgò allegatur sub eo nomine, *Archidiaconus*, ut Joannes Antonius DE S. GEORGE, præpositus Mediolanensis, ac deindè cardinalis Alexandrinus, alter decreti commentator, sub illo nomine, *Præpositus*. Vid. Douj. Hist. Jur. Can. part. II, cap. XXII. (*Edit. Paris.*)

2 *Doct. Lov.*

conciliariter concludendum, quousque concorditer Papa et Patres in unam simul convenirent conclusionem et sententiam. »

Id quidem omnino intelligi patet de dubiis ac maximè ambiguis. Nam ita dicentem audivimus [1] : quò in iis « quæ ad fidem pertinere TOTA SYNODUS, per apertissima testimonia sacræ Scripturæ aut sanctorum Patrum doctrinam, unanimiter declararet, Papa concilio obedire teneretur, ac repugnans condemnandus deponendusque esset. »

Utcumque est, qui in solâ consensione Pontificis cum concilii Patribus vim certam definiendi reponit, et quandiu dissentiunt, rem totam in suspenso esse decernit, rogo bonâ fide, ecquid de pontificii infallibilitate cogitet? Nisi fortè infallibilem, secluso concilio, statim, eo congregato, sua infallibilitas deserit, vacatque tum illud : *Non deficiat fides tua*, et : *Confirma fratres tuos*; quæ quis sanus dixerit?

Ac ne de Turrecrematæ sententiâ ampliùs litigetur, quid in eodem opere dixerit audiamus. Exponere aggreditur detegendæ pertinaciæ viginti modos : quo loco sic ait [2] : « Decimus septimus modus convincendi specialiter Papam de pertinaciâ in hæreticâ pravitate est, si errorem definit solemniter, et à christianis asserit tanquam catholicum esse tenendum; » quo quid est clarius?

Hæc libro IV docet connexa et apta cum iis quæ libro II scripserat [3] : « Ad istam objectionem, cùm arguitur de Papâ facto hæretico, et definiente pro hæresi suâ, dupliciter respondetur : quidam enim volunt dicere, quòd casus non est possibilis quoad hoc, quòd Papa possit definire hæresim. Dicunt enim quòd in hoc casu Deus non permitteret eum definire hæresim, aut aliquid contra fidem, sed eum prohiberet. » Hæc sibi ex aliorum mente objicit. At ipse paulò post : « Nobis autem aliter videtur dicendum. » Ergo rejicit eos qui negant à romano Pontifice, dictâ sententiâ, hæresim definiri posse.

Quomodo autem hæc congruant cum iis quæ hoc loco et alibi passim inculcat : Sedem apostolicam, atque etiam romanum Pontificem in decretis fidei esse infallibilem, sic explicat : « Nobis autem aliter videtur dicendum; videlicet quòd ratio illa non sit ad propositum nostrum; quia si romanus Pontifex efficitur hæreticus, ipso facto quo cadit à fide Petri, cadit à cathedrâ et sede Petri, et per consequens, judicium quod faceret talis hæreticus, non esset judicium apostolicæ Sedis; imò nec judicium alicujus auctoritatis est dicendum aut momenti; quia cùm per hæresim cecidisset à prælatione, per consequens auctoritate judicandi privatus esset. »

Eò autem processit, ut diceret per occultam quoque ac *tantùm interiorem hæresim*, Papam statim, ipso facto, loco cadere, tanquam

[1] *Vid. Sup.*, cap. I. — [2] *Turr.*, lib. IV. part. II. c. 16. fol. 388. — [3] *Ibid.*, lib. II. c. 112, fol. 208. mal. 258.

à Deo depositum [1]. Quo quidem facilè tuetur id quod sæpè dixerat : « Romani Pontificis judicium, in iis quæ fidei sunt, errare non posse. » Non quia romanus Pontifex, datâ sententiâ, errorem definire non possit, sed quòd definiendo, imò verò etiam credendo, desinat esse Pontifex : quo jure omni episcopo infallibilitatem facilè adscribemus, si cum eodem Turrecrematâ semel dicimus, qui prava credat et definiat, eum non jam episcopum esse, ipso scilicet errore dejectum ; imò fideles omnes hæreticos esse posse negabimus, cùm hæresi fideles esse desinant.

Hæc quidem omnes, sat scio, vana nugatoria esse dicent ; sed habemus interim claram Turrecrematæ sententiam, quòd romanus Pontifex non modò errare in fide, sed etiam errorem, prolato judicio, solemniter definire possit. Cæterùm haud me fugit, quàm parum sibi interdum constare videatur : nobis ipsa fluctuatio ac variatio sufficit. Certè Turrecrematæ perpendi operosiùs et conciliari dicta, tanti non est.

CAPUT III.

Antonii de Rosellis ejusdem ævi canonistæ Eugenianarum partium sententia.

Florebat per eamdem ætatem Antonius de Rosellis * Aretinus, consiliarius pontificus ac cæsareus, ejusdem ævi canonista nobilis, Eugenianarum partium, qui tamen in libro de monarchiâ hæc habet [2] : « Credo quòd si Papa statueret contra fidem, vel bonum universalis Ecclesiæ, vel in casibus, in quibus sibi non licet, et in quibus concilium est supra Papam, quòd, licèt ab iis statutis non posset appellari, quòd saltem poterit in talibus querelari ad concilium, et ad ipsum habere recursum, cùm sit superius per suprà dicta. » Tum [3] : « Solius Papæ judicium submittitur judicio concilii universalis in his casibus, in causâ fidei, schismatis, et ubi agitur de bono universalis Ecclesiæ ; et ita postremò statuit diebus meis generale Constantiense concilium. »

Et ille quidem tradit [4] : « Si papa manibus propriis infinita homicidia commisisset, à nullo posse judicari. » Item : « Si commisisset millies simoniam. » Denique in uno casu hæreseos Papam à concilio judicari posse dicit, reprehenditque cardinalem Florentinum aliter sentien-

[1] *Turr.*, lib. IV. cap. 18, 19, 20, et pass. *Vid.* lib. II. cap. 109. fol. 252, et pass.

* Antonius de Rosellis, Eugenii IV in concilio Basileensi strenuus defensor, se deindè addixit imperatori, cui fuit à secretis. Dionysius Simon, *Bibl Jur. can. et civ.*, dicit Rosellium, amaro in Pontificem animo propter denegatam sibi cardinalatûs dignitatem, scripsisse tractatum *de Monarchiâ*. Quòd si ita est, ruit argumentum hic à Bossuet ex Rosellii testimonio depromptum. Sed ne ei Dionysio Simon assentiamur id vetat, quod de Rosellis, quem is fingit in Pontifices malevolum, eo ipso in libro, pontificiam auctoritatem supra omnem modum amplificat et exaggerat. (*Edit. Paris.*)

[2] *Anton. de Ros.*, *Monar.*, part. III. cap. 7 ; *Gold.*, tom. I. p. 252. — [3] *Ibid.*, c. 27. p. 446. — [4] *Ibid.*, p. 443.

tem; sed confestim addit : « Quòd item est in omni delicto scandalizante Ecclesiam, ut Papa possit pro ipso à concilio judicari, quando monitus, stat incorrigibilis, et in suâ obstinatione persistat. Nam talis contumacia dicitur hæresis; » quod quidem est à nostrorum sensu discrepare verbis, re ac sententiâ convenire.

Cùmque apertè doceat à Papâ, etiam lato judicio ac statuto illio, doceri posse hæresim, cogitur dicere ea verba, *ne deficiat fides tua*, referri non ad Pontificem ut privatam personam, non ad Pontificem etiam de fide decernentem, sed ad Ecclesiam : « Concilium, id est Ecclesia et collectio fidelium, errare non potest. Nam oravit Redemptor noster pro Ecclesiâ, NE DEFICERET FIDES SUA, dum Christus dixit : *Ego*, Petre, *pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* »

Unde paulò antè dixerat : « Concilium Africanum... non dimisit ista pericula decidenda summo Pontifici soli; sed voluit concilium generale adhiberi. » Et paulò post : « Nam, ut dicit Archidiaconus, periculosum foret fidei causam unius hominis judicio relinquere. » Non igitur excogitabat Papam solitariè decernentem, sed Papam cum concilio, sive cum Ecclesiâ, pro cujus fide oravit Christus, esse infallibilem.

Hæc scribebant sub Eugenio IV, flagrantibus dissidiis, qui ei erant addictissimi, ab eoque opibus ac dignitatibus augebantur.

Dionysium Carthusianum, pontificiæ licèt potestatis studiosissimum, sub Nicolao V, Eugenii successore, eadem sensisse vidimus; ut communem eam fuisse sententiam certo certius sit.

CAPUT IV.

Sanctus Antoninus archiepiscopus Florentinus, an bonâ fide relatus ab anonymo auctore, qui de libertatibus gallicanis scripsit.

Per eadem ferè tempora floruit sanctus Antoninus è prædicatorum ordine archiepiscopus Florentinus, quem auctor tractatûs *De libertatibus*, veluti præcipuum pontificiæ potestatis atque infallibilitatis assertorem laudat. Et quidem nihil clarius videtur esse verbis illis, quæ idem anonymus profert : « Papa in his quæ pertinent ad fidem, errare non potest, scilicet ut Papa in determinando, etiamsi ut particularis et privata persona [1]. » Quem tamen locum cùm totum proferemus, liquidò apparebit nihil nocere nobis. Sed priùs Antonini universam doctrinam considerare placet.

Primùm ergo, Summæ tomo III, sive tertiâ parte, titulo XXIII, de conciliis universalibus, capite primo, sic ait [2] : « Basileense concilium congregatum priùs canonicè, sed post dissolutionem ejus, seu mu-

[1] *Antonin., Summ. Theol.*, part. IV. tit. VIII. cap. 3. § V. p. 138, *edit. Ven.*, 1582; et *Anon. de Libert.*, lib. VII. c. 13. n. 11.—[2] *Anton.*, p. 410.

tionem, per Eugenium papam IV, anno 1437, factum est conciliabulum. » Ergo anteriora Basileensia ante hanc dissolutionem, sive potiùs translationem, pro canonicè actis habet Antoninus; licèt in his actis Constantiensia decreta firmentur, ut suo loco videbimus.

Capitulo II, paragrapho 6, probandum suscipit, « quòd concilia generalia non possint præfigere legem Papæ, » quo loco superiorem conciliis Papæ potestatem videtur agnoscere. Sed addit [1] : « In concernentibus fidem, concilium est supra Papam : » ac paulò post : « Item dico quòd, in concernentibus universalem statum Ecclesiæ, non potest Papa disponere contra statutum generalis concilii, si statuendo decoloraretur status ipsius Ecclesiæ. » Hæc igitur sunt quæ restringant Antonini propositionem, « quòd concilia generalia non possint præfigere legem Papæ. »

Eodem capitulo, paragrapho 7, quærit « quando concilium dicatur legitimè congregatum. » Quo loco hæc habet : « Ubi Papa esset hæreticus, vel de hæresi suspectus; tunc ad eum non spectare videtur potestas congregandi concilium. » En ergo casus ab ipso Antonino admissus, quo concilium sine Papâ non modò congregetur, sed etiam de fide judicet.

Capitulo III, vehementissimè favere videtur potestati Papæ, ac probandum suscipit [2], « quòd non liceat appellare à Pontifice romano ad ipsius successorem vel generale concilium, et quòd sentire quòd à romano Pontifice possit ad quemcumque appellari, est hæreticum manifestè. » Interim ex antecedentibus constat obtemperandum non esse, si contra concilii auctoritatem ea statueret, quibus *Ecclesiæ decoloraretur status*. Sic qui tanto studio appellare vetant, rationem tamen ineunt, quâ decreta pontificia in universalibus causis cassa habeantur.

Ibidem, paragrapho 4, duas objectiones proponit; secunda est ejusmodi [3] : « Contingere posset, quòd Papa hæreticus esset, et vellet hæretica statuta condere; quod si contingeret, deficeret fides Petri, quia non esset qui in hoc casu posset resistere, nec teneretur Ecclesia hæreticis statutis ejus obedire. Videtur ergo, in hoc casu saltem, licitum esse ad aliquem appellare. Ad illud dicendum sicut priùs, quòd licèt ut persona singularis ex motu proprio agens errare posset in fide, sicut scribitur de Leone, contra quem Hilarius Pictaviensis ad concilium generale venit; tamen utens consilio et requirens adjutorium universalis Ecclesiæ, Deo ordinante, qui dicit : *Ego rogavi pro te*, etc., non potest errare. Nec potest esse quòd universalis Ecclesia accipiat aliquid tanquam catholicum, quod est hæreticum, quia Ecclesia universalis, quæ est sponsa, et erit semper, et est non

[1] *Anton., ubi sup.*, pag. 415, 416. — [2] *Ibid.*, p. 417. — [3] *Ibid., ubi sup.*, p. 418.

habens maculam neque rugam. » En, secundùm Antoninum, quid sit Pontificem errare posse in fide, *ut personam singularem*. Non enim hic intelligendus est Pontifex publicum et apostolicum officium exequens, quod nunc volunt, sed Pontifex *ex motu proprio agens*. Quid sit autem Pontifex agens ut Pontifex, idem Antoninus exponit; nempe ut sit Pontifex « utens consilio et requirens adjutorium universalis Ecclesiæ, » cujus proinde sententiam *Ecclesia universalis accipiat*. Quo sensu omnes cum Antonino profitemur Pontificem, ut Pontificem, errare non posse, atque omnino constat in eo esse vim, secundùm Antoninum, *quòd Ecclesia universalis errare non possit*, atque ut *sponsa semper sit, non habens maculam neque rugam*.

Id ipsum liquidò constat Summæ IV parte, titulo XII, capite IV *De errore Fraticellorum*, paragrapho 28, quo loco Fraticellis Joannis XXII decretalem ut hæreticam, et Nicolai III decretis contrariis insimulantibus, sic respondet [1] : « Sed ipsi pessimi homines sunt, hæretici veri, quia asserunt contra determinationem catholicam factam per Ecclesiam et Joannem XXII, et omnes successores ejus, verus catholicos summos Pontifices, et omnes alios prælatos Ecclesiæ et doctores utriusque (juris scilicet), et magistros plurimos in theologiâ cujuslibet religionis, acceptatam, examinatam, et approbatam ut verissimam. « Quo loco demonstrat quòd sit verum apostolicum et jam irreformabile pontificium judicium; nempe illud, quòd à Papâ prolatum, ab universali Ecclesiâ *acceptatum, examinatum, approbatumque* sit. Sic ergo ex Antonini mente, Pontifex docens, ut Pontifex atque ut persona publica, sive, ut nunc loquuntur, *ex cathedrâ*, est Pontifex, ut vidimus, utens *consilio et adjutorio universalis Ecclesiæ, quæ errare non potest*; atque ex ejus sententiâ ita pronuntians, ut ejus sententiam *acceptatam et examinatam*, ipsa Ecclesia *approbet* : quod est certissimum.

Ex his clarè patet, quo sensu dixerit Papam errare non posse ut *Papam*, etiamsi errare possit *ut particularis et privata persona*. Quem locum anonymus non tantopere venditasset, si quid esset Papa, ut Papa, quid Papa ut persona particularis et privata ex aliis sancti Antonini locis scrutari voluisset.

Quin etiam eum locum, quem affert, non legit integrum : sic autem habet parte IV, titulo VIII, capite III, paragrapho 5 [2] : « Fides universalis Ecclesiæ non potest deficere, dicente Domino Petro, *Ego pro te rogavi*; et quantùm quidem ad personam Petri intelligitur de defectu finali, ut scilicet, quòd non periret persistendo in negationis peccato : quantùm autem ad Ecclesiam, quæ intelligitur in fide Petri simpliciter verum, quia non potest Ecclesiæ fides deficere. Ratio

[1] *Anton., ubi sup.*, pag. 208.— [2] *Ibid.*, pag. 138.

quare Ecclesiæ fides in generali deficere non potest est, quia divinâ Providentiâ Ecclesia regitur, scilicet à Spiritu sancto eam dirigente ut non erret, et licèt Papa in particulari errare possit, ut in judiciabilibus, in quibus proceditur per informationem; aliàs in his quæ pertinent ad fidem errare non potest, scilicet ut Papa in determinando, etiamsi ut particularis et privata persona » possit..

Quæ cum antè dictis mirè congruunt, patetque Ecclesiam eam esse, quæ directa à Spiritu sancto errare non possit; Papam ex Ecclesiæ nomine et sensu pronuntiantem, errare non posse. Quod autem ex Ecclesiæ sensu pronuntiaverit, certum et ultimum argumentum esse, si Ecclesia Papæ sententiam *examinatam acceptet et approbet.*

Jam quod Antoninus ait in prædicto paragrapho 4, capite III, titulo XXIII tertiæ partis, nequidem à Papâ hæretico appellari posse, nihil habet difficultatis. Hujus enim rei causa est, ut ait Antoninus, quòd alioquin *Ecclesia* satis per se valet, ut *non teneatur hæreticis ejus statutis obedire.* Quæ docent in his omnibus, quæ adversùs appellationes à Papâ, tanto conatu agunt, de verbis potiùs quàm de ipsâ re agi, atque Antoninum summâ ipsâ nobiscum consentire. Jam quod de Leone et Hilario Pictaviensi scribit, lector eruditus viro sanctissimo condonabit, atque horum temporum inscitiam et ἀνιστορησίαν agnoscet.

CAPUT V.

Thomas à Vio, cardinalis Cajetanus, pontificiam infallibilitatem asserit, nullâ in adversarios censuræ notâ : primus omnium docuit erroneam esse sententiam quæ superioritatem concilio assignet, cui repugnat Turrecremata, et Cajetani tempore Dominicus Jacobatius cardinalis.

At initio anteacti sæculi, Thomas à Vio Cajetanus * ex prædicatorum ordine, vir acris ingenii, argumentandi arte magis, quod apud omnes constat, quàm ecclesiasticæ antiquitatis scientiâ pollens, pontificiæ superioritatis acerrimus propugnator, atque ad cardinalatum evectus fuit; quo duce hæc sententia incrementum aliquod sumpsisse visa est. Atque is pontificiam quidem infallibilitatem asseruit, sed nullâ unquam quòd sciam, adhibitâ censuræ notâ. In Summam sancti Thomæ, hæc ejus est conclusio [1] : » Determinare finaliter quæ fidei sunt, pertinet ad auctoritatem summi Pontificis : hoc quidam

* Thomas à Vio, *Cajetanus* dictus, ab urbe Neapolitani regni Cajetâ, in quâ natus est, primus auctor fuit Julio II ut Lateranense concilium indiceret, sicque obviam iret imperatori et regi Gallorum, qui, convocatâ à cardinalibus generali synodo Pisanâ, ipsi Julio non parum nocituri videbantur. Pro quâ mercede à Leone X, Julii proximo successore ad cardinalatum evectus est Cajetanus. Is secutis Pontificibus charus, quorum omnia jura, inania etiam et falsa, acriter defendebat, ab illis sæpè in legationem missus est, et maximis rebus præpositus. (*Edit. Paris.*)

1 *Cajetan., in* 2. 2. *S. Thom.*, q. 1. art. x.

non admittunt; » planè eo more modoque, quo dissentientes scholasticorum opiniones refert. Hæc de eâ quæstionis parte quæ jam gravissima habetur.

Quoad superioritatem asperior. Parisiensium sententiam erroneam judicabat; sed neque ipse satis unquam se expedire visus; neque ita censuerant, quod sciam, qui ante eum scripserant; neque ejusdem ætatis scriptores sequebantur. Certè Turrecremata, quo tempore maximè contentio ferbuit, cùm de pontificiâ superioritate disputat, adversam sententiam *erroris et impietatis* accusabat; non tamen absolutè, sed ad eum præcisè sensum, qui cum Basileensibus controversus esset: « Juxta intelligentiam, ait [1], quam de eo practicant verbis et factis Basileenses, secundùm quam prosecutus sum responsionem istam. » Et rursus: « Ad illam intelligentiam, quam Basileenses verbis factisque practicant; » quod semper inculcat. Non ergo absolutè damnabat erroris, sed ad sensum Basileensium, qui conciliarem superioritatem extendebant, ad concilii translationem irritandam, et suam sententiam fide catholicâ certam esse definiebant, et contrariam hæresim judicabant, et Eugenium IV eâ causâ deponebant; quod quidem Turrecrematæ videbatur « præsumptio maxima, et execrabilis temeritas, tali intelligentiâ datâ, definire decretum illud (Constantiense scilicet) veritatem esse catholicæ fidei. » Ergo Turrecremata rem ipsam quidem, pro suâ sententiâ refellit; at interim non rem, sed rei asserendæ modum, præsumptionis, erroris, impietatis accusat. Sic Cajetani antecessores in ipso contentionis articulo se gerebant.

Quod attinet ad eos qui eâdem ætate scriberent; eâ certè ætate ac sub Leone X, et doctrinâ et gratiâ et auctoritate florebat Dominicus Jacobatius cardinalis, is quem summis rebus eo tempore præfecerat, et à summo Pontifice profecto Boloniam, ut cum Francisco I de pace ageret, Romæ vicarium relictum esse comperimus. Is autem de concilio ingens opus conscripsit, quod Christophorus Jacobatius [*], item cardinalis, jam indicto concilio Tridentino, Paulo III inscripsit; placitura procul dubio, certè haud improbanda Pontifici suæ dignitatis retinentissimo oblaturus. Atque hic quidem scriptor pontificiam superioritatem pro virili, factis argumentis, et undique conquisitis auctoritatibus, propugnat; sed diversam opinionem refert ut probabilem, nedum censurâ premat. « Probabiliter, inquit [2], videtur argui, quòd claves fuerunt datæ Ecclesiæ. » Hæc aliorum sententia est; suam anteponit sic [3]: « Non teneo quòd plenitudo potestatis non sit

[1] *Turr., Apol. adv. Basil.*, tom. XIII. *Conc.*, col. 1709, 1712.
[*] Prioris Jacobatii fratris filius.
[2] *Jacob., de Conc.*, lib. V. p. 201. in alterâ app. *Conc. Labb.* — [3] *Ibid.*, lib. IV. p. 111.

in solo Papâ, sed in Ecclesiâ tanquam in fundamento, et in Papâ tanquam in principali ministro. » En quantâ modestiâ cardinem ipsum difficultatis attingit. Non aversatur, non horret. Tantùm inquit, *non teneo*; cùm aliam sententiam probabilem diceret, et suum illud *fortè*, et *videtur*, semper inculcat. Sic duas sententias discrepantes, ut catholicas refert; Gersonem, Cameracensem, Florentinum, Panormitanum, æquè cum Felino* Brixiensi, et aliis suæ sententiæ asseclis laudat; et id alii quoque passim præstant: adeo tum odia obsoleverant, et diversas inter sententias pax christiana coaluerat**.

CAPUT VI.

Idem Jacobatius cardinalis, pontificiæ superioritatis assertor, in infallibilitatis quæstione quid sentiat.

Quanquam autem Jacobatius pontificiæ superioritati omnino favebat, hæc tamen docuit, de fidei quæstionibus [1]. « Si sumus in causâ fidei, et Papa vult aliquid statuere contra fidem, standum est potiùs sententiæ concilii. » Et alibi pro certo supponit, quòd, « quando Papa est hæreticus, potest accusari et declarari depositus, quòd fieri non posset, si in iis staretur sententiæ ejus, potiùs quàm totius concilii, quia semper se tueretur ex suâ sententiâ [2]. » Papam pro potestate agentem videmus, qui se contra concilium suâ sententiâ tueatur; ac pro hæresi contra concilium dicat sententiam, ab ipso concilio dissolvendam. Item alio loco: « Si loquimur in causâ fidei, super articulo emergenti nondum definito, et loquimur in judicio discretivo, in dubio videretur regulariter potiùs standum judicio universalis concilii contra Papam solum contrarium sentientem; » et laudat sententiam archidiaconi nobilis jurisconsulti dicentis, « quòd periculosum esset fidem nostram committere arbitrio unius hominis [3]. » Alios quoque doctores nominat idem sentientes, « quia, inquit, in his quæ concernunt fidem, Papa debet stare judicio concilii. »

Quo loco et id docet, quanquam *in dubiis fidem concernentibus*, pleniùs ac certiùs sancti Spiritûs lumen concilio affulgeat; tamen *in arduo ac maximo* dubio, decisionem concilii à Papâ posse suspendi. Suspendi certè, non tamen contra concilii sententiam aliquid definiri, quod procul dubio infallibili conveniret. Cæterùm idem cardinalis, si res certa claraque Patribus et sacro concilio videatur, nullo

* Is operi Petri de Monte, *de Monarchiâ* multa addidit, quæ reperies in edit. à Philippo Labbeo adornatâ. Vid. Labb. alteram append. Conc. (*Edit. Paris.*)

** Jacobatii æquitas maximè enitescit lib. x, in quo hanc quæstionem tractandam suscipit: *Utrum Papæ an concilii potior sit auctoritas.* Quanquam pro Papæ potiori auctoritate stet, tamen, ne semel quidem, in adversæ sententiæ defensores acerbus est. Utinam sic pacificè omnes in Ecclesiâ disceptarentur controversiæ, tunc profectò utiliores et christianis digniores! (*Edit. Paris.*)

[1] *Jacob.*, lib. VI. p. 238.— [2] *Ibid.*, p. 240.— [3] *Ibid.*, p. 329.

modo dubitat, quin statim quæstio decidatur, et Papa reluctans à concilio deponatur : « Alioquin, inquit[1], videretur sequi unum magnum inconveniens, quòd Papa esset hæreticus, et non posset propter hæresim à papatu amoveri, si ipse nollet in se ipsum sententiam ferre. »

Quod quidem valere contendit de quâcumque agatur hæresi, sive illa jam damnata sit, sive non; cum hoc tamen discrimine, quòd Papa professus obstinatè jam damnatam hæresim, statim depositus declaretur. « Si verò, inquit[2], lapsus est in hæresim nondum damnatam, et est in papatu, quia nondum judicatum est per concilium de crimine, tunc nullus eum judicat, nec potest in eum sententiam ferre, quia non habet superiorem; et cùm ipse sit caput concilii, non judicatur à concilio. Sed si postquam concilium cognovit de crimine, et judicavit esse hæresim, non resipiscit, tunc dicet illi : Te ipsum ore tuo judica. Quod si facere noluerit, concilium eum declarabit hæreticum et depositum, ut suprà dictum est. »

Statum quæstionis adverte : agitur de articulo fidei nondum declarato : eam doctrinam tuetur Pontifex quæ hæresis accusetur; eâ de re synodus convocata est : adest Papa, et quidem repugnans Patribus : at illi, invito eo, de qualitate, ut aiunt, criminis judicant, et veram hæresim esse declarant, et tenet concilii sententia; eòque res recidit, ut Papa, concilio repugnans, quàm honorificentissimo ritu deponatur. Inclament censores nostri, non id posse fieri, imò *habere Patres à Papâ ut recta decidant, et solius Pontificis judicium, unanimi totius synodi suffragio esse potentius ac prævalere*; ac nisi id credatur, *de Pontificis primatu, de fide actum esse*[3]. At contrarium scribunt duo cardinales; at Romæ; at ad Paulum III; at horum opus à duobus jesuitis, Philippo Labbeo et Gabriele Cossartio, quos honoris causâ nomino, in ipsâ conciliorum editione novissimâ publicatur. Duo cardinales pontificiæ majestatis strenui defensores, ei à Patribus abundè satisfactum putant, si Patres multa præfati, multaque adhortati Papam ejiciant.

Hæc quidem Jacobatius emollire velle videtur, quòd Patres id faciant, non *ordinando*, sed *exequendo*; quod tamen plus esse quàm ordinare idem docet. « Unde, inquit[4], virtualiter magis est sententia executionis quàm pronuntiationis, quia modicum refert hoc casu, utrum concilium provideat ut cardinales ab eo recedant, et alium eligant, et ipsum tradant curiæ sæculari, an pronuntiet et exequatur; quia exequendo plus facit in effectu quàm pronuntiando. »

Hæc quidem efficiunt ut, canonistarum quoque sententiâ, vel

[1] *Jacob.*, lib. IX. pag. 389.—[2] *Ibid.*, p. 390.—[3] *Doct. Lov.*, art. I. p. I, 54.—[4] *Jacob.*, lib. cit. p. 389.

eorum qui romano Pontifici vel maximè favere velle videantur, nostræ sententiæ summa in tuto sit; cùm ii quidem nobiscum de re consentiant, de eo uno laborent, ut subjectionis in Papâ, ac potestatis in concilio nomine amputato, ipsa res maneat : quod quidem, ut non præfractè refugimus, ita in his minutiis rem theologicam collocandam minimè confitemur.

CAPUT VII.

De fide Petri nunquàm defecturâ, ejusdem cardinalis loci.

Ex his Jacobatii sententiis facilè intelligi potest, quid de pontificiâ infallibilitate senserit. Licèt enim et eam sententiam aliquando referat, et in eam interim perpendere videatur, nihil tamen disertè asserit *. Et quidem id docet : Papæ qui « Ecclesiæ caput est, verisimiliter magis assistere Spiritum sanctum, ex quo assumpsit eum in vicarium [1]. » En quàm modestè dixerit *verisimiliter*, sed cùm sit incerta res, concilii sententiam meritò anteponit.

Quin etiam eum locum, *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, ad glossæ suprà relatæ sensum passim interpretatur, et ad Ecclesiæ fidem referre solet. « Ecclesia, inquit [2], non potest errare, quia Christus oravit pro eâ ne deficeret. » Alibi : « Ex crimine scandaloso Papæ non perit universalis Ecclesia, quæ nunquam potest errare, et pro quâ Christus oravit. » Item : « Ecclesia semper eadem, et illibata fide tenus, quæ non potest errare, ut ibi dicitur, dicente Salvatore nostro : *Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* »

Atque ex eâdem glossâ fidem intelligit eam, quâ intus quoque credamus : unde probat nunquam deficere posse fidem Petri, pro quâ Christus rogavit; quia semper remanet, et si non in Petro, sed tamen in aliis, ea fides, puta in beatâ Virgine tempore passionis Dominicæ, « ut ostenderetur, inquit [3], quòd non posset deficere fides, pro quâ Christus oravit. » Quo exemplo scriptores posterioris ævi frequenter utuntur, non quòd velint fidem in aliis omnibus penitus defecisse, sed ut designent eam in quâ non defecisse certissimum sit.

Probat etiam Jacobatius sententiam ea verba interpretantium *de fide Petri*, id est, *de fide Ecclesiæ ei specialiter commissæ* [4], romanæ

* Pace Bossuet dixerim, Jacobatium mihi visum fuisse pontificiæ infallibilitatis assertorem disertissimum, qui non modò dicit, *Papam vel solum, posse tollere constitutionem* Frequens, *in concilio Constantiensi editam* : item, Papam *posse tollere constitutionem antiquam à concilio editam, et novam edere fortè sibi favorabilem, et romanis Pontificibus pro tempore* : atque iterum : *Si* (Papa) *de nudâ voluntate et potestatis plenitudine ista statueret, se credere servandam fore sententiam Papæ*; sed etiam millies iterat *non esse verisimile Papam posse errare*. Itaque verba in textu allegata hoc mihi tantùm persuadent : nempe Jacobatium incertum et varium fluctuasse. (*Edit. Paris.*)

1 *Jacob.*, lib. VI. p. 239.— 2 *Ibid.*, lib. IX. p. 421.— 3 *Lib.* VI. p. 242.— 4 *Ibid.*, p. 238.

scilicet, quam superiùs explicantem Driedonem audivimus; atque his interpretationibus contrariæ nobis sententiæ fundamenta convelli vidimus.

CAPUT VIII.

Bellarmini judicium : ab illo concilii Lateranensis auctoritas trepidè proferta de sententiâ superioritatem synodis vindicante : ejusdem censuræ titubantes.

Nunc Bellarminus prodeat, unus omnium nobis infensissimus, quem etiam recentiores vel maximè secuti sunt. Duplex quæstio est, an Papa superior, an infallibilis. Bellarminus de primâ sic[1] : « Summus Pontifex simpliciter et absolutè est supra universalem Ecclesiam, et supra concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat. Hæc etiam est ferè de fide. » Quid hoc monstri est? Quod est *ferè de fide*, totum de fide non est.

Placet enim analytico ordine, et subtili enucleatione resolvere ad sua principia illud, *ferè de fide*. Vel enim ad primam Dei revelationem refert, vel ad Ecclesiæ consequentem declarationem, ut sensus sit, *ferè de fide*, quod Deus ferè revelaverit, vel *ferè de fide*, quod ferè Ecclesia definiverit. Atqui quod neque Deus planè revelaverit, neque Ecclesia planè definiverit, nullo modo de fide esse constat : neque enim ex parte fides, sed ex toto plenoque et perfecto est.

Vel aliquem demonstra, non modò ex antiquitate illâ gravi et sobriâ, aut ex theologicis Facultatibus doctis illis celebratisque, sed etiam ex recentioribus privatisque doctoribus alicujus nominis, qui, ante te, censuræ loco usurparit illud tuum, *ferè de fide*. Hoc quidem probat condemnandi animum inesse, non causam.

Ut autem intelligamus quid sit illud, *ferè de fide*, videamus oportet quid maximè Bellarminus urgeat; Nempe concilii Lateranensis sub Leone X, decretum, ubi dicitur : « Romanum Pontificem super omnia concilia auctoritatem habere[2]. » Quæ ubi protulit Bellarminus, hæc subdit[3] : « Ad hunc locum (concilii Lateranensis) nihil potest responderi, nisi, vel non fuisse concilium generale, vel non fuisse ab Ecclesiâ receptum, vel non definivisse hoc tanquam de fide. »

Has tres propositiones sigillatim probat. Sic primam : « Sed jam fuisse generale vix dici potest. » O certam auctoritatem et inexpugnabilem! ô claram decisionem firmamque censuram! *ferè de fide* [illegible], *vix dici potest.*

Secundam responsionem, an fuerit receptum concilium illud, [illegible] moror. Si enim constaret et verè esse œcumenicum, et rem definivisse tanquam de fide, omnino recipiendum esset. Sed jam œcumenicum fuisse, ipso Bellarmino teste, non constat.

[1] *Bell.*, lib. II. *de Conc. auct.*, cap. 17. — [2] *Bull. Leon. X in Conc. Later., Sess.* XI. [illegible] col. 321. — [3] *Bell., loc. cit.*

De tertio quid dicat audiamus : « Quod concilium hoc rem istam non definierit propriè, ut decretum de fide catholicâ tenendum, dubium est. » Deus immortalis ! Hoccine erat, cur nunc perdita omnia conclamarent ?

Pergit porrò : « Et ideo non sunt propriè hæretici qui contrarium sentiunt, sed à temeritate magnâ excusari non possunt. » De temeritate postea videbimus ; interim à graviore censurâ, ab hæresi, ab errore, ipso Bellarmino judice, absoluti sumus, nostraque omnino fides, quidquid vociferentur, in tuto est.

Quid autem illud est, *propriè hæretici*, certè, si rem æquo animo disceptaret, nullo modo hæreticos pronuntiaret ; cùm nec ipse quidem affirmare ausit à Leone X rem esse definitam tanquam de fide ; sed nimiùm pigebat absolvere, quos apertè condemnare non poterat.

Jam verò videamus *vix* illud Bellarmini quid sit. Lateranense concilium, sub Leone X, *non fuisse generale vix dici potest.* Quid ita? « Nam etsi fuerunt, inquit, episcopi paucissimi (nam ad centum non pervenerunt) tamen concilium patebat omnibus, et omnes vocati fuerant. » Quid tum ? cùm, præter Italos, vix ulli convenirent, Galli universi apertissimè repugnarent. Et quidem vocati Romam ; sed à quo ? A Julio II, hoste infensissimo, flagrantibus non modò simultatibus, sed etiam bellis, ac postea à Leone X, rebus necdum bene compositis. Eo temporum articulo citati Galli, qui Româ in Lateranensi palatio de suis libertatibus, deque Pragmaticâ-sanctione, suæ tum disciplinæ arce, liberè scilicet et æquo jure disceptare possent : Italiâ interim tot bellis, tot incursionibus impeditâ, ut nullum aditum patere sibi gallicani episcopi iterum atque iterum haud immeritò quererentur. Cùm res eo loco essent, inter Leonem X et Franciscum I, magnâ tum victoriâ à Gallis reportatâ *, repente transactum est, et loco Pragmaticæ inductum concordatum. Quo pacto fœdere, quid Pragmatica fieret, Franciscus non curabat ; neque nunc cujusquam interest, an Lateranense illud sit œcumenicum. Sed tamen pro certo œcumenico haberi, Bellarmini cunctatio et fluctuatio non sinit. Cùm etiam in editione Romanâ, in ipso tomi IV capite, quo cætera concilia generalia recensentur, hoc Lateranense concilium extra lineam ac reliquorum ordinem, alio charactere ** sit positum. Sed nos de concilio isto Lateranensi suo loco disseremus pleniùs, docebimusque hæc omnia neque ad fidem pertinere ; quippe quæ in transcursu, non in ipsâ definitione dicta sint ; ac ne quidem ad quæstionem, cùm Papam superiorem faciant, non omnimodis, sed

* Apud Melinianum, an. 1515.

** Annotandus est etiam concilii Lateranensis titulus ab editoribus romanis sic descriptus : *Concilium novissimum.* Neque illi quidquam addunt, quo significent se illud concilium habere pro œcumenico. (*Edit. Paris.*)

iis in rebus de quibus non agitur. Hæc, inquam, suo loco ostendemus. Nunc ipsum Bellarminum relinquimus, eique omnia trepidè cunctanterque dixisse sufficiat.

CAPUT IX.

Bellarmini circa pontificiam infallibilitatem censura æquè anceps : vis notarum ex Melchiore Cano.

Jam Bellarminus de hâc Parisiensium sententiâ, *Pontificem, ut Pontificem, posse docere hæresim*, sic pronuntiat[1] : « Hæc [illegible] non est propriè hæretica, nam adhuc videmus ab Ecclesiâ [illegible] qui illam sententiam sequuntur ; tamen videtur omnino erronea [illegible] hæresi proxima. » Tolerari verò, quam totâ Ecclesiâ auditam, [illegible] quam damnatam, à tot viris, teste Bellarmino, doctis [illegible] defensam, eodem Bellarmino teste ; « Adrianus quoque VI, [illegible] optimus atque doctissimus[2], » Patrum nostrorum memoriâ in [illegible]berrimâ Lovaniensi Academiâ docuerit, propugnaverit, ac [illegible] Pontifex in ipsâ orbis luce, Romæ ediderit : hanc toleratam vocas, non probam procul dubio catholicamque sententiam. Nempe, inquit, *videtur omnino erronea*, et quod idem cum erroneo est, *hæresi proxima*. Gravis censura. Non hic *ferè de fide*, verùm *omnino erronea*, id est, omnino contra fidem ; hoc enim sonat *erronei* vox : sed *videtur*, inquit. Audio. Bellarmini opinio est, et valet illud Melchioris Cani censurarum notas æquâ lance trutinantis : *Verbum* VIDETUR *judiciorum infirmat certitudinem*[3] ; neque tantùm sanctus Thomas, sed etiam alii, *verbo* VIDETUR *uti solent, cùm res non est plana ac definita*. Illud ergo Bellarmini ex opinione est, non ex certo firmoque judicio. Et quod de sancto Thomâ Canus, id ego de Bellarmino dixerim : « Cùm dixit, VIDERI, hoc ipsum sensisse, quod dixerit videri modò, non etiam oportere[4]. » At nunc illud *videri* Bellarmini, Lovanienses quidam et Dominus Strigoniensis in firmam fixamque sententiam vertunt, et de fide catholicâ desperatum esse clamant : illud VIDETUR paucorum annorum circulo, tanta incrementa cœpit.

CAPUT X.

Suarez Parisiensium de superioritate sententiam relinquit integram : ipse [illegible] infallibilitate censuram infringit, falsaque ex Leone X adversùs Lutherum refert.

Post Bellarminum ex eâdem societate Suarez prodeat, ac de duplici quæstione nostrâ dicat. De superioritate sic[5] : « Quando Pontifex solùm adest in concilio per legatos, sine instructione particulari, [illegible] totum concilium aliquid definit cum legatis, est grave dubium [illegible]

[1] *Bell., de R. P.*, lib. IV. c. 2. — [2] *Ibid.*, *de Script. Eccl.* — [3] *Melch. Can., de Theol.*, lib. [illegible] cap. 5. — [4] *Ibid.*, lib. VIII. cap. 5. — [5] *Suar., de fid.*, disp. V. sect. VII. n. 11.

tale concilium possit errare... Nam in hoc sunt opiniones inter catholicos. Parisienses enim et alii, qui credunt tale concilium esse supra Pontificem, consequenter affirmant ejus definitionem esse infallibilem, quia est à supremâ potestate, et illud concilium universalem Ecclesiam repræsentat. Contrarium verò docet Cajetanus, et alii,.... quia verissimum est Papam esse supra tale concilium.... Ego autem breviter censeo concilium illud non esse regulam fidei, quia saltem ejus auctoritas infallibilis est sub opinione. » Vides celeberrimum jesuitam, qui totam de concilii superioritate quæstionem, quæque huic sunt consentanea, *sub opinione* relinquit inter catholicos variante; et quidem ipse contra Parisienses sentit, sed nullâ vel levissimâ censurâ.

De pontificiâ infallibilitate decernit graviùs : « Veritas, inquit[1], catholica est Pontificem definientem ex cathedrâ esse regulam fidei, quæ errare non potest... Ita docent HOC TEMPORE omnes catholic doctores, et censeo esse rem de fide certam. » CENSEO : opinionis res est. Non ita de his loquimur, quæ verè pertinent ad Ecclesiæ catholicæ fidem. Non hic *censeo*, sed credo; nec *ego*, sed omnes. Et meritò ita Suarez loquitur, qui cùm *omnes* ait ita credere, sed *hoc tempore*, anteriore certè tempore non ita creditum esse sensit. Non ergo notum illud obtinuit : *Quod ubique, quod semper*; quam quidem consensionem stabiliendæ fidei esse necessariam, cum Vincentio Lirinensi, omnes catholici profitentur.

Sed quid demum est, *hoc tempore?* à quanto tempore? à ducentis annis? At cardinalis Cameracensis, at Gerson, at Tostatus, at Almainus, at Major, at alii innumerabiles tum in Ecclesiâ floruerunt. A centum annis ante Suarem? At ut alios prætermittam, Adrianus VI, sanctissimus ac doctissimus, ac præterea summus Pontifex, patrum nostrorum memoriâ, non ita sentiebat. Vide illud, *hoc tempore*, quàm angustos habeat limites.

At fortè aliquod judicium ecclesiasticum intervenit, quo factum sit ut jam nostro tempore id omnes credant, cùm antea non crederent? Nullum. Laudat Suarez concilium Lateranense, sub Leone X, et ejusdem Leonis X bullam in Lutherum, et quidem planè et confidenter, ut rem certam; cùm de concilio Lateranensi etiam Bellarminum hæsitare videamus. Bullæ in Lutherum Suarez verba ne quidem profert ulla. Affirmat quidem Lutheri propositionem XXIV, quòd hanc veritatem negaret, à Leone damnatam[2], et quidem præcisè ut hæreticam; XXIII voluit dicere, nam XXIV de conciliis agit, non de romano Pontifice. Mendum fortasse sit. Jam ad rem ipsam.

[1] *Suar., de Fid. disq.*, sect. VIII. n. 4. — [2] *Bull. Leon. X. contra Luth.*, tom. XIV. *Conc.*, col. 300.

Quæ Suarez hìc ut certa supponit, falsa omnia. Falsum autem more scholæ, nullâ contumeliâ, et cum honore viri dictum volo. Falsum ergo talem fuisse Lutheri propositionem; falsum eam ut hæreticam esse damnatam; et quidem de hoc nulla dubitatio, cùm ex Lutheri allatis articulis, ne unum quidem verbum Leo absolutè condemnaverit, sed respectivè tantùm. « Hos, inquit, articulos respectivè hæreticos, aut scandolosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, etc. : » quod bis terque inculcat, ne dubites.

Sed et Lutheri propositio immane quantùm à nostris abhorrent. Sic Lutherus [1] : « Si Papa, cum magnâ parte Ecclesiæ, sic vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire; præsertim in re non necessariâ ad salutem, donec fuerit per concilium universale alterum reprobatum, alterum approbatum. »

Quâ quidem in propositione impudens hæresiarcha multa [illegible]bat, illud verò maximè, quòd universim Sedis apostolicæ, [illegible] rectè judicantis decreta de fide, usque ad concilii generalis [illegible]tiam suspendebat. Id enim multis modis falsum hæreticumque est, et à nostrâ Facultate, et ab omnibus catholicis sæpè damnatum. Nam quædam tam clara sunt, ut statim indicasse sufficiat, [illegible] erant illa Lutheri immania, quibus ipsum missæ sacrificium, adorandum corpus Domini Jesu Christi, à tot sæculis frequentatum, impiè conculcabat, aliaque ejusmodi, ab universali Ecclesiâ [illegible], palam aspernabatur : quæ quidem violasse, vel ante pontificium decretum, si tam impium est; romano quoque Pontifice ab excelsâ Petri Sede reclamante, quàm nefarium! Tum illud certum est apud catholicos omnes, nostrique assiduè inculcant, non tantùm concilium, sed catholicam Ecclesiam absolutè infallibilem esse, etiam absque concilio. Sic enim Gerson et nostri : « Infallibilem esse Ecclesiam, et concilium generale illam repræsentans. » Si enim concilio tanta vis, quòd eam repræsentet ipsam, ipsam, inquam, quantâ veritatis certitudine ac luce præditam esse oportet! Quæ clerus gallicanus secutus, Pontificis decretum non præcisè concilio, *Sed Ecclesiæ consensu accendente*, *irreformabile* recognoscit [2]. Hæc quia Lutherus intelligere nolebat, suoque more omnia etiam optima pervertebat, ac, totâ Ecclesiâ ejus hæreses detestante, sub synodi nomine, non lucem, sed moras tempusque fallendi quærebat, omni profectò anathemate dignus erat.

Jam æquus lector judicet, an hæc Lutheri impia et nefanda, cum piorum Parisiensium doctrinâ confundi à Suare debuerint. Sed profectò si id quod vult factum est, si doctrina pontificiæ infallibilis

[1] *Bull. Leon. X. contra Luth*, tom. XIV. *Conc.*, col. 393.— [2] *Decl. Cler. Gall.*, c. IV.

contraria, in Luthero jam à Leone damnata est, Suarez causâ cadit. Rogo enim, an Leonis X censuram pro ultimo judicio habeat, an non? Si pro ultimo judicio non habet, ergo causâ cadit, qui sententiam à romano Pontifice de fide latam valere non putat. Si autem valuit, exinde jam certè, et à Leonis decreto cœperit *hoc tempus*, quo omnes jam sentire secum Suarez affirmat. Quid ergo Adriani VI ejus successoris libri Romæ recuduntur, ac pars lutherani dogmatis, sub romani Pontificis nomine excitatur? An fortè post Adrianum rem repente determinavit Ecclesia? an in concilio Tridentino? an in professione Pii IV, post Tridentinum concilium? Imò deditâ operâ à censurâ temperatum, resque in integro relictas luce clariùs vidimus. Quin igitur Suarez cogitabat, si vel maximè Parisienses in Luthero Leo damnare voluisset, quàm id parum valeret, quod à Tridentinâ synodo, et à Pio IV in ipsâ fidei professione, fuerit prætermissum. An aliqua postea decreta extiterunt? nulla. Quid igitur? Sine Ecclesiæ novâ definitione, nova lux affulsit omnibus, qui *hoc tempore* tecum sentiant? Id quidem gratis dicitur. Reponent alii contentione, metu, assentatione factum, ut ita consentirent; et religiosos plurimos, eoremque nunc antesignanos tot privilegiis auctos, hanc vicem repehdisse. Alii respondebunt illos sensu populari ductos esse, quo et rebus sanctis quoquo modo favere, et hæreticis quàm vehementissimè repugnare pium putant. Quid nostrâ? Id liquet nihil esse certæ causæ, theologicæ quidem, cur à priore sæculo discrepemus.

CAPUT XI.

Andreas Duvallius Parisiensium de superioritate conciliorum sententiam, et Parisiensis Facultatis esse agnoscit, et ab omni hæresis, erroris atque etiam temeritatis notâ absolvit. Pontificiam infallibilitatem non esse de fide, non modò asserit, sed etiam optimis argumentis probat.

Andream Duvallium, doctum virum, à Parisiensium sententiâ deflexisse, contrariamque sententiam studiosissimè in scholam induxisse nemo nescit. At ille Edmundi Richerii vehementissimus insectator, in his duabus quæstionibus ab omni censurâ utramque partem absolvit.

Postea quàm editus est ejusdem Richerii libellus *De ecclesiasticâ et politicâ Potestate*, *et* statim Duvallii responsio prodiit, sub hoc titulo: *Libelli* de ecclesiasticâ et politicâ Potestate *Elenchus, pro supremâ romani Pontificis in Ecclesiam auctoritate, auctore Andreâ Duvallio*, 1612; *cum approbatione doctorum*. Quo in libro hæc leguntur [1]: « Ex quo satis cuivis constare potest eum (Edmundum scilicet Richerium) nondum abjecisse erroneam illam opinionem quam in scholâ domi-

[1] *Duvall. Elench.*, pag. 9.

nicanorum Parisiensium, coram illustrissimo cardinale Perronio, nuper impudentissimè professus est : *De fide est concilium esse supra Papam.* Cujus falsitas à magno illo cardinale, validis rationibus, in amplissimis illis comitiis demonstrata est. Etsi enim Parisiensis Academia stet à partibus conciliorum generalium, non tamen propterea unitatem cum cæteris Academiis discindit, neque earum doctores pro deviis à fide habet, aut unquam habuit. » Postea [1] : « Etsi Academia Parisiensis infallibilitatem in decernendo ad concilium generale solum referat, ab eo tamen nunquam abesse debet Pontifex. » Denique [2] : « Etsi Parisienses ad concilium generale ultimam fidei analysim referant, non tamen propterea potestatem de fide decernendi Pontifici unquam ademerunt, et meritò. »

Vides primùm de sententiâ Academiæ nostræ, nondum à quoquam fuisse dubitatum, quemadmodum postea, gliscente ut fit audaciâ, factum est. Vides secundò quid erroneum Duvallius in Richerio reputaret, non certè doctrinam ejus, sed quod eam esse de fide contenderet. Summum id erat quod tunc à nostrâ Facultate peteretur.

Idem Andreas Duvallius edidit postea tractatum *De supremâ romanorum Pontificum Potestate, adversùs Vigorium jurisconsultum.* Quo tractatu, quæstione, « utrum de fide sit concilium esse supra Papam, et utrum concilium œcumenicum sit supra Pontificem, vel è contra; » apertè docet « neutram harum opinionum esse de fide [3]. » Tum : « Neutra, inquit, harum opinionum hæretica est, neutra erronea et temeraria, saltem temeritate opinionis. » Denique : « Sententia pugnantium pro conciliis non est hæretica et erronea, et in ratione opinionis temeraria. » Illud *in ratione opinionis* Duvallius addidit, ut à temeritate opinionem ipsam, non autem opinantes, quos ipse impugnabat, absolvere videretur. Sed quidquid sit de Duvallio, ejusque adversariis, ipsam opinionem ab eo etiam à temeritate prorsus absolutam esse satis superque est.

De infallibilitate sic habet : « Statuenda nobis est hæc conclusio,... etiamsi de fide non videatur, saltem non ita evidenter constet summum Pontificem, seorsum à concilio, privilegio infallibilitatis, licèt agat ut Pontifex, gaudere, id tamen absolutè certum est et indubitatum [4], » ejus quidem sententiâ, cujus quisque eam quam voluerit habeat rationem; non ipsâ Ecclesiæ fide.

Neque tantùm dixit non esse de fide; verùm etiam probat : primùm, « quia nullibi id tanquam de fide expressè definitum extat : » secundò, quod « doctores contrariæ sententiæ, Alliacensis, Gersonis, Almainus, Major, Cusanus, Adrianus VI, et alii, neque in hâc parte,

[1] *Duvall. Elench.*, p. 68. — [2] *Ibid.*, p. 105. — [3] *Ibid.*, *de Sup.*, etc., part. IV. quæst. VII, cap. p. 438, 542, 550, 582. — [4] *Ibid.*, part. II. q. I. p. 210, malè 102.

neque in ullâ aliâ ab Ecclesiâ sunt condemnati [1]; » et postea : « Nusquam in Ecclesiâ illius hæresis suspectos, convictos aut accusatos fuisse legimus. » Tertiò solvit Scripturarum et canonum textus, quibus id maximè docetur esse de fide, maximè verò illum locum Matthæi, XVI : *Tu es Petrus*; et Lucæ, XXII : *Ego rogavi*; et illum Joannis, XXI : *Pasce oves meas* : « ex quibus, inquit [2], sequitur non ita constare de fide esse, summum Pontificem, etiamsi agat ut pontifex, privilegio infallibilitatis gaudere. » Quare Lovanienses hodiernos, qui Duvallium toties nobis objiciunt [3], ejus modestiam neminem condemnantis imitari par esset.

CAPUT XII.

Dominicus à sanctâ Trinitate, carmelita discalceatus, libro Romæ recens excuso, docet pontificiam infallibilitatem aut superioritatem nullo Ecclesiæ decreto clarè definitam : quid illud sit, cùm privati doctores aliquid de fide esse dicunt, quoad se, non quoad nos ?

Id etiam perpendi velim quod, hoc ferè tempore, Romæ excusum est. Extat enim liber inscriptus : *Bibliotheca theologica, auctore fratre Dominico à sanctissimâ Trinitate, carmelitâ discalceato provinciæ Parisiensis*. Is de infallibilitate, postquam eam et certam esse, et ad fidem etiam pertinere, suâ quidem sententiâ, multis egit, hæc addit [4] : « Nota me dixisse hanc nostram sententiam esse de fide quoad se. Si enim sermo sit de illâ quoad nos, id non ausim affirmare, cùm nullibi expressè aut clarè definita, omnibusque fidelibus ad credendum proposita reperiatur : unde ab hæresi formali excusari possunt ac debent omnes doctores catholici qui contrarium docent. » Hic quædam observari velim, quæ aliis quoque auctoribus exponendis conducere videantur.

Primò, ab hoc auctore apertè dici, nihil eâ de re clarè aut expressè definitum.

Secundò, inde colligi Florentina decreta, atque etiam antiquiora Lugdunensia, quæ in eam rem ab adversariis adducuntur, non haberi clara expressaque.

Tertiò, quòd ille auctor rem illam *in se* putet ad fidem pertinere, hoc est reverà à Deo esse revelatam, etiamsi Ecclesiam nondum ut talem agnoverit : hanc quidem ipsius esse sententiam, quam sequi vel non sequi sit liberum; quemadmodum est liberum physicam prædeterminationem, aliasque huic cognatas sententias, aut eis contrarias, de gratiâ, opiniones tueri; tametsi sibi mutuò alii apertum lutheranismum, alii merum putumque semi-pelagianismum objiciant.

[1] *Duvall., de Sup.*, etc., part. II. quæst. I. p. 211. — [2] *Ibid.*, p. 212. — [3] *Disq.*, art. X. n. 143; part. I. *refut. arg.*, art. XIV. n. 139, et pass.; *et in Doct. Lov.* — [4] *Dom. à S. Trin.; Bibl. Theol.*, tom. III. lib. III. sect. IV. c. 16. n. 54.

Quartò, his constat immeritò vociferari Lovanienses quosdam de summâ fidei reique christianæ agi; cùm de liberâ saltem, nec in fidei canonem vindicatâ doctrinâ agatur; eaque res, à multis jam sæculis, inter catholicos innoxiè pertractata ac disputata fuerit.

Quintò, neque fieri potest, si tanta res sit quantam volunt, ex quâ salus Ecclesiæ pendeat, ita dissimulanter ab Ecclesiâ actum esse, ut de eâ disputari in utramque partem tot sæculis permitteret; imò verò expressè ac deliberatè à censurâ temperet, uti in his quæstionibus à Florentinâ, Lateranensi, Tridentinâ synodis, Piisque IV professione, factum esse constat.

Sextò, nihil enim mirum de rebus, quamvis maximis nullam interponi expressam Ecclesiæ definitionem, antequam in controversiam adducantur; cùm Ecclesia non soleat ultro movere quæstiones, verumque sit illud quod ait Pacianus [1]: « Nostri nihil ultro disputavere majores: » sed motâ quæstione tam multis sæculis, si res quidem ad fidem reverà pertinet, tantique est momenti quanti esse volunt, tum verò tacuisse ac dissimulasse, aut nihil expressum clarumque dixisse, neque etiam dicere voluisse, nihil esset aliud quàm veritatem prodidisse, atque omnino rediret illud: « Error (apertè defensus) cui non resistitur, approbatur; et veritas quæ non defensatur, opprimitur [2]. »

Hæc censores nostros et omnes viros bonos considerare volumus, atque ad exponendam carmelitæ nostri, de Papæ superioritate, sententiam pergimus. Hæc autem sic se habet [3]: « Quamvis Andreas Duvallius, tractatu de disciplinâ Ecclesiæ existimet istam sententiam non esse de fide, non desunt tamen alii doctores qui contrarium affirment, illamque fuisse definitam in conciliis Constantiensi et Florentino sub Eugenio IV, et Lateranensi sub Leone X. Verùm, quidquid sit, an in præfatis conciliis sufficiens quoad nos, vel adeo expressa de auctoritate Papæ supra concilium habeatur definitio, ut oppositum statim pro hæretico teneri debeat, de quo disputant aliqui doctores; duo in hâc re certa esse puto. Primò, quòd concilio generali summus Pontifex absolutè suâ auctoritate præcellat: secundò, quòd hæc sententia, si sermo sit de definitione Ecclesiæ, videatur magis ab eâ definita in præfatis conciliis quàm opposita. » Quæ quàm incerta et vana sint omnes intelligunt. Certè in iis ab omni censurâ temperandum, ac veritatem pacificè, ut inter catholicos, inquirendam, luce est clarius.

Quòd autem cum Florentinâ ac Lateranensi synodis, Constantiensem quoque pro Papæ superioritate, hic auctor, multos alios secutus, adducat, satis ostendit quàm hæc omnia oscitanter legant.

[1] *Pacian., Barc. Episc. ep.* III. tom. IV. *Bibl. Patr.*, p. 309.—[2] *Fel. III, ep. ad Acac. C. P.*, tom. IV. *Conc.*, col. 1051.—[3] *Dominic.*, etc., *loc. cit.*, sect. V. c. 11.

CAPUT XIII.

Recentiorum Lovaniensium aliorumque sententia, ipso progressu immodestior et apertè nimia.

De antiquioribus Lovaniensibus, totâque adeo Lovaniensi Facultate diximus, eosque nobiscum summâ ipsâ convenire ostendimus. Posteriores Lovanienses ab anonymo relati, etiamsi diversa à Parisiensibus senserint, an propterea in fidem peccasse eos, et omnia evertisse crediderint, inquirendum restat.

Atque anonymus quidem ex Ruardo Tappero * multa profert. Ego ab eo auctore, ut pontificiam infallibilitatem esse defensam fateor, ita contrariam sententiam, ullâ censurâ notatam esse nego. Ait enim [1] : « An (romanus Pontifex) falli possit in suâ sententiâ, quando cognoscit circa fidem et mores,.... ab annis centum quinquaginta cœptum est controverti et disputari. A tempore enim Constantiensis concilii et Basileensis, doctores quidam apud solum concilium œcumenicum docent esse infallibilis sententiæ privilegium : veteres verò scriptores, Petro et romano Pontifici... hoc privilegium... tradunt;... ut verisimilius sit, eorum judicio, quòd nec concilio generali id conveniat, nisi nomine Petri, ejusque cathedræ auctoritate et quasi commissione. » Nova certè illa est ac sanctis Patribus inaudita *commissio*. Sed si Tapperi doctrinam laudare non possumus, certè laudamus modestiam. Audis enim quàm timidè dixerit, *verisimilius*. At nunc, nisi dicamus solam Papæ sententiam omnibus prævalere conciliis, ab eoque habere concilia ut recta decidant, perdita omnia et conclamata sunt. Tantùm ab eo absunt, ut eorum quos laudant, modestiam assectentur.

Cæteros Lovanienses, qui Patrum nostrorum ætate vixerunt, à censurâ ferè temperasse comperio. Refertur ab anonymo Joannes Wiggers, postremis temporibus pro pontificiâ infallibilitate pugnans; atque hic : « Tenetur, inquit, communiter à catholicis, ita ut opposita sententia habeatur improbabilis. » Mentem ejus audio : censuram non audio. *Improbabilis* in scholâ vox innocua, quæ utrinque jactatur. *Communiter*, quid importet, infrà explicabimus : certè à censurâ procul abest. Alibi idem Wiggers ait [2] : « Pontificem, ut Pontificem, errasse unquam, manifestè falsum; et oppositum ita certum, ut ab aliquibus habeatur de fide. » Audi *ab aliquibus*. Hæc anonymus *Doctrinæ Lovaniensium* auctor, ex Joanne Wiggers protulit, subditque : « Siquidem de fide est, nullum omnino Pontificem, ut talem, erras-

* Tappero doctrinæ laus tribuitur. Hunc Carolus V imperator legatum misit ad concilium Tridentinum. (*Edit. Paris.*)

[1] *Tapp., Orat. theol.* III; *Doct. Lov.*, art. I. pag. 6, 7. — [2] *Wigg., de R. P.*, dub. V. n. 137; *Doct. Lov.*, p. 39.

se, definiendo aliquid contra fidem. » At testis quem adduxeras, tantùm *ab aliquibus haberi de fide* dixerat, tu autem absolutè *de fide esse* decernis. Sic ubi non ratione, sed impetu agitur, sine more modoque verba exasperantur, exacuuntur iræ. Quod heri *improbabile* tantùm, hodie exitiosum schismaticumque habetur; quod heri *ab aliquibus* timidè, id omnino Ecclesiæ limine arcendum hodie proponitur.

Quid verò Stapletonus * de eâdem quæstione relatus in *Doctrina Lovaniensium?* « Vera, inquit [1], sententia est romanum Pontificem de fide decernentem, hæreticum dogma non posse tradere. Hæc veritas est nunc apud catholicos certa et recepta. » Audis *nunc*. Sic modò à Suare audivimus, *omnes hoc tempore*. Nos autem ibi diximus, quàm illud, *hoc tempore*, infringat illud, *omnes*; addidimusque quàm sit debile, cùm rem ducentis annis saltem liberam ac dubiam, nullo interposito Ecclesiæ decreto, repentè theologi de fide facere volunt: quasi in eorum manu atque sententiâ fides Ecclesiæ verteretur. Nunc ad Lovanienses redeamus.

De superioritate graviùs, quàm de infallibilitate statuunt. Joannes enim Wiggers [2]: « Quòd Papa sit concilio superior; conclusio certò tenenda, utpote fidei proxima, et quæ ab omnibus penè communiter teneatur. »

Quid sit illud, *fidei proximum*, decretum scilicet ad arbitrium, nota ad libitum, ac nullâ certâ ratione prolata, jam suprà diximus. Quod autem hic addit, *ab omnibus penè communiter*, dubii, vacillantis, neque qui, dicat certò statuentis oratio est.

Graviùs Stapletonus: [3] « Dicere quòd generale concilium sit supra Papam, opinio planè est erronea, qualem hæretici sustinerent. » At is, Bellarmino ipso asperior, nimia ac præposterâ asseveratione sibi fidem detrahit. Quòd enim Bellarminus, *ferè de fide*, is ita de fide censet, ut contrarium sit erroneum; et addit immodicè sæviens, *quale hæretici sustinerent*: tot sanctis doctisque viris non modò insuper habitis, sed etiam cum hæreticorum fæce permixtis. Et Bellarminus quidem de superioritate Papæ leviùs, graviùs de infallibilitate decernit; illi enim superioritas est *ferè de fide*: de infallibilitate opinio negans *videtur erronea et hæresi proxima*. Contrà Lovanienses isti de superioritate asperiùs, de infallibilitate leviùs statuerunt; Adriani, credo, sui memores, cujus contra infallibilitatem expressa sententia, vel erat notior, vel auctoritate gravior habebatur. Utcumque est,

* Thomas Stapletonus, Anglus, doctor Duacensis, multis editis libris de rebus controversis notus. (*Edit. Paris.*)

[1] *Tapl., relect. Schol. contr.* III. quæst. IV. art. unic.; *Doct. Lov.*, pag. 29. — [2] *Wigg. de Conc.*, dub. III. n. 75; *Doct. Lov.*, pag. 29. — [3] *Stapl., Controv.* VI. quæst. III. *Doct. Lov.*, art II. pag. 62.

varios illos animorum motus, nullâ exactâ certâque ratione firmatos, procul à fidei rectitudine amoliri nos oportet.

Quare nec moveri debeat qui viderit scholasticos posterioris ævi, ex quo maximè cum lutheranis decertari cœptum est, dum ab iis quàm maxime dissentire, et pontificiam majestatem tantis eorum conviciis oppugnatam, quàm maximè amplificare atque exaggerare pium putant; alia aliis, quasi certatim addidisse. Passim enim eos videas catholicis nostræ sententiæ defensoribus imputare, quòd non satis à Luthero aliisque pestibus abhorreant. Ita dum metuunt, ne non satis credantur abhorrere à Luthero, aut ejus asseclis, id agunt ut non modò Lutherum, sed etiam alii alios supergressi esse videantur. Quare cùm quis dixerit, *ferè de fide;* alius *omnino esse de fide* addet: cum quis, *aliquibus de fide;* superveniat qui *absolutè de fide esse* decernat. *Videtur erroneum,* ait ille; existent qui *erroneum planè* statim pronuntient. Ita antiquiores modestiores fuere; verùm increscente, ut fit, motu, recentiores, Christianus Lupus * Lovaniensis, quem alioquin honoris causâ nominatum volo; anonymus, Nicolaus Dubois; aliique adeo exarserunt, ut sibi quoque fidem demant. Dominus verò Strigoniensis suum illud, *detestabile et schismaticum,* totis intentat viribus. Quin etiam ex Italiâ extitit Nicolaus Cevoli **, comes patricius romanus; qui asserat [1], « propositiones cleri gallicani, ad unam omnes, ex institutionibus Calvini esse desumptas, ac planè hæreticales: episcopos, qui ipsas firmaverunt, uti hæreticos et schismaticos, non solùm esse extra Ecclesiam, sed etiam ipso facto caruisse jurisdictione episcopali, et ab omni communione evitandos esse; imò et comburendos. » Cujus quidem viri intemperias ne memoratu quidem dignas esse censerem, nisi ipse, cùm argumentis nihil probet, certò argumento esset, supra omnem modum moremque inflari et exaggerari omnia, ubi falsa pietas zelusque præposterus imperitos animos occuparunt.

CAPUT XIV.

Quanta sit scholasticorum auctoritas, ex Melchiore Cano constituitur, atque hinc efficitur ab omni nos erroris notâ esse liberos.

Quæret aliquis, an recensiores qui hoc sæculo scripserint, con-

* Christianus Lupus seu Wolf, Yprensis, ordinis eremitarum S. Augustini, vir plurimæ doctrinæ et exquisiti judicii, in hoc uno reprehendendus esse videtur, quòd cùm sit in opiniones ultramontanas propensior, quæstiones quæ vulgò ab ultramontanis defenduntur, non eo animo sedato lenique tractat, quo cæteras solet. (*Edit. Paris.*)

** Nicolaus Cevoli suo libro titulum hunc magnificum juxtà et ridiculum fecit: *Antigraphum ad clerici gallicani de ecclesiasticâ potestate Declarationem, optimo, maximo, summoque Pontifici, Christi vicario Innocentio XI, Urbis et orbis domino, cœlorum, terrarum, inferorumque janitori unico, fideique oraculo infallibili, humiliter dicat, consecrat, præsentat Nicolaus Cevoli ex marchionibus de Carretto, etc.* (*Edit. Paris.*)

[1] *Cevoli, Antig.*, etc., pag. 184 et seq.

temnamus, cùm ab eorum auctoritate discedimus. Equidem contemno neminem, et à prophetâ admonitus, ita *veritatem* quæro, ut *pacem* colere cum omnibus velim. Cæterum id apertè incunctanterque profiteor, fore ut in gravissimos errores impingat, qui non omnia sæcula totamque traditionis seriem mente complexus, recentioribus se addixerit : sed hæc aliàs. Nunc, ne quid arroganter decere videar, Melchior Canus *, scholasticis certè haud iniquus, prodeat in medium, qui de scholasticorum auctoritate decernat.

Sunt autem ab eo constituta quædam quæ gradatim geometrico ferè more, à nobis explicari debent, non quidem eo ordine quo sunt ab ipso tradita, cùm ille hæc toto opere, prout instituti sui ratio postulabat, hàc et illàc fuderit; nos autem alio spectare oportet.

Jam ergo ante omnia ponatur divisio, quæ statum quæstionis aperiat, nempe hæc : aliud esse scholæ opinionem communem, aliud scholæ placitum, decretum, sive, ut alibi vocat, dogma, firmumque judicium : quæ divisio apud Melchiorem Canum ubique diffusa invenitur, maximè verò libro VIII, quo reprehendit quosdam qui errent « in eo, quòd scholæ opiniones à certis constantibusque decretis non separant [1]. » Hoc autem etiam ad communes scholæ opiniones pertinere sequentia docent : « Non disputo nunc scholæ communis opinio verane an falsa sit ; sed id ago,... scholasticas opiniones oportere à decretis sejungere. »

Divisionem sequuntur definitiones duæ. Opinio versatur in his quæ non pertinent ad fidem : decreta verò in his quæ ad fidem pertinent. Hæc perspicua ex sese, ex iis quæ sequuntur patebunt clariùs. His ergo positis, propositiones explicandæ.

PRIMA. Nihil necesse esse sequi plurimorum opinionem, neque etiam communem, neque etiam omnium : quæ propositio tres habet partes.

Quoad plurimos attinet : « In scholasticâ, inquit [2], disputatione, plurium auctoritas theologum obruere non debet ; sed si paucos viros, modò graves, secum habeat, poterit sanè adversùs plurimos stare : non enim numero hæc judicantur, sed pondere. »

De communi opinione non scholasticorum tantùm, sed etiam Patrum, ita decernit [3] : « Si non quævis illorum (Patrum scilicet) etiam in re gravi, communis opinio fideles astringit, sed firmum constansque judicium ; ecquid de recentioribus scholæ theologis dicere nos oportet, quos veteres illi longè, et vitæ merito, et Scripturarum usu, et auctoritatis pondere superarunt ?

* Melchior Canus, ordinis prædicatorum, ac deindè Canariæ insulæ episcopus, scholasticorum elegantior, scripsit tractatum *De Locis Theologicis*. (*Edit. Paris.*)

[1] *Melch. Can.*, lib. VIII. c. 5. p. 320, 329.— [2] *Ibid.*, c. IV. p. 317.— [3] *Ibid.*, c. 5. p. 320.

Quare eodem loco quæstionem illam tractans : « An matrimonium sine Ecclesiæ ministro contractum, sit verè et propriè sacramentum, » cùm ille pro ministro pugnet, ac sacramentum esse neget, sibi quidem objicit doctorum multitudinem ab ipsius sententiâ abhorrentem; tum hâc responsione se tuetur [1] : « Ostendam ergo primùm opinionem illam communem esse; non scholæ dogma firmumque judicium. » Ac paulò post : « Si thomistæ omnes cum scotistis existant, si cum antiquis juniores velint contra me pugnare, tamen superior sim necesse est. Non enim, quemadmodum nonnulli putant, omnia sunt in theologorum auctoritate : est quædam tamen ita perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit. »

Idem tamen in re gravi temerarium esse docet ab omnium omnino consensione recedere. Sic enim loquitur [2] : « Ex auctorum omnium scholasticorum communi sententiâ in re quidem gravi, usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut ullis refragari TEMERARIUM sit. » Vide quid efficiat, ubi de opinione agitur. Concors sententia theologorum omnium efficit scilicet probabile argumentum tantùm, quod contemnere sine temeritate non possis : sed ita, si sit omnium in re quidem gravi, concors sententia.

Hæc ille de opinione : sed quâ notâ internosci possit ab opinione decretum, sic exequitur.

SECUNDA PROPOSITIO. Cùm ex definitione decretum versetur in his quæ pertinent ad fidem, opinionis nota est, ubi non adscribitur illud, hæreticum, erroneum, aut id firmiter catholicis amplectendum, aut aliquid simile [3]; » sed id quoque oportet ex certo judicio, non ex opinione dicatur. Nam

TERTIA PROPOSITIO est : An aliquid sit de fide, ad quæstionem et opinionem pertinere potest. Unde emergit

QUARTA PROPOSITIO. Certa nota est aliquid tradi, ut quod sit verè de fide, neque in quæstione et opinione versetur, « si expressè et propriè à fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei catholicæ accipiendum dicatur; vel aliis similibus verbis, aliquid esse Evangelio doctrinæve apostolorum contrarium dicatur. Dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo et firmo decreto. » Ergo et illud *de fide est, hæreticum est, erroneum est*, ex opinione dici potest, neque tum quæstio statim transfertur ad scholæ decretum, sed intra opinionis lineam continetur. Exemplum affert [4] : « Licèt enim Durandi * opinio reprobetur, cap. *Gaudemus*, *de Divortiis* :

[1] *Melch. Can.*, lib. VIII. cap. 5. p. 323, 324. — [2] *Ibid.*, c. IV. p. 317. — [3] *Ibid.*, c. 5. p. 324. — [4] *Ibid. Vid. Decr. Greg. IX*, lib. IV. tit. IX. cap. 8.

* Is est episcopus ille Mimatensis, canonistarum XIII sæculi facilè princeps, qui *Speculator* dictus est, edito nempe libro, cui titulum fecerat : *Speculum Juris*. De illo egregio canonistâ jam alibi diximus. Sed hic observandum est Durandi nomen, in allegatâ decretali nusquam

sed qui dixit : *Verùm absonum hoc videtur, et inimicum fidei christianæ* (quæ verba sunt decretalis), is noluit hæreseos illum condemnare; verbum enim VIDETUR, judiciorum infirmat certitudinem. »

Quòd hic de conciliorum summique Pontificis sententiâ dixit, alibi ad privatos doctores meritò confert; ac jam audivimus ita de beato Thomâ disserentem [1] : « Cùm dixerit VIDERI, hoc ipsum sensisse quòd dixerit, VIDERI modò, non etiam oportere. »

Quare quos audimus dicentes, *existimo, censeo, videtur esse de fide, vel mihi, vel aliquibus est de fide*, quæ in hâc quæstione, etiam posterioris ævi doctorum pars longè est maxima, eos, auctore Cano, ex opinione, non ex certo firmoque judicio dixisse scito, et cùm res opinionis sit, valere nimirum ea, quæ de opinione diximus.

Non tamen sufficit, ut aliqui, vel multi, vel unius ætatis etiam plurimi, majore fortè confidentiâ quàm doctrinâ, absolutè certòque dicant : *De fide est, erroneum est, hæreticum est.* Sed

QUINTA et ultima PROPOSITIO, quam ex Cano depromimus, hæc est : « Concordem omnium theologorum scholæ, de fide aut moribus sententiam contemnere, si hæresis non est, at hæresi proximum est [2]. » Et alibi apud eumdem [3] : « Si scholastici theologi aliquam itidem conclusionem firmam et stabilem uno ore omnes statuerint, atque ut certum theologiæ decretum fidelibus amplectendum constanter et perpetuò docuerint, illam ut catholicam veritatem fideles sanè amplectemur. »

Vides quæ certa, fixaque et inviolata theologiæ decreta sint, in ea consentire debere firmam stabilemque ac perpetuam scholasticorum omnium, non ex opinione, sed ex certo firmoque judicio profectam sententiam. Quâ ex re confirmatur id quod sæpè diximus : qui ita concludunt, *nunc;* vel, *hoc tempore omnes scholastici ita sentiunt;* ab his suam quoque enervari statim infirmarique conclusionem : ut exinde constet id, quod statuunt, ad hæresim aut errorem in fide minimè pertinere posse, cùm vel hinc, ipsis quoque testibus, traditionem certam ab eorum sententiâ abesse constet. *Fides* enim *non est temporum*, ut aiebat ille præclarè, *sed Evangeliorum.*

Quæ quidem à me dicta sunt, ut sæpè monui, eo rerum statu, quo nullum novum interpositum est Ecclesiæ decretum, ad antiquam traditionem clariùs et expressiùs declarandam. Qui enim in quæstionibus, quales nostræ sunt, quæ à trecentis ferè annis inter catholicos agitentur, nullâ ejusmodi auctoritate ducti, ad novas cen-

reperiri, et hanc esse damnatam propositionem : « Quia Pagani circa plures insimul [illegible] affectum dividunt conjugalem, utrùm post conversionem omnes, aut quam ex omnibus velint retinere valeant, non immeritò dubitatur. » (*Edit. Paris.*)

[1] *Can.*, lib. VIII. c. 5. p. 321.— [2] *Ibid.*, c. 4. p. 318.— [3] *Ibid.*, lib. XII. c. 5. p. 472.

suras repentè prosiliunt, eorum profectò numero sunt, quos dicebat Canus [1], de rebus gravissimis temeritate quâdam, repentino quasi vento incitatos, ferre sententiam : » qui quidem quò vehementiùs alios condemnarint, eò profectò luculentiùs, non in illis hæresim vel errorem, sed in seipsis temeritatem, inscitiamque produnt.

Quare, his positis, omni ratione pervicimus, nos ab omni ejusmodi censurâ planè absolutos esse. Quadruplici enim veluti gradu tuti invictique consistimus. Primus est : tantum abest ut motâ quæstione concors fuerit adversùm nos ac perpetua et stabilis scholasticorum omnium sententia, ut attentâ quidem universâ temporum serie, non tantùm auctorum gravitate, verùm etiam numero, superiores simus : neque tantùm privatos doctores innumerabiles, verùm etiam theologicas Facultates multas, easque celeberrimas, decreto quoque facto, consentientes habeamus. Hoc primum. Alterum : tantùm abest ut motâ quæstione, Ecclesia congregata, ipsique Pontifices, judicium interposuerint suum, ut potiùs consultò à judicando saltem temperarint, resque integras reliquerint. Tertium : ex eo consequens est, ut si privati doctores posterioris ævi, consultò tacente Ecclesiâ, censorias notas vel maximè adhibuissent, non nisi temerariæ præcipitesque haberi possint. Postremum : nequidem id fecerunt, certo judicio concordique sententiâ, sed his planè verbis, quæ opinionem, non autem firmum decretum indicent.

Jam verò cùm certa pro nobis, atque omni auctoritate firmata, synodi Constantiensis decreta proferemus, quinta quæstio erit : quo illi loco sint, qui tantæ auctoritati contradicant? Sed eam quæstionem ad aliam hujus operis partem reservamus. Hic nos tutos esse probasse sufficiat.

Cæterùm cùm Melchioris Cani proferimus auctoritatem, non propterea omnia, quæ hæc tractando, magnificè de scholasticis doctoribus edixerit, à nobis comprobata esse volumus, quale est illud : « Scholæ auctoritate res plurimas ab Ecclesiâ esse definitas [2]; » cùm potiùs videatur dicere debuisse, perpetuæ traditionis auctoritate definitas fuisse : cujus traditionis scholæ doctrina, pars aliqua haud quidem contemnenda fuerit. Neque magis probamus illud [3] : « Omnes simul scholæ theologos, uti retulimus, errare non posse ;..... quòd eorum error, error esset Ecclesiæ, utpote, cùm ad decernendum hujusmodi res, non alios Ecclesia quàm theologorum oculos habeat, qui si fallerentur, totum Ecclesiæ corpus, in suo facerent errore versari. » Quasi episcopi, veri Ecclesiæ doctores à Christo instituti, nihil ipsi per sese sapiant et intelligant ; aut scholastici tantùm, non autem vel maximè, qui in publicâ Ecclesiæ cathedrâ, verbum divinum

1 *Can.*, lib. VIII. c. 5. p. 320.—2 *Ibid.*, p. 319.—3 *Ibid.*, lib. XII. c. 6. p. 493.

catechismumque tradant, audiendi sint : quæ et alia quo sensu probanda, vel intelligenda sint, in medio relinquimus. Id unum confundimus, ut illius quoque, qui scholasticis plurimùm tribuat, calculo, à quorumdam scholasticorum censuris tuti et illæsi simus.

CAPUT XV.

Aliæ notæ : quæ ad fidem pertinent paucis diluuntur : sapiens hæresim, malè sonans, periculosum in fide quid sit : schismaticum à D. Strigoniensi [illegible], sed ne hujus quidem nominis significatione perspectâ.

Noster quidem Gerson, quo auctore à nostrâ Facultate multas, easque accuratas, et ad regulam exactas censuras esse editas omnes consentiunt de censurarum notis, multis libris agit. Sed in eo libro maximè, cui est titulus, *Declaratio veritatum quæ credi debeant*[1]. Quo loco, post hæretici erroneique notas, docet, propositionem quæ hæresim sapiat definiri posse eam, « ex cujus concessione, coassumpto aliquo, quod non potest rationabiliter negari, sequitur hæresis. » Talis esse videretur hæc propositio : *Gregorius Magnus non fuit papa.* Assumpto enim eo, quod non fide quidem sed aliunde certissimum est : *Gregorius Magnus ritè fuit electus in Papam*; sequeretur eum qui canonicè in Papam sit electus, non esse Papam, quod esset hæreticum. Unde existit illud, *sapiens hæresim*, in eâ propositione *Gregorius Magnus non fuit papa*; quam definitionem à Gabriele Biel * Gerson deprompsit integram [2]. Totum verò illud, *sapiens hæresim*, à nostrâ sententiâ excluditur, cùm illud *coassumptum*, quòd licèt non fide certum, alioqui evidens per se sit, nequidem fingendo excogitare quis valeat.

Malè sonans in fide, quantùm capio, haud facilè secernas ab eo quod *sapit hæresim*, sive errorem; sed ut id quod *sapit hæresim* ad gustum quemdam, ita id quod *malè sonat*, magis refertur ad aures : quòd cùm subtiliter apud te pensitaveris, in idem recidere facilè comperies; quanquam *malè sonans* à Melchiore Cano [3] confunditur cum eo, quod sit *piarum aurium offensivum*, de quo dicemus postea.

Neque ab iis multùm distat istud quod *periculosum in fide* dicitur : cujus quidem notæ insigne exemplum habemus in censurâ Vernantii

[1] *Gers.*, tom. I. pag. 22, 23.

* Biel, canonicus regularis, in libros magistri sententiarum commentaria scripsit non [illegible]nanda, et docuit in Universitate Tubingensi ab Eberardo comite Vurtembergensi, anno [illegible] instituta. Diximus in nostris notis gallicis hunc docuisse in Universitate Tigurensi, errorem nempe secuti D. Dupin, quem hic emendatum volumus. In textu quoque Bossuet levis error irrepsit, sive sit ille ipsius Bossuet, sive, quod nos credimus, amanuensis. Dicitur enim *hanc definitionem à Gabriele Biel Gersonem deprompsisse*; cùm potiùs fuisset dicendum *eam Gabrielem Biel à Gersone deprompsisse*. Nam vix natus erat Biel, quando Gerson [illegible] supremum obiit, anno 1429. Vid. Dup. XV sæc. (*Edit. Paris.*)

[2] *Gabr. Biel*, in IV sent. dist. XIII. quæst. II. art. III. dub. I.— [3] *Can.*, lib. XII. c. 11.

nostræ Facultatis, 24 Maii 1664. Erat hæc Vernantii propositio[1]: « Si Papa non est infallibilis in Scripturis interpretandis, nostra fidei professio mutanda est, neque dicendum ampliùs, nos sanctam Ecclesiam catholicam et romanam credere. » Quæ propositio, quoniam ea quæ fide certa essent, cum incertis dubiisque implicabat, remque fidei solâ opinione fundabat, ipsa fides in periculum vocabatur; quippe quæ cum opinione in ejusdem casûs consortium trahi posset. Atque id sacra Facultas cùm intelligeret, præclarè pronuntiavit : « Hæc propositio est falsa, temeraria, scandalosa, periculosa in fide. » Quam censuram incurrunt nunc, qui primatûs fidem totamque Ecclesiæ catholicæ auctoritatem, cum eâ quam imbiberunt opinione, connectunt.

Jam profligatis iis quæ nostram fidem incusent, facilè efficiemus, ut illo schismatici elogio, quod dominus Strigoniensis iratus effudit, nihil quidquam sit inanius. Et quidem doctrinam nostram, contra potestatem indirectam, non modò Perronius cardinalis, sed etiam, eodem teste Perronio[2], ipse Bellarminus hujus potestatis propugnator acerrimus, absolvit ab anathemate. « Cæterùm, ait Perronius, ipse Bellarminus monet id quod de Pontificis in temporalia potestate indirectâ docet, non à se haberi ut fidei doctrinam, aut sub pœnâ anathematis et excommunicationis à fidelibus tenendam. Quare hæc omnia communioni ecclesiasticæ sanciendæ impedimento esse non possunt; » certissimèque constat à domino Strigoniensi inustam schismatis notam, ne illius quidem definitione perspectâ.

Primùm enim schisma separationem sonat; quare schismatis nomen sponte corruit, ubi nulla separatio est. Atqui clerus gallicanus, neque se à quoquam, neque quemquam à se separat : ergo schismatis nomen, ipsâ nominis significatione statim vacat. Si autem vacabat in nos, necessariò recidebat in auctorem; cùm procul dubio sit ipse reus schismatis, qui pacificis ac fratribus schismatis crimen intentat. At enim ejus nomine respondebunt : Vos Galli nondum schismatici, sed propositiones vestræ schismaticum virus instillant. Quo pacto? ideo certè quia ad separationem inducunt. At quâ in re? in doctrinâ scilicet, cùm res doctrinæ sit. An ergo docemus rem à communi omnium fide abhorrentem? Id si ita est, jam non schisma, sed hæresis aut error est, quòd cùm nec ipse dixerit, certè schismatis nomen, nullâ re nixum, inane esse docet. An fortè schismatici sumus, quòd de doctrinâ non necessariâ litigamus? Atqui ne litigamus quidem; nostra proponimus; ab omni contumeliâ et censurâ temperamus.

Ecclesiæ antiquitus aliæ alias Scripturas admittebant : non easdem omnes. Erant qui Epistolam ad Hebræos, erant qui Apocalypsim

1 *Vid. d'Argent.*, etc.; *Vern. ef.*, etc., p. 247.— 2 *Répl. de Duperr.*, p. 545, edit. 1622.

respuerent, et in iis quidem à romanâ Ecclesiâ dissentirent : nullum tamen erat schisma, quod innocuè et citra cujusquam injuriam dissiderent, neque alii alios condemnarent; quæ longè profectò gravioris momenti, quàm hæc nostra erant.

Nostri certè episcopi neminem condemnarunt. Si verò schismatici sunt, ideo quòd non laturi esse videantur, apud nos doceri suis decretis contraria; jam sunt schismatici, qui in aliis regionibus nostra proscribunt, aut verò condemnata ea esse, demonstrare oportet. Quod tu si crederes, non jam schismaticos, sed hæreticos nos diceres.

Summa sit. Duo sunt quæ in Declaratione gallicanâ proponuntur : alterum communis omnium fides de primatu Petri : alterum sententia Parisiensium et Ecclesiæ gallicanæ, quam à synodo Constantiensi, et antiquâ traditione, manasse arbitramur. Sanè cùm fidem proponere aggredimur, ea tantùm producimus, quæ omnes catholici uno ore suscipiunt. Neque verò aliter egit dominus Strigoniensis, in eâ quam cum ipsâ censurâ edidit fidei professione solemni. « Profitemur, inquit [1], atque spondemus sanctæ romanæ Ecclesiæ, quæ unica est, perpetuò adhæsuros, neque ab ejus institutis, totius orbis consensu approbatis, ubique florentibus ac dilatatis, quovis præterita discessuros. » Non ergo privatas sententias adducat oportet, qui fidem profitetur; sed quæ totius orbis consensu approbata, ubique florentia ac dilatata sint.

At dices : Quid ergo additis alia? Addimus quæ utilia Ecclesiæ, quæ familiaria nobis, quæ posteris profutura : addimus quæ primatum ipsum, atque amplitudinem romani Pontificis firment, invictamque et in animos suaviùs influentem præstent; sed ea asserentes, condemnamus neminem; veritatem pariter pacemque diligimus.

Exploso schismatici titulo, *illud absurdum et detestabile* domini Strigoniensis, quippe quod plus irarum quàm censurarum habeat, omittimus. Nihil enim videtur dixisse, qui cùm nihil perspicuum haberet dicendum, vagâ confusâque sententiâ detestabilem esse doctrinam effutiit eam, quam fidei repugnare nec ipse diceret.

[1] *Cens. Strig. in Vind. Schol.*, etc.

LIBER TERTIUS.

QUOD DECLARATIO GALLICANA AB OMNI CENSURA IMMUNIS SIT, EX IPSO STATU QUÆSTIONIS DEMONSTRATUR.

CAPUT PRIMUM.

Adversarii falsa imputant Parisiensibus, ac pessimè constituunt statum quæstionis : anonymus auctor tractatûs *de Libertatibus Ecclesiæ gallicanæ* : Papæ suprema potestas et monarchia ecclesiastica à Gersone et aliis Parisiensibus agnita : Constantiensis concilii loci à Cajetano et aliis objecti : an recursus ad concilium in extraordinariis casibus supremam Papæ impediat in ordinariis casibus potestatem.

Animadverti eos, qui antiquam Parisiensium sententiam, eique congruam cleri gallicani Declarationem censoriis configunt notis, id facere ex conceptis de hoc dogmate falsis opinionibus, quos proinde, constituto statu quæstionis, facilè refellemus.

Atque ille quidem, qui *de libertatibus gallicanis* scripsit anonymus, quæstionem de conciliorum potiore potestate ita constituit [1] : « Sed quæstio est, penès quem sit suprema potestas, an penès episcopos sine summo Pontifice, an penès summum Pontificem sine episcopis, dum invicem distinguuntur. » Quare toto libro v, quo hanc quæstionem tractat, ubique profitetur agere se de concilio, à quo summus Pontifex ejusque legati absint. At profectò constat non in eo positam quæstionem : an Papa concilio subsit ei, quod sine ipso congregetur : quæ specialis est controversia tractata ab Orientalibus, tempore concilii quinti, congregati sine Vigilio; sed an Pontificis decreta de fide, aliisque hujus generis rebus, ea sint quæ à synodo retractari possint, atque interdùm debeant; et an congregato, ut nunc ordinariè canones jubent, ejus auctoritate concilio, ipsius, an Patrum ac sacri consessûs sententia prævaleat.

In eodem errore versatus est Emmanuel Schelstratus ac cæteri passim, qui intelligunt, ejus tantùm à nobis asseri concilii potestatem, quod seorsim à Papâ fiat. Quo uno clarum est, à toto quæstionis statu aberrare eos, eorumque argumenta, censuras, tractationes universas in irritum cadere.

Sanè apud omnes constat, certis quidem in casibus extraordinariis, concilium absque Papâ congregari posse; idque non modò in schismatis casu, si Papa sit dubius, sed etiam extra schisma, si sit hæreticus, si detentus, si mente captus, si apertè simoniacus, si ea moliatur quibus universam pessumdet Ecclesiam, aliis denique in

[1] *Anon., de Libert.*, etc., lib. v. c. 5, 6, 11, 15, 16, et pass.

casibus, *qui dilationem remedii non paterentur*, quos casus evenire posse, theologi canonistæque omnes, et ipse etiam agnoscit anonymus[1]; atque iis in casibus, Papæ concilium anteponi oportere nemo diffitetur. Quorsum enim attineret concilium absque Papâ fieri, nisi auctoritas concilii prævaleret? Rursus autem confitemur generale concilium absque Papâ congregatum, nisi id ipsa necessitas expresserit, ipso jure esse nullum; ut iis de rebus litigasse, nihil aliud sit, quàm operam ludere, et aliis invidiam conflare voluisse.

Sunt alia quæ nobis imputent æquè falsa. Primùm negari à nobis, eam quâ romanus Pontifex, Christo auctore, gaudeat supremam in Ecclesiâ potestatem, ac monarchicum Ecclesiæ romanæ statum, sive, ut Patrum magis utamur vocibus, illam perfectissimam unitatem, in quam Ecclesiæ administrandæ ratio tendere ex Christi instituto debeat. Hoc primùm nobis imputant: tum illud ex eo profluens, nullum à nobis poni controversiis oborturis finem, nisi concilio generali congregato, totoque orbe commoto; quod cùm sit difficillimum, ac sæpè ne possibile quidem, hinc dari hæreticis grassandi, et omnia perturbandi locum. Denique addunt, si fieri possit, id quod Parisienses asserunt, romanum Pontificem de fide decernentem aliquando falli, etiam fieri posse, ut quæ catholica fides et Ecclesia est, non eadem semper romana fides et Ecclesia sit. Ea verò esse quibus maximè moveantur, et quibus libros impleant, qui bonâ fide agat, nemo negaverit. Atqui ea ne objicerent quidem, si vel statum quæstionis cogitare vellent.

Supremum enim illud, ut inde ordiamur, ex concilio maximè Constantiensi repetendum putant. Vel Cajetanum audi contra nostros disputantem. Statim fundamenti loco ponit illud[2], in Constantiensi synodo per Martinum V ita definitum: « Papa supremam habet auctoritatem in Ecclesiâ Dei[3]. » Cui est geminum illud, ab eâdem synodo in Viclefo damnatum, et à Martino V, approbante synodo, repetitum: « Non est de necessitate salutis credere romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. » Idem urgent omnes, et eo maximè argumento Nicolaus Dubois Declarationem Gallorum oppugnat[4].

Optimè interim, quòd ex eâ synodo maximè argumentantur, quàm maximè auctorem secuti sumus. Neque immeritò ex eâ synodo supremæ auctoritatis vocem ac titulum constabilitum volunt, qui in eâ synodo primùm appareat. Res enim ipsa antiqua; sed prima, quod sciam, synodus Constantiensis fuit, quæ supremæ auctoritatis

[1] *Anon., de Libert.*, c. v. n. 13. — [2] *Cajetan., de auct. Pap.*, cap. 1; post tom. III *Comm. in Sum. S. Thom.*, pag. 6 — [3] *Bull. Mart. V, Inter cunctas*, tom. XII. *Conc.*, col. 263. — [4] *Disq.*, art. IV. p. 21.

adhibità voce, romanæ Ecclesiæ primatum commendaret. Hinc nostrum postulatum, ut ex eâ synodo, supremum illud interpretemur, in quâ primùm fuerit summâ auctoritate proditum. Hic jam adversarios trepidare videas. Satis enim sciunt synodum Constantiensem eam esse, quæ apud ipsos malè audiat, quòd conciliorum faveat auctoritati; sed profectò necesse est, vel omnia jura conturbent, vel eo utantur judice quem ipsi elegerint.

Nos, inquiunt, non protulimus sessionum IV et V decreta, quæ concilium Pontifici anteponunt : nondum enim omnes obedientiæ convenerant. At nihilo magis convenerant sessione VIII, cùm illud in Viclefo damnatum est : « Romana Ecclesia non est suprema inter alias Ecclesias. » Una tum convenerat Joannis XXIII obedientia, quæ sessionum IV et V edidit canones, quos pertimescitis. Certè sanctam synodum tam citò à sententiâ discessisse, atque à sessione V ad sessionem VIII tantam rerum esse conversionem factam, nec vos ipsi creditis. Ergo suprema illa auctoritas Pontifici attributa, cum eâ quam Constantienses conciliis asserunt auctoritate, non repugnat. Illud tamen omittamus : sessionum IV et V decreta in alium locum differamus. At certè adversarii non negabunt in sessione V ita intelligendam esse supremæ auctoritatis vocem, ut sessione VIII explicata est; atqui in sessione VIII ita explicatum est supremam esse Ecclesiam romanam ipsumque Pontificem, « quatenus primatum habet super omnes Ecclesias particulares. » At fortè Cajetanus ne eum quidem locum, tametsi est à Martino V apertè comprobatus, proferre voluerit : obscurus, ambiguus, nimisque conciliaris est ille locus. Audiamus ergo tandem quid ex Martino V prolatum voluerit. Nempe id in bullâ *Inter cunctas*, sacro Constantiensi concilio approbante, editum : « Quòd Papa canonicè electus... sit successor beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei. » At ne illud quidem cogitas, *supremam* dixisse *in Ecclesiâ Dei*. Tu continuò infers : ergo super omnem Ecclesiam, etiam congregatam. Statum quæstionis, et ipsa quæ laudasti verba mutas. Nos autem fatemur, supremam *in Ecclesia*, non totâ Ecclesiâ, etiam congregatâ, superiorem; sive quod idem est, et in concilio Basileensi positum : « Papa in Ecclesiâ major, non tamen totâ Ecclesiâ major. »

At enim Cajetanus ita philosophatur : Non est ille supremus etiam in Ecclesiâ, qui supra se agnoscit aliquam in Ecclesiâ potestatem, cui subsit : atqui Parisienses talem Papam faciunt, qui conciliari potestati subsit : non ergo papalem, sed conciliarem supremam faciunt potestatem. Cui argumento facilè respondemus, utramque supremam esse diverso respectu : supremam alteram, nempe ponti-

1 *Cajet., loc. cit.*, cap. VIII.

ficiam, tanquam ordinariam; supremam alteram, nempe conciliarem, extraordinariis in casibus, ac rarò eventuris : quam distinctionem, ne ea quidem, quâ plurimùm Cajetanus utitur, philosophia respuat. At enim supremi vocem strictissimè vult acceptam, etiam in Constantiensi quod laudat decreto; siquidem id fingit, omnes concilii Patres, quidquid antea cogitarint, edixerint, sanxerint; Martinum verò V, quidquid audierit, approbaverit, exscripserit, oblitum esse penitus. Rectè. Sin autem non ita est, ipse profectò Cajetanus est nimius, et suprema Papæ potestas, ex Constantiensi quo utitur decreto, mitiùs intelligenda est.

Vis monarchiæ vocem? Nostri ultro amplectuntur, et apertè Gerson [1] : « Plenitudo potestatis ecclesiasticæ.... à Christo collata est supernaturaliter Petro sicut vicario suo et monarchæ primo, pro se et successoribus usque in finem sæculi; » et postea pro absurdo habet, « regimen ecclesiasticum non esse monarchicum, et habere multiplex caput : quod quidem, inquit, est apertè hæreticum; » et tractatu celebri, *De auferibilitate Papæ*, postquam humanas monarchias in aristocratias aliquando converti posse memoravit, ut olim in republicâ romanâ factum est, addit [2] : « Non sic de Ecclesiâ Christi, quæ in uno monarchâ supremo.... fundata est à Christo;... et oppositum sentientes... errant in fide... contra articulum illum, *et unam sanctam Ecclesiam.* »

Quod factum esse docet, ut non schisma fieret, sed reductio ad unum supremum; et idem ipse, nostrique semper inculcant. Neque eo seciùs ipse, et alii iisdem in locis, concilii superioritatem ex Constantiensibus decretis vel maximè propugnant. Quare totum illud de supremâ potestate, deque monarchiæ statu, extra quæstionem est, et nobis invidiosè objectum.

At enim Richerius hanc monarchiam odit, et ubique insectatur, et aristocratiam ecclesiasticam laudat. Non ille quidem absolutè, sed monarchicum esse Ecclesiæ statum suo sensu profitetur. Verùm, utcumque est, ipse viderit : non clerus gallicanus tutandum eum suscepit : Gersonem potiùs et Parisienses tueretur. Sed ne ipsos quidem, nisi quatenus antiquæ traditioni, et synodo Constantiensi consentiunt. At, inquis, non est supremus romanus Pontifex, si semper ab eo ad concilium recurratur : et hoc nobis imputas extra quæstionem. Ad certos enim casus, eosque extraordinarios atque generales, quibus Ecclesia tota concutitur, sese ipsa redigit Constantiensis synodus, quam sequimur ducem. Eo verò prætextu continuò sollicitari Ecclesiam, ac christianum orbem commoveri, Sedisque apo-

[1] *Gers., de potest Eccl., cons.* x. tom. ii. p. 239; *et concl.* ii. p. 239, 255. — [2] *Gers., Tract. de aufer. Pap., consul.* viii; *ibid.*, p. 213.

stolicæ auctoritatem, in ordinario etiam regimine et quocumque casu dato, à concilii auctoritate suspensam, adeoque impeditam semper, et invalidam teneri, ac nomen nudum esse, pejus omnibus malis odimus. Neque eo magis probamus Pontifici etiam delinquenti, aut delinquere viso, semper intentari concilii generalis auctoritatem, ac sub concilii nomine schismati præberi fomitem. Gerson enim et alii inculcant assiduò, valere concilii auctoritatem ad Papam judicandum, certis casibus [1], iisque ita extraordinariis, ut vix mille annis, bis aut ter eveniant : quibus tamen haud secus ac quotidianis casibus in antecessum provideri, stabilità concilii auctoritate necesse sit, quòd scilicet Ecclesiæ ipsi in æternum duraturæ, mille anni sint tanquam dies unus; totque tentationes expertam ac tantis præliis præparatam, vigilare, sibique cavere oporteat.

Neque ex eo quòd Constantiensis synodus Papam subesse concilio velit, etiam in negotio reformationis generalis, ideo probamus reformationem eam quam sine Papâ aggredi vellent. Nam Cameracensem audimus, ita concionantem in ipso Constantiensi concilio [2] : « Manifestum est quòd Ecclesia fuit multipliciter deformata, indiguitque et nunc maximè indiget, ut in fide et in moribus, reformetur; » explicatâ fide scilicet, ejectis hæreticis, purgatisque moribus. « Sed nunc membris Ecclesiæ separatis à capite, per tetrum illud schisma, et apostolico dispensatore et directore carentibus, nequaquam bene fieri posse speratur. » Quod quidem secuta synodus Constantiensis, reformationem distulit, et electionem Pontificis expectavit.

CAPUT II.

Falsò imputari Parisiensibus, quòd saltem in fidei causis, recursus ad concilium semper sit necessarius.

At illud ineluctabile esse putant, quòd, saltem in fidei causis, recursus ad concilium semper sit necessarius, si Papam negemus esse infallibilem. Quâ unâ doctrinâ prævalere hæreses, cùm in ea incidunt tempora, quibus concilium vix ac ne vix quidem congregari possit. Hoc adversarii omnes ad unum inclamant; sed hæc omnia frustra sunt. Jam enim Lutherum omni anathemate prosecuti sumus, quòd ad generale concilium omnia fidei decreta suspenderet; et nostra Facultas eamdem doctrinam in Milleterio condemnavit atrocibus notis : quam censuram integram suo loco referemus. Neque obscurum est Gersonem et alios, id non tantùm concilio generali, et congregatæ Ecclesiæ, sed etiam ubique diffusæ tribuisse, ut errare non possit; nec mirum, cùm concilium ipsum eo sit infallibile, quòd

1 *Gers., de Pot. Eccl. loc. cit.*— 2 *Vid. Pet. Alliac. inter op. Gers.*

Ecclesiam repræsentet : quo fit ut Ecclesiam per se esse intelligam negare nequeat, qui vel intelligat repræsentare quid sit. Denique pestiferam doctrinam clerus gallicanus, novissimâ illâ, quam tot studiis impugnant, Declaratione confixit, dum sine concilio quoque Ecclesiæ consensum valere professus est. Sed illum quem [illegible], Ecclesiæ consensum irridet Nicolaus Dubois, dum ea verba [illegible] Declarationis gallicanæ, *nisi Ecclesiæ consensus accesserit*. Sic [illegible] interrogat [1] : « Cujus Ecclesiæ? An universalis, omniumque pastorum et episcoporum, etiam capitulorum, tam cathedralium quam collegiatarum? » Ut ludit vir suavis, sibique et aliis offendit [illegible]! Pergit porrò : « An omnium episcoporum totius orbis, etiam Japonum, Indiarum, et aliorum apud infideles vel hæreticos latitantium? Quandonam tandem hic habebitur? Dum expectabitur ab [illegible] aliorum consensus, ex his forsan mortui erunt plures, qui forte [illegible] senserint, sed de quorum consensu non constet authenticè. [illegible] igitur qui successerint novus consensus erit expectandus... [illegible] joris partis.... Facti quæstio inextricabilis, quia unde scietur, [illegible] illi quos consensisse constabit authenticè, majorem partem [illegible] constituunt. » Quin episcoporum labori ac sumptibus parcit [illegible] vidus : « Quanta, inquit, singulis episcopis molestia et sumptus, et ex toto orbe, ab omnibus Ecclesiis vel saltem majori earum parte obtineant authenticam consensûs demonstrationem? » Metuit [illegible] Galliæ ab iis, qui prætendunt pontificias bullas de jansenianæ litigatio, non esse receptas : « Satisque, inquit, ipsis erit si negent; quia... illi incumbit probatio, qui affirmat, non qui negat. » Hæc tamen et alia, quæ operosè et anxiè vir bonus congerit, eo fundamento nituntur, quòd consensus, nisi certâ consentientium omnium, per peculiare instrumentum, testificatione constare non possit; quod cùm sponte et uno veluti flatu corruat, tum omnis machina corruit necesse est, et inanes terriculæ, uti illa in nubibus efficta [illegible], evanescunt.

Paribus argumentis si quis adoriatur nostrum auctorem, rogetque aliqua lex recepta, an obsoleta sit? Credo, plebiscitum requirit, quo ipsi quidem constet plebem decreto facto legi obstitisse, aut verò consensisse : vel quandoquidem plebi subditæ non est datum abrogare legem à principe latam, nisi aliquo modo princeps consenserit, noster hæsitabit quoad de abrogatâ lege diploma principis afferatur : totumque illud, quo de explicito et implicito, interpretativoque consensu, theologi, philosophi, jurisconsulti sanciunt ad unum omnes, futurum est irritum. Hos in re tam seriâ ludos agunt.

Neque cogitant consensum publicum non eo constare, quòd al-

[1] *Disq.*, art. VIII. n. 107, 108, 109, 110 et seq. p. 38, 39; *Vid. etiam part. refut.*, etc. p. [illegible]

quod de illo extet commune et publicum instrumentum. Quin illud est persæpè multò validissimum, ut in omnibus imperiis, ita in imperio Christi, quod nullo peculiari instrumento consignatum, sed omnium inscriptum mentibus, omnium sermone usuque celebratum. Atque illud in Ecclesiâ plerumque contingere, et ex sese perspicuum est, et suo loco fusiùs exequemur, et vel nunc satis liquet de decretis pontificiis nullam dubitationem esse posse, receptane sint an non? Quis enim nesciat nullis missis nuntiis, nullis perlatis litteris, de janseniano negotio diplomata ubique obtinere, cùm neminem obstrepere ac reclamare audiamus? Quod cùm sit, tunc concilium non est necessarium. Sic enim suâ sponte per pronos animos, ab altâ Sede Petri, vera doctrina prolabitur, ac romano Pontifice omnium explicante doctrinam et sententiam, nihil necesse est, ut congregatâ synodo, ipsa per se tota quid censeat Ecclesia eloquatur. Denique quocumque modo fiat, ut Ecclesia consentiat, transacta planè res est. Neque enim fieri potest unquam ut Ecclesia, Spiritu veritatis instructa, non repugnet errori. Sic res janseniana processit. Sed hoc quoque suo loco. Interim, satis constat totum illud tantoperè à *Disquisitore*, aliisque jactatum, de sumptibus atque laboribus, deque nuntiis ac litteris quòcumque mittendis, ludicrum vanumque esse.

CAPUT III.

Quòd si unus vel alter romanus Pontifex in decreto fidei aberraret, nihil fidei romanæ, nihil romanæ cathedræ Sedique apostolicæ noceretur.

Jam si eveniret illud, quod absit, ut à romano Pontifice quæstionem fidei malè judicante, reliqua Ecclesia dissentire cogeretur, non propterea fides et Ecclesia romana interiret, aut vera Ecclesia fidesque romana esse desineret. Id jam docuimus, cùm de Joanne Driedone loqueremur [1]: quo loco constituimus, romanam, hoc est Petri, non defecturam fidem eam esse, quæ à Petro primo, per successorum seriem ad nos devoluta jam coaluit. Neque verò romana fides in solo aliquo Pontifice est; alioquin intereunte Pontifice, romana interiret fides. At etiam vacante Sede, romana fides viget, vigeretque profectò, etiamsi Pontifex plusquam mortuus, quocumque tandem modo, à fide deficeret; et in infando illo schismate, quo quadraginta ferè annorum spatio non erat in Ecclesiâ Pontifex, nisi dubius, ac proinde nullus, si Bellarmino aliisque credimus, haud propterea minus romana fides, romana Ecclesia stetit. Unde Joannes à Turrecremata, Dominicus Jacobatius et alii canonistæ, sive antiquiores, sive posteriores, suo quodam modo Sedem apostolicam et romanam

[1] *Sup.*, lib. I. cap. 15.

fidem ab ipso Pontifice sejungunt; et ipse Turrecremata scripsit[1]: « Si vel maximè Eugenius IV synodi Basileensis sessionem [illegible] confirmare voluisset, Sedem apostolicam passuram non [illegible] quæ quidem, an, et quatenus rectè distinxerit, alibi [illegible]. Hinc profectò clarè perficimus, etiam eorum auctoritate qui [illegible] Pontifici maximè favere velint, eos à sede suâ certo quodam [illegible] ita esse distinctos, ut vel iis labentibus, sedes immota stare [illegible]; quod huic loco sufficit.

CAPUT IV.

Adversarii quæstionem de superioritate Papæ ad vana rediguntur; [illegible] evertit eorum generales regulas : Cajetani argutiæ rectantur.

Repulimus ea quæ Parisiensibus falsa imputantur, sed [illegible] omnia, quibus hanc sententiam prosequuntur, necesse est [illegible] dant, cùm ea viderimus, quæ ipsi, vel tanquam necessaria, [illegible] quam probabilia confitentur.

Placet primùm audire quid illi velint, qui vehementissimi [illegible] fuerint. Hi dicent statim, Papam supra omnia concilia [illegible] casu à sibi subjectis judicari; neque enim duas potestates [illegible] esse posse; contrariam sententiam erroneam esse. Ita Caj[illegible], primus omnium, quòd sciam erronei affixâ notâ, satis [illegible] (quippe quem nec alii sequerentur). Sed ipsum tanta dic[illegible] diamus. Statim hæret ad canonem, *Si Papa*[2], et ad [illegible] *fuerit à fide devius*. Tunc enim accusari, damnari, depon[illegible] cem, velit, nolit, confitetur. At forsitan declarativè tantùm, non autem destitutivè, ut aiunt : Papam enim volunt per hæresim ipso jure cadere à papatu, ac declaratione tantùm opus esse. Hæc alii, non ipse Cajetanus; atque omnino asserit non id divino jure, non humano esse cautum. Sic denique statuit[4] : « Papa hæreticus non est ipso facto depositus, sed deponendus. » Sagacis enim ingenii vir satis intelligebat ad quam pontificii statûs ac publicæ securitatis pernicie pertineret illud, *ipso facto depositus*. Statim enim, hæresis mentione factâ, contemni impunè Pontificem à quocumque privato, et ejus acta haberi nulla et irrita, et totam concuti Ecclesiam : quæ Gerson intuens docebat[5], « Papam non cessare, ipso facto, quo cadat in hæresim, sicut nec alius episcopus, propter incertitudinem ecclesiasticæ politiæ. » Neque erat quod ad notorietatem recurrerent. Primùm enim de ipsâ notorietate luditur, periculosissimumque est notorietate agere, nisi ipsa notorietas certo supremoque judicio de-

[1] *Turr., de Eccles.*, lib. II. c. 100. — [2] *Caj., de comp. Pap. et Conc.*, loc. cit. et pass. — [3] *Dist.* XL. cap. 6. — [4] *Caj., ibid.*, cap. XVII, XVIII et seq. p. 19 et seq. — [5] *Gers., tract. de appellare à Papâ*, tom. II. p. 305.

claretur. Tum si ad notorietatem solam animadversio necessaria redigitur, maximum erat periculum, permitti Ecclesiam hæretico Pontifici, certa in fidem, licet nondum notoria machinanti. Quo in genere, quæ occultiora, ea periculosiora sunt. Quare nec canon, *Si Papa*, in notoriâ tantùm hæresi Papam judicari vult, sed generatim, *si sit à fide devius*, honorique ac securitati ipsius Pontificis datur, ut nonnisi à concilio generali judicandus veniat. His quidem rationibus victus Cajetanus assensit. At illâ interim præclara quam animo informaverat, pontificatûs idea effluebat. « Magna enim, inquit[1], restat ambiguitas quomodo et à quo judicabitur Papa deponendus ;... cùm judex in quantùm judex, sit superior eo qui judicatur. » Magna certè et inextricabilis difficultas. Videamus quomodo se expediat. Primùm refert à quibusdam dici, « quòd licèt absolutè Papa non habeat superiorem in terris, ipse tamen, in casu hæresis, habet superiorem in terris Ecclesiam universalem; et sanè, inquit, est via communis. » Verùm eam ipse rejicit, malè sibi metuens, ne scilicet ex illo casu pulsus in alium, nullo loco possit consistere. Neque enim Christus peculiare quidquam, universali Ecclesiæ tribuit in solo hæresis casu; atque omnino tota illa de perfectissimâ, hoc est, in omni casu supremâ et absolutâ Pontificis monarchiâ, tota, inquam, illa Cajetani idea ac regula perit, si vel in uno casu hæresis fallit. Attamen sic elabitur : « Posse dici quòd Papa nec simpliciter, nec in casu hæresis habet superiorem in terris, sed subest potestati ministeriali universalis Ecclesiæ, quoad solam depositionem. » At interim extorquetur vel ab invito illud, *subest*; neque efficiet ullâ arte Cajetanus, eum qui, ut deponatur, subest, non etiam subesse, ut convincatur et ut judicetur. Neque item efficiet, ut is qui habeat judicem, non habeat superiorem. Quis autem negaverit *ministerialem* esse Ecclesiæ potestatem? Respectu Christi certè; Papæ quidem respectu, ministerialem esse, quâ Papa judicetur ac deponatur; nec si millies dixerit Cajetanus, omnesque argutias exhauserit, ulli persuadebit.

Sanè operæ pretium est intueri ut se torqueat, dum potestatem illam ministerialem exponit. Ait enim potestatem illam, quâ Papa deponitur, tripliciter considerari posse. « Tria enim, inquit, inveniuntur in Papâ; scilicet papatus, persona quæ est Papa, puta Petrus, et conjunctio utriusque,..... ex quâ conjunctione resultat Petrus papa. » His positis subdit : « Et quoniam amotio Papæ, sive per renuntiationem, sive per depositionem, sive per ejectionem non est corruptio papatûs, nec Petri, sed conjunctionis papatûs et Petri; idcirco diligentissimè et cautissimè oportet pro regulâ habere ante mentis oculos, cùm de amotione Papæ tractatur, quòd non requiritur

[1] *Caj., de Comp.*, etc., cap. XX.

potestas superior Papâ, sed superior conjunctione inter Petrum et papatum. »

Hæc Cajetanus operosissimè tribus exequitur prolixis[illegible] capitibus XX, XXI et XXII. Quâ sanè doctrinâ facilè demonstrat[illegible] Nestorium quidem, exempli gratiâ, ab Ephesino concilio, [illegible] superiore fuisse depositum. Quis enim non videat depositi[illegible] non esse corruptionem episcopatûs, qui sanè in Ecclesiâ [illegible] manet integer; neque etiam Nestorii, qui incolumis [illegible] conjunctionis episcopatûs cum Nestorio: atque adeo concilii [illegible] potestatem non esse superiorem episcopo Nestorio, sed [illegible] *conjunctione* inter Nestorium et episcopatum: quæ quis[illegible] absurda sint omnes intelligunt.

Quare et illud vanum est, quòd *illa potestas* quâ Papa [illegible] deponitur, « licèt minor papatu, habet tamen vim concili[illegible] super Petrum papam, sed super conjunctionem papatûs [illegible] in causâ hæresis; ita quòd illa potestas relata ad Papam [illegible]rialis, relata ad conjunctionem Petri et papatûs in fieri vel [illegible], subjecto existente disposito, est auctoritativa [1]. »

Huc denique recidunt qui paradoxa fingunt, ut alterum [illegible] Christus de Christi vicario meditentur. Quæ Cajetanus, [illegible] fitetur, ex intimo philosophiæ sensu quantumvis [illegible], omnemque scholasticæ suæ artem excusserit, non tam[illegible] ut ad hæc inania, theologiæ gravitas, ne dicam fid[illegible] auctoritas.

CAPUT V.

Suaris labores æquè irriti circa depositionem Papæ in hæresim.

Vidit Suarez Cajetani mirum in modum laborantis conatus irritos. « Hic, inquit [2], Cajetanus mirè se vexat, ne cogatur admittere in casu etiam hæresis concilium stare super Pontificem. » Et ille quidem assentitur Cajetano neganti casum ullum esse, quo certus et indubitatus Pontifex superiorem agnoscat, et ad illud recurrit: in casu hæresis, Pontificem ipso facto depositum esse. Ne tamen in ea quæ jam relata sunt, incurrat incommoda, illud, ipso facto, non valere dicit, nisi post Ecclesiæ declarationem. At jam illa omnia redeunt: si Papa accusandus, citandus, judicandus venisset, [illegible] habet superiorem; ac prohibere nemo potest, quin illa, quam Suarez postulat, declaratio Ecclesiæ, non sit illius judicantis actus.

Id quidem sentit vir sagax. Cæterùm sic se expedit: « Quasi Ecclesia Papam hæreticum deponeret, non ipsa tanquam superior, sed ex consensione Christi Domini juridicè declararet eum hæreticum

[1] *Caj., de comp.*, etc., cap. XXI. — [2] *Suar., de Fid.*, disp. X. sect. VI. n. 9.

esse, atque adeo prorsus indignum Pontificis dignitate, tumque ipso facto immediatè deponeretur à Christo[1]. » Quid sit autem illud, *consensione Christi Domini*, hæreticum adeoque indignum declarare, et quæ tandem illa sit Christi Domini *consensio?* specialisne ea, an generalis, et quatenus nobis comperta sit, exponat qui potest. Certè quæ in Ecclesiâ rectè legitimèque fiunt, Christi; non dico consensione, sed auctoritate fieri confitemur, et eatenus Christus verè in Ecclesiâ est per suum Spiritum omnia administrans. Cæterùm *immediatè*, hoc fieri, id est, nullâ interpositâ Ecclesiæ auctoritate, nec Suarez dixerit, ut profectò ipse, haud minùs quàm Cajetanus sese inani operâ vexasse videatur.

At enim Suarez ait : ut, in electione Papæ, electores non conferunt ei potestatem, sed personam designant, cui Christus conferat; ita qui deponunt, personam designant, cui Christus abroget potestatem : neque absimilia dixerat Cajetanus; sed hæc nihil ad nos. Id certè quærimus an non Ecclesia aliquam exerceat jurisdictionem super eum quem citet, quem convincat, quem declaret inhabilem, ac potestate destitutum. Verba quærunt illi; nos rem ipsam intuemur. Certè electores Papæ, genus aliquod jurisdictionis exercent in electum, quippe qui eidem papatum conferant, cujus detrectantis excusationes admittere, si justæ videantur, vel si iniquæ, respuere, atque ad onus suscipiendum cogere omnino possint. Sed ut ut sit, jus illud in privatum exercent : non enim electus verè perfectèque est Pontifex, antequam saltem acceptaverit : in depositione verò potestas exercetur in certum Pontificem, qui proinde non ut homo privatus, sed jam ut Pontifex judicanti subsit, ac proinde aliquo in casu, nempe in casu hæresis, inferior habeatur.

Huc accedit quòd non tantùm certò hæreticum, sed etiam suspectum, et diffamatum judicare, adeoque vel damnare, vel absolvere debeat Ecclesia, ut et Joannem Driedonem dicentem audivimus, et doctissimi quique confitentur, propter ingens fidei periculum. Unde glossa in caput *Si Papa*, dist. XL, verbo *A fide*, sic habet : « Hic specialiter fit mentio de hæresi, ideo quia etsi occulta esset hæresis, Papa de illâ posset accusari, sed non de alio occulto crimine : » quo casu nec recurri possit ad illud : Papam ipso facto esse depositum. Neque enim suspectus de occultâ hæresi, aut etiam diffamatus, ipso jure est depositus; sed venit accusandus, convincendus, deponendus, si contumax esse judicetur et *incorrigibilis*. Neque verò hæc commemoramus quòd illud, *declarativè* aut *destitutivè* deponi Pontificem, magni ad fidem catholicam momenti esse putemus. Ea namque omnia, eùm in idem re ipsâ redeant, habemus promiscuè; quanquam

[1] *Suar., de Fid.*, disp. X. quæst. VI. n. 10.

nostra, ut planiora ac simpliciora, præferimus. Neque placet per verborum circuitus et ambages in ea recidere, à quibus primâ specie abhorrere videaris.

CAPUT VI.

Cajetani ac Suaris absurda effugia, non nisi aliis absurdioribus evitari posse. Alberti Pighii sententia, quòd Papa, nec ut privatus, fieri possit hæreticus : alii quoque casus, quibus Papa concilio habetur inferior.

At enim objiciunt unum casum afferri à nobis, hæreseos [illegible]. Esto interim habeamus unum; alii enim plures ultro se ingerunt, et tamen ille unus sufficit ad evertendam eam, quam de fide [illegible]lent omnimodam, et quocumque in casu absolutam romani [illegible] potestatem. Id egregiè sensit Albertus Pighius Campensis, et [illegible]num irrisit, falsa et inania, ac verba potiùs quàm argumenta [illegible]rentem. Sic enim arguit virum [1] : « Hoc vide, quo pacto non [illegible]dens repugnantia; posse Ecclesiam, aut concilium deponere [illegible] hæreticum, et tamen nullo unquam casu super ipsum auctoritatem habere. Planè contradictionem implicat ut judex non sit supra [illegible] atque eum in quem profert damnationis sententiam. » Ac[illegible] alia quæ depositionis sententiam præcedant; reum citare, [illegible] subdere, ut ad interrogata respondeat cogere, *quæ sine co[illegible]testate non possint fieri.* Neque Cajetani responsiones pr[illegible]. « Nihil, inquit, prodest hìc subterfugere, et latebras et [illegible] quærere, dicendo Ecclesiam aut concilium in hæresis casu [illegible]nisteriali illâ potestate habere vim coactivam, non quidem [illegible] Clementem, et Julium, sed super conjunctionem papalis au[illegible] cum illis, idque non simpliciter, sed in solo casu hæresis. [illegible] enim est istud, et non ad rem respondere. » Et urget nullo [illegible] subditum fieri posse concilio eum, quem absolutè supremum, [illegible]ciliisque omnibus superiorem Christus constituerit; nullamque [illegible] huic reperit difficultati expediendæ viam, quàm suum illud, [illegible] nimium et absurdum : Papam hæreticum esse non posse, ne[illegible] ut privatum.

Ita cùm adversarii alii in angustias redigantur, alii vana et ridenda, alii nimia et apertè absurda excogitare cogantur, nobis certè hæc effugere omnia, et in avitâ sententiâ planâ et simplice permanere licet.

Idem Albertus Pighius quærit [2], post canonistas atque theologos omnes, quid fieret si Papa captivus, si perpetuâ mentis alienatione teneretur. Tunc enim concilium sine Pontifice congregari posse, et de ipso decernere passim asserebant et necessarium videbatur. At ille

[1] *Pigh., assert. Hierarch. Eccl.*, lib. VI. cap. 14, 16. — [2] *Ibid.*, cap. 18.

idea, quam informaverat, superioritatis intentus, in captivitatis casu expectandum esse asserit, cùm tamen ea tam diuturna esse queat, ut Ecclesiæ provideri necesse sit : de mentis alienatione, ut à quindecim sæculis nunquam evenerit, *ita nec futurum unquam esse* confidit. Quæ cùm optantis potiùs quàm disputantis sint, en alios præter hæresim casus, quibus concilium supremâ auctoritate, ac sine Pontifice, de Pontifice decernere, reique ecclesiasticæ providere debeat.

Albertus Pighius unum esse ejusmodi casum admittit, cùm est dubia incertaque Pontificis electio. At miror cur eum casum, ut alios, possibilem esse non neget. Quid enim absurdius est, aut Ecclesiæ periculosius, hæreticum esse Pontificem, aut diutissime captivum, aut mente captum, quàm ita dubium, ut longâ annorum serie, nec agnosci certò possit, etiam à rectè quærentibus? Interim grassantur hæreses per Ecclesiam, nulloque gubernatore certo, Petri navicula fluctuat, atque in eâ navigantes hàc illàcque jactantur : quod in infando illo schismate sæculi XIV factum esse constat. Id antequam contigisset, si à Pighio quæreretur, an fieri posset, ex illis ideis præclaris, quod nunquam hactenus tot antè elapsis sæculis factum esset, nec fieri posse confideret. Sed casus improvidos, ac si quæ mortalibus mala evenire possint, non nisi experientiâ magistrâ discimus.

Respondebunt alii his improvisis casibus, si occurrerint, Deum provisurum, neque tam sollicitè quærendum nobis, quid tum facto opus esset. Quis autem hoc neget, Ecclesiæ suæ provisurum Deum? Sed planè provisurum intelligimus, non novâ in terris constitutâ potestate. Quare eam potestatem, quâ provideri possit, servari integram, non pessumdari evertique oportet.

CAPUT VII.

Papam etiam certum, non modò hæreticum, sed et absque hæresi, schismaticum fieri posse Duvallius docet ex Turrecrematâ et Cajetano cardinalibus, eumque Ecclesiæ auctoritate statim dejiciendum.

Iterum tertium quartumve casum habemus, quo concilium de Papâ judicet, et quidem se nesciente, universalis Ecclesiæ auctoritate collectum; casum nempe schismatis. Neque hìc tantùm reponimus eum schismatis casum, quo ex dubiâ electione dubius esset Pontifex, ut in illo fœdo schismate XIV sæculi, sed etiam quo certus Pontifex fiat schismaticus.

Id autem ne dubites posse contingere, triplicem hujus rei casum Andreas Duvallius, non suspectus auctor, ex Turrecrematâ et Cajetano cardinalibus, non item suspectis, adducet : « Ii, inquit [1], digni-

[1] *Duv., de supr. R. P. potest.*, part. III. quæst. IX. p. 433.

tatis pontificiæ acerrimi propugnatores affirmant Papam posse esse schismaticum in his casibus : primò, si se à communione totius Ecclesiæ, et omnium episcoporum, ob aliquam causam injustam separet, et solùm cum quibusdam sibi cohærentibus communicare velit... Secundò, si nollet ampliùs officio Pontificis fungi, nec tamen subesse ei qui pro se eligeretur, sed se schismaticorum conventiculis adjungeret. Tertiò, aiunt quidam, si antiquos Ecclesiæ ritus et consuetudines ab apostolicâ traditione manantes immutare vellet. « Tunc schismaticus, nec minùs quàm hæreticus dejiciendus esset. Quâ potestate? an recens à Christo creatâ et constitutâ, an ipsi Ecclesiæ jam inde ab initio concreditâ? exponant, si possunt, qui omnem Ecclesiæ potestatem in unum Papam concludunt, eamque in omni casu superiorem esse volunt. Nos verò hos casus non studiosè conquirimus, neque ultro ingerimus huic quæstioni; sed ex Duvallio et aliis suspectis auctoribus, ut huic loco necessarios inserimus.

CAPUT VIII.

De concilii auctoritate, quâ Papa teneatur in fidei causis, Duvallii [illegible]

Addamus aliam ex Duvallio quæstionem : an concilium legitimo modo coactum et legitimo modo procedens, Papâ per legatos præsidente, in iis, quæ ex unanimi legatorum ac Patrum consensu de fide decreta sint, « ante confirmationem sit infallibile, quamvis Pontifex nullam hujus decreti instructionem dederit[1]? » [illegible] larminus et moderni quidam Lovanienses, ex suis regulis, [illegible] mirum doceant, à Papâ Patres accipere, quòd recta decidant, [illegible] posse à Papâ infallibilitatem suam transferri in legatos. At [illegible] tale concilium infallibile esse concludit cum Soto[2] et aliis, quod nempe in eo sit tota Ecclesia repræsentata : hoc est, eodem interpretante Duvallio, « ipsamet Ecclesia secundùm auctoritatem definiendi legesque condendi, quæ falli non possit; utpote *columna et firmamentum veritatis*. Concilium namque œcumenicum legitimè coactum, et legitimo modo procedens, non à Pontifice, sed à Spiritu sancto sibi assistente, suam infallibilitatem habere ex vi ordinationis et promissionis Christi, quâ promisit et statuit se Spiritumque [illegible] Ecclesiæ jugiter affuturum.... Quare teneri Pontificem talis [illegible] tam in fide quàm in moribus, sententiæ consentire et [illegible] quasi sit inferior concilio, eique tanquam superiori obedire, [illegible] ut obediens veritati per Spiritum sanctum revelatæ. » [illegible] vides, qui pontificiæ potestati præ aliis favere se jactant, [illegible] quærere, quàm verborum offucias, et ut verbis minuant [illegible]

[1] *Duv., de supr. R. P. potest.*, part. IV. q. VI. p. 525. — [2] *Dom. Soto, in* IV *Sent.*, dist. XI. q. I, art. IV; *Duv., loc. cit.*, p. 531 et seq.

re fatentur. Ecce enim Duvallius confitetur talis concilii decretis teneri Papam, quod est res ipsa quam nos quoque dicimus. Ergone concilio obediens erit tanquam superiori? Cave dixeris : abominandam vocem! Sed dicas obedire ipsi veritati per Spiritum sanctum revelatæ. Quasi nos turba fidelium conciliis aliter obediamus, quàm quòd certâ fide credimus, per illa concilia veritatem, cui parenus, à Spiritu sancto esse revelatam.

Utcumque est, licet per Duvallium credere Patres in conciliis non accipere à Papâ, sed à Spiritu sancto, ut recta decidant; eamque vim talis decreti esse, ut ei decreto se nesciente facto, ipse Pontifex consentire et stare teneatur : tanta Ecclesiæ consentienti ad fidem explicandam inest auctoritas.

Atqui eam auctoritatem non facit Papæ infallibilitas, quam reverà in legatos transmittere non potest; sed Ecclesiæ totius, non ab ipso Pontifice profecta, sed à Christo collata; quæ cùm Duvallius concesserit, si ab ipso quæratur, an non etiam possit, dissentientibus legatis, valere decretum, haud facilè videtur se expedire posse. Legati enim ipsi non sunt infallibiles, quibus adhærere synodus teneatur, sed tota synodus id à Christo habet, adeoque decretum, præsidentibus legatis, non tamen necessariò consentientibus, fieri et stare posset : alioquin nec sufficeret formula Tridentina, « Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in eâ Sedis apostolicæ legatis, statuit, decernit, definit, etc., » nisi etiam *consentientibus* adscripsisset.

Quid autem tali decreto, ex sententiâ Duvallii, facto, confirmatio addat, alia difficultas alibi extricanda. Hic certè sufficit tale concilium necessariò confirmandum à Pontifice, qui ejus auctoritati stare teneatur.

CAPUT IX.

Propter quæ scelera in Pontificem animadverti possit; canonistas ferè omnes, non iisdem licèt verbis, in eamdem rerum summam convenire.

Memoratum à nobis est sub Eugenio IV ab ipsi obedientibus, summâ contentione animorum fuisse agitatum, propter quæ scelera Pontifex indubitatus accusari ac judicari posset. Ac passim consentiebant, nunquam id fieri posse, nisi propter unam hæresis causam. Cæterùm non eo secius in varias sententias abierunt. Pars enim aiebat Papam si *scandalosus et incorrigibilis* videatur, de hæresi suspectum, neque jam indubitatum esse Pontificem : quo jure asserebant in eum animadverti posse, extremâ etiam sententiâ, eâ glossâ nixi[1], quòd *con-*

[1] *Gloss.*, in cap. *Si Papâ*, dist. XL.

tumacia sit hæresis. Hæc docebant in ipsâ Eugenii curiâ Ludovicus romanus, Antonius Rossellus, aliique complures quos quidem, cùm de Dionysio Carthusiano et Joanne Driedone ageremus, facilè ostendimus summâ ipsâ consentire cum iis, qui de Papâ scandaloso gravissima dicerent.

At pars alia, quæ magis Pontifici gratificari videbatur, haud multo leviora proferebat. Nam etsi Pontificem *notoriè* etiam, et *contumaciæ* scandalosum, deponi posse negabat; at invito eo colligi synodum à cardinalibus; at cardinalibus deficientibus, Patres ultro convenire posse, at moneri Pontificem; at corripi; at si cogentes synodum impedire velit, impunè contemni : quin etiam, si excommunicet, pro schismatico haberi; quippe qui cum catholicis episcopis legitimâque synodo communicare teneatur, ac deinde deponi. At si ecclesiasticam pervertat disciplinam, si clerum vilipendere, si latâ sententiâ canonem de percussoribus clericorum tollere, si alia facere, unde Ecclesiæ status decolorari videatur, si hæreticos à pœnis hæreticorum in præjudicium officii sanctæ Inquisitionis absolvere, si dispensationes noxias concedere aggrediatur, repugnantibus canonibus, non modò non parendum esse, neque iniqua mandata, aut injustissimas excommunicationes admittendas esse; verùm etiam contra eum brachium sæculare implorari, ac vim vi pelli posse consentiebant. Hæc passim Jacobatius; hæc deinde Duvallius [1]; hæc alii omnes, quorum proinde certas constantesque sententias referre piget; ut profectò Pontifici quoque præstet, coram synodo semel æquo jure agere, ac legitimum judicium experiri, quàm hæc extraordinaria pati à subjectis, omnibusque risui ac contemptui esse, ac nihilo secius loco dejici, et declarari schismaticum, si excommunicationem tueri se pergat. Et hæc tamen sunt, propter quæ hodie omnia concuti, atque everti clament; imò verò non hæc, sed longè leviora, cùm ne hæc quidem, passim à canonistis firmata, clerus gallicanus proferat.

Quæ cùm apud me reputo, subit admirari quantùm in homines possit inanis verborum sonus, qui, cùm audierint synodum Papâ superiorem esse, statim reclamabunt, ac si fortè ea vox in buccam venerit, erroneum dicent : iidem, si per alia verba, ac veluti per circuitum molliorem in eadem venias, sedati pacatique admittent: at profectò non efficient, ut erroneum sit planis ac simplicibus verbis explicare mentem, atque eum, qui sit judex, appellare superiorem.

Quod verò conciliis œcumenicis datam universim à Christo immediatè potestatem nolunt, haud equidem intelligo, quo pacto stare

[1] *Duv., loc. cit.*, part. I. quæst. II. pag. 88; *Jacob.*, lib. V, VII, IX, pass.; *Vid. in alter. Append. Labb.*

possit cum iis, quæ ipsi asserunt. Nam ultro confitentur, meritò à concilio Constantiensi pronuntiatum esse, potestatem conciliis à Christo immediatè datam, his certè casibus; si Papa sit hæreticus, vel schismaticus, vel dubius. At ego lubens quæsivero quo loco Christus in illis speciatim casibus eam potestatem synodo immediatè contulerit? Certè in Scripturis nullam invenimus à Christo in Ecclesiæ ministros sive dispersos sive congregatos collatam potestatem, nisi ubi dicit: *Quodcumque ligaveritis: quodcumque solveritis, etc.*, et: *Si Ecclesiam non audierit, etc.*, et: *Qui vos audit, me audit*, aliaque ejus generis: quæ qui dixerit ad hæretici, aut schismatici, aut omnino dubii Pontificis casum meritò pertinere, rideatur. Certum est ergo intelligi hæc universim dicta, neque aliter pertinere ad illos speciatim casus, nisi quòd universim dictis, hos quoque speciales casus comprehendi necesse sit.

Quæ ratio cardinalem Jacobatium de superioritate tractantem movit usque adeo, ut statim exclamaret[1]: « Profectò iste passus mihi valde est difficilis; quia si concludam nullam potestatem clavium datam esse Ecclesiæ, quomodo poterimus dicere, quòd Ecclesia et concilium judicet de titulo papatûs, quia sine jurisdictione non rectè quis judicat. » Ac reverà, synodus quo jure judicat de papatu litigantes? Pontificem hæreticum, quo jure deponit, seu declarat depositum? Quo jure tot aliis in casibus ab ipso Jacobatio probatis, invito Pontifice, synodus seipsa colligit, ut delinquentem moneat atque corripiat: à quo eam omnem subitò accipit potestatem, si nullam à Christo immediatè potestatem jurisdictionis accipit? An fortè à Pontifice in ipsum Pontificem? At revocare posset positivo tantùm jure concessam, cujus dominum esse volunt. An fortè quòd scriptum sit: *Hæreticum devita*[2]; quanquam id haud magis ad Pontificem spectat, quàm ad quoscumque alios? Sed etiam scriptum est, *ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*[3]: neque tantùm de hæreticis; verùm etiam de fornicariis, avaris, ebriosis, cæterisque scriptum est, *cum hujusmodi nec cibum sumere*[4]; ut si hæc et similia in certis casibus videantur dare episcopis aliquam potestatem, ea ad alios casus æquo jure trahatur. Non alia tamen hujus causæ præsidia apud doctissimos invenias; nisi fortè addas rationem naturalem et jus naturale defensionis, et ipsam necessitatem, et alia ejusmodi; quæ utcumque se habeant, certè patere longiùs quàm ad schisma et hæresim alii contenderint. Quare nulla solutio est, nisi nobiscum agnoveris et generatim traditam à Christo potestatem esse, et hujus administrandæ rationem à Patrum traditione esse repetendam.

1 *Jacob.*, lib. v.— 2 *Tit.*, III. 10.— 3 2 *Thess.*, III. 6.— 4 1 *Cor.*, v. 11.

CAPUT X.

De infallibilitate, positis quæ necessariò conceduntur, nullam superesse veram difficultatem : unum Albertum Pighium consentanea dixisse, sed nova et inaudita, et ferè ab omnibus spreta, in quæ tamen adversarii necessariò deducuntur, si sibi coherenter tueri velint.

Ergo jam sola occurrit de infallibilitate difficultas, et illud : *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua*[1], ne alii cribrentur, et in areâ ventilentur : *Confirma fratres tuos*, petræ firmitate : et illud : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*[2]; ideo, inquiunt, quia ædificata est super illam petram. Quæ si ita valent, ut pontificiæ infallibilitatis propugnatores urgent, Pontificem per se petram, ipsâ Ecclesiâ per eam sustentatâ firmiorem esse necesse sit; neque rem aliter se habere contendunt. Verùm id refugit animus. Quæ proinde petra, ipsâ Ecclesiâ per eam sustentatâ sit firmior, expendamus. Atque ego hic si Scripturam penitus, per avitam ac perpetuam traditionem explicare cœpero, agam præposterè, qui in ipso limine totum ædificium collocare aggrediar. Placet ergo ad ipsum recurrere quæstionis fontem, et quæ inter catholicos certa sint memorare. Ac profectò certum est, ferè omnium consensu, præter Albertum Pighium, nec memoratu dignum; certum, inquam, errorem à Pontifice, non modò intus credi, sed etiam palam doceri ac prædicari posse, quod Joannem XXII fecisse satis constat : et quod Joanni XXII non contigit, certum est prædicari posse usque adeo contumaciter, ut ejus pervicaciæ causâ, ut hæreticum et infidelem deponi necesse sit. At id Ecclesiæ evenire posse, ut sit hæretica et infidelis, nemo, nisi impius et hæreticus ausit asserere. Ergo absurdissimum est non esse Ecclesiam romano Pontifice firmiorem. Tum Ecclesiam errare non posse certâ et catholicâ fide ab omnibus creditur, et apertè est in apostolico Symbolo pronuntiatum, quo Papa ipse salvus est : *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam.* De Pontifice, quatenus separatim, etiam ut Pontifex, sententiam dicit, inter sanctos et catholicos adhuc litigatur. Partim asserunt, partim dubitant, partim negant, et ab Ecclesiâ ipsâ post motam quæstionem à tot jam sæculis saltem suspensa sententia est. Falsum ergo et commentitium, ne quid dicam gravius, majorem esse in Pontifice quàm in ipsâ Ecclesiâ firmitudinem; imò verò absurdum in Ecclesiâ non esse majorem, quæ certiore auctoritate et traditione constet. Hæc interim ex communi omnium sententiâ; nunc rem funditus excutere liceat.

Jam illud, *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, certum est in-

[1] *Luc.*, XXII, 32.— [2] *Matth.*, XVI, 18.

telligi de ipsâ interiori fide, quâ Christo corde creditur. Notum illud Augustini [1]? « Quando rogavit pro Petro, ne fides ejus deficeret; quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? » Ita deinde sentiunt omnes interpretes : ipse Cajetanus [2], in Lucam XXII. 32, *ut non deficiat fides tua;* « non dicit, ut non deficiat charitas tua : non dicit, ut non deficiat confessio fidei tuæ; sed fides tua, quæ est in corde. » Ergo ista promissio nemini convenit, nisi ei in cujus corde certum sit nunquam defecturam fidem. Non autem talis est romanus Pontifex : non ergo profectò hæc ei promissio convenit; neque hic distingui potest inter personam privatam et publicam; tanquam romanus Pontifex saltem quæstionem fidei judicaturus, infidelis aut hæreticus in corde esse non possit. Neque enim id ei tribuere audent, sed eo tuentur quòd Deus ab infideli veritatem extorqueat, ut à Caïphâ prophetiam, ab asinâ Balaam vocem : quæ exempla non conveniunt ei qui intus sit fidelis. Ergo nec asserere audent, romano Pontifici promissum à Christo, ut publicam personam agens, fide non careat. Quare interpretes aliud quæsisse videmus, in quo fides non deficeret : nempe vel ipsum Petrum, quem in fide confirmatum esse constat; vel sub Petri nomine ac figurâ, Ecclesiam universalem, romanamve peculiarem, ut Ecclesiæ universalis caput. Hæ enim solæ sunt, quæ, ipsâ intus inhabitante fide ex Christi promisso, eâ carere non posse credant. Quo uno omnis adversariorum argumentatio statim corruit. Quin ipse Duvallius apertè jam edixit ad illum de Petro locum responderi posse [3] : « Christum rogando pro Petro, pro Ecclesiâ universali in eo repræsentata » rogasse; atque hanc responsionem eatenus probat, ut ab omni erroris notâ eximatur; quod hic nobis sufficit.

Hic respondere solent, in Christi promissione seu precatione illâ singulari, respectu quidem Petri fidem ipsam intelligi, quâ intus creditur; at in successoribus saltem intelligi fidei professionem quâ fratres confirmantur. Quæ responsio non satis sibi constat; variumque hoc et arbitrarium ad arbitraria nos et incerta deducet; quique ita interpretantur, semel loco moti, et à litteræ quam tueri velle videbantur simplicitate dejecti, ad alia atque alia facilè propellentur. Quare ne stare quidem possunt in ipsâ, quæ romano Pontifici promissa à Christo fuerit, fidei professione, ut fratres confirmet : tanquam ei officio romanus Pontifex deesse non possit. Ecce enim fatentur à summo Pontifice doceri posse et prædicari hæresim ad contumaciam usque, cujus contumaciæ nomine, vel sit ipso jure depo-

[1] *Aug., de Correp. et Grat.*, c. VIII. n. 17. tom. X. col. 759. — [2] *Cajetan. comp.* — [3] *Duv., de sup. R. P. pot.*, part. IV. q. VIII. p. 211, edit. 1614.

situs, vel saltem deponendus. Audivimus confitentes uno ore omnes, et canon *Si Papa* id clarè efficit, atque in Petri Ecclesiâ, hoc est romanâ, omnium Ecclesiarum matre ac magistrâ, prædicare [illegible] fidem, ad personam publicam et ad officium confirmandi fratres procul dubio pertinebat. Cui tamen officio deesse posse Pontifex necesse est fateare. An fortè placeat id, quòd romanus Pontifex hæresim ultro docere ac prædicare possit, consultus pro pontificii officii debito, non possit? Quanquam id absurdum est (nullo in Christi verbis consultationis vel minimâ mentione), vim in consultatione facere; tamen ne tu quidem illud, quo refugis, defendere tueare.

Adsunt enim mihi Melchior Canus, Bellarminus cardinalis, Baronius Rainaldus, et alii pontificiæ infallibilitatis defensores, qui [illegible] arce dejiciant. Omnes enim confitentur non deesse responsa [illegible] rum Pontificum etiam in corpore Juris, quæ cum Ecclesiæ tradition et evangelicâ veritate stare omnino non possint. Res enim in [illegible] est; atque hos secutus Nicolaus Dubois, hæc novissimè [illegible] « Aliquando super casibus propositis aliqui (Pontifices) rescripsi[illegible] secundùm opinionem illorum tempore probabilem. » Quid [illegible] *scripserunt?* Consulti responderunt, hoc enim esse rescriptum. [illegible] omnia penè jura conflata sunt. At opinionem probabilem [illegible] tissimè falsam, et Evangelio repugnantem. Sic enim refert[illegible] phanus II, anno circiter 752, in responsis, capite II, dixerat: [illegible] se in conjugio copulaverit, et uni eorum contigerit, ut [illegible] reddere non possit, non liceat eos separare, nec pro aliâ in[illegible] excepto si dæmonii infirmitas, aut lepræ macula super[illegible] Addit *Disquisitor* : « Hoc responsum de dissolutione quoad [illegible] docti intelligunt. » Ergo rescriptum docti intelligunt eo [illegible] sensu, qui cum Evangelio stare non possit.

Quid memorem alia ejusdem Papæ responsa, atque [illegible] illud[3]: « Si quis in vino, propterea quòd aquam non inv[illegible] omnino periclitantem infantem baptizarit, nulla ei adscribit[illegible] Infantes sic permaneant in ipso baptismo. » Quo responso et [illegible] in errore firmatur, et infans christiano baptismo caret. [illegible] Gregorii II, ac sancti Bonifacii Moguntini interrogata respo[illegible] « ut novum conjugium permittatur viro, si mulier infirmi[illegible] repta non valuerit debitum reddere[4]. » Quam responsion[illegible] Gregorius vocat « apostolici vigoris doctrinam, eamque tra[illegible] beatum Petrum, à quo et apostolatûs et episcopatûs pri[illegible] extitit. » Quæ verba præ se ferunt pontificii responsi plenam [illegible]

[1] *Disq.*, art. I. n. 7. — [2] *Ibid.*, n. 9; *Resp. Steph. II*, cap. II. tom. II. *Conc. Gall.*, p. [illegible]
[3] *Steph. II, ibid.*, cap. XI. — [4] *Greg. II, ep.* IX. tom. I. *Conc. Gall.*, p. 519, 520.

ritatem, et tamen responsum illud, ut Gratiani verbis utar, « evangelicæ et apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum [1]. » Nec illud quisquam diffitetur. Quid quod Cœlestinus III, matrimonii vinculum inter christianos, superveniente alterutrius infidelitate, solverat, errore manifesto contra Evangelium; unde ejus decretalem, vetustis insertam collectionibus, Innocentius III reprobavit [2].

Possem hic commemorare Liberium, possem Honorium, possem alios; sed huic loco ista sufficiant. Nempe hæc in confesso sunt; atque à Bellarmino, et aliis quoque qui recens contra nos insurgunt, id extorquemus, ut romani Pontifices pro officio consulti, falsa, ac sanæ doctrinæ adversa responderint; nempe, inquiunt, eatenus probabilia, necdum ab Ecclesiâ definita sectati : tanquam non id eis officii incumberet, ut doctrinis peregrinis et apertè falsis fallacem illam vanæ probabilitatis speciem ac larvam detraherent.

Neque Bellarminum juvat decantatum illud : romanum Pontificem pro privato doctore ista docuisse. Certè enim constat, ab iis qui interrogabant fuisse consultum, non ut virum doctum, sed ut eum qui apostolicæ cathedræ præsideret. Quo casu respondisse pro privato doctore manifesto ludibrio, nihil aliud erat, quàm apostolico officio defuisse.

Neque pluris valet quod jactant, responsa ista esse particularia, ad homines scilicet, vel ad Ecclesias singulares, non ea quæ universam spectent Ecclesiam. Etenim ad officium confirmandi fratres procul dubio pertinebat, ut romani Pontifices, non tantùm ad ea responderent quæ universam Ecclesiam, sed etiam ad ea quæ spectarent singulares Ecclesias; imò etiam ad ea quæ privatos homines, de salutis negotio consulentes eum, quem proposuit Deus, non tantùm omnibus, sed etiam singulis.

Ea tamen omittamus : veniamus ad id in quo vim collocant : nempe id fieri non posse, ut romanus Pontifex declarandæ fidei officio desit, cùm res in eo vertatur cardine, ut toti Ecclesiæ proponenda sit fides. Ad id ergo redigis illud, *Confirma fratres tuos*. At quanquam erat præstabilius hunc locum semel omittere, quàm ei tot alienas neque à Christo judicatas insarcire sententias, accipio conditionem, et contendo rem ipsam, ex iis quæ concessa sunt, jam esse confectam. Casum enim ponamus hunc : quæstio de fide instituitur; ad eam definiendam concilium generale convenit. Quid hic Turrecremata? Quid Jacobatius, aliique pontificiæ auctoritatis vehementissimi defensores dixerint, recordemur. Id scilicet, tum fieri posse ut Papa à concilio dissentiat, et quidem ad finem usque, et invito eo concilium definiat, et Pontificis judicium sententiamque spernat, et valeat

[1] *Dist.* XXXII. q. VII. — [2] *Vid. Decr. Greg. IX*, lib. IV. tit. XIX. *de Divort.*, c. VII. *Quanto.*

concilii decretum, et ab ipso concilio Pontifex deponatur. An fortè tum vacat officium confirmans fratres? Absit; sed Pontifex, in ipso definiendo fidei cardine, suo officio planissimè defuerit.

An fortè dices, non esse tunc necessarium Papæ officium, cùm concilium adsit, à quo suppleri possit? Quanquam illud vanum est, nec licet Christi verba urgere, aut omittere ad arbitrium, admittamus tamen. Hic in promptu mihi est respondere illud, non quidem semper adesse concilium, sed semper adesse Ecclesiam, semper Spiritum sanctum, qui quocumque ritu prolatam à Papâ sententiam, si et quidem falsa sit, prævalere vetet.

At instant, et id validissimum putant, obedire oportere decernenti Pontifici, cùm non adsit concilium, quo ejus sententia dissolvatur; adeoque si tunc erraret Pontifex, tota cogeretur (id quidem mirum) Ecclesia in errorem. Jam ergo sit ut vis: sit firmum fixumque, ut nullo casu liceat pontificia jussa detrectare. At non id ipse dicebas, cùm alia tractaremus. Obedire certè romano Pontifici dicebas necessarium, cum hâc exceptione, nisi contra divina præcepta, contra canones summè necessarios, contra publicam Ecclesiæ tranquillitatem aliquid edixerit. At quantò æquior erit excusatio, si contra ipsam fidem? At enim id possibile non est: assertionem tuam audio, probationem requiro, volvis non in circulum, uno verbo, principium petis: Papæ obediendum est in fidei negotio, quia est *infallibilis*: infallibilis est, quia obediendum ei est in fidei negotio. Nos clari decreta ejus de fide eamdem ac reliqua habere exceptionem, nempe hanc, nisi quid contra Dei leges ac traditionem edixerit, sin tale quid edixerit, eatenus obediendum, ut ne scandala fiant, ut concilii judicium modestè expectetur, efficaciterque requiratur; non sanè ut pro certis fixisque, incerta ac suspensa habeantur.

Id alio quoque modo confici potest. Quæro Pontifex hæreticus et professus hæresim, ac sic ipso jure, ut passim aiunt, depositus, eo privilegio gaudet, ut non possit eam quam profitetur hæresim decreto facto statuere? Si respondes non posse, ingens privilegium mihi narras Pontificis ipso jure dejecti. Quòd si posse responderis eo quòd Pontificis jam hæresim professi sententia nulla sit, utpote ab eo profecta qui sit jure quidem, etsi nondum effectu depositus, tum ego respondebo: si hæresim ipso statim decreto prodat, non eo magis tale decretum valiturum fore; imò quæcumque ejusmodi sint, quocumque tempore modoque prolata, statim vacuâ auctoritate esse, ac ne ad cathedram quidem pertinere; nedum ab episcopis promulgentur, aut illis ea, quæ ex fide est, obedientia præbeatur.

Ergo, inquis, non concilium tantùm, sed singulos episcopos hæc judices facis. Egone? Haud equidem magis ac tu, cùm Pontifici, or-

nones solventi, simoniam exercenti, contra Dei jussa præcipienti, in necessariâ causâ, quandocumque occurrerit, concilium neganti, ac sibi repugnantes sine discrimine excommunicanti parendum esse negas : suspendi enim rem eo casu, ex certâ et necessariâ causâ, non autem Pontificem sine concilio œcumenico judicari, tecum certè dicimus. At interim, inquies, qui dissenserit pelletur pro hæretico : at ille qui in aliis à te comprobatis casibus non obedierit, pelletur pro contumace et rebelli. Rectène an secus, quæstio erit, eaque, si tanta res sit, à totâ Ecclesiâ judicanda. At fides, inquies, subortâ quæstione, non potest esse in suspenso. Quasi verò, te fatente, in suspenso non sit aliquatenus, antequam ab ipso Papâ sententia proferatur.

Quid hic sequi debes? Nempe id quod Augustinus habet in quæstione de hæreticis rebaptizandis : vetustæ consuetudinis robore ac traditione teneri ac sustentari Ecclesiam, quoad, expensâ sententiâ, quæstio finiatur. Rectum id et probum. Sed nos quoque eo utamur. Certè nihil omnino objicere potes, quod non in te statim invicto robore refundamus et retorqueamus. Quæ mihi cogitanti, atque animo, ut par est, sæpè revolventi, unus semper visus est Albertus Pighius [1], ut falsa et absurda, ita consentanea et apta dixisse. Posteaquam enim semel statuit illud, *ne deficiat fides tua*, et de verâ fide, quam non modò profitemur, sed etiam habemus intus, et de omnibus ac singulis Petri successoribus esse dictum; consequenter sibi dicendum esse vidit, eorum neminem hæreticum unquam esse potuisse, aut deinceps esse posse. Et ille quidem caput? *Si Papa*, primùm haud multi facit, à privato auctore sancto Bonifacio depromptum : tunc eam capitis partem, quâ dicitur non esse Papam judicandum, *nisi esset à fide devius*, conditionalem esse ait, quâ Bonifacius significet, *non se credere quod ita esse possit, sed si fortè esset*. Quo responso miros triumphos agit, et ineluctabilem aliis pontificiæ superioritatis assertoribus difficultatem unum evasisse se gloriatur, uti jam vidimus. Neque enim eludi posse concilii superioritatem in judicando Pontifice, nisi semel posito casum hæresis in ipsum non posse cadere, eumque hæreticum, quin etiam nec mente captum esse non posse; ut profectò mirum sit, cur non eodem impetu impeccabilem fecerit, unoque responso omnia incommoda propulsaverit. Hæc ille omnium primus, et contra omnium mentem, ut ipse profitetur : « Non sum enim nescius, inquit [2], in ipso statim limine exclamaturos quosdam per se malè affectos hierarchiæ ecclesiasticæ, adulari hic nos romanis Pontificibus, et ex hominibus deos facere, qui negamus eos posse fieri hæreticos, quod concedit schola

[1] *Pigh.*, lib. VI. cap. 14, 16. — [2] *Dist.* XL.

canonistarum universa, ex capite *Si Papa:* quod et theologi omnes quicumque hâc de re prodiderunt et scripserunt aliquid. » En quæstatim proferant talium assertores, *per se malè affectos hierarchiæ*, qui hæc adulatoria magis quàm vera suspicentur. Eam verò sententiam Bellarminus et Suarez probabilitatis ac pietatis nomine amplectuntur, adeo probabilitati ac pietati parum officere putant, ab omnibus quotquot sunt canonistis et theologis dissensisse.

Cæteri verò infallibilitatis pontificiæ defensores passim cum Melchiore Cano [1], Alberti Pighii *novam opinionem aspernantur*, et caput *Si Papa*, aliosque ejusdem sensûs nativâ ac propriâ significatione et omnium scriptorum consensione confirmant; qui tamen cum à Pighio discedunt, sua labefactant. Maximo enim argumento est eos omnes à verâ Christi sententiâ aberrasse, cùm eum ipsum contemptum et solitarium relinquant, qui omnium congruentissima atque aptissima in mediam attulerit.

Urgebit enim ille et à Christo fidem ipsam, non fidei professionem tantùm esse promissam; et *Confirma fratres tuos* dictum latissimè de toto pontificali munere, circa quæstiones fidei exequendo, non de eo tantùm quo toti Ecclesiæ aliquid proponatur; ac, si vel in uno vacillet promissa fides, in toto vacillare, et semel admissâ interpretatione arbitrariâ, vim omnem hujus textûs solutam, atque aliis patere januam quâ sua quoque introducant.

Hic, si ratione victi, ad conciliorum, Patrum, ipsorumque Pontificum traditionem se conferant, id quidem facere et nobis gestit animus; sed cohibendus est impetus, nec placet alteri loco ponere, quæ suo reservantur. Satis erit ex iis quæ ipsi adversarii concesserunt, atque omnino ex ipso quæstionis statu, ostendisse, nihil nos prémi locis evangelicis quos urgebant, iisque rationibus quas invictas putabant: quin, nostram doctrinam, undecumque aggrediantur, in tuto esse positam, atque adversarios ad vana et ludicra referentes magnum fidei mysterium, omnino frustra esse, neque immeritò dixisse Duvallium [2], nullos esse Scripturæ locos, nulla Ecclesiæ decreta, quibus pontificia, sive superioritas, sive infallibilitas demonstretur.

CAPUT XI.

Ex his consequi romanos Pontifices in hâc quæstione non se commoturos, cujus rei multa sunt argumenta: primum, ex Declarationibus sacræ Facultatis, anno 1663, toto regno promulgatis, ipsis Pontificibus nihil conquerentibus.

Quæ cùm ita sint, romani Pontifices ad tam exilia redigi fidei quæstionem haud sese omnino commoveri sinent; fremant multi

[1] *Melch. Can.*, lib. VI. cap. 23. — [2] *Duv.*, part. IV. q. VII, VIII.

licèt, impetu magis, ut vidimus, quàm ratione incitati, in Articulos gallicanos, ut Sedis apostolicæ censuram provocent. Non illa à priscâ gravitate discedet, aut innocuam sententiam, post tot sæcula condemnabit. Cujus quidem rei duo hìc argumenta proferemus. Ac primùm: Plus viginti anni sunt ex quo editæ fuere *Declarationes Facultatis Parisiensis, factæ apud regem super quibusdam propositionibus, quas nonnulli voluerunt adscribere eidem Facultati, die* 8 *Maii* 1663[1].

« 1° Non esse doctrinam Facultatis, quòd summus Pontifex aliquam in temporalia regis Christianissimi auctoritatem habeat : imò Facultatem semper obstitisse, etiam iis, qui indirectam tantummodo esse illam auctoritatem voluerunt.

» 2° Esse doctrinam Facultatis ejusdem, quòd rex Christianissimus nullum omnino agnoscit, nec habet in temporalibus superiorem, præter Deum ; eamque suam esse antiquam doctrinam, à quâ nunquam recessura est.

» 3° Doctrinam Facultatis esse, quòd subditi fidem et obedientiam regi Christianissimo ita debent, ut ab iis nullo prætextu dispensari possint.

» 4° Doctrinam Facultatis esse, non probare nec unquam probasse propositiones ullas regis Christianissimi auctoritati, aut germanis Ecclesiæ gallicanæ libertatibus, et receptis in regno canonibus contrarias : verbi gratiâ, quòd summus Pontifex possit deponere episcopos, adversùs eosdem canones.

» 5° Doctrinam Facultatis non esse quòd summus Pontifex sit supra concilium œcumenicum.

» 6° Non esse doctrinam vel dogma Facultatis, quòd summus Pontifex, nullo accedente Ecclesiæ consensu, sit infallibilis. »

Hi sex articuli continebant ea, quæ « regi Christianissimo declaranda erant, ex parte Facultatis per os illustrissimi domini archiepiscopi Parisiensis designati, cum amplissimo comitatu magistrorum ejusdem. »

Quæ cùm à deputatis, « juxta decretum pridie in congregatione generali factum, deliberata essent, eâdem die 8 mensis, illustrissimus Parisiensis archiepiscopus designatus Harduinus de Perefixe, easdem declarationes pronuntiavit apud christianissimum regem nostrum Ludovicum XIV, cùm secum adessent quàmplurimi sacræ Facultatis theologiæ doctores, secundùm quod statutum fuerat in conventu ejusdem Facultatis. »

Hæ declarationes sacræ Facultatis, re ac sententiâ planè conveniunt cum Declaratione cleri gallicani. Et quidem quod attinet ad

1 *Vid. apud d'Argentré*, tom. III. pag. 90 et seq.

regiam potestatem, ab omni depositionis metu absolvendam, nulla est difficultas, neque verò obstat quòd duæ postremæ declarationes in negativam formam conscriptæ fuerint : « Non est doctrina Facultatis quòd summus Pontifex sit supra concilium, » aut, « sit infallibilis, nullo accedente Ecclesiæ consensu. » Hâc enim negativâ formâ sacra Facultas sufficienter declarabat, quàm graviter ferret hasce positiones adscribi sibi, quemadmodum ipse titulus à nobis relatus præferebat. Et quidem adeo graviter tulit, ut id ipsi regi per tantum archiepiscopum, ejus præceptorem, Facultatis doctorem, ac Sorbonæ provisorem, magno cum comitatu publicè declararet.

Neque verò ita mentem declaravit suam, ut utramque quæstionis partem indifferentem haberet; quod ut fieret ita pronuntiandum esset : « Non esse doctrinam Facultatis Pontificem superiorem esse, » neque item « ejus doctrinam esse, non esse superiorem ; » sed unam duntaxat partem aversata Facultas, nempe quod Pontifex superior esset, significavit se maximè metuisse ne alteri parti favisse videretur. Idem de infallibilitate dicendum est.

Quis autem ferat tam gravem magistrorum theologiæ cœtum, ac tam celebrem Facultatem tanto studio amoliri à se, non dicam quæ fide certa sint, aut cum fide conjuncta, aut quocumque modo, necessariò propugnanda; verùm etiam ea quæ usquequaque tuta et innocua essent? Fac enim Facultatem declarare sic : « Non est doctrina Facultatis Ecclesiam esse infallibilem ; » impium erit et hæreticum, cùm id aversetur, quod fide certum est. Fac autem declarare sic, exempli gratiâ : « Non est doctrina Facultatis gratiam per se efficacem stare cum libero arbitrio, veràque et activâ indifferentiâ : » absurdum erit tanto studio avertere à se, quod sit usquequaque tutum et innocuum.

Quare quocumque sensu sacræ Facultatis declarationes accipias, certum omnino erit eam propulsare à se aliquid voluisse, quod sibi vitio dari intelligeret, et indecorum sibi esse arbitraretur. Certè, quod nemo negare possit, id pro explorato habebat, non esse à catholicis necessariò propugnanda quæ à se amoveret; adeoque saltem doctrinam quæ pontificiam superioritatem ac infallibilitatem negaret, ab omni censurâ esse liberam, quod ad hanc quæstionem sufficit.

Imò verò id sufficit ut pro certo asseratur, quòd nemo sanus, rebus ut sunt constitutis, inficiari possit; pontificium judicium in rebus fidei non posse absolutè esse supremum, cùm dubia infallibilitas id habere non possit. Quin etiam quid sit dubia infallibilitas, ne quidem intelligi potest. Quò enim pertinet infallibilem esse, qui non certò infallibilis agnoscatur? Nam Christus tale munus in Ecclesiâ

suâ ordinarium nemini concesserit, nisi Ecclesiæ profuturum; atqui profuturum non est, quod non ipsi Ecclesiæ reveletur, vel non ita reveletur ut à conciliis atque à Pontificibus, motâ saltem quæstione, agnosci ac definiri queat. Quod enim non fuerit ita revelatum, involutum potiùs quàm revelatum dixerim. Liceat ergo dicere reputari à Facultate ut nullum, quod ab eâdem saltem ut dubium asseratur. Quæ cùm vera omnino sint, tum illud profectò certissimum, articulos Facultatis, uti nos diximus, cum cleri gallicani articulis re ac sententiâ convenire; quanquam episcopi in tantum congregati cœtum, tantoque succincti presbyterio, sui officii esse duxerint, ut mentem rotundiùs ac simpliciùs promerent.

Atque ea doctrina erat, quam perferri Facultas suo nomine vellet ad Christianissimum regem, ab eo archiepiscopo, quo præceptore, religionis prima elementa hauserat: ut eo magis hæreret memoriæ, quò splendidiùs, tanti quoque præsulis ac regiæ urbis futuri Pontificis interventu relata, atque auctoritate confirmata erant.

Nemo verò nescit illustrissimum archiepiscopum Sedis apostolicæ studiosissimum fuisse, ut profecto nihil unquam afferre vellet tanto discipulo, quòd à Sedis apostolicæ majestate ac verâ pietate abhorreret.

Eæ declarationes sunt postea ad parlamentum perlatæ à decano et syndico, aliisque doctoribus nostræ Facultatis in eam rem accersitis, summoque omnium plausu acceptæ, curiæ quoque actis insertæ sunt, atque ad omnia deinde tribunalia transmissæ, vetitumque, ne quid contrarium doceretur. Quod senatusconsultum, 30 Maii 1663, gravissimâ auctoritate perscriptum est.

Denique declarationes eædem à Christianissimo rege ad omnia parlamenta missæ, edicto edito 4 Augusti 1663, vetitumque item, ne quid contrarium doceretur, gravi interminatione, eâque formulâ, quâ regia auctoritas maximè explicetur.

Quæ tam solemni ritu toto regno pervulgata ac promulgata, neque Alexander VII, tum in cathedrâ Petri sedens, neque secuti summi Pontifices unquam improbarunt, aut eâ de re questi sunt, cùm idem Alexander VII censuras Facultatis aliquas consecutas, dato diplomate, improbarit. Illud quidem diploma ejusmodi est, ut formâ in regno receptâ et consuetâ neque in Galliam transmissum, neque omnino sit cognitum, quod quidem per sese est maximum; sed illud multò majus ac certius, quòd sacræ Facultatis declarationes solemnissimo ritu promulgatas, romani nullo decreto læsas, sed prorsus intactas esse voluerint: quo argumento certi sumus, à Sede apostolicâ doctrinam nostram haberi saltem, ut eam quæ nullâ censurâ notari ac prohiberi possit.

CAPUT XII.

Expositio Doctrinæ catholicæ illustrissimi ac reverendissimi domini Meldensis episcopi in medium adducitur : duo Innocentii XI brevia ad eam approbandam : his consentiens Perronii cardinalis locus.

Idem comprobamus altero argumento, et Innocentii XI hodie sedentis gravissimâ auctoritate. Jam non modò toti regno, sed toti orbi christiano notus est libellus illustrissimi ac reverendissimi domini Meldensis episcopi, serenissimi Delphini præceptoris, cui titulus : *Expositio Doctrinæ catholicæ*, anno 1671 gallicè editus, non modò in latinam linguam, verùm etiam in germanicam, anglicanam, hibernicam, belgicam denique ac italicam versus, quæ italica versio Romæ est edita anno 1678, typis congregationis *de Propaganda fide*, ejusque congregationis cardinalibus summâ cum operis commendatione inscriptus : item cum approbatione summorum virorum Michaelis Angeli Riccii, et Laurentii Brancati de Laureâ, postea Ecclesiæ romanæ cardinalium, ac Stephani Gradi abbatis, viri doctissimi ac facundissimi, bibliothecæ Vaticanæ præfecti : item cum approbatione et permissione Raymundi Capisucchi, tunc sacri palatii magistri, nunc sanctæ romanæ Ecclesiæ amplissimi cardinalis, qui omnes, cùm in congregatione sancti officii, sive generalis inquisitionis, præcipuis muneribus fungerentur, hujus libri doctrinam miris laudibus extulerunt. Antecesserat per litteras, iisdem cum laudibus, approbatio ipsius cardinalis Bona, quem nominasse laudasse est, Sigismundi Chigii item cardinalis, atque Hyacinthi libelli, tum sacri Palatii magistri, ac postea archiepiscopi Avenionensis, cujus memoria in benedictione est, virorum ornatissimorum approbatio. Quas approbationes videre est in eâ editione libelli, quæ anno 1679, præfixâ auctoris Admonitione, adornata est. Sed omnem commendationem exsuperat breve apostolicum Innocentii XI, ad eumdem episcopum in hæc verba scriptum, quod in eâdem editione visitur : « Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Libellus *de catholicæ fidei Expositione*, à Fraternitate tuâ compositus, nobisque oblatus, eâ doctrinâ eâque methodo ac prudentiâ scriptus est, ut perspicuâ brevitate legentes doceat, et extorquere possit etiam ab invitis catholicæ veritatis confessionem. Itaque non solùm à nobis commendari, sed ab omnibus legi atque in pretio haberi meretur. Ex eo sanè non mediocres in orthodoxæ fidei propagationem, quæ nos præcipuè cura intentos ac sollicitos habet, utilitates redundaturas, Deo bene juvante, confidimus; ac vetus interim nostra de tuâ virtute ac pietate opinio comprobatur, etc. » Quæ nemo pius bonusque, sine summâ animi voluptate legerit; adeo apostolicam

pariter gravitatem ac pietatem spirant. Datum 4 Januarii 1679.

Cùm autem utilissimi libelli auctor articulos fidei, pro instituto secrevisset ab eâ doctrinâ, quam vel omnino falsam, vel non eâdem fide certam, hæretici Ecclesiæ catholicæ tanquam ejus dogma necessarium imputarent, devenit ad eum locum, quo de Sede apostolicâ vera Ecclesiæ fides exponenda esset. Eam autem ita exposuit, ut hæc stabiliret tantùm : nempe, « Ecclesiam unitate nixam, tuendæ ac firmandæ unitati primatum sancti Petri à Christo institutum, Sedemque apostolicam hujus unitatis centrum ac radicem esse, ac propterea Petri successoribus deberi obedientiam eam, quam concilia ac Patres semper agnoverint[1]. »

Hæc erant quæ certâ fide stabilita esse vellet; hoc est, ea tantùm in quæ omnes catholici consentirent. Quibus explicatis D. Meldensis etiam hoc addidit : « Quod attinet ad ea de quibus in scholis variæ sunt ac discrepantes sententiæ, etsi ministri ea catholicæ Ecclesiæ imputare solent, ut pontificiæ potestati invidiam conflent, nihil attinet hic commemorari, cùm de fide catholicâ non sint. Sufficit agnoscere caput à Deo institutum, ad gregem universum in viâ Domini gubernandum. »

Vides quid sufficere D. Meldensis dixerit, quid deinde romani doctores, atque etiam cardinales, et ipse etiam summus Pontifex approbarit : nempe, id sufficere de quo omnes consentiant; alia, de quibus in scholis disputatur, sive superioritatem, sive infallibilitatem spectent, sive illam directam vel indirectam in temporalibus potestatem; non esse necessaria; atque id nationes omnes christianæ, dum huic libro applaudunt, et ipse Innocentius XI confitetur.

Nec mirum ita esse quæstionem à doctissimo antistite constitutam, aut his comprehensam finibus ab omnibus catholicis, ipsoque adeo summo Pontifice comprobatam; cùm pridem Pius IV ac Tridentina synodus, et antè, Florentina et Eugenius IV, aliique Pontifices, in eo voluerint fidem collocatam, de quo omnes convenirent.

Quare qui controversias optimè tradiderunt, iisdem finibus quæstionem circumscriptam volunt. Notum illud doctissimi cardinalis Perronii in epistolâ ad Casaubonum, Apologiæ præfixâ[2] : « Ecclesiam romanam radicem episcopalis unitatis et ecclesiasticæ communionis esse;.... eique ab omni antiquitate delatum esse primatum, et præfecturam earum rerum quæ ad religionem et Ecclesiam pertinerent, idque unum esse quod Ecclesia postulet ab iis qui ejus communionem amplectantur : quâ tesserâ secernat societatem suam à Græcis eorumque asseclis, qui se à visibili ac ministeriali Ecclesiæ capite ab aliquot sæculis segregarunt. »

[1] *Exp.*, art. XXI. — [2] *Du Perr., Repl., etc., ep. à Casaub.*

Ex his doctissimi cardinalis verbis discimus id quidem ab omnibus agnoscendum esse, quo Ecclesia ab hæreticis secernatur, non autem id quo scholæ doctores à se mutuò differant. Atque id vir [illegible] luculentiùs postea exponit his verbis[1] : « Quæstio de auctoritate Papæ inter catholicos agitata sive in spiritualibus, respectu conciliorum œcumenicorum, sive in temporalibus, respectu jurisdictionum sæcularium, quatenus saluti animarum obsunt, non est quæstio ejusmodi, quæ res complectatur ab alterutrâ parte inter articulos fidei recensitas, aut quæ ab iis exigantur qui ad Ecclesiam redeunt, ita ut alii alios pro hæreticis habeant, aut à se mutuò quoad communionis vinculum separentur. Quare ea omnia communioni ecclesiasticæ sarciendæ impedimento esse non possunt; cùm hujusmodi traditionis sint, ut quamcumque partem serenissimus rex amplectatur, haud eo secius ab utrâque parte jus et nomen catholici obtineat. Quare ex doctissimi cardinalis verbis, erroris, hæreseos [illegible] omnino anathematis et excommunicationis metus, quoque prætextu, procul abest ab iis opinionibus; reique essent [illegible] violatæ pacis, qui eas sub excommunicationis metu prohibitas putarent.

Quæ cùm animadvertisset D. Meldensis episcopus, eas opiniones, et omnibus notas, atque à præstantissimis controversiarum auctoribus designatas, ad catholicam fidem pertinere meritò negat; quas iterum atque iterum inculcandum putavit in eâ monitione, quam suprà memoravimus post Innocentii XI approbationem suæ *Expositioni* esse præfixam. Sic autem in eâ legitur[2] : « Neque miretur quisquam, tam facilè approbatam Meldensis episcopi Expositionem esse, quam auctoritatem Sedi apostolicæ divinâ institutione concessam, [illegible] rebus collocaret, de quibus scholæ catholicæ omnes consentiunt. Nihil enim eget cathedra Petri concertationibus nostris; quod [illegible] eâ catholici omnes unanimi consensione venerantur, planè [illegible] eam tuendam potestatem, quam Sedes apostolica ad ædificationem, non autem ad destructionem accepit. » Vides iterum atque [illegible] quid sufficere edoceat. At hanc monitionem uti diximus, *Exp*[illegible] præfixam, cùm idem episcopus Innocentio XI obtulisset, hoc [illegible] sponsum : « Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Accepimus libellum de *catholicæ fidei Expositione*, quem, [illegible] ganti, sapientique ad hæreticos in viam salutis reducendos, [illegible] auctum, reddi nobis curavit fraternitas tua, et quidem lubenter [illegible] confirmamus uberes laudes quas tibi de præclaro opere [illegible] buimus, et susceptas spes copiosi fructûs exinde in Ecclesia [illegible] fecturi, etc. Datum Romæ, 12 Julii 1679. »

[1] *Du Perr., Repl., etc.*, lib. IV. pag. 745. — [2] *Expos. Avert., edit.* 1679; *Fid. Sup.*, [illegible]

Quæ cùm sacro cœtui D. Meldensis episcopus rogatus legeret, pietatem incomparabilem, charitatem ac prudentiam singularem sancti Pontificis miris laudibus commendabat, quod, quantùm in ipso esset, omnes difficultates remotas esse vellet, quibus oves perditas laborare, atque ex grege suo aberrare intelligeret.

Nempe cùm alia multa vera et utilia summus Pontifex iterum atque iterum approbabat, tum illud imprimis, Sedis apostolicæ majestatem in his rebus esse positam, de quibus catholici consentirent; idque ad ejus Sedis sanciendam potestatem sufficere testatus, ex eâ *Expositione* uberes fructus expectabat.

Neque falsus animo est : nam innumerabiles hæretici hâc *Expositione*, seu potiùs sancti Pontificis auctoritate victi, ad unitatem redierunt, et redire porrò pergunt adeo necessarium erat cùm in omnibus articulis, tum in hunc maximè, quem hæretici omnium invidiosissimè proponebant, id clarè doceri, quod Ecclesia catholica ut necessarium pariter, ac sufficiens postularet. Hoc enim facto, catholicam doctrinam ex omni parte splendentem, nullo fastu turgidam, ubique moderatam, atque inter prærupta et extrema tutò incedentem, agnitam dilexerunt eique adhæserunt.

Jam si rescinderentur ea, et alia requirerentur, quàm quæ summi Pontifices, et maximè Pius IV, et ipse Innocentius XI postulavit; quid aliud eveniret, quàm ut tot hominum millia deceptos se esse ab Ecclesiâ catholicâ quererentur, atque eorum, quod absit, vacillaret fides; cæterorum verò odia concitarentur ea, quæ cùm nullâ responsione lenire possemus, infelices animæ perderentur, et Sedis apostolicæ, quam firmam et inconcussam esse oportet, labasceret auctoritas; Sedisque ejusdem majestate indignum videretur, negare fidem in eo esse reponendam, in quo catholici omnes uno ore consenserunt?

CAPUT XIII.

Explosâ hæreseos, erroris, ac schismatis notâ, aliæ notæ excutiuntur : articulos gallicanos neque esse temerarios, neque scandalosos, neque piarum aurium offensivos : vera pietas cum veritate et traditione conjuncta : censuræ vagæ et inconditæ : sancti Ambrosii locus : prima pars concluditur.

Explosis hæreseos, erroris ac schismatis, quas quidam inustas nobis volunt, notis, supervacaneum videri posset de aliis notis dicere; cùm facilè intelligatur, ex dictis, cleri gallicani Declarationem tantâ auctoritate nixam, nihil immodestè aut contumeliosè asserentem, nihil novi christianis auribus afferentem, neque temerariam, neque scandalosam, neque piarum aurium offensivam esse. Ne tamen aliquid omittere videamur, has quoque perpendamus notas.

Non deerunt fortè rerum ecclesiasticarum imperiti, qui Patres gal-

licanos eo nomine temeritatis accusent, quòd de Primæ sedis auctoritate, et quidem nullâ necessitate, statuere ac judicare videantur.

At illi, si qui sunt, theologiam ne primo quidem, ut aiunt, limine salutarunt. Solet enim theologia de Deo, divinisque personis, atque aliis fidei christianæ mysteriis quæ tradita sunt, dicere, summâ cum reverentiâ divini Numinis. Eodem planè ritu de Sede apostolicâ tractat, neque ullam sibi vindicat in ejus jura auctoritatem, cùm ea, quæ de ipsâ sint tradita, exequitur et exponit. Ita clerus gallicanus magnum unitatis pacisque mysterium in Sede apostolicâ collocatum, cum omnibus catholicis impensè veneratur : quâ in re à Christo constituta sit ejus auctoritas, ne aliena, ne prava, ne invidiosa affingantur, summâ cum reverentiâ ex Patrum traditione declarat.

Temerarium passim theologi definiunt, quod novè, insolenter et audaciter nullâ doctorum auctoritate dicitur; quæ multùm à nostris abesse ipsi adversarii confitentur, cùm gravissimos nostræ sententiæ defensores nominent. At verò quantò magis ab omni temeritatis crimine nostros articulos eximemus, cùm probationibus expeditis conciliorum atque Pontificum decretis niti ostendemus? « Est et ea, inquit Canus [1], temeraria propositio, quæ in doctrinâ fidei, cum celebris Universitatis communi decreto ac definitione pugnat. Quamquam enim circumferuntur articuli Parisienses, qui non sunt fidei articuli omnes, quoniam ne hanc quidem vel longissimè tangunt; sed ejus Academiæ tamen de fide et religione fixa constantisque decreta semper Christi Ecclesia suspexit; qui verò contempserunt, inaniaque et levia ac pro nihilo existimaverunt, omnes ad unum periclitati sunt. » Quâ regulâ non profectò nos, sed ii sunt temerarii vel maximè, qui nos Parisiensis Academiæ defensores exosi, etiam temeritatis, quodque est gravius, erroris ac schismatis accusant.

An forsitan temerè allata sunt in medium, quæ tractari necessitas nulla cogebat? Verùm aliud est nova sine necessitate quærere, aliud vetera et ab antiquis sæpè tractata, atque ab ipsis synodis Constantiensis et aliis, summâ necessitate quæsita et decisa retinere. Cur autem ea repeterent gallicani Patres, in præfatione Declarationis, atque in epistolâ ad episcopos scriptâ, causas idoneas protulerunt, quas æqua posteritas probatura sit, neque jam improbent ii, qui necessariam doctrinam omni arte opprimi atque oblitterari pridem ingemiscebant.

Neque fas erat cleri deputatis omittere ea, cùm illis mandatum esset Ecclesiæ gallicanæ antiquas et canonicas libertates asserere, quarum fundamenta ac summa his articulis continentur.

Sanè quâ modestiâ viros ecclesiasticos esse oportet, Lovaniensium

[1] *Mel ch. Can.*, lib. XII. cap. 2.

quorumdam gravibus querelis ac domini Strigoniensis censurâ moveremur, si afferremus nova. Cæterùm, cùm ea afferamus quæ saltem à trecentis annis toti Ecclesiæ nota, à conciliis et Pontificibus, ut nos quidem credimus, approbata, ut autem etiam adversarii confitentur, et res ipsa docet, sine ullâ censurâ relicta sunt; non nos profectò, sed iniqui censores temeritatis incurrunt notam : quod quidem à censoribus nostris consideratum volumus. Sanè id advertant quod dicimus : non enim dicimus non posse universim reprobari, nisi ea quæ Ecclesia expressè condemnavit; sed, cùm rebus pensatis, sæpè et consultò noluit aliquid condemnare, nemo jam nisi temerè condemnare potest. Ecclesia enim perspexit non esse condemnationi locum.

Quæ ratio ostendit procul abesse à nobis scandali aut offensæ pietatis suspicionem. Quod enim Ecclesia à tot sæculis æquis auribus pacatoque animo audiat, id repentè scandalo aut offensioni vertere, nihil aliud est, quàm commovere turbas, et perturbare pacem ecclesiasticam.

De pietate quod objiciunt, placet, audire Melchiorem Canum, cùm illud tractaret quod sit piarum aurium offensivum [1]. Ibi verò demonstrandum aggreditur, « Ecclesiam propositionum absonarum consonarumque judicium in vulgi auribus minimè collocasse. » Quo loco hæc habet : « Hic si abusus reprehendas, qui in imaginibus et colendis et ornandis, in sacellis, templis, monasteriis, sepulchrorum monumentis, sempiternisque memoriis condendis, invaluerunt plurimi; si affirmes in ejuscemodi interdum, vel potiùs nimium sæpè, plus vanitatem valere quàm religionem, diabolum quàm Christum; hi fortasse dicent, te lutheranis opinionibus occupatum intolerabiles sonos fundere; adeo in optima quæque vulgus inconditum, falsâ pietate, vanitatem, aut etiam superstitionem inducit. » Pergit : « Non est igitur habenda ratio vulgi promiscuè imbecillis, perturbati, imprudentis; sed prudentis, sinceri, pii, incorrupti; nec theologia modò requirenda est, sed pietas et prudentia. »

Neque nos fugit quanta sæpè pars turbæ sint, qui etiam se peritos ac theologos videri volunt; atque ut cætera taceamus, quot videmus, qui Luthero et Calvino per nimia et extrema repugnare pium putant, à quorum sententiâ nos alienissimos esse ultro profitemur? Non enim si quid privati aliqui doctores adversùs lutheranos urgendum putarunt, id nos statim ut fidei decretum amplecti oporteat; sed nempe, ut dicebat olim sanctus Cœlestinus papa : « Sufficere credimus quod apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt : » scilicet Pii IV professionem, quâ planè perfectèque hæretici condemnentur; atque

[1] *Loc. mox cit.*

id gravioribus theologis ac doctoribus, cardinali Perronio, eumque secuto Meldensi episcopo, ac tot cardinalibus romanisque prælatis, ipsique adeo sancto pontifici Innocentio XI placuisse gaudemus in Domino, totique Ecclesiæ gratulamur. Ulteriora extorquere non suadet vera pietas. Ut enim nihil à fide demi, ita nihil addi illi debet; reique animarum sunt, qui plus ab hæreticis postulent, quàm communi omnium fide requiratur. Neque minùs absurdum est aliud à catholicis doctoribus extorquere velle, nisi fortè aliud illum in Ecclesiâ docemus, aut tuemur in scholis, aliam contra hæreticos propugnamus.

Pietatis verò nomine ad aliud nos cogi, nec ipsa sinat pietas. Vera enim pietas non cæco affectu, sed majorum auctoritate ac traditionis regulâ ducitur. Quæ ab his aberrant finibus, sine more modique crescunt, veramque pietatem falsis et alienis, ex arbitrariâ pietate superstructis, obscurant et offuscant. Hæc arbitria pietas multipersuasit sancti Petri successores, non tantùm ex officio sanctos, sed etiam vitâ necessariè pios esse; ut grave haberet bonus Otho Frisingensis, vir alioqui doctus et diligens, de Joanne etiam XII dici[1]: « Sic reprehensibiliter eum vixisse et super hoc ab episcopis aliisque subditis suis conventum fuisse; cui rei, inquit, durum videtur illum accommodare; quia romana Ecclesia hoc speciale privilegium sacerdotibus suis adscribere solet, quòd meritis Petri supra firmum petram fundati, nulla eos vel porta inferorum, vel turbo tempestatis ad exitialem ruinam involvat. » Quæ ab Ennodio * Ticinensi deprompta[2], ac pro tempore laudata, Gregorius VII, quantùm potuerat, confirmaverat, novo genere pietatis, quo vel negare manifesta, vel illustrata, non tantùm tacere; verùm etiam probare cogeremur.

« At, inquit Baronius in hunc Othonis locum[3], non tanta nos vindicamus, ut esse non possit, quin fœdus turpisque moribus inquinet vel irrumpat in sedem illam; fide autem impius nullo modo. Quasi magis illud ad pietatem pertineat, ut nullus fide impius Pontifex esse possit, aut transire cogamur ad illam ferè ab omnibus explosam, et canonistis omnibus, theologis omnibus repugnantem Alberti Pighii sententiam, nullum Pontificem hæreticum esse posse. Hæccine ergo est pietas, omnibus ac singulis Pontificibus, quasi sub Christi nomine

[1] *Oth. Fris.*, lib. VI. cap. 23.

* Is, ipsâ experientiâ doctus, vanas esse mundi hujus illecebras, relicta sæculari militia sacram adscriptus est, et inter diaconos relatus. Ille est Ennodius, qui in celebri suâ apologia pro Symmacho docet : « Papam à nemine posse judicari : beatum Petrum... perennes sortorum dotem cum hæreditariâ innocentiâ misisse ad posteros suos » (id est successores) denique eum « sanctum esse, quem apex tantæ dignitatis attollit. » Huic Ennodio, qui demum Ticinensis episcopus fuit, ultramontani plus obsequuntur quàm cuiquam ex sanctis Patribus. Ejus opera Jacobus Sirmundus congessit et edidit. Vid. de Ennodio FLEURY, lib. XXX et XXI. (*Edit. Paris.*)

[2] *Vid.* tom. IV. *Conc.*, col. 1340.— [3] *Bar.*, an. 863, tom. X. pag. 777.

(quis enim tanquam ex proprio nomine audeat) ista polliceri, ut, si quid, occulto Dei judicio, vel tale contingit, vel aliquando contingat, tum labascere incipiat, vanâ scilicet expectatione delusa, infirmorum fides, ac ipsa quoque Christi promissa vacillare putet. Atque hanc pietatem Bellarmino quoque et Suari placuisse vidimus. Neque, ista referentes, viros doctos ultro lacessimus, aut eorum pietati detractum volumus quidquam, quorum alioqui (Deus testis est) favemus laudibus. Id tantùm advertimus, viris etiam maximis contigisse, ut vana saperent, quoties cæcis illis, quos pios vocare volunt, affectibus aliquid indulserunt.

Piget commemorare quot opinionum monstra ejusmodi pietas in Ecclesiam induxerit. Hinc enim etiam illud quo totus orbis circumsonat [1] : « Pontificem utriusque potestatis apicem tenere, regna ac diademata dare ac detrahere, orbis dominum etiam in temporalibus, ac monarcham esse Christi regis vicarium, sive viceregem, in regnis et imperiis omnia posse; neque tantùm indirectè, sed directè; falli Bellarminum indirectâ potestate contentum, neque postulantem ut ea tanquam de fide certa credantur; hæc enim omnia de fide esse, et qui negent esse hæreticos; neque propterea quidquam iniqui regibus et imperiis metuendum, cùm is à quo pendent, neque errare, neque quidquam injusti moliri possit. » Neque satisfiet nobis, si eum, qui recens hæc scripserit Marchionem, in rebus quidem theologicis ineptum imperitumque esse dicant. Ecce enim Nicolaus Dubois, theologiæ professor primarius, nos seriò et graviter ad hujus viri tractationem remittit, eumque cum honore nominat. Idem D. Dubois ait non posse constare romano Pontifici summam illam potestatem, à Florentinâ synodo in decreto unionis attributam, nisi potestas etiam indirecta tribuatur : quin, illâ eversâ, eam partem decreti stare omnino non posse. Quare et D. Strigoniensis, illum Declarationis gallicanæ articulum, quo potestas indirecta rejicitur, cum reliquis articulis, ut æquè detestabilem, æquè schismaticum damnat.

Neque verò placet indirectæ potestatis nomine, ac mutato tantùm vocabulo res eadem, idem jugum imperiis impositum : neque probare possumus pietatem illam, quæ priscis inaudita sæculis, conciliandis christianis, ac propagando Evangelio, publicæ denique paci inimica, invidiosis æquè ac inanibus titulis Petri cathedram oneret, eamque doctrinam reducere moliatur, quæ quoties exequenda prodiit, toties orbem christianum infandis bellis et cædibus cruentavit.

Neque etiam placent, pietatis licèt nomine venditata, quæ passim apud canonistas legimus : posse pontificem omnia in orbe terrarum : quæcumque Deus possit, excepto peccato; neminem ab eo rogare

1 *Coroll. Antigr.*

posse : Quid ita facis? Legibus et statutis omnibus et generalibus conciliis posse eum contravenire legitimè; » et alia ejusmodi, Pontificibus bonis modestisque, æquè ac nobis exosa. Hæc ipsi canonistæ, puto, erubescant, nisi interpretatione molliantur. At pietas non est, inflare et exaggerare verbis Petri privilegia, tanquam exigua sint, quæ per sese sunt maxima; eaque comminisci, quæ cùm interpretatione recta evanescant atque effluant, malevolis interim calumniandi ansam præbeant, tendant laqueos imperitis, audaciores ad extraordinaria quæque contra regulam postulanda, aut etiam per obreptionem impetranda incitent, atque ita censuram canonum ac vim disciplinæ resolvant, ejusdemque instaurandæ spem omnem incidant. Cæterùm cùm talia nullus unquam docuerit Pontifex, neque unquam comprobarit, id unum à nobis scilicet vera pietas postulat, ut admiremur gravissimam, sapientissimam atque à Deo protectam Sedem, quæ tanti etiam assentatione circumdata modum tenuerit. Interim cùm hæc nimia, pietas incomposita suaserit, certum nobis est nullam pietatem agnoscere, nisi cum veritate et traditione conjunctam.

Hæc erant quæ de particularibus censuris dicenda habebamus, quantùm earum vim intelligere possumus, ex doctorum scriptis; quæ arbitrariæ inani tantùm strepitu teneant imbecilles animos, nulloque certo titulo, nullâ certâ ratione, tantùm anathemata crepent, atque intentare non cessent. Eas ut veritate contemnimus, ita charitate refugimus, qui veritatem pacemque diligamus; atque interim opponimus illud Ambrosii [1] : « Fucum faciunt, qui non audent explicare quod sentiunt, censoriè. » A Sede certè apostolicâ, quæ et paci consulere, et antiquâ revolvere, et posteritatem respicere, et omnia sæcula mente complecti soleat, nihil tale metuimus; præsertim postea quàm, uti jam facere aggredimur, nostra à conciliis et romanis Pontificibus expressè et sæpè probata esse demonstraverimus. Nam hactenus iniquâ certè conditione luctamur, qui tantùm fictus declinamus, nondum arma expedimus. Nunc, cùm probationes nostras allaturi simus, nostra jam liberior decurret ac lætior, ac velati scopulos et syrtes prætervecta, plenis jam velis oratio navigabit.

Sancti Eusebii romani presbyteri ac martyris Acta referuntur [*].

Tunc Eusebius romanus presbyter martyrium passus est, cujus

[1] *Ambr., de Fide*, lib. I. cap. 18. al. 8. tom. II. col. 467.

[*] In plerisque manuscriptis codicibus hujus *Defensionis*, quos omnes diligenter evolvimus, reperimus post cap. XXXIV. lib. IX, caput unum integrum ab ipso auctore deletum. Nam ut eliquatissimi judicii, postquam acta sancti Eusebii à Mombritio relata diligentiùs introspexit, facilè intellexit ea illa esse, quæ, aut nullius, aut infirmæ admodum auctoritatis apud doctos haberentur. Quapropter statueramus obsequi Bossuet voluntati, et caput illud omnino omittere; sed ne quis queri posset de omisso illo capite, quod etiam extat in editione hujus operis anni 1730, illud ad calcem hujus Appendicis adjecimus. (*Edit. Paris.*)

memoriam 14 Augusti cum Ecclesiâ romanâ agimus; quo die in Martyrologio romano celebratur.

Hujus acta Baronius in Annalibus paucis refert [1]: in notis ac Martyrologii diem 14 Augusti remittit ad Boninum Mombritium Mediolanensem, ex quo ejusdem Eusebii uberiora acta promamus.

Sed quandoquidem Mombritius in paucorum est manibus, non pigebit antiqua sancti Eusebii acta memorare, prout ea ex illustrissimi archiepiscopi Rhemensis * excuso codice diligenter exscripsimus. Is igitur sic habet, tom. I, p. 515 [2]: « Tempore quo Liberius de exilio revocatus fuerat à Constantio Augusto hæretico, in eodem tantùm dogmate, ut non baptizaret populum, sed unâ communione contaminaret plebem, Eusebius presbyter urbis Romæ cœpit declarare Liberium hæreticum et amicum Constantii; cùmque multi in sanctâ confessione et catholicâ fide vitarent communionem Liberii per Eusebii presbyteri doctrinam, occupantur Ecclesiæ à Liberio, ejicitur Felix de episcopatu, subrogatur Liberius, tenetur Eusebius presbyter, et quòd in domo suâ, quam ipse construxerat, populum congregaret, et quia plebem sanctam exhortabatur. Tunc Constantius imperator aggreditur cum Liberio Eusebium presbyterum, dicens: Tu solus christianus es in urbe Româ? Eusebius presbyter respondit: Sic confidimus in Domino, quia fideles non inveniet Christus, sicut et baptizati sumus, et benedictionem, quam à beato Julio suscepimus, tenemus. Liberius dixit: Nos cujus fungimur vice; nonne Julii antecessoris nostri? Eusebius presbyter dixit: Si perseverasses in fide quam in persecutione primò tenere visus fueras. Liberius dixit præsente Augusto: Tam contumacem me existimas? Eusebius dixit: Res ipsa te docet et declarat. Imperator Constantius dixit: Et quid est inter fidem et fidem? Eusebius presbyter respondit: Quantùm ad nos peccatores, integrè tenentes fuimus: quantùm ad vos, insania diaboli et invidia superstitionis vestræ, ut Felicem episcopum, quem vos non tenuistis catholicum, et Dominum Jesum Christum invocantem, purum sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis causam exilio direxistis; qui tamen in prædiolo suo orationibus vacat. Et quidem jussu tuo christianis occisionem et necem præcepisti inferri, maximè clericis, presbyteris et diaconis. Tunc iratus Constantius sub rogatu Liberii inclusit Eusebium presbyterum in quodam cubiculo domûs suæ, quod humile erat, in latitudine pedès quatuor; et ibi multis diebus in oratione constanter perseverans, inclusus tamen post menses septem dormitionem accepit, 19 kalen-

[1] *Bar.*, tom. III. n. 357.

* Le Tellier.

[2] *Vid. hæc act. ap. Baluz.*, *Miscell.*, tom. III. p. 141, 142.

das septembris : cujus corpus collegerunt Gregorius et Orosius presbyteri, et parentes ejus, et sepelierunt in cryptâ juxta corpus B. Lyti martyris et episcopi, in viâ Appiâ, in cimeterio Callixti; ubi et titulum ipsius scribentes, posuerunt pro commemoratione ejus : Eusebio HOMINI DEI. In eodem tempore auditum est à Constantio imperatore, quòd Gregorius et Orosius presbyteri collegissent corpus Eusebii presbyteri, et in eâdem cryptâ vivum præcepit includi Gregorium. Tunc Orosius presbyter collegit semivivum B. Gregorium noctu occultè, propter Constantium Augustum, et emisso spiritu, sepelivit eum juxta corpus sancti Eusebii presbyteri; qui etiam Orosius hæc gesta scripsit. Ab eodem die intra Ecclesias : jussu Constantii imperatoris, quisquis inventus fuisset non sic confiteri et participare sicut Liberius, indiscussus gladio puniretur. Quapropter in plateis, et in viis, et in Ecclesiis, sive in balneis gladio trucidabantur, persequente Constantio christianos unà cum Liberio. Mortuo autem Liberio, levatur Damasus, qui voce publicâ damnavit Liberium, factâ synodo cum episcopis viginti octo et presbyteris viginti quinque, et cessavit persecutio; non tamen multum tempus, donante Domino Deo Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. »

Huc usque acta, ubi innatâ simplicitate ipsa se prodit antiquitas; et quibus ejus generis actorum aliquis inest gustus, hæc sapient. Tum Usuardus monachus et Ado Viennensis hæc acta viderunt, ex quorum quippe verbis, brevem illam, quam suis Martyrologiis inserant, sancti Eusebii contexunt historiam. Cæterùm id quod hic de Damaso in fine actorum scriptum est, quòd « voce publicâ damnavit Liberium, facta synodo, » ad Damasi pontificatum referendum non est : pridem enim Liberius resipuerat; sed hæc fecit Damasus tum presbyter, ac, deficiente Liberio, synodum fieri procuravit; innatque obiter acta, eum qui hæc fecerit, meritò Liberio subrogatum fuisse.

Quòd autem in his actis, ut et in vitâ Liberii, scriptum est de rebaptizatione ab arianis factâ, non debet movere doctos, qui apud Ambrosium de Auxentio legerint [1] : « Cur igitur rebaptizando Arianus fideles populos putat; baptizatos in nomine Trinitatis, cùm apostolus dicat : *Una fides, unum baptisma* [2]. » Hoc igitur Liberius statuavit, ne Romani rebaptizari cogerentur. Quid autem egerit, quin à rectæ fidei defensione defecerit, quam persecutionem moverit adversùs fratres, quos confirmare in fide jubebatur, satis patet ex actis.

[1] *Ambr., Serm. cont. Aux. post epist.* XXI. n. 37. tom. II. col. 874. — [2] *Ephes.*, IV, 5.

MÉMOIRE

DE Mgr BÉNIGNE BOSSUET, ÉVÊQUE DE MEAUX :

PRÉSENTÉ AU ROI ;

Contre le livre intitulé *De romani Pontificis Auctoritate, etc.*, divisé en trois tomes *in fol.*, par dom frère Jean-Thomas de Roccaberti, autrefois général de l'ordre de saint Dominique, archevêque de Valence *.

I. — Idée générale du livre, et de quoi le roi se peut plaindre.

Pour donner d'abord l'idée de ce livre, il est composé de trois gros volumes, dont les deux premiers regardent l'infaillibilité du Pape, et le troisième contient trois livres, *où sa souveraine puissance, tant directrice que coactive, sur le temporel, est amplement prouvée*, ainsi que le porte le titre.

Le dessein du livre est d'attaquer et de condamner en tout et partout la Déclaration du clergé de France, de la manière la plus outrageante ; et après qu'on est d'accord avec Rome, et que sa Sainteté a été contente des devoirs et des soumissions que les évêques lui ont rendus, ce prélat espagnol, poussé de la haine de sa nation contre ce royaume, non-seulement tâche de son côté de renouveler la querelle, mais encore il n'oublie rien pour exciter le Pape à la recommencer.

Ce qui est à considérer dans ces livres, c'est, premièrement, le corps de l'ouvrage ; secondement, les épîtres dédicatoires et les préfaces de l'auteur ; troisièmement, les approbations qui sont imprimées à la tête.

Aux deuxième et troisième tomes, on voit deux brefs du Pape à l'auteur, dont il faudra parler à part ; et voilà de quoi sont composés ces trois gros volumes.

Sans entrer dans le fond des matières, le roi a toujours sujet de se plaindre de cet ouvrage, à cause de l'aigreur qu'il inspire partout au Pape et à tout le monde contre la France, et de la manière dont y est traité, non-seulement tout le clergé, mais encore la personne auguste et sacrée de sa Majesté.

II. — L'auteur traite les François comme hérétiques, sur l'infaillibilité du Pape.

Dès le commencement du livre, il propose la question de l'infail-

* Voyez sur ce *mémoire*, l'*Histoire de Bossuet, pièces justificatives du livre* VI. tom. II, pag. 685 et suiv.

libilité du Pape, ou de « la constance des pontifes romains dans la foi, comme une importante question entre les catholiques et les hérétiques : les hérétiques, dit-il [1], comme ennemis déclarés de l'autorité du Pape, soutenant la négative; et les orthodoxes qui ont à cœur la religion catholique, combattant pour l'affirmative comme pour les autels et les temples. »

Cependant il nomme lui-même, pour l'opinion qui n'admet pas l'infaillibilité, des auteurs très-célèbres et très-catholiques de toutes les nations, et non-seulement de la France, comme Gerson et Almain, mais encore des autres pays, comme Alphonse de Castro et Jean Driédo, fameux docteurs de Louvain [2]. Il est vrai qu'il cite le moins qu'il peut de ces auteurs, passant par-dessus le cardinal Pierre Dailly, évêque de Cambrai, par-dessus Tostat, espagnol; et, ce qui étoit bien plus important, par-dessus le pape Adrien VI, autrefois précepteur de Charles-Quint, compté par le cardinal Bellarmin entre les défenseurs de la doctrine opposée à l'infaillibilité du Pape, et qui a fait imprimer à Rome, durant son pontificat, le livre où il s'étoit expliqué sur cette matière, étant simple docteur de Louvain, et professeur en théologie de cette savante université.

Ce qu'il y a de plus remarquable, c'est qu'en rapportant de si graves auteurs, il ne produit contre eux aucune condamnation directe ou indirecte du saint Siége; et, au contraire, il cite le cardinal Bellarmin [3], qui, tout zélé defenseur qu'il est de l'opinion de l'infaillibilité, avoue que la doctrine opposée *n'est pas proprement hérétique*, et que tout ce qu'on peut en dire, c'est *qu'elle semble erronée et approche de l'hérésie*; n'osant pas même l'assurer absolument, mais disant seulement *qu'il semble*, VIDETUR.

Il rapporte aussi lui-même l'endroit de ce cardinal [4], où, poussant le plus loin qu'il peut sa censure contre la doctrine de la supériorité du concile au-dessus du Pape, il n'a pourtant pu dire autre chose, sinon que le sentiment opposé est *presque de foi*, qui est la note la plus légère qui pût sortir de la bouche d'un homme aussi prévenu.

Après cela il est étonnant que lui et ses approbateurs traitent partout d'hérétique le clergé de France et le sentiment des anciens docteurs de Paris, qui étoient communs de leur temps dans les universités des autres royaumes, et fassent de si grands efforts pour aigrir le Pape contre la France, comme si l'on y défendoit « des monstres d'erreur qu'il faut exterminer de tout le monde chrétien, et des dogmes pernicieux qui agitent la nacelle de saint Pierre par des flots sortis de l'enfer. » Ce sont les propres paroles de l'auteur

[1] *Tom.* I. l. I. *præf.*, p. 1. — [2] *Tom.* I. l. I. c. 1. n. 5, 6, 7, 8, 9. — [3] *Ibid.*, n. 16. — [4] *Præf.*, l. I.

dans l'épître dédicatoire à sa Sainteté, à la tête du premier tome.

Il est encore plus outré dans ses préfaces, puisqu'il ose s'en prendre jusqu'à la personne du roi, lui reprochant de faire enseigner, « par violence et par des menaces de peines et de supplices, des propositions si éloignées de la piété chrétienne, des propositions si déshonorantes de la suprême autorité du saint Siége apostolique, et qu'on ne peut attribuer qu'à l'impiété et à l'hostilité par laquelle les hérétiques s'emportent contre ce siége [1]. » C'est ici qu'il ose nommer ouvertement le nom auguste de *Louis XIV*, comme de celui qui, le premier « depuis Clovis, est l'auteur de ces violences, aux louanges duquel, dit-il, il ne manque que d'éteindre tout à fait les erreurs dont les perfides hérétiques tâchent d'infester ce royaume très-chrétien, en y rendant comme odieuse l'autorité du Pape; » qui est accuser le roi de manquer à un devoir essentiel d'un roi chrétien.

III.—Il traite d'impie, hérétique et schismatique, la doctrine de l'indépendance des rois dans leur temporel.

Ce n'est pas seulement la doctrine de l'infaillibilité qui le fait emporter à cet excès : il condamne également le clergé et le royaume de France, sous prétexte qu'on s'y oppose « à la suprême autorité des papes sur le temporel des rois, et à la puissance coactive qu'ils prétendent pouvoir exercer en les déposant. » Dès l'entrée de son troisième tome, il range cette controverse au nombre de celles « qui se sont élevées entre les catholiques et les hérétiques [2]. » Il tâche de rendre odieuse la doctrine de l'indépendance des rois dans leur temporalité, en l'attribuant à Calvin, à Pierre Martyr, et aux autres hérétiques ennemis déclarés de l'autorité et de la gloire pontificale [3]. » Comme si les hérétiques étoient hérétiques en tout, ou qu'on ne sût pas qu'ils retiennent beaucoup de vérités essentielles, et qui n'en sont pas pour cela moins vénérables.

Cependant sous ce prétexte, il traite l'opinion qui défend l'indépendance des rois dans leur temporalité, *d'impie et de fausse* : il rapporte le décret de l'inquisition de Tolède, « qui condamne comme erroné et schismatique de dire que le Pape ou l'Eglise n'aient pas une puissance directe ou indirecte pour dépouiller les rois de leur domaine [4]; et s'étonne que le clergé de France soutienne la proposition que ce tribunal sacré et souverain condamne d'erreur et de schisme [5]; » comme si la France étoit obligée à reconnoître l'autorité de l'inquisition de Tolède. Il porte son venin contre la France jusques aux pieds du Pape, dans la lettre dédicatoire, où il présente à sa Sainteté ce troisième tome. Il s'y glorifie dès l'entrée, qu'en entre-

[1] *Tom.* I. *Præf.*, n. 24. — [2] *Tom.* III. lib. I. *præf.* — [3] *Ibid.*, cap. 1. — [4] *Tom.* III. lib. I. c. 2. n. 52, 73. — [5] *Ibid.*, n. 59.

prenant de défendre la suéminente autorité du Pape sur le temporel des rois, il traite une matière que peu ont traitée exprès ; » ce qui devoit lui faire sentir qu'elle n'est donc pas fort essentielle au service de Dieu. Il ajoute, que nier cette autorité, c'est faire « une guerre ouverte au saint Siége. » A l'entendre, on est l'ennemi du saint Siége, si l'on n'attribue au Pape, « de droit divin, cette plénitude de puissance sur le temporel des rois. » Sous prétexte de consulter sa Sainteté sur cette matière, il veut faire accroire à tout le monde chrétien, qu'il en va naître des *calamités* infinies, et même « un schisme imminent auquel la Déclaration gallicane ouvre une entrée manifeste. » Il dissimule que cette dispute et toutes les autres, où chacun soutient son sentiment, sans vouloir condamner ceux qui n'en sont pas, n'ont jamais fait aucune rupture ; et que la Déclaration du clergé de France, qu'il attaque perpétuellement comme *schismatique*, n'est pas écrite dans un autre esprit.

Sur cela néanmoins il reproche à ceux « qui se glorifient d'être très-chrétiens, de conspirer avec les hérétiques, et de souscrire à leur doctrine. »

Sous prétexte de ce péril imaginaire de schisme, il presse le Pape, avec toute l'amertume de son style, « d'en venir aux remèdes les plus efficaces, pour remédier aux maux dont la France est menacée, et de prévenir le schisme, qui va, dit-il, rompre la tunique sans couture de Notre-Seigneur, au sujet des propositions du clergé de France, que les autres royaumes jugent erronées, impies et schismatiques. »

Voilà où pousse les choses un évêque qui fait le zélé pour le saint Siége : mais on voit bien où il tend ; et s'il aimoit le saint Siége, il ne donneroit pas au Pape le violent conseil de sévir contre les plus soumis de tous ses enfants ; et, plus espagnol que chrétien, il ne travailleroit pas à troubler un accord dont le Pape lui-même est content.

IV. — Excès des approbateurs sur la temporalité des rois.

Ses approbateurs sont encore plus violents que lui : mais il en adopte tous les excès en les imprimant à la tête des trois tomes de son ouvrage, et principalement dans le second, comme faisant partie de ses preuves.

On n'a jamais vu d'approbations en cette forme : ce sont pour la plupart de longs traités sur la matière ; et tous sont d'outrés panégyriques de l'auteur, composés par des religieux de son ordre ou de son diocèse, et par d'autres religieux également complaisants pour un archevêque si autorisé, qui avoit été vice-roi du royaume de Valence, et qui est à présent grand inquisiteur de toute l'Espagne.

Ce prélat non-seulement s'y laisse flatter de la vanité d'être de race royale, et d'avoir toutes les qualités dont le cardinal Cajetan compose un prince [1]; mais encore, ce qui n'est pas supportable, il se laisse dire, comme on feroit de « Jésus-Christ, que qui le suit ne marche point dans les ténèbres [2]; et que comme l'Eglise s'écrie, *Heureuse faute d'Adam, qui a mérité d'avoir Jésus-Christ pour rédempteur!* il faut de même s'écrier : Heureuse faute du clergé de France, qui a mérité d'avoir l'illustrissime Roccaberti pour adversaire [3]! »

Pour autoriser cette souveraine puissance sur le temporel de tous les empires du monde, la première approbation que cet auteur fait paroître [4], dit qu'à raison « de cette puissance du droit divin, non-seulement sur le spirituel, mais encore sur le temporel, que les hérétiques tâchent d'ôter au Pape; il est le roi des rois, et le seigneur des seigneurs, absolument et sans aucune restriction; » ce qui n'a jamais été dit que de Jésus-Christ. Voilà ce qu'étale ce prélat à la tête du IIIe tome, où il entreprend d'établir cette puissance absolue sur la temporalité des rois.

V. — Ce que disent les approbateurs sur les priviléges et les libertés de nos rois et de l'Eglise de France.

Ces approbateurs disent ailleurs [5] : « Les François nous opposent des priviléges et des libertés : mais les priviléges, qui sont une défection de la souveraine puissance de la chaire de saint Pierre, ne sont pas des priviléges, mais des iniquités : *Non privilegia, sed pravilegia.* Tout ce qui s'élève dans la maison de Dieu est au-dessous de la chaire de Pierre, et est l'escabeau de ses pieds. Tout ce qu'il y a de juridiction, de grâces, de priviléges et de liberté dans les patriarches, dans les primats, dans les princes, dans les rois et dans les empereurs, ils l'empruntent (*emendicant*), ils le participent, ils le puisent du Pape et de sa parole révocable. » Je ne crois pas qu'on ait jamais dit avec tant d'excès que toute juridiction temporelle et spirituelle émane du Pape, ni que sa parole soit révocable à sa volonté, ce que néanmoins ces mêmes approbateurs confirment, en disant que « le Pape, comme suprême monarque de l'Eglise, peut révoquer, casser et abroger à sa volonté, *pro suo arbitrio*, et annuler tous et un chacun des priviléges et libertés du clergé de France, du peuple et du roi; » sans songer qu'une très-grande partie de ces priviléges et libertés est fondée sur des concordats exprès entre les Papes et le saint Siége, et les rois et le royaume de France. Et néanmoins tout cela est éga-

[1] *Approb. colleg. Salamantic.*, tom. II. — [2] *Approb. Col. Ilerd. Carmel. Discalc.*, tom. II. — [3] *Tom.*, *approb. de Jean de Goyri*, etc. — [4] *Tom.* III *Centura Kler. Monterd.* — [5] *Tom.* II, *appr. Compl. ordine Beat. Mar. de Merced.*

lement abandonné à la volonté du Pape et à *sa parole révocable*; ce qui détruit tous les fondements de la foi publique.

Si c'est là un zèle pour le Pape, ou plutôt un moyen de rendre odieuse la puissance la plus vénérable qui soit sur la terre, et d'empêcher les potentats hérétiques de s'y réunir, on le laisse à considérer aux gens sages et modérés. L'auteur propose cela à la tête de ses ouvrages, comme les preuves de sa doctrine, ainsi qu'il a déjà été remarqué; et tout est si outré, dans ces approbations étalées avec tant de faste, qu'on ajoute à tous ces excès : « Que le Pape ne peut errer dans la foi, même comme personne privée; » ce qui a paru si excessif, que le cardinal Bellarmin et les autres l'ont rejeté.

VI. — Outrages contre la France, et manquement de respect envers le roi dans les approbateurs et dans l'auteur même.

L'auteur se fait partout donner la louange d'avoir exterminé une Déclaration « d'où l'on devoit craindre avec horreur l'extirpation du culte divin, la ruine de la religion, le renversement des royaumes, la dégradation des magistrats légitimes, l'oppression du saint Siége, le mépris du Vicaire de Jésus-Christ, et la révolte contre ce divin monarque de tout le monde, et ce roi des rois[1]. » De si prodigieuses exagérations, et les outrages qu'on trouve partout contre les François, pour relever la gloire de l'auteur, comme de celui qui les abat à ses pieds, font voir dans ces Espagnols, et dans celui *qu'ils entreprennent* de faire valoir, non pas des théologiens qui enseignent sérieusement et gravement, mais des ennemis emportés, qui, sous prétexte d'élever la puissance pontificale, que la France n'a jamais cessé un seul moment de révérer, ne songent qu'à contenter leur aigreur, et à l'inspirer au Pape et à tout le monde.

C'est sur ce fondement qu'ils promettent à l'auteur le chapeau de cardinal, « que les astres et les destins lui doivent[2]; » et on voit bien à quel prix ce prélat le veut acheter.

C'est ce qui lui fait remplir des outrages que nous avons vus contre la France, jusqu'à ses épîtres dédicatoires au Pape[3], où la révérence de sa Sainteté devoit du moins lui inspirer quelque sorte de modération. Sa préface est encore plus injurieuse; et ce prélat y affecte de raconter au long, avec une aigreur extrême, ce qui s'est passé sur la régale[4], matière très-éloignée de son sujet, et sur laquelle on sait que le roi a plus donné à l'Eglise qu'on ne prétend qu'il lui a ôté : en tout cas, il sied mal à un archevêque et à des théologiens de venir avec un esprit d'hostilité troubler une négociation pacifique,

[1] *Loc. mox cit.* — [2] *Approb. Lud. Torr. è societ. Jes.*, tom. II. — [3] *Ep. dédic.*, tom. III. — [4] *Præf.*, tom. I. *N sur la Régale.*

où l'on tâche de concilier les esprits, et de donner au saint Siége toute sorte de contentement par des expédients convenables.

Cependant l'archevêque de Valence et ses approbateurs prennent cette occasion d'imputer au roi tout ce qui est le moins convenable à un si grand prince, dont on sait que le cœur est tout tourné à la piété, à la douceur, et à un respect sincère envers le saint Siége. Quoique cette vérité soit constante, on le représente au Pape et à toute la chrétienté, « comme ayant blessé les clefs de saint Pierre et la puissance ecclésiastique [1] : » et comme s'étant publiquement ligué avec l'ennemi commun de la chrétienté : on lui reproche d'avoir empêché l'empereur *de délivrer la Terre Sainte* [2]; comme si l'on ne pouvoit pas, avec beaucoup plus de raison, reprocher si l'on vouloit, à la maison d'Autriche, d'avoir mieux aimé se liguer avec le parti protestant, et avec l'ennemi le plus déclaré de la catholicité et de la royauté, pour détruire la France, et pour augmenter dans l'Empire la puissance des protestants, que de poursuivre ses victoires contre les infidèles.

Sur ce fondement, un des approbateurs adresse la parole au Pape et à l'empereur, pour les animer contre le roi et contre la France, et pour rendre la guerre immortelle, jusqu'à dire au pape Innocent XII : « Servez-vous de l'occasion qui vous est offerte, pour opprimer les perfides, » c'est-à-dire les François qu'il nomme, dans tout son discours, comme les ennemis du saint Siége.

VII. — Deux brefs du Pape à l'auteur, à la tête du tome II et du III.

On voit donc dans l'archevêque de Valence, et dans les approbations qu'il met à la tête de son livre, un zèle amer contre la France; et quoiqu'on ne doute pas que la grande sagesse du Pape et sa bonté paternelle ne méprise ces déclamations emportées, on ne laisse pas de connoître les desseins ambitieux de ce prélat; et on a même sujet de craindre que les ennemis de la France ne se vantent à la fin, quoique sans raison, d'avoir fait entrer sa Sainteté dans leurs sentiments.

Ce qui pourroit le faire soupçonner, ce sont deux brefs du Pape à cet archevêque; l'un à la tête du tome II, en date *de Rome, à Saint-Pierre, du* 30 *janvier* 1693; et l'autre à la tête du IIIe tome, pareillement en date de *Rome, à Sainte-Marie-Majeure, le* 21 *novembre* 1694; où l'on spécifie expressément le livre qui a été présenté à sa Sainteté de la part de ce prélat, « sur la constance des Papes dans la foi, et sur leur suprême puissance dans la temporalité. »

Quoique le Pape lui donne de grandes louanges, et lui promette

[1] *Tom.* II *Approb. Isid. Aparacii. Gilart etc.* — [2] *N.* « *Sur le Turc.*

dans l'occasion, selon le style ordinaire, des marques de sa bonté paternelle, on voit bien que l'intention de sa Sainteté n'est pas d'approuver le fond de ces livres, mais de louer seulement « la diligence, l'étude, l'affection et le zèle, l'érudition et l'esprit que l'auteur emploie à l'avantage du saint Siége, » qui sont les termes dont ils de sa Sainteté : néanmoins il est fâcheux de voir, à la tête de centaines d'invectives contre un si grand roi, deux brefs du Pape à la louange de celui qui les étale avec tant d'aigreur, et qui ose répandre son venin contre un prince si pieux, dans ses préfaces, et jusque dans les épîtres qu'il adresse à sa Sainteté.

VIII. — Quel remède on peut apporter à ce livre injurieux : trois choses proposées au roi sous son bon plaisir : la première.

Après cela il paroît que Sa Majesté peut faire trois choses : la première, de faire défendre, par un arrêt de son parlement, le débit dans son royaume d'un ouvrage de cette nature *.

On a prononcé souvent des condamnations plus rigoureuses contre des livres semblables, quoique beaucoup moins envenimés, puisqu'ils ne contenoient rien de personnel ; on les a lacérés par la main du bourreau, et condamnés au feu ; on les a flétris par des censures de la Sorbonne, comme il paroît par celle de Sanctarel et des autres. Mais il semble que par sa bonté et par sa clémence, même par une espèce de respect pour les brefs du Pape qui sont à la tête, le roi puisse prendre des sentiments plus modérés.

IX. — Seconde et troisième chose que le roi peut faire.

La seconde chose que le roi peut faire, c'est de faire supplier sa Sainteté qu'elle veuille bien s'expliquer sur l'intention de ses brefs, de peur qu'on n'en étende les louanges jusqu'aux invectives irrespectueuses dont sont remplies les préfaces et les épîtres dédicatoires de l'archevêque de Valence au Pape même.

Il ne paroît pas que le Pape puisse refuser de faire sur ce sujet une réponse et déclaration avantageuse, qu'on pourra trouver moyen de rendre publique.

En troisième lieu, il paroît qu'en tout cas le roi pourroit faire supplier le Pape d'empêcher les Espagnols et tous les autres de traiter la France et son clergé d'hérétiques et de schismatiques, sous prétexte d'opinions que le saint Siége n'a jamais notées d'aucune censure.

Il n'est plus question d'invectiver contre la Déclaration du clergé de France, sur laquelle le Pape est content, et le clergé ne dit mot :

* Le parlement de Paris, conformément à ce qui est proposé dans ce mémoire, rendit un arrêt, le 20 décembre 1695, par lequel il défend de débiter les livres de Roccaberti.

mais sous prétexte de s'y opposer, outrer la censure jusqu'à vouloir qu'on soit hérétique ou schismatique, pour ne pas suivre des sentiments qu'on agite depuis trois cents ans dans les écoles, sans que les Papes les aient notés ou défendus, même pour ne pas reconnoître dans le saint Siége la puissance de déposer les rois et de disposer de leur temporel; c'est un excès si étrange qu'on ne le peut dissimuler.

La France est pleine de gens savants et de plumes très-éloquentes, qui, sans déroger aux droits et à l'autorité du saint Siége, pourroient faire voir l'injustice de ces censures, et montrer à l'archevêque de Valence et à ses semblables leur ignorance et leur emportement. Ils pourroient faire voir aux Espagnols que pour ne pas appeler le Pape *roi des rois sans restriction*, et pour ne pas venir devant lui, comme parle l'un des approbateurs, *l'encens d'adoration à la main*[1], ils n'en savent pas moins défendre *la constance des pontifes romains dans la défense de la foi*, et les autres prérogatives de leur siége. On pourroit aussi relever les excès où les Espagnols, qui font tant les religieux, se sont laissé emporter contre le saint Siége, pour peu qu'ils aient cru être blessés. On n'épargneroit pas l'archevêque de Valence, ni ses vaines dissertations sur le phénix et sur les antipodes, ni le fatras de ses ignorantes et inutiles citations, entassées sans choix et sans jugement. Si l'on ne fait point de justice au roi sur ce sujet, et qu'on permette toujours de condamner la France comme hérétique ou schismatique, quoiqu'il n'y ait aucun royaume où la foi soit défendue plus fortement et plus purement; à la fin il faudra laisser repousser ces outrageux discours, et montrer à nos ennemis qu'ils n'en sont pas plus orthodoxes, mais seulement plus emportés et plus injustes, pour condamner ou de schisme ou d'hérésie tout ce qui ne s'accorde pas avec leurs excès.

X. — Remarques sur ce mémoire, et ce qu'il semble qu'on doit éviter dans cette occasion.

On a tâché de ne rien dire jusqu'ici (sauf le meilleur jugement de Sa Majesté) qui ne paroisse pouvoir être porté au Pape de vive voix et par écrit, par ceux qui sont chargés à Rome des affaires de Sa Majesté, en ajoutant ou retranchant ce que le roi trouveroit à propos par sa prudence, et selon les conjonctures présentes. On se croit après cela obligé de dire plus expressément ce qu'il semble qu'on doit éviter dans cette occasion.

On doit éviter, premièrement, de faire faire une censure de Sorbonne, pour deux raisons : la première, parce qu'il y en a déjà plusieurs sur tous ces sujets : la seconde, parce que ce seroit donner à

[1] *Cens. Complut.*, tom. II.

Rome, sans nécessité, une occasion de querelle; ce qui semble ne convenir pas à la conjoncture présente.

Secondement, il semble encore, pour cette dernière raison, qu'on doit éviter, dans l'arrêt qui se donnera, les termes injurieux de lacérer ou de brûler par main de bourreau. Pour repousser les injures, de simples défenses du débit suffisent; et le Pape ne peut s'en offenser, à cause des invectives et outrages dont le livre est plein.

Troisièmement, on suppose que messieurs les gens du roi, en disant ce qui sera essentiel à l'affaire, sauront éviter par leur prudence les termes qui pourroient causer de l'aigreur.

M. Roccaberti s'étend beaucoup sur des faits particuliers, comme sont celui de la procédure de feu M. l'archevêque de Toulouse, et celui de la condamnation et exécution en effigie du frère Jean Cerle*, et autres de cette nature. On les a mis dans ce mémoire, et on croit, pour de très-bonnes raisons, qu'il n'est pas besoin d'en parler.

Pour ceux qu'on a relevés, comme il pourroit y avoir de l'inconvénient à dissimuler tout à fait des outrages et des invectives publiés avec tant d'apparat, il n'y en auroit pas moins à pousser les choses si loin, que le cours des négociations nécessaires avec le saint Siége en fût retardé.

* Le frère Jean Cerle, chanoine régulier de la cathédrale de Pamiers, et précenteur de cette église, avoit été élu par le chapitre vicaire général du diocèse, le siége vacant par la mort de M. Caulet. La cour étoit alors irritée contre ce chapitre, à cause de son opposition aux droits de régale que le roi prétendoit avoir sur tous les archevêchés et évêchés de son royaume. Ce fut ce qui engagea M. Joseph de Monpezat de Carbon, archevêque de Toulouse, à procéder contre les frères Cerle et Charlas, vicaires généraux : il déclara nulle leur nomination, et nomma en leur place un autre grand vicaire. Le frère Cerle en appela au saint Siége, qui confirma sa nomination. Le parlement de Toulouse, sur les ordres du roi, le condamna à avoir la tête tranchée; ce qui fut exécuté en effigie dans les villes de Toulouse et de Pamiers. (*Edit. Paris.*)

FIN DU SEIZIÈME VOLUME.

TABLE DES MATIÈRES

CONTENUES DANS CE VOLUME.

DEFENSIO

DECLARATIONIS CLERI GALLICANI

DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

LIBER TERTIUS, quo Gregorii VII tempore, res extra Concilia œcumenica gesta referentur; ad caput primum gallicanæ Declarationis.

CAP. I. An Gregorii VII ac secutis decretis ita res confecta sit, ut de eâ ambigere catholicis non liceat : contrarium statuitur certis exemplis et catholicorum omnium consensione : Melchior Canus, Bellarminus, Rainaldus, Perronius testes adducuntur. 1

CAP. II. Gesta sub Gregorio VII, primumque ejus de Henrico decretum. 5

CAP. III. De Gregoriani decreti auctoritate quæritur : paucis repetuntur quæ de ejus novitate dicta sunt. 7

CAP. IV. Qui Gregorio VII Henricum deponenti adhæserint, eos falso fundamento nixos, falso nempe intellectu interdicti de vitandis excommunicatis, idque jam in confesso esse : sancti Gebhardi et aliorum ejus ævi in eam rem sententiæ. 8

CAP. V. Quod nunquam de potestate reges deponendi canon conditus fuerit, nunquam edita professio, nunquam eâ de re pronuntiatum, ac nequidem unquam quæsitum : incœptum à factis quæ deinde ad jus tracta sint. 11

CAP. VI. Quod multi in Germaniâ orthodoxi etiam episcopi à Gregorii VII sententia discreparint : exemplum Trevirensis Ecclesiæ, ac Brunonis archiepiscopi, imperatori deposito omnia jura servantis, etiam ea quæ ad designandos episcopos antiquitus data essent. 14

CAP. VII. Sanctus Otho Bambergensis, sanctus Erminoldus abbas, designationes episcoporum ab imperatore deposito factæ, ab orthodoxis Ecclesiis petitæ et admissæ : quid in iis sedes apostolica et concilium romanum improbant. 16

CAP. VIII. Leodiensis Ecclesiæ egregium testimonium : Leodienses an fuerint schismatici : an in suâ epistolâ falsum aliquid docuerint : cur pro eâ doctrinâ veniam petierint, cùm in communionem recepti sunt. 19

CAP. IX. Quod hæc decreta Gregorii VII, aliorumque pontificum, nullo deliberante aut approbante concilio, tum pessimo exemplo et infelicibus auspiciis facta sint. 22

CAP. X. Philippus I, Francorum rex, excommunicatus, nulla unquam depositionis mentione. 25

CAP. XI. Loci quidam Ivonis Carnotensis per summam inscitiam objecti solvuntur : corona regia regi restituenda in his locis quid sit? Ivonem cum aliis omnibus Francis in obsequio perstitisse : Guillelmi Malmesburiensis locus. 27

CAP. XII. De investituris inter Paschalem II et Henricum V imperatorem : excommunicationes à conciliis latæ : depositio in Rhemensi concilio à solo papâ : facta compositio in Lateranensi I generali sub Calixto II revocatæ depositionis, aut regis rehabilitati nulla mentione. 29

CAP. XIII. Sanctorum Patrum ejus ævi, Anselmi Cantuariensis, Ivonis Carnotensis, Bernardi Claravallensis de imperatorum depositione silentium : locus Anselmi probantis Waleranum Henrico IV deposito, ut regi, adhærentem. 32

CAP. XIV. Ivonis Carnotensis loci quidam expenduntur : exempla memorantur : horum occasione de regaliæ causâ, atque initâ per episcopos gallicanos compositione, actum : de Gratiani decreto quædam afferuntur. 35

CAP. XV. Bernardus Claravallensis abbas : sub Innocentio II, schisma ingens extinctum : libri de Consideratione ad Eugenium III. 36

CAP. XVI. Ejusdem Bernardi allegoria de duobus gladiis : quid ad eam majores nostri responderint obiter indicatur. 40

CAP. XVII. Hugonis de sancto Victore locus ab adversariis objectus. 42

CAP. XVIII. Frederici I res : duplex dissidium : primum cum Adriano IV : quid sit beneficium, quid coronam dare ex Adriani responso? Varius Adrianus : ejus decretum de Insulis. 44

CAP. XIX. Alterum Friderici I dissidium cum Alexandro III. Excommunicatur, deponitur, nec minus agnoscitur pro imperatore, etiam à papâ : excommunicatio, res seria, depositio pro nihilo habetur. 46

CAP. XX. Henrici VI, Friderici filii, excomcatio sine depositione per Cœlestinum III. Item Philippi Augusti regis Francorum, ob repudiatam uxorem, per Innocentium III. Item depositio Othonis IV imperatoris per eumdem Innocentium : bella atrocia, harum depositionum appendix. 48

CAP. XXI. Post imperatores hactenus depositos

primus aliorum regum, Joannes *sine terrâ* Anglus, ab Innocentio III depositus, regno Sedi apostolicæ tradito restitutus; quæ Sedis apostolicæ odio et contemptui vertunt. 48

Cap. xxii. Refertur caput, *Novit*, extrav. de Judiciis : hujus edendi occasio : nihil ad rem : interpretatio necessaria. 51

Cap. xxiii. Bonifacii VIII cum Philippo IV Pulchro, Francorum rege, dissidium : acta Bonifacii rescissa à Clemente V : rex omnesque regni ordines, regni in temporalibus tuentur independentiam. 52

Cap. xxiv. Bullæ *Ausculta fili*, et *Unam sanctam*, expeduntur. 58

Cap. xxv. Reliqua Bonifaciani dissidii acta : gallicana intacta : Bonifaciana à successoribus antiquata. 61

Cap. xxvi. Joannis XXII successorumque acta adversùs Ludovicum Bavarum imperatorem summatim referuntur, nec ad nostram questionem pertinere ostenduntur. 64

Cap. xxvii. De Navarræ regno Hispanis tradito : item de Joannâ Albretanâ, hæreseos crimine, sub privationis pœnâ Romam à Pio IV evocatâ, quod Galli improbarint ac prohibuerint. 66

Cap. xxviii. Sixti V et Gregorii XIV decreta in Henricum IV, Navarræ, ac postea Francorum et Navarræ regem, quoad temporalia nullo loco habita : à Clemente VIII absolutio eidem Henrico IV nullâ rehabilitationis mentione, ut regi impertitur : obiter notatur, qui adversùs Declarationem gallicanam de *Libertatibus gallicanis* scripsit anonymus. 67

LIBER QUARTUS, quo à Gregorii VII temporibus res in conciliis œcumenicis gestæ referuntur : ad caput primum gallicanæ Declarationis.

Caput primum. Canon xxvii concilii Lateranensis III, sub Alexandro III, quo pœnæ temporales adversùs hæreticos decernuntur : ibi distinctio notabilis, eorum quæ Ecclesia per se, et eorum quæ gerat principum adjuta constitutionibus : hinc lux huic et aliis ejusdem generis secutis canonibus : his decretis principum consensus intervenire solitus : hinc quoque certa illis auctoritas. 71

Cap. ii. Concilii Lateranensis IV, canon iii, sub Innocentio III, quod ad pœnas temporales attinet, ejus est generis, in quo Ecclesia consensu et constitutionibus principum adjuvatur : principes, facilè comprobabant quæ adversùs hæreticos ab Ecclesiâ sancirentur. 73

Cap. iii. Antiquorum imperatorum leges, quibus Ecclesia juvabatur ad pœnas temporales adversùs hæreticos, in conciliis Lateranensibus III et IV, decernendas. 75

Cap. iv. Ex historiis demonstratur quæ de feudis aliisque temporalibus, ecclesiasticâ auctoritate gererentur, principium concessione et consensione valuisse. 76

Cap. v. Ecclesiastica potestas multa sibi vindicavit civilia, sacra bella religionis causâ, sive cruciatæ aliæ ejusmodi occasiones, S. Ludovici de Philippo Augusto avo insigne testimonium : tacitæ consensionis exceptio utique ordini ad sua jura explicanda necessaria est : utriusque potestatis sancta societas : Petri Damiani repetitur locus. 78

Cap. vi. De Friderico II deposito : sub Gregorio IX acta : excommunicatus, deinde depositus, à S. Ludovico et Gallis pro imperatore est habitus : concilium œcumenicum à Gallis requisitum, à Gregorio IX Romam convocatum. 84

Cap. vii. Quæ sub Innocentio IV, Gregorii IX successore, gesta : concilium Lugdunense I : in eo acta; atque ex his et antè dictis, argumenta contrà nos. 84

Cap. viii. Solutio objectorum præcedentis capitis : duo quædam notatu digna : depositio edita, sacro præsente concilio, non sacro approbante concilio, ut aiunt. 85

Cap. ix. De statu imperii romano-germanici quædam quæ ad objectorum solutionem spectant. 86

Cap. x. Constantiensis et Basileensis decreta : Sigismundi imperatoris in synodo Constantiensi imperiale decretum : ejusdem imperatoris; de romano-germanici imperii principibus, declaratio. 90

Cap. xi. Concilium Lateranense V sub Julio II. De concilii Tridentini decreto sessionis xiv, capite xix de Reformatione, quid nostri, etiam curiæ romanæ addictissimi, senserint. 94

Cap. xii. Nostri sæculi gesta ultimo loco reservata : dissidium Venetum, sub Paulo V, Henrici IV Magni operâ compositum. 96

Cap. xiii. Cardinalis Bellarmini libri adversùs Barclaium : senatûs decretum, antiquis ejusdem senatûs decretis congruum, quas sacra Facultas susceperit : regii concilii decretum, Perronii cardinalis operâ. 99

Cap. xiv. Conventus ordinum regni 1614. Articulus propositus à tertii ordinis deputatis : cur clerus obstiterit, adjunctâ nobilitate : Perronii cardinalis oratio quatenus à clero probata : an hæc novissimæ cleri gallicani Declarationi noceant? 100

Cap. xv. In Perronii cardinalis oratione ad tertium ordinem annotata quædam : ejus dicta confutantur : acta laudantur : hujus controversiæ finis. 102

Cap. xvi. Censura Sanctarelli. An cardinalis Perronius jure metueret, ne Ecclesia eorum videretur, si censurâ notata esset illa de deponendis regibus sententia. 105

Cap. xvii. Recapitulatio dictorum ad caput I gallicanæ Declarationis de temporalis potestatis supremâ auctoritate : an, quod cardinalis Perronius objecit, nostram sententiam romani Pontifices pro erroneâ habuerint? An ab illis conciliis damnata sit? An aliquis ex eâ adversùs Ecclesiæ auctoritatem metus? 108

Cap. xvii. De regibus propter hæresim et apostasiam deponendis : cur ætate postremâ multi reges consenserint? cur scholastici doctores? cur ab eâ sententiâ discedamus? 110

Cap. XIX. Anonymi auctoris, qui tractatum de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ edidit, liber IV ex antedictis confutatur. 112
Cap. XX. Reliqua anonymi argumenta soluta paucis: ac primùm quæ ad Scripturam. 115
Cap. XXI. Argumenta anonymi deprompta ex antiquitate: tum ex scholasticis et canonistis. 118
Cap. XXII. Anonymi argumenta ex consensu regum, et sanctorum exemplis. 119
Cap. XXIII. De angliccanâ controversiâ: conclusio tractationis ad caput I Declarationis gallicanæ: doctrinam hanc Ecclesiæ catholicæ ornamento, aliam invidiæ esse. 122

PARS SECUNDA; in quâ de conciliis Constantiensi et Basileensi, et consectaneis agitur.

LIBER QUINTUS, de concilio Constantiensi; ad caput secundum Gallicanæ Declarationis.

Caput primum. Refertur Declarationis caput II: hujus libri scopus: synodum Constantiensem Sedi apostolicæ nunquam infensam aut suspectam fuisse. 129
Cap. II. Constantiensis concilii laudata decreta, ex sessionibus IV et V referuntur: censores nostros, atque etiam ipsum auctorem tractatûs de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, nec synodi verba attendisse, nedum intellexerint. 130
Cap. III. Ordo disputationis hujus: censores nostri tria objiciunt: primum quidem de textu; alterum de sensu ac mente; posterum de auctoritate decretorum Constantiensium. 133
Cap. IV. Novum Emmanuelis Schelstrati de textûs falsatione commentum. 134
Cap. V. Schelstrati, de falsatâ sessione IV Constantiensi, fabula confutatur: probitas Patrum Basileensium omnium scriptorum consensu asseritur; B. Ludovici Alamandi, ejus cœtus principis, eximia sanctitas. 136
Cap. VI. Sessionis V, quâ potissimùm utimur, lectionem, neque in dubium revocari posse, neque unquam in dubium revocatam. 140
Cap. VII. Ad sensum Constantiensium canonum constituendum, præmittitur brevis historia schismatis: ex ipso schismate fidei periculum, Sedis apostolicæ contemptus; morum corruptela, ac necessaria reformatio. 143
Cap. VIII. Tria schismati quæsita remedia: concilium œcumenicum necessarium: Ecclesia gallicana ab Odorico Rainaldo vicefismi accusata, propter subtractam simul obedientiam et annatas. 147
Cap. IX. Nullum remedium nisi in conciliorum generalium superiore potestate: an ea sit agnita in causâ schismatis tantum, an ideo collata ad schismatis causam, quod in aliis quoque causis prævalere soleret? 149
Cap. X. Concilium Pisanum ab utrinque obedientiæ cardinalibus convocatum, quo jure? Ejus concilii acta. 151
Cap. XI. Confirmatur assertum illud: quòd pro-cessus Ecclesiæ catholicæ et Pisani concilii, superiore conciliorum, etiam extra schisma, in summis quibusque negotiis, auctoritate nitatur: quibus fundamentis concilii Pisani decreta nitantur. 153
Cap. XII. An sine temeritate concilii Pisani auctoritas rejici possit. 157
Cap. XIII. Ad Constantiense concilium deveniatur: ejus causæ atque initia referuntur: rerum series usque ad sessionem V: hanc confutati qui ad schismatis tempus decreta restringunt. 161
Cap. XIV. Vana suffugia, ex ipso concilii scopo ac verbis, confutantur. 163
Cap. XV. Ex sessione VIII concilii Constantiensis, sessionis V sensus asseritur. 167
Cap. XVI. Mens sessionis V, ex capite *Frequens*, et ex capite *Si verò*, sessionis XXXIX demonstratur. 169
Cap. XVII. Idem demonstratur ex aliis capitibus sessionis XXXIX: Schelstrati et aliorum suffugia præcluduntur. 171
Cap. XVIII. Idem demonstratur ex sessione XL, et octodecim tum propositis reformationis articulis. 172
Cap. XIX. Recapitulatio eorum quæ de mente concilii dicta sunt: solutio objectorum cap. III. 174
Cap. XX. Sessionibus IV et V æquè ac reliquis concilii œcumenici auctoritas constat: an valeat Bellarmini responsio, earum sessionum decreta, à Florentinâ et Lateranensi synodis antiquata? 175
Cap. XXI. An sessionum IV et V dubia sit auctoritas, quòd duæ obedientiæ defuerint? An Joannis XXIII obedientia tertia pars Ecclesiæ fuerit? An Joannes XXIII aut alii sessionibus IV et V contradixerint? Joannis Turrecrematæ et Joannis Gersonis loci. 176
Cap. XXII. Quòd inter catholicos certum sit, concilium Constantiense jam inde ab initio, et ante edenatas obedientias fuisse œcumenicum: bulla *Inter cunctas* à Martino V, *sacro approbante concilio*, edita Constantiæ. 179
Cap. XXIII. An novæ concilii convocationes, Gregorii et Benedicti obedientiis Constantiam advenientibus, pacis studio factæ, antecedentium sessionum auctoritatem infringant? Ac primùm de suscepto Gregorio, sessione XIV. 181
Cap. XXIV. Exemplum singularis, in ejusdem schismatis casu, indulgentiæ et condescensûs. 183
Cap. XXV. De sessionibus XXII, XXVI, XXV, quibus Aragonenses, Navarrici et Castellani suscepti sunt. 185
Cap. XXVI. Ex ipsâ rerum serie antedicta confirmantur. 187
Cap. XXVII. Antiquæ Ecclesiæ exemplis concilii Constantiensis œcumenicitas asseritur. 189
Cap. XXVIII. Objectio ex defectu confirmationis petita dissolvitur. 192
Cap. XXIX. An sessionum IV et V decreta iis accenseri debeant, quæ Martinus V, ut *conciliariter* facta, confirmavit. 194
Cap. XXX. Bellarmini sensus explicatur: an

sessionum IV et V decreta sine examine debito processerint. 195
Cap. XXXI. An illa formula, *sacro approbante concilio*, Papam concilio superiorem probet. 196
Cap. XXXII. Prædicta responsa de dubio Pontificæ etsi valeant, non tamen adversarios expeditos esse, ac Parisiensium ex Constantiensi canone vigere sententiam. 199
Cap. XXXIII. Emmanuelis Scholstrati objecta, à codicibus manuscriptis petita, solvuntur circa sessionem IV. 202
Cap. XXXIV. Quæ in Scholstrati manuscriptis sessionem V spectent. 204
Cap. XXXV. Francisci Zabarellæ cardinalis Florentini doctrina de superiori etiam in reformationis negotio concilii potestate. Corollarium de dissensionibus Constantiensibus à Scholstrato memoratis. 206
Cap. XXXVI. Alia Scholstrati ex manuscriptis codicibus objecta solvuntur : an aliquid contra nos concludatur ex eo quòd reformatio ad id tempus dilata sit, quo papa electus esset. 209
Cap. XXXVII. Alia objectio Scholstrati circa sessionem XIV concilii Constantiensis. 212
Cap. XXXVIII. Postrema objectio Scholstrati, de sublato decimo-tertio reformationis articulo. Bulla Martini V, de non appellando ad concilium, suum in locum remittitur. 214
Cap. XXXIX Confirmatio argumentorum pro auctoritate Constantiensis concilii : multa in eamdem rem Martini V et Eugenii IV acta usque ad Basileense concilium. 215

LIBER SEXTUS. De Basileensi, aliisque secutis Synodis ac gestis, quibus Constantiensia decreta confirmentur.

Caput primum. Duo dissidia Basileensia distinguuntur : res in primo dissidio gestæ. 219
Cap. II. Ex antedictis Constantiensia dogmata confirmantur. 225
Cap. III. Confirmantur argumenta capitis præcedentis : insigne Eugenii IV ad universos fideles diploma refertur. 227
Cap. IV. Turrecrematæ et Rainaldi aliorumque suffugia. 228
Cap. V. De secundo Basileensi dissidio : quid ab initio reconciliatæ gratiæ, usque ad secundi dissidii initium, à synodo gestum sit per biennium. 232
Cap. VI. Quid per idem tempus ab Eugenio IV sit gestum 234
Cap. VII. Dissidii causa ex gestis : quæstio proponitur, an Constantiensia decreta revocata in publicum. 237
Cap. VIII. Ex actis ab Eugenio IV adversùs Basileenses, in Ferrariensi queque seu Florentino concilio editis, probatur priora Basileensia, quibus Constantiensia confirmantur, integrâ auctoritate esse. 239
Cap. IX. Decretalis *Moyses*, in synodo Florentinâ edita, priora Basileensia et Constantiensia decreta firmat. 241
Cap. X. An decretum unionis Florentiæ editum, Constantiensia decreta antiquarit. 244
Cap. XI. De vero sensu eorum verborum decreti unionis : Quemadmodum etiam in cæteris œcumenicorum conciliorum continetur. 248
Cap. XII. An Constantiensibus decretis, ut conciliari potestati nocent, quòd Ecclesiæ pars maxima, ac præsertim Galli, Eugenio Basileæ damnato ac deposito obedirent. 250
Cap. XIII. Nobilissimæ Universitates, pariter Constantiensium canonum auctoritatem, Basileensi synodo adhæsisse. 253
Cap. XIV. Mors Eugenii IV : Nicolaus V succedit; pax composita, immotis decretis Constantiensibus : concilii Basileensis antipapani, abdicato tantùm Felice, nullâ doctrinæ retractatione, pro orthodoxis habiti. 255
Cap. XV. Quæstio de translatione, qualis habita in Basileensi et secutis synodis : de Constantiensibus decretis nullum superesse dubium : Joannis de Paradiso Carthusiani libri de rebus Basileensibus. 259
Cap. XVI. Petri Meldensis episcopi ad Eugenium IV, Caroli VII nomine, gesta legitò : an Odorico Rainaldo eam objicienti posit? 262
Cap. XVII. Bulla retractationis Pii II, ad Coloniensem Academiam, Constantiensia decreta confirmat, Basileensia tantùm posteriora damnat. 264
Cap. XVIII. An Lateranensi synodo, sub Leone X, Constantiensia decreta abrogentur? quantis auctoritatibus hæc firma sint : cur Patres gallicani priora Basileensia gesta in Declaratione suâ exprimenda non putaverint. 267
Cap. XIX. An Constantiensibus decretis ulla sententia ad fidem catholicam pertinent? 270
Cap. XX. An ea, quam vocant Parisiensium sententiam, occasione schismatis emersa sit : acta in Joannem de Montesono, anno 1387. 272
Cap. XXI. Facultatis articuli adversùs Joannem Sarrazinum prædicatorem, paulò post Constantiense concilium, ac Martino V sedente. 275
Cap. XXII. Pergit Facultas Parisiensis cohibere mendicantes post Basileense dissidium ac pacem : Facultas in priscâ sententiâ : decreta, vigente Pragmaticâ-sanctione. 277
Cap. XXIII. Post abolitam Pragmaticam-sanctionem, eadem doctrina apud nostros. 282
Cap. XXIV. Acta Parisiis apud prædicatorem, Edmundo Richerio syndico anno 1611. 283
Cap. XXV. Edmundi Richerii liber de *ecclesiasticâ et politicâ Potestate* : aulicæ artes : acta Facultatis : episcopales censuræ : quæ fundamento nixæ : de priscâ sententiâ nihil motum. 284
Cap. XXVI. Acta Facultatis adversùs Marcum Antonium de Dominis et Theophilum Molleterium : item de Ludovico Cellotio ac Francisco Guillovio. 286
Cap. XXVII. Articuli Facultatis ad Ludovicum Magnum allati : censuræ Vernantii et Guimenii; Alexandri VII bulla : propositio Sorbonicensis, ejusque censura. 291
Cap. XXVIII. An sententia de potiore concilii potestate, regum juribus ac potestati nocet. 294

Thomæ Corvellini responsum : propositio Joannis Hussi in Constantiensi concilio condemnata. 294

PARS TERTIA. De Parisiensium sententiâ ab ipsâ christianitatis origine repetenda.

LIBER SEPTIMUS. Conciliorum generalium traditio.

CAPUT PRIMUM. Infallibilitas, quibus verbis ab antiquis explicetur, ubi sita sit quæritur. 297

CAP. II. Sententia Parisiensium res inter judicatas reponenda, ex dictis de concilio Constantiensi. ib.

CAP. III. Alia modernorum quorumdam cavillatio confutatur : ostenditurque, ex ipsis concilii Constantiensis verbis ac gestis, Papam non modò teneri conciliaribus de fide decretis jam factis, sed etiam in quærendo et tractando, in concilii potestate esse. 298

CAP. IV. Aliæ cavillationes ; Papam subjici quidem concilio in fidei quæstionibus, sed tantùm postquam se illi sponte submisit : tum esse quidem illum per sese infallibilem, si non adsit concilium, sed præsente concilio, jam illi subesse. 300

CAP. V. An concilii Constantiensis judicium antiquâ traditione nitatur : præmittimus quædam, ex Vincentio Lirinensi, de Ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusæ auctoritate : hinc valere concilia œcumenica : duplex ratio agnoscendæ ecclesiasticæ consensionis, ac finiendarum fidei quæstionum ; altera per concilia œcumenica ; altera sine conciliis œcumenicis : utraque suo ordine tractanda suscipitur : à primâ ordinur : atque octo primorum conciliorum generalium traditionem ac praxim explicare incipimus. 301

CAP. VI. Concilium apostolicum Hierosolymis habitum de legalibus, ut omnium conciliorum generalium forma proponitur : perpenditur illud ; VISUM EST SPIRITUI SANCTO ET NOBIS : vis Spiritûs in ipsâ consensione posita : in eam rem egregia concilii V, ac sancti Cœlestini papæ in concilio III, auctoritates. 303

CAP. VII. Concilii Nicæni primi decreta adversùs arianos, ipsâ Patrum consensione valuerunt, nullo antè gestam, nullo post gestam synodum Sedis apostolicæ speciali decreto : in eo concilio ipsius consensionis auctoritate tres præcipuæ finitæ quæstiones : ad sedem apostolicam communis decreti executio pertinet. 306

CAP. VIII. Constantinopolitana prima synodus, secunda generalis, in medium adducitur : ex eâ demonstratur quæstiones fidei solâ Ecclesiarum consensione finitas. 308

CAP. IX. Ad Ephesinam synodum devenimus : referuntur ea quæ synodum præcesserunt, demonstraturque a sancto Cœlestino papâ totâ Sedis apostolicæ auctoritate in Nestorii hæresim ac personam pronuntiatum fuisse : an tale judicium pro irreformabili sit habitum : quæstio ex actis postea dissolvenda. 309

CAP. X. Dicta à Cœlestino papâ de fide, totâ Sedis apostolicæ auctoritate, sententia concilii universalis mentione et convocatione suspenditur : id canonicè et ordine factum omnes episcopi et Papa ipse confitetur. 311

CAP. XI. Acta synodi Ephesinæ recensentur : ejus actio prima probat synodus omnia quæ à Cœlestino decreta essent in suspenso manere, usque ad synodi sententiam : quæ de fide gesta sunt referuntur, ostenditurque prolatum à Papâ judicium ad examen legitimum falsè revocatum. 312

CAP. XII. Continuatio actionis primæ concilii Ephesini : quæ circa Nestorii personam à Cœlestino papâ decreta essent, ad synodale examen et ipsa revocantur, nec nisi quæstione habitâ comprobantur. 314

CAP. XIII. Gesta actionis secundæ quibus præcedentia comprobantur : quid sit confirmare decreta, stylo ecclesiastico, ex gestis demonstratur : in synodi examine atque judicio quæstionis finem non modò sacra synodus, sed etiam legati apostolici, atque ipse etiam papa Cœlestinus agnoscunt. 316

CAP. XIV. Ephesinæ synodi praxis quâ doctrinâ nitatur : episcoporum auctoritas in apostolis instituta : iis omnibus fidei depositum in commune traditum, et communi curâ custodiendum : apostolici in Hierosolymis concilii auctoritas in secutis conciliis : hæc ex Cœlestini epistolâ Ephesi lectâ, quâ confutantur ii, qui docendi auctoritatem à Papâ in episcopos manare contendunt. 319

CAP. XV. Chalcedonensis concilii quarti generalis acta proponuntur ; referuntur ea quæ antecesserint : ex iis demonstratur, etiam in fidei causis, post romani Pontificis judicium, à totâ Ecclesiâ ipsoque romano Pontifice plenius ac majus, jamque irrefragabile judicium expectari. 321

CAP. XVI. In Chalcedonensi concilio duo ad rem faciunt ; alterum, Dioscori patriarchæ Alexandrini ; alterum, examen epistolæ Leonis : hic de Dioscoro : demonstratur in causis, quæ universalem ecclesiam spectant, in ipsâ consensione vim summam et indeclinabilem esse repositam. 323

CAP. XVII. Alterum caput in synodo Chalcedonensi tractatum de expositâ fide : sancti Leonis epistola non nisi facto examine comprobata : Gallorum et Italorum ante Chalcedonense concilium, de recipiendâ Leonis epistolâ, litteræ ejusdem spiritûs referuntur : decretum apostolicæ sedis, non nisi consensione Ecclesiarum, irretractabile fieri, christiani omnes et ipse Leo confitentur. 325

CAP. XVIII. Adversariorum effugia : Bellarminus et Baronius diversa sectantur : aliorum cavillationes de Theodoreto in sedem restituto agitur, ex eoque facto nostra sententia confirmatur. 328

CAP. XIX. Concilium quintum generale, seu Constantinopolitanum II, in medium adducitur : in eo referuntur tertiæ et quartæ synodi acta, jam à nobis recensita ; et clarè docetur romanorum Pontificum, ut et alio-

rum scripta, non nisi inquisitione facta à synodis comprobari : unde trium simul synodorum œcumenicarum auctoritas nostram sententiam firmat. 332

Cap. xx. Synodus v invitato ac repugnante Vigilio papâ habetur : ejusdem Vigilii Constitutum solvit : Ibæ epistolam ipsius sententiâ ab hæresi absolutam, impiam et hæreticam judicat : à romanis Pontificibus comprobatur. 333

Cap. xxi. In synodo VI generali, quæ Constantinopolitana est III, causa Honorii papæ per synodum condemnati : tria effugia proponuntur : quæstiones aliquot ex actis suo ordine resolvendæ : brevis monothelitarum historia præmittitur. 335

Cap. xxii. Honorius, Cyri Alexandrini et Sergii Constantinopolitani scripta dogmatica, in sextâ synodo condemnata, directè probat : Sophronimi Hierosolytamitani ab eâdem sextâ synodo, atque ab omnibus orthodoxis comprobata improbat : ejus legatos à veritate deterret : consultus à tribus patriarchis prava rescribit : ejus litteræ toto Oriente vulgatæ : his monothelitæ præcipuè nitebantur : an hæc pro privato doctore scripserit ? eæ epistolæ dogmaticæ habentur, hoc est, decretales : dogmatis nomen explicatur : confutantur effugia. 336

Cap. xxiii. Bellarmini ac Baronii effugium : quòd hæc Honorius dispensatoriè pacis gratiâ scripserit, quoad rem exactiùs definiret : id ipsius Honorii verbis confutatur, doceturque Honorium cum monothelitis, à romanis Pontificibus, ac præsertim à sancto Martino, presso licèt nomine, condemnatum. 339

Cap. xxiv. De synodo VI generali : ea post romanorum Pontificum, atque imprimis sancti Martini, exquisitissimas definitiones est habita : in eâ de sancti Agathonis, totiusque Occidentalis synodi litteris rite deliberatur : quo sensu synodus suscipiat, quæ à sancto Agathone de Sede apostolicâ prædicantur. 341

Cap. xxv. Sextæ synodi in Honorium dictæ sententia : ejus sententiæ frequens repetitio : cur synodus eum damnatum voluerit, quem romani Pontifices excusare videantur. 343

Cap. xxvi. Actio falsi intentata synodalibus gestis, ac duabus Leonis II epistolis, temeraria et absurda ; repugnantibus omnibus scriptoribus, actisque publicis. 345

Cap. xxvii. Potissimum argumentum falsitatis ex Agathonis epistolâ ductum : quàm vanum illud sit : Agatho et Leo II inter se componuntur : etsi Honorius de fide pravâ docuerit, haud minùs Ecclesiæ romanæ permanere inconcussam fidem. 350

Cap. xxviii. Quæstio de Honorio concluditur ; atque, utcumque illius res se habent, invictum manet ex his petitum argumentum. 354

Cap. xxix. Patres Toletani concilii XIV synodum VI pro œcumenicâ non habent, eò quod Hispani ad eam vocati non essent ; neque eam probant nisi facto examine, tametsi à Leone II probatam constitisset. 355

Cap. xxx. Synodus Nicæna II, [illegible] VII, more antecedentium [illegible], de Adriani I litteris quæstionem [illegible] egregius, quo eadem synodus [illegible] ineluctabilem, in Ecclesiæ [illegible] censione esse positam. [illegible]

Cap. xxxi. Galli synodum VII [illegible] II, Adriano præside habitam, [illegible] nicâ non habent, eo quòd ad [illegible] nec alii Occidentales vocati [illegible] eâ de re Jacobi Sirmundi locus [illegible] Pontificum de Gallis sententia. [illegible]

Cap. xxxii. Synodus VIII [illegible], Constantinopolitana IV, [illegible] romanorum Pontificum judicio [illegible] : traditam sibi à Christo, ut et [illegible] Ecclesiæ ligandi ac solvendi potestatem [illegible] et exercet : post synodi judicium, [illegible] appellatio, nulla alia spes est. [illegible]

Cap. xxxiii. Concluditur [illegible] primorum conciliorum [illegible] tum : eorum acta adversarii [illegible] videntur : sancti Gelasii et [illegible] locus de irretractabili ecclesiasticorum judiciorum auctoritate. [illegible]

Cap. xxxiv. Alia concilia [illegible] narantur : in iis perstitit [illegible] summæ quæstiones ad concilia [illegible] referrentur, nec Pontifex decrevit, [illegible] approbante concilio : [illegible] prima Lateranensia œcumenica [illegible] Calixto II, sub Innocentio II, [illegible] Innocentio III ; et Lugdunense [illegible] Innocentio IV. [illegible]

Cap. xxxv. Concilium generale [illegible] II, sub Gregorio X, de [illegible] Græcis : hujus acta præcipua [illegible] [illegible]

Cap. xxxvi. Decretum concilii [illegible] II de Papæ auctoritate [illegible] ditur nihil favere adversariis. [illegible]

Cap. xxxvii. Idem ex Graecorum, [illegible] licensi et Florentinâ synodis [illegible] niique papæ ac Latinorum [illegible] ditur. [illegible]

Cap. xxxviii. Viennense concilium [illegible] mente V : ejus ævi scriptor [illegible] mus Mimatensis episcopus, [illegible] à Papâ jussus de habendo concilio, [illegible] quid senserit. [illegible]

Cap. xxxix. Lateranensis synodus [illegible] II : ex eâ conciliorum necessitas [illegible] ritas. [illegible]

Cap. xl. Post Lutheranam [illegible] generalis habendi necessitas [illegible] adeoque à romanis Pontificibus [illegible] eâ re concilium Tridentinum [illegible]

LIBER OCTAVUS. Solvuntur [illegible] quædam, ac præsertim [illegible] conciliorum confirmatione [illegible] idem caput quartum [illegible] rationis.

Caput primum. Objectio de [illegible] mano Pontifice synodis [illegible] nitur : hujus dissolvendæ ratio [illegible] explicatur. [illegible]

Cap. ii. Quid sit confirmare, ecclesiastico stylo, et quid auctoritas invehat: confirmari decreta non modò ab æqualibus, sed etiam ab inferioribus passim : tum speciatim explicatum non modò à romanis Pontificibus conciliaria decreta, sed et à conciliis etiam particularibus romanorum Pontificum decreta confirmari. 378

Cap. iii. Quid in confirmandis conciliis gestum sit : Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina synodus ; nihil in his de illâ, quam quærimus, confirmatione actum : de Ariminensi synodo ; de epistolis Eutherii et Helladii ad Sixtum III, adversùs Ephesina decreta : Christiani Lupi vanæ notæ. 382

Cap. iv. De Ephesino latrocinio : quid Leo egerit : ut ultimam sententiam futuræ universali synodo reservarit. 385

Cap. v. A Chalcedonensi synodo nullam in fidei negotiis confirmationem petitam : cujus modi sit ea, quam sanctus Leo ultro dederit. 387

Cap. vi. Quintum, sextum, septimum, octavum concilium. 388

Cap. vii. Reliquæ synodi usque ad Tridentinam. 390

Cap. viii. De canonibus conciliorum generalium à Sede apostolica confirmatis vel infirmatis : Constantinopolitani canones, præsertim iii ; Chalcedonenses, ac præsertim xxviii. 391

Cap. ix. Recapitulatio eorum, quæ de confirmatione ex conciliorum actis dicta sunt : hinc confutantur allati à quibusdam recentioribus pontificiæ confirmationis effectus : Ecclesiæ consensus, quatenus ultima synodi bene gestæ testificatio : sancti Gelasii locus. 394

Cap. x. Andreæ Duvalii de confirmatione sententia confutatur ; nempe quòd ante eam conciliorum anathemata valeant, tantùm sub spe ratihabitionis futuræ : concilii octavi locus egregius. 396

Cap. xi. Ex antedictis resolvitur illud, duodecim sæculis inauditum ; quòd episcopi jurisdictionem omnem à Papâ mutuentur ; quòdque Papæ assistant, ut conciliari tantùm, non ut judices. 398

Cap. xii. Quo sensu dictum sit ab antiquis, à Petro et per Petrum esse episcopatum : sancti Augustini locus. 399

Cap. xiii. Patres ante Augustinum : alii Augustini loci : traditio sequentis ætatis. 401

Cap. xiv. Cleri gallicani ab antiquâ traditione ducta sententia : conventûs generalis anni 1655 adversùs Joannem Bagotium acta memorantur. 404

Cap. xv. Auctoris anonymi, de jurisdictione episcopali à summo Pontifice profectâ, vanæ commentationes : sancti Gregorii loci : Bellarmini objectio : sancti Felicis III locus. 406

Cap. xvi. Loci sancti Joannis Chrysostomi, à novissimo auctore anonymo objecti. 409

Cap. xvii. Alius Chrysostomi locus, in Acta apostolorum. 412

Cap. xviii. Sancti Augustini locus ab eodem anonymo objectus, contra conciliorum auctoritatem indeclinabilem. 414

Cap. xix. Alii loci Augustini ab eodem objecti : an Papa Ecclesiam catholicam repræsentet. 416

Cap. xx. Repetuntur et urgentur quæ pro Parisiensium sententiâ, ab auctoritate et convocatione conciliorum generalium dicta sunt : confutantur vana suffugia : Bellarmini etiam responsionibus antedicta firmantur. 417

LIBER NONUS. De quæstionibus præsertim fidei, extra concilia generalia, per consensum Ecclesiæ definitis.

Caput primum. Consensionis universalis vis et auctoritas ante omne judicium ecclesiasticum : multò major, cùm romanis Pontificis decreta nullo reclamante, obtinent. 423

Cap. ii. Locus Augustini de Pelagianis, Causa finita est : quænam illæ causæ sint, quæ sine synodis finitæ intelligantur : duo Actorum loci comparantur : causæ Pelagianæ status ex Augustino : sufficiens judicium eidem Augustino quid sit : Capreoli Carthaginensis locus : concilii Ephesini de Pelagianis decretum. 425

Cap. iii. Quæ causæ sine synodo finiri possint, quæ finiri non possint, ex sancto Augustino, et quæstione rebaptizationis, ostenditur. 430

Cap. iv. Sancti Stephani papæ contra rebaptizationem decretum, totâ Sedis apostolicæ auctoritate factum, et tamen concilii generalis sententiam meritò expectatam : sancti Augustini loci. 431

Cap. v. Non tantùm perticaces, sed sancti post papale decretum, aliud quid desiderant. 432

Cap. vi. Quæstionis rebaptizationis à Cypriano et asseclis inter adiaphora non fuisse repositam. 433

Cap. vii. An Augustinus aliique Patres eam quæstionem inter adiaphora habuerint. 434

Cap. viii. Quid objiciant qui hæc referunt inter adiaphora : Firmiliani et Basilii locus. 436

Cap. ix. Quæ sit illa synodus universalis quàm in hâc quæstione Augustinus memoret : Nicænam eam esse ; sed, utcumque sit, nostra immota esse. 437

Cap. x. Non tantùm fidei causa, sed etiam aliæ quæ universalem spectarent Ecclesiam ab universali concilio retractandæ, nec nisi consensione orbis finitæ esse creduntur : causa Cæciliani : sancti Augustini locus. 438

Cap. xi. Causa sancti Joannis Chrysostomi. 439

Cap. xii. Decreta adversùs origenistas : Theophilus Alexandrinus sanctum Anastasium papam præit, ac Romam ipsam liberat in consensione vis posita : sancti Hieronymi loci. 440

Cap. xiii. Turbæ post Chalcedonensem synodum : de iis seorsim per encyclicas epistolas Ecclesiæ responsa mittuntur : communi consensione quæstiones finiuntur. 441

Cap. xiv. Sancti Simplicii papæ locus de decretis apostolicis irrefragabilibus Ecclesiæ universalis assensu. 442

Cap. xv. Sancti Gelasii locus, in epistolâ ad episcopos Dardaniæ.

CAP. XVI. Propositio, UNUS TRINITATIS CRUCIFIXUS; à Scythis monachis Constantinopoli agitatur : monachi Hormisdam consulturi pergunt : professio Justiniani, eâdem de re romanum Pontificem consulentis, pro ejus infallibilitate objicitur. 445

CAP. XVII. Viri boni sanctique consulendos decent per orbem terrarum episcopos : quæstionis finem ab Ecclesiæ universalis auctoritate expectandum. 447

CAP. XVIII. Sancti Hormisdæ epistola ad Possessorem, quâ Scythæ monachi condemnantur ; illi Ecclesiæ catholicæ sententiam expectant : eorum propositio vincit : non nisi Ecclesiæ universalis sensione quæstioni finis imponitur. 448

CAP. XIX. Formulæ consulendi romani Pontificis, rei gestæ serie, ac Patrum traditione explicatur. 451

CAP. XX. Quæstio Elipandi de Christo adoptivo Dei Filio, romani Pontificis, et Ecclesiarum consensione finitur : particula FILIOQUE per eadem ferè tempora Symbolo addita. 453

CAP. XXI. Tricassina secunda synodus sub Joanne VIII : professio obedientiæ romano Pontifici facta secundùm canones ab Hincmaro Rhemensi : episcopi conjunctâ auctoritate cum Papâ judicant : ex consensione robur. 455

CAP. XXII. Objecta solvuntur : Turonensis secundi concilii canon : statuta Nicolai papæ : canones Pontigonensis synodi : quæ Petri privilegio facta habeantur : sancti Leoni insignis locus. 456

CAP. XXIII. Aggredimur demonstrare viros bonos sanctosque, post romanorum Pontificum decreta etiam de fide, suspenso animo manisse, quòsd universalis consensus accederet : sancti Victoris papæ decretum de Paschate proponitur : sancti Stephani de rebaptizatione paucis repetitur. 459

CAP. XXIV. Pelagii I piis et orthodoxis suspecta fides propter approbatum synodum V, non ut doctor privatus, sed ut Papa suspectus, expositâ fide, non allegatâ infallibilitate, se purgat. 461

CAP. XXV. Bonifacius III seu IV eâdem causâ sancto Columbano presbytero suspectus. 462

CAP. XXVI. Romani Pontifices professi se apostolico officio fungentes esse errori obnoxios, in auctoritate universalis Ecclesiæ acquiescunt : locus Innocentii III. 464

CAP. XXVII. Joannis XXII fidei professio, omnia quæ in apostolico officio gessit, etiam circa fidem, iterum examinari posse demonstrat. 465

CAP. XXVIII. Ejusdem Joannis XXII de animarum statu speciatim publico diplomate declaratæ fides, à Benedicto XII successore ad examen revocetur. 466

CAP. XXIX. Gregorii XI ac Pii IV professio. 467

CAP. XXX. Ecclesiæ catholicæ auctoritas multis ostibus Ecclesiæ romanæ laborantis auctoritatem suppleat : primum exemplum, sæculi decimi invasores. 469

CAP. XXXI. Alia exempla : turbæ sub Sergio III, ordinationum Formosi papæ gratiâ : Auxilii presbyteri locus : aliæ turbæ sub Joanne XII : turbæ graviores, atque incertior status in diuturno schismate inter Urbanum VI et Clementem VII. 470

CAP. XXXII. Ex his ostenditur, etsi quis romanus Pontifex falsa definiat, catholicam tamen Ecclesiam Sedemque apostolicam manere suo pondere constitutam. 475

CAP. XXXIII. Lapsus romanorum Pontificum nihil Ecclesiæ, nihil fidei, nihil Sedi apostolicæ nocuerunt : Liberius ordine temporum primus recensetur. 476

CAP. XXXIV. Adversariorum effugia pracludunturur : nostra argumenta firmantur. 478

CAP. XXXV. Sanctus Zosimus Cœlestii pelagiani confessionem apertè hæreticam probat : ejus epistola ad africanos episcopos : sancti Augustini loci. 479

CAP. XXVI. Hormisdæ atque Honorii gesta uno verbo repetuntur : Joannes VII Trullanum synodum, quâ romana Ecclesia erroris accusatur, suo judicio subditam, relinquit intactam. 482

CAP. XXXVII. Stephani II, Gregorii II, Sergii III, Gregorii VII, ejusque vocatione Bonifacii VIII decreta et gesta referuntur : decretalis *Unam Sanctam*. 484

CAP. XXXVIII. Paschalis II : gesta Lateranensi synodi ; Guidonis Viennensis, mox Calixti II, decreta in synodo Viennensi à Sede apostolicâ comprobata : hujus decreti verba ad Papam : *Nos à vestrâ obedientiâ repellitis*. 486

CAP. XXXIX. Alexandri III in exponendâ Scripturâ manifestus error, omnium sententiâ reprobatus : caput *Cùm esset ; de Testamentis*. Item Innocenti III falsa Scripturæ expositio : Cap. *Per venerabilem* ; *Qui filii sint legitimi*. 488

CAP. XL. Ejusdem Alexandri III decretum, quo anteriorum Pontificum, de matrimonio per verba de præsenti, statuta solvuntur : Innocentii III de revelandâ confessione rescriptum ad Cistercienses : idem Innocentius III Cœlestini III erroneam decretalem solvit. 489

CAP. XLI. Franciscana controversia : primo loco ponitur decretalis *Exiit* Nicolai III : probatur hanc veram esse definitionem doctrinalem ac dogmaticam. 491

CAP. XLII. Decretalem *Exiit* confirmarunt Clemens V, clementinâ *Exivi*, et Joannes XXII, extravagante *Quorundam* : nam idem Joannes ejusdem decretalis auctoritatem infringere aggreditur. 492

CAP. XLVII. Joannis XXII Extravagans *Advenientem canonum* : ea decretalis *Exiit* dogma rejecit. 494

CAP. XLIV. Joannis XXII Extravagans *Cum inter nonnullos* : ea decretalis *Exiit* doctrinam de Christi et apostolorum paupertate hæreseos damnat : à romanis Pontificibus erronea definiri posse demonstrat : Franciscani appellantes in materiâ fidei à Papâ ad concilium, ejus rei gratiâ nullam cessionem ferunt. [illegible]

CAP. XLV. Bellarmini ac Rainaldi effugia. [illegible]

CAP. XLVI. Quæstio de visione beatifica [illegible] universalem resurrectionem : in eâ Joannes

XXII falsa prædicat, et suadere nititur : Gallis obsistentibus, Ecclesiæ catholicæ consensione cedit. 498

LIBER DECIMUS, quò probatur convenire cum Declaratione gallicanâ hæc : quòd romana Sedes fidesque nunquam defectura sit, et quòd prima Sedes non judicetur à quoquam.

Cap. primum. Fides Petri quid sit : verba Petri, *Tu es Christus* : et Christi, *Tu es Petrus, etc.* Petri fides Ecclesiæ fundamentum : ad locum Matt. XVI, 16 et seq. 501

Cap. II. Ipse Petrus et Petri successores, propter injunctum officium prædicandæ et asserendæ fidei, Ecclesiæ fundamentum : huic officio meritò adjunctæ claves. 502

Cap. III. Locus, *Rogavi pro te*, et, *Confirma fratres tuos*, Luc. XXII. 32. Aliud præceptum, aliud promissum : præceptum, *Confirma fratres*, quid sit. 504

Cap. IV. Promissio in illâ precatione, *ut non deficiat fides tua* : fides Petri quid sit? nunquam defectura, neque in ipso Petro; neque in catholicâ Ecclesiâ; neque in Sede apostolicâ, seu peculiari Petri Ecclesiâ. 505

Cap. V. Petros ejusque successores cuidam peculiari Ecclesiæ ac sedi præsidere debent : Petri fides in Petri sede et in successorum serie non deficit. 506

Cap. VI. Traditio Patrum de fide et Ecclesiâ romanâ, deque Sede apostolicâ nunquam defecturâ : romanorum Pontificum de suæ sedis dignitate tuendâ traditio. 508

Cap. VII. Libellus à sancto Hormisdâ ad Ecclesias Orientales missus : ab eisdem Ecclesiis subsignatus mittitur eidem Papæ : tum sancto Agapeto, Nicolao I, atque Adriano II, prædicata in eo libello romana fides nunquam defectura. 511

Cap. VIII. Concilium Lateranense sub sancto Martino papâ : sancti Agathonis ad synodum sextam epistola : item Benedicti XII de visione beatificâ decretalis. 512

Cap. IX. Sancti Gelasii papæ epistola ad Anastasium imperatorem nobis objicitur. 515

Cap. X. Leonis IX et Gregorii VII loci objiciuntur nobis. 517

Cap. XI. Innocentii III ab anonymo auctore locus objicitur, sed truncus et mutilus. 519

Cap. XII. Petri cardinalis de Alliaco, de Sede apostolicâ nunquam defecturâ, deque Pontifice interim fallibili et deviabili, sententia. 520

Cap. XIII. Joannis Gersonis eidem de re sententia : confutantur qui putant variasse Gersonem : Dionysii Carthusiani loci repetuntur. 522

Cap. XIV. Dubium resolvitur : Ecclesiæ Sedisque romanæ firmitas, ab Ecclesiæ catholicæ firmitate : Ecclesiæ romanæ traditio, universalis traditionis pars ac specimen. 523

Cap. XV. Ex Sedis apostolicæ immobili firmitate concludi causas fidei ad eam Sedem referendas; non autem propterea infallibili judicio finiendas : formulæ interrogandi romani Pontificis, de ejus judicio piam præsumptionem, non tamen continuò certam fidem fuisse; cujus rei exempla proferuntur. 526

Cap. XVI. De sancto Thomâ et sancto Bonaventurâ Facultatis Parisiensis doctoribus, quid Gerson senserit : utriusque ac præsertim Angelici doctoris sententia explicatur. 530

Cap. XVII. Testimonium ex cleri Gallicani cœtu anno 1626 petitum : alia argumenta ex jansenianæ negotio deprompta solvuntur : conventus anni 1655, Bullæque solemnis acceptio. 534

Cap. XVIII. Tres aliæ secutæ cleri gallicani congregationes probant necessarium episcoporum consensionem, atque hanc pro ecclesiastico judicio esse habendam. 537

Cap. XIX. Duo exempla ab antiquitate deprompta, quibus gallicanarum congregationum gesta firmantur : sancti Siricii de Joviniano judicium : Capuana synodus, et ejusdem Siricii responsio ad Macedonas. 540

Cap. XX. Dictum illud : Prima Sedes non judicatur a quoquam, cujus virtutis sit; an cum Declaratione gallicanâ consentiat : duplex ejus sensus, alter, de personâ Papæ, alter, de sententiâ ab eo dictâ : de particularibus synodis intelligendum : Sinuessana synodus : romana concilia sub Symmacho papâ. 543

Cap. XXI. Persona Pontificis quatenus ab œcumenicis conciliis judicari non possit : Photii gesta Nicolaum papam excommunicantis : concilii octavi canon XIII. 546

Cap. XXII. De sententiis romanorum Pontificum non retractandis; eâ de re relati canones, eorumque vis; Gelasii papæ loci. 547

Cap. XXIII. Appellationes à Papâ ad concilium : non esse de iis in gallicanâ Declaratione quæstium : quo sensu improbari possint : Petrus de Marcâ appellationes eas à veteri disciplinâ alienas, non satis cautè dixit : varii appellationis effectus; instituta cognitio, prolatæ sententiæ suspensa executio : tutela et præsidium in Ecclesiæ catholicæ auctoritate adversùs papalem etiam sententiam, in certis quidem causis; res est antiquissimâ. 549

Cap. XXIV. Sanctus Gelasius non eo sensu appellationes à Papâ vetuit, quo eunt postea in ecclesiâ frequentatæ. 550

Cap. XXV. Ante schismatis magni tempus appellationes à Papâ ad concilium, ex ea pecuniæ gratiâ, frequentatæ ab Anglis : adversùs Bonifacium VIII à Gallis : adversùs Joannem XXII à Franciscanis, nullo pontificio decreto condemnatæ. 551

Cap. XXVI. Appellationes à Papâ ad concilium primus omnium condemnavit Petrus de Luna in schismate obduratus; ejus ea de re decretum in concilio Constantiensi revocatum. 554

Cap. XXVII. Martini V bulla de non appellando à Papâ ad concilium, quàm perperam objecta. ib.

Cap. XXVIII. Bulla *Execrabilis* Pii II in conventu Mantuano : quâ occasione lata : mentri

intellexerunt de privatis tantùm negotiis, fundamento ex bullæ verbis petito : nec recepta est in Galliâ, et ab eâ quoque appellatum : appellationes postea frequentatæ. 558

Cap. xxix. Bulla *Suspecti regiminis* Julii II : in eâ clausulæ extra omnem ordinem : non publicata apud nos, nedum recepta : appellationes postea frequentatæ, non tantùm à nostris, sed etiam ab aliis. 559

Cap. xxx. Bullæ Pii II et Julii II, occasione litium ac dissidiorum temporalium editæ : qui appellationes respuunt, quàm incommoda remedia adhibeant. Andreæ Duvallii locus. 560

Cap. xxxi. Variæ de conciliis generalibus novissimi auctoris anonymi vitilitigationes : quæstionem ab eo pessimè constitutam : an concilia inter res incertas numeranda? Quæstiones generales à particularibus, ad Constantiensis synodi mentem, jam inde ab initio distinctæ. 562

Cap. xxxii. Recapitulatio eorum, quæ ad caput iv Declarationis gallicanæ dicta sunt, atque imprimis eorum quæ libro vii et viii. 565

Cap. xxxiii. Recapitulatio eorum quæ sunt in libro ix. 568

Cap. xxxiv. Recapitulatio eorum quæ hoc postremo libro dicta sunt, de romanæ Sedis ac fidei firmitate, ac de illis verbis, *Tu es Petrus*. 571

Cap. xxxv. Recapitulatio eorum quæ hoc postremo libro dicta sunt circa illud, *Rogavi pro te*. 573

Cap. xxxvi. An quemquam hominem infallibilem esse sit congruum, aut Ecclesiæ necessarium? an nulla sit Papæ, nisi infallibilis auctoritas? an Papâ errante nullum remedium. 575

Cap. xxxvii. An contraria sententia dignum aliquid ecclesiasticâ gravitate dicat? 577

LIBER UNDECIMUS. De pontificiæ potestatis usu per canones moderando; ad caput tertium gallicanæ Declarationis.

Caput primum. Refertur caput tertium gallicanæ Declarationis. 580

Cap. ii. Exponitur tertium caput gallicanæ Declarationis : hujus duæ patres : id probandum suscipitur, ecclesiasticam disciplinam, sive universam, sive particulares spectet Ecclesias, à romano Pontifice regi, adhibitis regulis, sive universim, sive particulatim receptis. ib.

Cap. iii. Ecclesia romana iisdem canonibus regit Ecclesias, quibus ipsa regitur : probatur ex romanis Pontificibus. 581

Cap. iv. Idem probatur ex gestis sub Bonifacio II; et ex concilio Romano sub Joanne IX, de translationibus. 583

Cap. v. Aliud exemplum : concilium Romanum sub Joanne XII. 585

Cap. vi. Nova et inaudita Gratiani interpretatio, xxv, Quæst. i, p. 2. *Sit ergo*. 586

Cap. vii. Concilium Mosomense : Rodulphi Glabri locus; concilium Ansanum : de eo anonymi responsiones : de exemptionibus obiter : Petri Venerabilis, et sancti Bernardi loci : an monachis Cluniacensibus profuerit, quòd romanum Pontificem peculiarem episcopum habere vellent. [illegible]

Cap. viii. Concilium Lemovicense II : Gregorius VII : concors romanorum Pontificum et episcoporum professio de regendo et dividendo secundùm canones. [illegible]

Cap. ix. Libertas in jure antiquo et communi : Pragmatica-sanctio sancti Ludovici : [illegible] anonymo idoneis probationibus falsi arguitur. [illegible]

Cap. x. Edictum Caroli VI : decretum Pistinium : nulla sunt, quæ contra canones romanus Pontifex contra canones nulla [illegible] sumitur, ne ipse adversetur sibi : locus insignis concilii Basileensis. [illegible]

Cap. xi. De decretalibus epistolis, deque consuetudine receptâ, et canonum origine. [illegible]

Cap. xii Jura, canones, consuetudines particularium Ecclesiarum retinenda : in [illegible] pars libertatis ecclesiasticæ : cæterarum [illegible] tium eam in rem cum Gallis [illegible] tentia. [illegible]

Cap. xiii. Jura novella necessaria : ad [illegible] collimandum : Patrum gallicanorum et [illegible] in concilio Tridentino sensus : ipsum Tridentinum concilium eodem animo fuit. [illegible]

Cap. xiv. Ecclesia gallicana antiquam et [illegible] tam, sub Aurelio et Augustino, [illegible] Ecclesiam sequitur : Christiani Lapi [illegible] nationes : summa doctrinæ de [illegible] bus. [illegible]

Cap. xv. Libertates quo sensu privilegia dicantur, nempe ut jura antiqua, [illegible] radix : an Petrus de Marcâ [illegible] conciliorum superiorem potestatem à [illegible] tatibus separat. [illegible]

Cap xvi. Hæc doctrina non obest [illegible] tionibus apostolicæ Sedis : concilii [illegible] sis locus : Gersonis doctrina à [illegible] nardo ducta. [illegible]

Cap. xvii. Dispensationes sine causâ; [illegible] Lugdunensi in earum gratiam à Petro de Marcâ citatus, an id efficiat. [illegible]

Cap. xviii. De dispensationibus sine causâ sententia cardinalium sub Paulo III : concilii Tridentini decreta memoranda. [illegible]

Cap. xix. Natura ipsa dispensationis ex [illegible] Symmacho et sancto Gelasio, romanis Pontificibus. Hinc dispensationes *sine causâ* [illegible] tuntur. [illegible]

Cap. xx. An auctor anonymus *Tractatus de Libertatibus*, ad tertiam propositionem Declarationis gallicanæ rectum aliquid, [illegible] rem dixerit. [illegible]

Cap. xxi. Auctor anonymus libro primo [illegible] agit; à scopo quæstionis aberrare [illegible] cet. [illegible]

Cap. xxii. Anonymi liber ii : primùm [illegible] agit extra rem : tum in eumdem [illegible] biscum congruit. [illegible]

Cap. xxiii. De reliquis libris à iii usque ad [illegible] et ultimum uno verbo transigitur : [illegible] tur quòd in toto opere vix tertia pars ad [illegible] futandam Declarationem spectet. [illegible]

CAP. XXIV. An auctor anonymus gallicanas libertates odiosas meritò esse dixerit. 622

COROLLARIUM. Quòd doctrinâ nostrâ primatus Romanus non obscuratur, sed illustratur et confirmatur.

I. Regimen ecclesiasticum in duobus positum; docendâ fide, administrandâ disciplinâ: Mennæ patriarchæ dictum in Constantinopolitanâ synodo: hæc duo à nobis illustrari. 623
II. De fide: in quot absurda adversarii se induant, è re ecclesiasticâ esse ea resecari; ac primùm in antiquis. 624
III. De posterioris ætatis monumentis, quæ Constantiensem synodum antecesserunt, adversarii quot absurda congesserint. 625
IV. In Constantiensi synodo nihil novum; sed antiqua in rei judicatæ auctoritatem necessariâ causâ transtisse: id qui negent in quot absurda cogantur. 629
V. Constantienses canones postremis quoque romanis Pontificibus intactos, quàm absurdum à privatis confugi: quàm item absurdum ea, quæ Tridentina synodus, ac nostra etiam ætas tuta esse censuerit, repente damnari; et de Papæ auctoritate postulari plura, quàm ipse Duvallius aliique romanæ Sedis studiosissimi poposcerint. 631
VI. De Pontificum lapsibus agnitis vel prævisis; deque conciliorum congregandorum causâ; quàm vana et absurda dicta sint. 633
VII. Quàm grave sit Ecclesiæ catholicæ causam in tot absurdis collocari, cùm præsertim ea invidiosissima sint. 635
VIII. Hæc absurda et invidiosa, etiam esse inania, neque prohiberi posse quin ad Ecclesiæ consensum necessariò recurratur: ex cathedrâ pronuntiari, quid sit. 636
IX. De regendâ disciplinâ discrepantes in speciem sententias summâ ipsâ convenire. Duvallii loci. Item locus anonymi, qui de gallicanis libertatibus scripsit. 638
X. Sedis apostolicæ majestas et potestas. 640
XI. Quàm fœdam ecclesiastici regiminis pontificiæque potestatis ideam, adversarii, ac præsertim auctor anonymus proferant, quàmque hæreticis faveant, dum papatui favere velle videntur. 642
XII. Quam falsò asserant gallicanâ Declaratione contentam doctrinam dissidiorum occasione proditam aut innovatam: cleri Facultatisque Parisiensis antiqua monumenta replicantur: nova etiam produntur; quædam Gallis malevolentissime ab anonymo objecta refelluntur: votum auctoris ejusdemque erga Ecclesiam catholicam Sedemque apostolicam devotus animus. 644

APPENDIX

AD DEFENSIONEM DECLARATIONIS CLERI GALLICANI DE ECCLESIASTICA POTESTATE.

In quâ probatur Declarationem gallicanam ab omni censurâ esse liberam, et eam romani Pontificis auctoritati nihil nocere.

PRÆFATIO. 651

LIBER PRIMUS. Id probatur ex professione fidei, et doctorum catholicorum nobiscum sentientium auctoritate.

CAPUT PRIMUM. Cujus sit generis ea quæstio quam tractamus? Nullum hic patere locum ad nos vel hæreseos, vel erroris in fide, incusandos: professio fidei à Pio IV edita ex concilii Tridentini mente, ut vera et sufficiens regula proponitur: articuli Parisienses anni 1542, adversùs Lutherum, huic præluxerunt, ejusdemque sunt spiritûs. 656
CAP. II. De Pii IV professione diligentiùs quæritur: in synodo Tridentinâ consultò omissa quæ inter catholicos controversa esset: Pallavicinus cardinalis testis adducitur: de Florentinâ formulâ, quòd *romanus Pontifex regat universalem Ecclesiam*, Tridenti in medium allatâ, atque omissâ, ne nostra sententia vel sub dubio læsa videretur: Claudii Sanctesii, et Caroli cardinalis Lotharingiæ epistolæ: Pii IV responsum egregium: ea tantùm in concilio Tridentino definienda, in quæ omnès catholici conspirarent. 660
CAP. III. Circa Florentinam formulam solemnis distinctio: quòd romanus Pontifex regat universalem Ecclesiam *distributivè*, non *collectivè*: de eâ distinctione Andræ Duvallii locus: ea distinctio non merè scholastica, sed à concilio Constantiensi, Martino V expressè approbante, deprompta. 663
CAP. IV. Ex antè dictis probatur cleri gallicani Declarationem jam in tuto esse, nondum licèt prolatis probationibus: Leonis X in concilio Lateranensi et adversùs Lutherum acta nihil ad rem facere, Tridenti acta, et Pii IV professio probant. 666
CAP. V. Parisiensium doctorum veneranda auctoritas: horum antesignati Petrus de Alliaco Cameracensis cardinalis, et Joannes de Gersone Parisiensis Ecclesiæ et Universitatis cancellarius, viri omni doctrinæ ac pietatis laude cumulati: hujus rei multi testes: de Joanne Gersone professoris Lovaniensis castiganda audacia. 668
CAP. VI. An, ut quibusdam videtur, quæstio de superioritate à quæstione de infallibilitate, secundùm Alliacensem, et Gersonem, separari possit? Refertur cap. *Si Papâ*, aliique ex decreto Gratiani loci et glossæ celebres, quæ Parisiensibus præluxerunt: hinc pro certo assumptum, Papam etiam ut Papam esse fallibilem. 671
CAP. VII Quo sensu explicarent illud: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. XXII. 32. Eâ de re glossa notabilis, quâ maximè utebantur: sancti Thomæ, sancti Bonaventuræ et Nicolai Lyrani loci. Petri de Alliaco locus insignis: Gersonis sententia. 673
CAP. VIII. Scholam Parisiensem in Alliacensis et Gersonis sententiâ perstitisse, toti orbi notum: eam sententiam egregii viri ubique docuerunt: cur Parisiensium doctrina dicta sit. 677
CAP. IX. Dionysius Carthusianus adducitur: ejus exemplum probat eos qui per eam ætatem pontificiæ auctoritati vel maximè fave-

bant, summâ ipsâ in Parisiensium sententiam convenisse : Ecclesiæ soli eamque repræsentanti concilio generali ab eo doctore tributa infallibilitas ? locus, *Rogavi pro te*, etc. Luc. XXII. 32. cum ea doctrinâ facilè conciliatus. 684

CAP. X. Idem Dionysius Carthusianus exponit quâ auctoritate in aliis præter fidem causis, romanus Pontifex à concilio judicari possit. 685

CAP. XI. De Lovaniensi Facultate ; eam cum Parisiensi et Coloniensi circa Constantiensem Basileensemque doctrinam consensisse : Nicolai Dubois professoris Lovaniensis vana argumenta. 684

CAP. XII. Adrianus Florentius, mox Adrianus papa VI, Facultatis Lovaniensis ornamentum, Parisiensium sententiam sequitur : quorumdam Lovaniensium cavillationes. 685

CAP. XIII. An sit verisimile Parisiensium doctrinam post Adrianum VI à Lovaniensibus condemnatam ? Lovaniensium erga Adrianum reverentia singularis. 689

CAP. XIV. Jacobi Latomi, doctoris lovaniensis, sententia. 690

CAP. XV. Joannis Driedonis Lovaniensis sententia, de fide Petri nunquam defecturâ. 694

CAP. XVI. Articuli Lovaniensis Facultatis, anni 1544, ex præcedente doctrinâ explicantur, et cum Parisiensibus, anni 1542, conferuntur : cathedra Petri nunquam defectura 700

CAP. XVII. Joannis Driedonis sententia et superioritate Papæ cum Parisiensium sententiâ congruit : horum reverentia in summum Pontificem : loqua Majoris. 703

CAP. XVIII. Alii Driedonis loci excutiuntur. Iterum de cathedræ Petri auctoritate, ex eodem scriptore. 706

LIBER SECUNDUS. Quòd Declaratio gallicana ab omni censurâ sit immunis, probatur ex auctoribus Parisiensium sententiæ adversantibus.

CAPUT PRIMUM. Joannes à Turrecremata pontificiæ potestatis sub Eugenio IV defensor præcipuus, in fidei quæstionibus concilii auctoritatem Papæ auctoritati anteponebat : communis erat tum illa sententia : bulla, *Deus novit* sub Eugenii nomine edita. 708

CAP. II. Alii Turrecrematæ loci de concilii potiori auctoritate in materiâ fidei ; quòdque summus Pontifex erronea solemniter definire possit De pontificiâ infallibilitate ludibria et cavillationes. 710

CAP. III. Antonii de Rosellis ejusdem ævi canonistæ Eugenianarum partium sententia. 713

CAP. IV. Sanctus Antoninus archiepiscopus Florentinus, an bonâ fide relatus ab anonymo auctore, qui de libertatibus gallicanis scripsit. 714

CAP. V. Thomas à Vio, cardinalis Cajetanus, pontificiam infallibilitatem asserit, nullâ in adversarios censuræ notâ : primus omnium docuit erroneam esse sententiam quæ superioritatem concilio assignet, qui repugnat Turrecremata, et Cajetani tempore debilitata Jacobatius cardinalis. 717

CAP. VI. Idem Jacobatius cardinalis, pontificiæ superioritatis assertor, in infallibilitatis quæstione quid sentiat. 719

CAP. VII. De fide Petri nunquam defituri, ejusdem cardinalis loci. 721

CAP. VIII. Bellarmini judicium : ab illo quidem Lateranensis auctoritas trepidè profertur de sententiâ superioritatem synodis vindicante : ejusdem censuræ titubantes. 722

CAP. IX. Bellarmini circa pontificiam infallibilitatem censura æquè anceps : vis argumenti ex Melchiore Cano. 724

CAP. X. Suarez Parisiensium de superioritate sententiam relinquit integram : ipse autem de infallibilitate censuram infringit, fulmen ex Leone X adversùs Lutherum refert. 726

CAP. XI. Andreas Duvallius Parisiensium de superioritate conciliorum sententiam, et Parisiensis Facultatis esse agnosci, et ab omni hæresis, erroris atque etiam temeritatis notâ absolvit. Pontificiam infallibilitatem non esse de fide, non modò asserit, sed etiam optimis argumentis probat. 727

CAP. XII. Dominicus à sanctâ Trinitate, carmelita discalceatus, libro Romæ recens excuso, docet pontificiam infallibilitatem aut superioritatem nullo Ecclesiæ decreto unquam definitam : quid illud sit, cùm privati doctores aliquid de fide esse dicunt, quatenus, non quoad nos ? 730

CAP. XIII. Recentiorum Lovaniensium illorumque sententia, ipso progressu immodestior et apertè nimia. 731

CAP. XIV. Quanta sit scholasticorum auctoritas, ex Melchiore Cano constituitur, atque hinc efficitur ab omni nos erroris nota esse liberos. 733

CAP. XV. Aliæ notæ : quæ ad fidem pertinent paucis diluuntur : sapiens hæresim, malè sonans, periculosum in fide quid sit : schismaticum à D. Strigoniensi inustum, sed ex hujus quidem nominis significatione perspectâ. 735

LIBER TERTIUS. Quòd Declaratio gallicana ab omni censurâ immunis sit, ex ipso statu quæstionis demonstratur.

CAPUT PRIMUM. Adversarii falsa imputant Parisiensibus, ac pessimè constituunt statum quæstionis : anonymus auctor *Tractatûs de Libertatibus Ecclesiæ gallicanæ* : Papa suprema potestas et monarchia ecclesiastica à Gersone et aliis Parisiensibus aguta : Constantiensis concilii loci à Cajetano et aliis objecti : an recursus ad concilium in extraordinariis casibus supremam Papæ imponat in ordinariis casibus potestatem ? 741

CAP. II. Falsò imputari Parisiensibus, quòd saltem in fidei causis, recursus ad concilium semper sit necessarius. 745

CAP. III. Quòd si unus vel alter romanus Pontifex in decreto fidei aberraret, nihil fidei romanæ, nihil romanæ cathedræ Sedique apostolicæ noceretur. 748

CAP. IV. Adversarii quæstionem de superioritate Papæ ad vana redigunt; casus hæresis evertit eorum generales regulas: Cajetani argutiæ recitantur. 748
CAP. V. Suaris labores æquè irriti circa depositionem Papæ in hæresim lapsi. 750
CAP. VI. Cajetani ac Suaris absurda effugia, non nisi aliis absurdioribus evitari posse. Alberti Pighii sententia, quòd Papa, nec ut privatus, fieri possit hæreticus: alii quoque casus, quibus papa concilio habetur inferior. 752
CAP. VII. Papam etiam certum, non modò hæreticum, sed et absque hæresi, schismaticum fieri posse Duvallius docet ex Turrecremata et Cajetano cardinalibus, eumque Ecclesiæ auctoritate statim dejiciendum. 753
CAP. VIII. De concilii auctoritate, qua Papâ teneantur in fidei causis, Duvallii locus. 754
CAP. IX. Propter quæ scelera in Pontificem animadverti possit, canonistas ferè omnes, non iisdem licèt verbis, in eamdem rerum summam convenire. 755
CAP. X. De infallibilitate, positis quæ necessariò conceduntur, nullam superesse veram difficultatem: unum Albertum Pighium consentanea dixisse, sed nova, et inaudita, et ferè ab omnibus spreta, in quæ tamen adversarii necessariò deducuntur, si sua cohærenter tueri velint. 758
CAP. XI. Ex his consequi romanos Pontifices in hâc quæstione non se commoturos, cujus rei multa sunt argumenta: primum, ex Declarationibus sacræ Facultatis, anno 1663, toto regno promulgatis, ipsis Pontificibus nihil conquerentibus. 764
CAP. XII. *Expositio doctrinæ catholicæ* illustrissimi ac reverendissimi domini Meldensis episcopi in medium adducitur: duo Innocentii XI brevia ad eam approbandam: his consentiens Perronii cardinalis locus. 768
CAP. XIII. Explosâ hæreseos, erroris ac schismatis notâ, aliæ notæ excutiuntur: articulos gallicanos neque esse temerarios, neque scandalosos, neque piarum aurium offensivos: vera pietas cum veritate et traditione conjuncta: censuræ vagæ et inconditæ: sancti Ambrosii locus: prima pars concluditur. 772
Sancti Eusebii romani presbyteri ac martyris acta referuntur. 776

MÉMOIRE

DE M. BÉNIGNE BOSSUET, ÉVÊQUE DE MEAUX: PRÉSENTÉ AU ROI;

Contre le livre intitulé : De romani Pontificis auctoritate, etc., *divisé en trois tomes* in-fol., *par dom frère Jean-Thomas de Roccaberti, autrefois général de l'ordre de Saint-Dominique, archevêque de Valence.*

I. Idée générale du livre, et de quoi le roi se peut plaindre. 779
II. L'auteur traite les François comme hérétiques sur l'infaillibilité du Pape. ib.
III. Il traite d'impie, hérétique et schismatique, la doctrine de l'indépendance des rois dans leur temporel. 781
IV. Excès des approbateurs sur la temporalité des rois. 782
V. Ce que disent les approbateurs sur les priviléges et les libertés de nos rois et de l'Eglise de France. 783
VI. Outrages contre la France, et manquement de respect envers le roi, dans les approbateurs et dans l'auteur même. 784
VII. Deux brefs du Pape à l'auteur, à la tête du tome II et du III. 785
VIII. Quel remède on peut apporter à ce livre injurieux: trois choses proposées au roi sous son bon plaisir: la première. 786
IX. Seconde et troisième chose que le roi peut faire ib.
X. Remarques sur ce mémoire, et ce qu'il semble qu'on doit éviter dans cette occasion. 787

FIN DE LA TABLE DU SEIZIÈME VOLUME.

67680873